LOCORUM CATHOLICORUM, TUM SACRÆ SCRIPTURAE, TUM ETIAM...

Francisco Orantes

Digitized by Google

Virtus in
magno

8,56,e,24
M

II B 62 f 2

Digitized by Google

Digitized by Google

LOCORVM

CATHOLICORVM, TVM SACRÆ SCRIPTVRAE, TVM ETIAM ANtiquorum patrum, pro orthodoxa & vetere fide retinenda, Libri Septem:

Ad Carolum, Hiſpaniarum Principem.

In quibus præcipua inſtitutionis CALVINI capita, appertiſsimè confutantur.

Fr. Franciſco Horantio, Hiſpano, ordinis minorum regularis obſeruantiæ, auctore.

Cum quatuor indicibus, quorum primus epiſtolam ſequens de quibus rebus in toto libro agatur, oſtendit: Secundus, Doctorum nomina ab auctore citata, continet: Tertius Scripturarum loca, ab eodem explicata complectitur: Vltimus verò omnia notatu digna breuiter comprehendit.



PARISIIS

Apud Nicolaum CHESNEAV, via Iacobæa, ſub ſcuto Frobeniano & quercu viridi.

1565.

HIC LIBER EST CONVENTUS ... FR. ...

Digitized by Google

CAROLO REGIS PHILIPPI MAXIMI, ATQVE INVICtiſsimi filio, ac principi noſtro, F. Franciſcus Horantius, Hiſpanus S. P. D.

MIHI, ſæpenumero cogitanti, PRINCEPS SERENISSIME, *an primos hos noſtros laboris fructus inclitæ maieſtati tuæ dicarem: nulla planè ratio, quæ me id ad faciendum cohortaretur, veniebat in mentem. Quis enim cæteris prætermiſsis tam exiguis muneribus catholici atque potentiſsimi Regis filium, Hiſpaniarum principem, tantorúmque regnorum hæredem, ſibi deuincere poſſe, in animam induceret? Verum, cum labores noſtri magis creſcere viderentur, piiſque omnibus plus placere inciperent, quam ego ſperare auſus fuiſſem, non dubitaui, clementiam tuam multis de cauſſis, quas breui hîc perſequar, in præſentis negotij defenſionem ſuppliciter aſciſcere. Illud itaque in primis me mouit, princeps maxime, vt* SEPTEM HOS LIBROS LOCORVM CATHOLICORVM *tibi conſecrarem: quod certiſsimam ſpem de maieſtate tua, iampridem conceptam, Chriſti eccleſia habeat,*

Digitized by Google

non minùs te catholici nominis, paternæ, auitǽque pietatis, ac religionis hæredem ſe habituram, quam ampliſsimorum & plurimorum regnorum iure hæreditatio te fore ſucceſſorem, lætè atque hilarè recognoſcit. Adhuc etiam hæc altera conſideratio animum noſtrum in propoſito vnice confirmauit: quod, ſi veritas non eſt, IOANNES CALVINVS, *(in cuius ſolius falſam doctrinam euertendam toto hoc opere incumbimus) regem Chriſtianiſsimum iniqua & impia cauſſa, à qua quàm lōgè abeſſet rex ille fortiſsimus & antiquæ fidei obſeruantiſsimus, homo maximè aſtutus profectò non ignorabat, non defenſorem modò, ſed etiam iudicē appellare: nemo mihi iure, ac merito vitio vertet, ſi catholicū principem, pro catholica confeſsione nominatim patronum, non iudicem rerum eccleſiaſticarum cōpellē. Simulauit ille falsò ſub potentiſsimi regis Franciſci vmbra quietum ac ſecurum ſe delitescere: cum ipſius principis fidem palàm oppugnaret: & mihi non licebit Chriſtianiſsimi æquè, ac potentiſsimi principis fidem implorare, atque obteſtari fauorem, dum eam fidem ab iniquis calumniis vindico, pro qua, more ſuorum maiorum, ad vitam libenter effundendam ſemper ſit paratiſsimus? Habet enim ſui generis domeſtica exempla, tam illuſtria & preclara, vt nō tam imperio & potētia maximum, quàm fidei, pietatis, & religionis amplificandæ ſtudioſum ſe fore oportere recordetur, quoties de vniuſcuiuſque ipſorum vita cogitauerit. Habet, vt nimis antiqua omittamus, reges catholicos, qui ſimul cum regno Chriſti euangelium regio ſanguine amplificarunt. Habet admirandum illud imperatoriæ maieſtatis atque religionis exemplar,* CAROLVM. V. *quem non tam nomine, (quamuis & hoc non in parua*

felicitatis ſuæ parte meritò reponat) quàm animi magnitudine & fidei feruore, vt facere cœpit diligentiſſimè exprimat. Habet denique totius humanitatis, pietatis, religioniſque cœleſte ſpecimen, catholicum ſcilicet regem PHILIPPVM, *progenitorē ſuum, qui tanto ſtudio, & opera huiuſmodi lucubrationes iuuare eſt ſolitus, quanto flagitioſos homines, & ſceleratos omnibus ſententiis perſequitur, atque vlciſcitur. Sed ne his tantùm nominibus, quæ tui generis ſplendor tibi peperit, tecum nos hîc egiſſe videamur: nonnullas etiam ex prope infinitis tui animi ſingularibus ac regiis dotibus, tibi propriis, & quas cum paucis habes communes, (etenim vniuerſas, quis ad eò illuſtri ingenio foret, vt poſſet vel oratione complecti, vel ſaltem percenſere numerando?) in medium afferemus. Ipſa ſiquidem clementiam tuam ad opem nobis ferendam, ac fortiſſimam manum indigentibus tendendā contra fidei tuæ hoſtes, homines hæreticos, non vrgent ſolum, ſed premunt & impellūt. Fidē ſanctiſſimā in vita, qui eſſe, opportere tā firmiter credis, poteriſne inimicus iſtis non eſſe, qui tuū paſtorem, Chriſti vicarium, Petri ſucceſſorem, honore priuant, atque dignitate ſpoliant? pudorem, ac pudicitiam, qui tam inſigniter colis, vt ipſius præclarum ſpecimen vulgò habearis, qui poteris æquo animo ferre. meretriciā iſtorum diſciplinam, caſtitatis violationem, virginum Deo dicatarum corruptionem, domeſticum demum iſtorum lenocinium? qui ſacrificium Chriſti, immortalis ſacerdotis, tanto cultu ac veneratione proſequeris, vt vel hac parte admirabilis ſit vbique tuarū incredibilium virtutū, fauorum ſpoliatores, ſacrilegos inuaſores, ſacerdotum occiſores, imaginum irriſores, ac depulſores, iam pridem mortuorum martirum nouos*

necatores, crucis tandem inimicos: quo pacto iſte tuus penè diuinus genius inultos & impunitos abiiſſe ſuſtineat, non ſatis poſſum equidem cogitare. Leges violatæ, humana decreta corrupta, innocentia afflicta, & veritas offenſa, cuius præter tuam, INCLYTE CAROLE, *fidem implorabit? conſtantiam appellabit? vitæ integritatem obteſtabitur? veritatem, qua lõgè cæteris excellere ab omnibus iudicaris, expoſcet? Ne viuam, ſi quæ ſtatim ſum dicturus, ſimulationis, aut aſſentationis cauſa dixero. Non me profectò latet quàm cauerit ſemper princeps meus iſtiuſmodi hominibus, nec ſemel quidẽ patefeciſſe aures. Sæpe itaque in Italia, extra eas etiam ciuitates, quas clementiſsimi ac religioſiſsimi genitoris tui, & regis noſtri* PHILIPPI, *potentia regit, à multis, qui maieſtatem tuam nunquã de facie nouerunt, (principes nimirum etiam abſentes, ante omnium oculos verſamini) de te inter cætera accepiſſe memini, in vita ſcilicet iſta tua innocentiſsima, in moribus integerrimus, in maximis factis, in odio incredibili, quo iam à puero mendaces homines, immo ioculares, ludicros, atque adulatores acriter inſectaris, in ſingulari quadam beneuolentia & humanitate, qua es erga bonos, graues, benemeritóſque de Chriſtiana repub. non de tua ampliſsima ſolùm, in his itaque omnibus & in aliis pluribus, quæ illi non ſine maxima admirabilitate de te referebant, ego verò non ſine ſumma voluptate audiebam, clariſsimam præſagitionem eorum, quæ longo poſt tempore per te ſit Deus aſſecturus, eſſe diuinitus incluſam. O quantam habet diſsimilitudinem genus hoc tuorũ inſtitutorũ, & tuæ vitæ Chriſtianæ ducẽdæ ratio, cum iſtorũ hominum, quos hic ſumus inſectaturi, & fide, & moribus. Iſti Dei viuentis verbum ini-*

quis gloſſulis quotidie tentant: ſuntq́; ſcripturæ ſanctæ corruptores ſceleratiſsimi: iſti in eccleſiæ principes exhauſto rubore, oréque duriſsimo ſunt: iſti nouis doctrinis vetus illud euangeliũ, pro quo vitã obtuliſſe quàm glorioſiſsimum ipſe æſtimaſſes, antiquare, abrogare, extinguere, & funditus delere, omnes, pro ſua quiſque virili parte, certant: iſti verorum miraculorum virtutem mirandáque prodigia ſanctorum, quæ tam ſincero affectu cum antiquitate ipſe obſeruas, nullius frontis homines, Satanæ præſtigias, & ſi quid poſſunt turpius, apellant: iſti antiquos patres, in quorum libris ſatis expreſſam fidem, quam tua maieſtas profitetur, intueri licet, & quos tu vnicè laudare ſoles, modò miſerè lapſos, modò deceptos, cæcos, rudes, ignaros, apertiſsimè dicere non verentur: iſti cùm vrgentur, vt eos cogamus fateri, vel eccleſiam, cuius te ſacro lacte eſſe educatum vehementer ipſe gloriaris, fuiſſe aliquandiu inter mortuã, vt cum ipſis renaſceretur, vel certè cum ea ipſis litem eſſe, veram eccleſiam inuiſibilem eſſe, homines verſuti, obſcuri, aſtuti, fallaces, malitioſi, atque veteratores fingunt: iſti tandem (Nam ſi omnia eorum ſcelera ſingillatim percurrere vellem, & maieſtati tuæ audire perquàm moleſtum foret, & nobis referre non mediocriter laborioſum) non aliò ſpectant, quàm vt Chriſtiani populi pacem perturbent, diuinas leges abrogent, ſacra iura tollant, vniuerſa inuertant. Non aliò ſpectant, quàm vt regibus ſua ſceptra è manibus extorqueant, è ſuis finibus expellant, patrimonio ſpoliant, bonis demum omnibus priuent. Duces Chriſtianiſsimos paritérque nobiliſsimos dolo perimunt, gentem ſuam produnt, ac tam horrendis facinoribus implicantur, vt vel mediocriter modeſtum ea commemorare pudeat, & pigeat.

Scilicet talibus dolis Dei verbum apoſtolorum ſæculo emerſit, ſcilicet ſimilibus latrociniis Chriſti euangelium principio diuulgatum eſt? ſiccine diuina lux cum hominibus communicari ſolet? ſiccine fidem Chriſtianam homines docentur? ô cæcitas, ô impietas. Cruces comminuunt, quas apoſtoli, ac ſummi reges, veluti cæleſte trophæum, in fronte portabant: monaſteria violant, quæ antiquitas vni Chriſto ſacrauit: ſacerdotes vinciunt, quos Chriſtus vnxit: epiſcopos eludunt, quos ſincera fides colit, atque obſeruat: in martyrum reliquias furiunt, quas pro futuræ regenerationis arrhabone eccleſia ſeruat: diuinam aram mulis & equis præparant & ſternunt: Dei denique gregem dies & noctes lacerant, excedunt, planéque conficiunt. Hæc cùm obiicimus: reſpondent, & conqueruntur euangelici miniſtri, improborum culpam in ipſos tranſcribi, cùm non ſua culpa, ſed vulgarium hominum vitio ea omnia accidant. ô immenſam prauitatem, ô inueteratam ſceleratorum hominum conſuetudinem. Scelera, quorum ipſi, ſi non auctores, at quidem certè accerrimi defenſores, immo aſsidui perſuaſores exiſtunt in ſimplex ac rude vulgus, quod ipſorum imperio ſemper paret, atque voluntate regitur, transfundere minimè erubeſcunt. Si ipſis magiſtris, nouis euangeliſtis, ac nouis prophetis, quæ hodie à ſuis geruntur, non placent: cur tacent? ſi non probant, quare non corrigunt? bella ſanè excuſatio: quaſi verò illi quidquam aggredi tentaſſent, quod antea ſuis apoſtolis pergratum fore, exploratiſsimum non haberent. Quapropter deſinant rudem plebem aliena culpa onerare, deſinant proprium ſcelus in alios transferre, deſinant aliis maledicere, ſed potius malefacta agnoſcant ſua. Iſti igi-

tur ſunt, princeps ampliſſimè, contra quos regale auxilium in immortalis beneficij loco, & gratiæ vehementiſſimè petimus, & ſummè abs te contendimus. Quod ne fruſtra popoſciſſe vereremur, ſed magis ac magis tuæ clementiæ confideremus, tua ipſius humanitas, iſtorum impietati valde contraria, in cauſſa fuit. Vicimus, vt nobis perſuademus, quorundam ſtuporem, qui fortè nimiùm admirabuntur, quòd tam præclari principis gloriam paruo libello affigere auſi fuerimus: nec, vt ſpero, lectis his noſtris, licèt parum exornatis ſermonibus, ampliùs temeritatis & ſuperbiæ nos inſimulare quiſquam perget. Nunc verò admirationem alteram ex iſtorum cordibus ſimili compendio tollendam eſſe arbitramur. Non enim deerunt, ſicut coniicio, qui aſpicere, mirari, & obſtupeſcere non ceſſabunt, quod, cùm ingenium noſtrum nullos hactenus pro ſe obſides publico inſtrumento in huiuſmodi certaminibus præbuerit, ex quibus nonnullam fiduciam de ſe concipere coegerit, primos impetus in hominem clamoſum, maximè aſtutum, & grauiter callidum IOANNEM *ſcilicet* CALVINVM, *fregerimus, & qui non tam de meo nomine, quàm de veritate ipſa ſe eſſe ſolicitos religionis ſpecie ſimulabunt. His ego apud te, princeps potentiſſime, breui fecero ſatis, modò mihi liceat, quæ tua eſt clementia atque humanitas, rem ab vltimo, vt dicitur, principio exordiri. Cùm eſſemus Tridenti, atque ibi apud patres in generali ſynodo, iuſſu clementiſſimi regis noſtri* PHILIPPI *genitoris tui reuerendiſſ. epiſcopi Palentini (qui vt eſt præclariſſimis virtutibus ornatus: ita etiam eſt in omnes liberaliſſimus, ac beneficentibus. Mecum autem ſic ſe geſſit, vt nulla vnquam in re*

mihi deffuerit. Quamobrem neceſſe eſt (vt maximis eius erga me beneficiis addictum, deditum, atque obſtrictum me eſſe, ac fore, ingenuè, & ſemper fatear) perſonam ſuſtineremus, & locum teneremus: eadem cupiditate Chriſtianæ reipub. iuuandæ, etſi non pari ingenio, cum cæteris theologis, quos habuit concilium hoc valde præclaros atque inſignes, vehementer flagrabamus, ſummoperéque cupiebamus afflictæ parentis calamitatibus non nihil blandiri, ne omnino, dum omnes vigilant, nos tantùm obdormiſcere videremur. Cum itaque varios auctores tam ex catholicis, quàm ex his, qui, poſtquam ſemel errarunt ab vtero locuti ſunt falſa, reuoluimus, IOANNIS CALVINI *Inſtitutio Chriſtiana, ſeu verius, Chriſtianæ Inſtitutionis deſtructio, ſimul cũ epiſtola ad Chriſtianiſsimum Franciſcum, Galliarum regem, incredibili ſimulatione, atque arte compoſita, in manus noſtras incidit. Cœpi primùm obſeruare hominis fallaciſsimum ingenium & tortuoſum, deinde aſperam in omnes etiam antiquos patres maledictionem, ac faſtum diabolicum: poſtremò fucis & præſtigiis omnia ipſius eſſe referta. Aut enim maledicit, aut decipit, aut certè ſcripturam, & ſanctos corrumpit. His enim partibus re ipſa totus conſtat. Adieci profectò illico animum, vt epiſtolæ ſolùm reſponderem: quod & feci. Nam ad cætera & tempus, & ingenium, immo opportunitas ipſa me deficere videbatur. Cũ verò animaduerterem concilij ſacroſancti expeditionem in multos dies protrahi, longioréſque moras ſemper promittere: libris, ac quorundam virorum doctiſsimorũ, qui mihi non vulgari conſuetudine, ac familiaritate coniuncti erant, induſtria ſubleuatus, cœpi non ſine timore tentare, ſi quo pacto gelidam hanc primus ipſe cum fructu,*

& laude infringere poſſem, atque vniuerſa Inſtitutionis Caluinianæ capita, prout ipſe in epiſtola diſpoſuiſſet, ſcripturæ Diuinæ locis, atque ſanctorum teſtimoniis diligenter attingeret. Nec enim Lutherus, nec Oecolampadius, nec Philippus Melanchthon, nec Fabricius Capito, nec Lambertus, nec Conradus Pellicanus, nec Andreas Oſiander, nec Martinus Bucerus, nec Petrus Vermelius Martyr, nec Vuolphangus Muſculus, Immo nec Zuinglius ipſe, qui Sacramentariorum caput & corona eſt habitus, ſimiles progreſſus in impietate, maledictis, & conuiciis cum Caluino fecerunt. Quamobrem magnopere miratus ſum, quòd tam nefandum opus, tot dolis, ac mendaciis ſcatens, impunè graſſari tam diu à noſtris permiſſum eſt. Scripſerunt nonnulli authores catholici in IOANNEM CALVINVM, *ſed particularia quædam, ſatis quidem eleganter & piè: qui, ſi vniuerſam hanc prouinciam ſuſcepiſſent, non me tantùm, ſed etiam alios longè me peritiores ſimili cura prorſus leuaſſent. Factum tandem eſt, princeps ſereniſſime, vt, dum quotidie creſcunt vigiliæ noſtræ, quæ nunquam à nobis intermittebantur, dum etiam quotidie amicorum ſuffragiis, & ſententiis plus confirmantur, vnà & ſacrum concilium abſolutum diſſolueretur, & hos ſeptem libros ferè perfectos ac conſummatos haberemus. Multorum itaque perſuaſionibus victus, qui non tam mihi, ac meo nomini bene cupere ſe dicerent, quàm Chriſtianis ſtudiis conſulere, Venetias perii, vt, ſi videretur, poſtquam limatius poliuiſſem, & cumulatius ornaſſem, quæ tantùm decoxiſſe videbar, in nomine Domini, cuius eſt velle ac perficere, in lucem ederem. Venetiis ergo, ob immenſos ſuſceptos labores, & immoderatas vigilias, cùm ad*

ſextum librum veniſſem: penè fructu operis & ſimul vita mihi breui carendum non pauci ſuſpicabantur. Infirmitate igitur vires ſuas non nihil remittente, vrbem relinquere, medicorum præcepto, coactus ſum. Sed Deus optimus, max. omnia noſtra bene vertit. Nam & nos ſanitati ſumus reſtitui, & meus familiariſsimus Ioannes Baptiſta Tebaldus, vir ſumma prudentia, multáque etiam doctrina, cui prouincia commiſſa eſt, ſatis diligenter ac candidè ſe geſſit. Vnum tamen præſtare non potuit: quòd, cùm multa nos haberemus addenda, atque immutanda, ſicut in aliis libris fecimus, nec tam breui tempore noſtram incolumitatem ipſe ſperaret, totum opus, illis demiſsis, abſoluit, ſumma in ſpe, vt ipſe dicebat, poſitus, quòd, ſi vita nobis foret ſuperſtes, totum hoc, quod à nobis his in libris preſtandum videretur, auctore Deo, cum vſura ſuo tempore redderemus. Hanc certè expectationem libentiſsimè quidem vincemus, princeps humaniſsime, ſi tui nominis vmbra hæc nunc protegantur. Quamobrē maieſtatē tuam oro ſupplex, vt pro tua in Deum pietate, in tuos clementia, in omnes benignitate verè regia, ipſa ſuſcipere & fouere non graueris. Nec te minus moueat, quòd diui Franciſci, quem vnicè colis, inſtitutum profitemur, & quod in Complutenſi vniuerſitate ſumus educati, quā tua preſentia multis non vrbibus modò, ſed integris regnis inſigniorem atque illuſtriorem reddis. Militem itaque ſub tuo vexillo pugnare incboantem, hunc tu fouebis, tuiſque ſubſidiis, vt ſpero & opto, ſeruabis, ac tueberis. Vale. Venetiis Idib. Quintil. M. D. XLIIII.

PRAECIPVA RERVM CAPITA, *quæ his ſeptem libris fuſius continentur, in hac epitome recenſentur.*

LIBRI PRIMI.

De duplici circa naturam noſtrã poſt peccatum conſideratione.
De intellectus noſtri naturali luce ad hęc terrena.
Quid cernat eadem humana ratio, vbi ad Deum ventum eſt.
De libero hominis arbitrio ad bonum & ad malũ, etiam poſt peccatum.
De iuſtificatione noſtra.
De præparatoriis ac diſpoſitoriis operib⁹ noſtris ad ipſã.
De incertitudine gratiæ.
De temeraria quorundam præſumptione circa ipſius certitudinem.
De iuſtorum merito ac beatorum præmio.

LIBRI SECVNDI.

De ſcripturæ diuinæ vtilitate, firmitate, antiquitate, ac ſumma veritate.
De Eccleſiæ auctoritate neceſſaria ad ipſam proponendam & explicandam.
De Dei verbo, quod non ſola ſcriptura conſtat.
De vniuerſalium conciliorum auctoritate, ac ſumma inter legitimas ſynodos œcumenicas antiquorum patrum conſenſione.
De actis in Nicæna ſynodo ſecunda, quæ ſeptima dicitur contra ſynodum Conſtantinopolitanam ſub Leone I. imperatore congregatam. Vbi multa de imaginum cultu cumulatiſſimè referuntur.
De idololatriæ ortu, & origine.
De laudabili vſu ſatiſque antiquo in eccleſia depingendi imagines, ſiue quæ res geſtas narrent, ſiue quæ nudam rem oſtendant.
Quæ ſunt circa fidẽ noſtrã ab omnibus intelligẽda, qualiter etiã & quãta ſciẽtia eccleſiæ maiores pollere debeant.

LIBRI TERTII.

De Dei noſtri ſumma bonitate & immenſa iuſtitia ac prouidentia.

De quorundã hæreticorum blaſphemia, aſſerentiũ mala ab hominibus ipſius conſilio & impulſu patrari.
De rerum contingentia.
De electorum prædeſtinatione & iniquorum præſcientia ſine vlla in ipſis neceſsitate.
De Sanctorum imitatione, veneratione, atque inuocatione, & eorum reliquis.
De auctoritate primi & ſecũdi Machabęorũ: vbi Sanctorum preces apud Deum expreſſe leguntur.
De Chriſti diuinitate atque humanitate, ſiue confuſione ac miſtione ſubſtantiarum.
De merito mortis ſuæ.
De deſcenſu ad inferos, vbi ſumma iſtorum quædam impietas retegitur.
De euangelio, & quod non ſolum ſcriptura conſtet.
De eſſentiali differẽtia ipſius à veteri lege, & de accidẽtalib⁹ aliis notis, quib⁹ à priori teſtamẽto etiã ſecernitur.
De martyrio multa ex Aug. contra Donatiſtas.

LIBRI QVARTI.

QVod ſemper diuinam promiſsionem cæleſtia miracula confirmarunt.
De numero, qualitate, ac modo miraculorum vitæ Chriſti, quibus ſua diuinitas probata eſt.
De miraculis, quib⁹ redẽptor noſter in morte ſua enituit, ac ſimul in Reſurrectione, in cælum Aſcenſione, & in ſpiritus ſancti in diſcipulos miro illo deſcenſu.
De Apoſtolorum miraculis.
Quod vſque in præſentem diem durent vera miracula, longiſsimè probatur.
De vſu multiplici ac legitimo verorum miraculorum.
De dæmonum pręſtigiis, ac de notis, quibus diſtingui habent à veris prodigiis.
De potentia & ſignis regni Antichriſti.
De Ieremiæ ſepulchro & ipſius miraculis.
De ſcripturis apochryphis.
De canonizatione ſanctorum.

LIBRI QVINTI.

DE antiquorum patrũ ſingulari & ſumma in fide noſtra conſenſione.
De fructibus, qui ex aſsidua eorundẽ patrũ lectione per-

cipiuntur, & de ſtudio Romanæ ſedis pro ipſis ab apocryphis ſcripturis, & ab hæreticorũ libris diſtinguẽdis.
De quatuor regulis, quas omnino ſeruare oporteat, dum antiquorum patrum ſcripturas percurrimus.
De templis atque eorum ornatu, de ſacrorum vaſorum vſu, materia, apparatu, & antiquitate.
De ieiunio atque quadrageſimali obſeruatione, & vigiliis Martyrum.
De monachatꝰ antiquitate, forma, veſtibꝰ, ac cęremoniis.
De opere monachorum.
Quo pacto religionis ſtatus ad perfectionem Chriſtianam pertinere dicatur.
De præceptis ac conſiliis legis euangelicæ.
De verbo Chriſti, SI VIS PERFECTVS ESSE. Matth. 19.
De vnico chriſtianiſsimo, & in quo monaſtices profeſsio baptiſmati ſanctificationi à ſanctis perſimilis habeatur.
De votis monaſticis.
De mortuorum ſuffragiis.
De ſatisfactione.
De mortalis ac venialis peccati multiplici vſu & differẽtia.
De reatu pœnæ tẽporalis, cõdonata culpa.
De purgatorio. De tranſſubſtantiatione.
De Miſsis, quas hæretici priuatas appellant.
De conſuetudine cõmunionis, quæ à Chriſtiano populo fit, ſub ſpecie panis tantum.
De lege cœlibatus ſacerdotum antiqua, ſancta, apoſtolica, ac libertatis plena.
De antiquis conſuetudinibus eccleſiaſticis.

LIBRI SEXTI.

DE verè eccleſiæ certis notis, atque Petri & Romani pontificis primatu.
Quid ſit eccleſia, & de multiplici nominis acceptione.
De membris, quibus eadem conſtat, nimirum bonis ac reprobis, iuſtis, & peccatoribus fidelibus.
Quod eccleſia ſit viſibilis, nec minus etiã ipſius mẽbra.
De verbi diuini ſincera prędicatione, & ſacramẽtorũ legitima adminiſtratione, vnitati fideliũ perneceſſariis.
Quod hæ duæ res non ſint primæ, nec certæ veræ eccleſię notæ.
De Sacerdotũ, Romanorũ præcipuè pontificũ, cõtinuata

ſucceſsione,& quod ea certiſsima ſit nota verę eccleſię.
De eccleſię vnitate ſeruandà, à qua non ſit recedendum.
Quod antiqui mores poſthabere videantur, modo fides antiqua retineatur.
De diui Petri primatu, & quod ipſe à Chriſto domino, eccleſiæ princeps præ cæteris fuerit conſtitutus.
De ſucceſſore Petri in ſummo pontificatu.
De Romana ſede, quod ea hæres ſit fidei & auctoritatis Petri.
De nonnullis hiſtoriis, quibus eadem veritas vnicè confirmatur: tantũ abeſt, vt per eas, ſicut impiè ſentit Caluinus, labefactetur.
Vt de Leone I. De Miltiade, & de Baſilien. Concilio.
Bulla Pij papæ II. retractionẽ omniũ dudũ per eũ in minoribus adhuc agẽte pro cõcil. Baſil. & cõtra Eugeniũ.

LIBRI SEPTIMI.

DE ſeptem euangelicæ legis veris & propriè dictis ſacramentis.
De vſu, diffinitione, atq; efficacia ſacramẽtorũ nouę legis.
De differentia inter euangelium & ſacramentum, ac de diſcrimine ſacramentorum noui & veteris teſtamenti.
De Baptiſmo, de eius efficacia atque fructibus: vbi quatuor Caluini errores circa hanc diuinam baptiſmi virtutem proponuntur & confutantur.
De baptiſmi neceſsitate, ac de pædobaptiſmo, quod is magis apoſtolica traditione, & eccleſiaſtica cõſuetudine, quam Dei verbo expreſſo conſtet.
De reuerentia & cæremoniis Baptiſmo exhibendis.
De Euchariſtiæ Sacramento & Miſſæ ſacrificio.
De quinque reliquis verè & propriè nominatis Sacramẽtis, atque in primis de Confirmatione.
De Pœnitentia & eius partibus, ſcilicet Contritione, Satisfactione, & Confeſsione.
De extrema vnctione.
De Sacramento Ordinis.
De Sacramento matrimonij.
Reſpondetur vltimis Caluini verbis, quibus ſimulatè ſatis iuſtis Catholicorum querelis reſpondet.

Indicis primi finis.

LOCORVM

Benigne lector, vt videas, ex quàm limpidis fontibus hæc noſtra omnia ſint exhauſta, quò fides certa eis abs te adhibeatur, en tibi ſubiicimus ſcriptorum nomina, quorum illuſtribus teſtimoniis vniuerſa, quæ hic continentur, vnicè confimantur.

Abdias
Acacius
Ægidius
Alchimus
Alexander, epiſcopus Ro.
Aloyſius Lippomannus
Alphanus
Alphonſus à Caſtro
Ambroſius Mediolan.
Anacletus
Anſelmus
Apollinarius
Apollonius
Ariſtoteles
Arnobius
Arator
Athanaſius
Auguſtinus

B

Baſilius Magnus
Beda
Bernardus
Boethius
Bonauentura
Bonifacius
Brucardus

C

Cæleſtius Romanus
Calliſtus martyr
Caßianus
Caßiodorus
Chryſoſtomus
Claudius
Clemens Alexandrinus
Clemens Romanus
Conſtantinus
Cornelius papa
Cyrillus

D

Damaſus
Didymus Alexandrinus
Dionyſius Areopagita
Dionyſius Corinthius
Diophanes, Lacedæmonum auctor
Durandus

E

Eleutherius papa
Eliodorus
Ephrem
Epiphanius
Euagrius
Euſebius Cæſarienſ.
Euſebius Emiſſenus
Euſtathius

F

Felix papa
Fortunatus

Franciſcus
Fulgentius

G

Gelaſius
Genadius
Georgius Vuicelius Germanus
Gerſon
Gildas
Gratianus
Gregorius epiſcopus Turonēſis
Gregorius Magnus
Gregorius Nazienzenus
Gregorius Nicanus
Guiliellmus Pariſienſis

H

Haymo
Henricus Gand.
Hieronymus
Hilarius
Hippolytus
Hoſius Corduben.
Hugo
Hunericus

I

Ignatius
Innocentius primus
Ioannes Chlimax
Ioannes Damaſcenus
Ioannes Diaconus
Ioannes Eckius
Ioſephus
Irenaus
Iſidorus
Iunilius Africanus
Iuo
Iuſtinianus
Iuſtinus philoſophus, ac martyr
Iuuencus

L

Lactantius
Leo Magnus
Leonardus Iuſtinian⁹ Venetus
Leōtius, epiſcopus Neop. Cipr.
Liberatus Carthaginienſis

M

M. T. Cicero
Marius Victor
Martianus
Maximus Taurenſis
Mintanor muſicus
Minutius felix

N

Nicephorus Calliſtus
Nicolaus primus
Nicolaus tertius
Nicolaus Lyranus
Nilus

O

Oecumenius
Ocham
Optatus Afer
Origenes

P

Paulinus
Paulus diaconus
Petrus Alexandrinus
Petrus Chryſologus
Petrus Damianus
Petrus Diaconus
Petrus Lōgobardus, vulgò Magiſter ſententiarum appellatus
Philo Iudæus
Photius Conſtantinopolitanus

Plato
Polycrates
Polycarpus
Primaſius
Proſper
Prudentius

R

R*Abanus*
Rampertus
Ricardus à S. Victore
Ricardus de media villa
Ricardus Taper
Rufinus

S

S*Eneca*
Serapion
Silueſter
Simon Metaphraſtes
Siricius papa
Socrates hiſtoricus
Sophronius Ieroſolymitanus
Sozomenus
Stephanus papa
Symmachus papa.

T

T*Atianus*
Teleſphorus
Tertullianus
Theocritus
Theodoretus Balſamo
Theodoritus
Theodorus Prodromus
Theodoſius
Theophilactus
S. Thomas
Thomas de Argentina

V

V*Alentinianus*
Victorinus Pictauienſis
Victor Romanus
Vigilius Tridentinus
Vincentius Lirinenſis

X

X*Antopolus*

Z

Z*Eno*
Zepherinus martyr

Superuacaneum arbitrati ſumus, lector, referre hîc hæreticorum nomina, quorum dogmata in hoc opere confutantur, tum quòd pænè ſint extra numerum, tum etiam quòd non niſi in vnum Caluinum: totum hoc opus elaboratum, atque excuſum eſt.

Tertius index, qui continet locos veteris & Noui teſtamenti ab auctore explicatos, hunc indicem alphabeticum ſequetur.

INDEX ALPHABETICVS PRImi, ſecundi, tertij & quarti libri, vbi A primam paginam: B verò ſecundam ſignificat.

A

ABraham quibus aduerſis iactatus fuit. 287. a.b
Ab Eccleſia habemus poſt Deum ne quolibet doctrinę vento circunferamur. 134 a
Abſurda multa darentur, ſi natura vitioſi eſſemus. 14.b
Academiam Pariſien. hęreſeos intimulat Caluinus. 65 b
Actio Caluini in antiquos hæreticos. 149.a
Actio Dei cum noſtra conciliatur. 53.a
Actus fidei informatæ, & informis idem. 84.a
Adam qualis cum generare incepit. 19.b
Adamus in manu ſui cōſilij relictus. 36.b
Admonitio nō illorū eſt quę Deus eſt facturus. 41.b
Admonitionis fructus qui. 40.b
Ad antiquam veræ fidei confeſſionem omnia exigenda ſunt, non ad eā quæ recens nata eſt. 45.a
Adorare hominem in ſacra ſcriptura ciuilem honorē ſignificat. 238
Adhortationes piarum mentium quo recidant. 40 a
Alij cur incepto curſu prolabuntur alij ad finē vſque perſeuerant. 36.b
Ambroſius ad Valentinianū Imperatorem. 6.b
Amicus vſque ad aras. 54
Amoris Dei & mundi differentia. 99.b
Angeli cū ſumma libertate non peccant. 36
Angelus cur à Ioanne ſe adorari non ſiuerit, nec Petrus à Centurione 238.a
Angelis quod caſus fuit, eſt nobis mors ſecundum Caluinum. 36.a
Angelus & homo pares in patria cæleſti. 66.a
Angelus cur à Ioāne adoratus. 238 a
Angelus ſatanæ quo pacto in lucis miniſtrum ſe trāſfiguret. 335.a
Anima totum hominem repręſentat. 17.a.b
Anima nunc ancilla propter neceſſitatem: nunc libera propter voluntatem 58.b
Anima pro toto homine. 17.a
Anni ab Adamo ad Moſen. 131.a

Anniuerſarij dies martyrum iubentur fideles celebrare.
Ante hominē, vitam & mortem poſitam eſſe. 51.a
Antiquitas ſacræ ſcripturæ. 108.a
Antiquis patribus diuinitus inuenta fuit ratio viuēdi. 286.b
Apocryphum quid. 332.b
Apocrypha cū patrū orthodoxorū ſcriptis in quo cōueniant ac differāt. 333.a
Apocryphis quatenus vti liceat. 333.a.b
Apoſtoli nec omnia præſciuerunt, ſed quæ ſcire & docere expediebat. 134 b
Apoſtoli multis abſtinuerūt publicæ vtilitatis ergô. 137.b
Apoſtoli vniuerſalis Eccleſiæ locum apud Chriſtum tenuerunt. 132.b
Apoſtolicæ dignitatis celſitudo. 238.b
Apoſtolorum ſynodus tempori ſe accommodat. 53.b
Apoſtolus qui ſignificet. 125.a
Apoſtoli à latere Dei legati. 238.b
Apoſtoli leges ferebāt. 125.a
Apoſtoli ſi fuerint ſpiritusſancti amanuenſes Eccleſia porro ipſiuſmet ſpiritus eſt diſcipula. 130.a
Apoſtoli leges ferebant, nedum Dei verbum proponebant. 125.a
Apoſtolus Petrus humanas inuentiones ablegauit illis verbis: Qui loquitur loquatur ſermones Dei. 129.b
Approbatio ſcripturæ non mediocris. 111.a
Appetitus ſecundum Platonem funes ſunt quibus trahimur. 29 b.
Aptitudo humanę mētis ad veritatē inquirendā. 22 b
Appetitus ſeu voluntas. 29 b
Argumentum libri Diui Auguſtini de correctione & gratia. 38.a
Argumentū hominum perditiſſimorum. 214.a
Argumentum primum & ſecundum de fide & Chriſti merito. 69.b
A Sanctis aliquando bona temporalia licet poſtulare. 247.a
Arrianis ſcripturis inerat ſpiritus vertiginis. 140.a
Aſcenſio filij Dei miraculoſa. 308.a
Aſſertiones Caluini ſex quę catholicè confutantur. 82.83.84.
Aſſertio, 2.3.4.5.& 6. Caluini. 89.a.b
Aſſertionum harum confutatio. 83.84.a
Athenienſes nouarum rerū cupidi. 54.b
Athanaſius in libello de imagine Chriſti percuſſa. 165.a

Atrocitas criminis in cauſa eſt cur aliquãdo non exaudiũtur iuſti ac ſancti 258.a
Auctoritas mendacij ſæpe à veritate ſumitur. 143.b
Auctoribus optimis probatur miracula in Chriſti Eccleſia perduraſſe. 318.a.b 319. 320.321.322 323.
Auctoritas Eccleſię quorſum ſit data. 122.b
Auctoritates quę gratiam cõmendant. 62.63.
Auctoritas Eccleſiæ non hominibus, ſed Deo tribuitur. 122.b
Auguſtinus nihil vnquã contra cõciliorum maieſtatem eſt locutus. 162.b
Auguſtinus Catholicam veritatem de imaginibus ſemper docuit. 174.a
Auguſt. verba. Sanctorum electio à diuinæ electionis arbitrio pẽdet, &c. 208.a.b
Auguſtinus pro libertate ſine coactione & neceſſitate pugnat. 57 a
Auguſtini ſententia expenditur: Euangelio non crederem, niſi autho. eccleſiæ me moneret. 116.117.
Auguſtini verba pro authoritate eccleſiæ 118.a
Auguſtinus pro libertate pugnat. 57.a
Auguſtini mens prænotatur. 163.a
Augu. Catholicam veritatem docuit. 175.a
Auguſtini verba de iuſtificatione, & meritis iuſtorum. 98.a.99.100.
Auguſtini de libero arbitrio doctrina ſancta & è cælo delapſa. 59.b
Auguſtini verba. 117.a.b
Sententia explicatur. 329.a
Auguſtinus agnouit ſæpe iuſtitiam hærentẽ filiis Dei & inchoatam. 77.a
Aures qui verbo Dei obturant, in ſua putredine tabeſcunt. 26
Aurora quid. 74.a
Aurum ex ſtercoribus colligere eſt magna prudẽtia. 332

B

Baſilij magni verba ab Adriano notata. 171 b
Bardeſanes hæreticus humana omnia fato aſcribebat. 37.b
Bellum hæreticorũ eſt pax Eccleſiæ. 144.a

C

Calix Chriſti quæ & ipſius hora. 274.a
Caluini temeritas notatur circa prædeſtinationis myſterium. 213.a
Caluini arrogãtia & faſtus. 5.a
Caluini dolus ſub ouilla pelle. 8.b
Caluini impietas magis ac magis ſe prodit. 10.a
Caluini in philoſophos calumnia. 11.b

Calui.theologia cũ veritatis ignoratione coniũcta.39.b
Cal.hæreſis duplex circa originale peccatũ diluitur.13.a
Caluini cauillatio in antiquos ſapientes. 25.a
Caluini rabies & ferocià in naturam vulneratam.13.b
Caluini non obſcura contradictio. 127.a
Caluino reſpondetur producenti concilium Phariſæorum. 148.a
Caluini ſententia de conciliorum auctoritate confutatur. 161.a
Caluini inuſitata ac noua religio. 119 a
Caluini fraus & impoſtura arguitur. 138.b
Caluini ſententia de iuſtificatione explicatur atque ſcripturis oppugnatur.75.a
Caluini maledicentia in Lutheranos. 120.b
Caluinianus ſpiritus. ibid.
Calui. & Philip. quam male inter ſe cõueniant. 86.b
Caluinus cum ſuis mirmilionibus antiquis philoſophis longe inferior. 34.b
Caluinus magis lenocinio verborum vtitur quàm veritati obtemperet. 37.a
Calui. poſtquã cęcidit Eccleſiã nõ ſinit eã queri. 192 b
Caluinus ararij diuini expilator maximus. 34.a
Cal.ſibi ipſi cõtradicit.171.a
Caluinus Deum crudelitatis inſimulat. 40.a
Caluinus rectoribus eccleſiæ dat poteſtatẽ arguendi inobedientes. 130.a
Calui. nihil nõ mouet vt locos ſcripturarũ quib⁹ ſua auctoritas eccleſiæ ſtabilitur corrũpat & eneruet. 132.b
Calui.cũ Deo expoſtulat.3.b
Caluinus quales nos exiſtimet. 10.b
Caluinus damnatur. 11.a
Caluinus ſenex fictas & iuueniles exercet declamationes. 4.b
Caluinus notatur,quod cauſam fidei noſtræ non ad eccleſiaſticos,ſed principes ſeculares deducat. 5.b
Caluinus acerrimè catholicam Eccleſiam impugnat. 1.b. Scripturam ſacram lacerat. 1. b. Franciſci Galliæ regis fauorem captauit. 4.a. Scorpius latens. 4.a.b. reſipiſcere noluit. ibid. Sophiſmate rẽ ſuam tuetur.31.b.ſæpe in æquiuoco laborat. 35. Chriſoſt.taxare audet. 36.b Deũ eſſe erroris cauſã aſſerit. 40.a.de pręceptorũ obſeruatione in genere. 24.b Aug. tantum admittit. 46. promiſſiones facit tormenta. 47.
Charitas in ſanctis loco pręcepti eis eſt,gratia verò ꝓmiſſionis. 253.a
Carnalis homo quid. 17.b

Caro & ſanguis regnum Dei nõ poſſidebunt quid. 18.b
Caro pro pœna & paſſionibus ſumitur. 17.b
Caro pro lege carnis appetẽtiam irritante. 19.a
Caro pro culpa & peccato. 17.a
Caro in ſcripturis variè accipitur. 16.b
Caro inimica Deo, quæ. 17.a
Cauillis Caluini reſpondetur quibus arbitrij neceſſitatem probare nititur. 57.b.58.a.b
Cauſa finalis iuſtitiæ noſtrę. 93 a
Cauſa efficiens iuſtitiæ noſtræ. ibid.
Cauſa iuſtitiæ noſtræ meritoria. ibid.
Cenſores naſuti. 111.b
Certitudo diuinę ſciẽtiæ nihil mutat de libertate noſtra. 214.a
Certitudo ſcripturæ à ſpiritu ſancto. 113.a
Certitudo fidei à ſpei certitudine quãtum differat. 85.b
Charitas inchoata inchoata iuſtitia eſt. 74.b
Chriſti miracula eius diuinitatem oſtendebant. 304.a
chriſti ſolius merito iuſtificamur. 70.a
Chriſti gratia liberamur à miſera noſtra cæcitate. 20 b
Chriſti teſtimonium æternum. 127.b
Chriſtiana cõfeſſio. 7.a.b.68.
Chriſtus quo pacto ſit dicẽdus vnicus mediator. 241.b
Chriſtus hortatur nos dirigere arma noſtra aduerſus ſatanam. 49.b
Chriſtus quomodo dicatur iuſtitia noſtra, redemptio & reconciliatio. 75.b
Chriſtus Eccleſiæ ſuæ dedit os & ſapientiam. 123.b
Chriſtus quare primus hominũ in cęlũ aſcẽderit. 308.a
Chriſtus nulli apparuit qui poſt dubitaturus foret. 307.b
Chriſoſto. pugnat cum Calui. eo ipſo loco quẽ pro ſe citat. 136.b
Chriſoſto. quid per Euãgeliũ intelligat. 136.b
Colligitur ex Caluino ad ſacerdotes ſolum pertinere verbi diuini interpretationem. 124.a
Communicatio idiomatis in Chriſto. 268.b
Comparatio non pœnitenda. 16.b
Conceptio & natiuitas Chriſti mirificiſſima. 303.b
Concilium hęreticorum deſcribitur quale foret. 149.b
Conciliũ generale, ritè coactum, vniuerſalis Eccleſiæ imaginẽ eſſe, multis rationibus confirmatur. 183.b 184.a
Conſtãtini tẽpore vſus imaginum frequens erat. 173 b

Concilium Iudæorum expē-
ditur. 305.b
Cōcilium vniuerſale eſt vni-
uerſalis Eccleſiæ imago.
133.a
Concors ſanctorum patrū de
libero arbitrio ſententia,
etiā poſt Adami culpam.
55.a.b
Cōcupiſcentiam vel fomitē
peccati in Baptizatis tan-
tum remanere,& non rea-
tum. 21.b
Conditio viuendi antiquorū
patrum diuinitus iniuncta
fuit. 286 b
Confeſſio fidei catholicæ de
libero hominis arbitrio 67
Confeſſio veræ ac catholicæ
fidei de horrore Chriſti.
273.b
Confutatur Caluinus. 311.a
Conſideratio duplex in ho-
mine habēda deſcribitur.
12.b
Conſideratio altera legis per
fidem credentium. 292.a
Conſtantia martyrum vnde
profluxerit. 310.a
Cōtumaciç noſtrç cauſa pra-
ua hominum eſt voluntas.
48.a
Cor nouum, cratura noua,
Dei opus& bona voluntas
quid dicantur à patribus
orthodoxis. 66.b
Cōuerſio populi derelicti, &
à ſeipſo & à Deo eſt. 50.b
Cornicum oculos configit
Caluinus. 53.b
Cottæ pontificis & Romani
ciuis virtus & integra reli-
gio. 5 b
Creatura Dei quomodo bo-
na. 73.b.74 a
Credere eſt opus fidei. 99.b
Credo in vnam ſanctā Eccle-
ſiam explicatur. 180.b
Crucifixio Chriſti Dæmonē
potētiſſime cōpeſcuit.26.b
Cultus imitationis ad ſāctos
transferri poteſt. 230.b
Cultus imaginū quis à pro-
phetis damnetur. 167.b
Cultus triplex Deo debetur.
230.a
Curam non minorem de no-
bis ſancti gerunt quàm an-
geli. 257 a
Cypriani miracula ingentia.
315.b

D

DAmaſceni explicatio ad
Pauli mētē,&c. 210.b
Da quod iubes, & iube quod
vis. 43.b
Damaſceni explicatio de du-
plici Dei voluntate, ante-
cedente & conſequente.
210.b
Dauid intellectum ſibi dari
cur expoſtulet. 27.b
Dæmonum miracula. 327.a
Dæmones vnde multa occul
to ſcire poſſunt. 328.a
Dæmonum doli, fraudes ac
fallaciæ. 327.a
De auctoritate vniuerſalium
conciliorum. 141.b
De quodam libello, qui fallò

Carolo magno aſcriptus eſt cōtra ſeptimam ſynodum. 172.a
Dei filius eſt in infernum, & homo fertur in cælum. 276.a
Dei donum perpetuo agnoſcendum. 27.a.b
Dei munus quid vocent philoſophi. 30.a
Dei dona in malum detorquet Caluinus. 31.a
Dei ſemen quid. 50.a
Dei dona in nobis vtique agnoſcenda. 24.a
Delinquendi cauſa à propria voluntate, tanquam à principio proficiſcitur. 37.b
Deo quid acceptum. 14.b
Deum pœnitentia placari ex hiſtoria publicani conſtat. 69.b
Deum ſuprà vires nihil præcipere. 43.b
Deum auctorē ſcripturæ ſacræ eſſe. 112.b.113.114.
Deum filium ſuum tradidiſſe, quomodo intelligēdū. 202.b
Deus clementiæ ſuæ theſauros, quibus vult largitur. 211.a
Deus homo, & Homo Deus. 267.b
Deus cum reprobis munera ſæpe ſua communicat. 211.a
Deus qua ratione eligat hominem vnum, altero prę terito. 212.a
Deus propter ſola peccata nobis iraſcitur. 216.b
Deus cum volumus nobiſcū operatur. 60.
Deus quare iuſtos tētari permittat. 200.b
Deo ſoli ſacrificia offerim⁹. 234.a.
Deus cur maioribus prę ſidiis ſuos quā reliquos muniat, oſtendi non poteſt. 217.a
Deus quare hæreſes permittat. 221.b
Deus omnium rerum cauſa quomodo ſit. 223.a
Deus modis quot ac quibus ad preces ſanctorū in nobis operetur. 247.b
Deus cur factus ſit homo, & de primo reconciliationis cum Deo. 267.b
Deus cauſa mali quomodo eſſe dicatur. 202.a
Deus ſolus orditur beneficiū noſtræ ſalutis. 60.a.b
Deus quare ad imaginē ſuā nos creauerit. 12.a
Deus qua nos vult eſſe fiducia. 13.a
Deus operatur quædam in nobis ſine nobis. 62.b
Deus bona & mala in noſtra poſuit poteſtate. 55.a
Differentiæ vnius teſtamēti ab altero. 277.b
Dignitas Eccleſiaſtica neque ſacramenta à miniſtrorum improbitate lædantur. 160.a
Dilectio non eſt otioſa. 99.b

Diluuntur, quæ impij homines diuinæ ſcripturæ veritati obiectare ſolẽt. 110.a
Diſcrimen inter catholicos & Caluinos. 26.b
Diſcrimen inter naturam & gratiam. 64.b.65.a
Diſquiſitio de prædeſtinatione perplexa eſt & periculoſa. 203.b
Diſſimulare non eſt falſum docere. 54.a
Diſtinctio eſſentialis eſt inter Euangelium & legem. 292.a
Diſtinctio miraculorum quę à Deo fiunt, ab his quæ à Dæmone. 326.b
Diuina gratia etiã ad ingratos ſe extendit. 60.b
Diuina libertas noſtram non deſtruit ſed perficit. 204.205.a
Diuina indignatio nõ timebatur in Chriſto. 273.a
Diuinæ ſubſtantiæ odor exiguus ad nos peruenit. 25.b
Doctores Eccleſiaſtici vſque ad ſanguinem pro libero arbitrio pugnarunt. 54.a
Doctrinæ fructus de prædeſtinatione. 203.b
Dogmata Eccleſiæ & Apoſtolicę traditiones partes ſunt diuinæ legis. 127.a
Dominica oratio quo colore ſanctis recitetur. 249.b
Dragma adulterinum quid. 9.b
Duliæ & Latriæ diſtinctio. 170.a
Duo obſeruanda in depingẽdis imaginibus. 176.b

E

Eccleſia iuſte expoſtulat cum nouis auctoribus nouitatis. 104.a.b.105.106.
Eccleſia Chriſti nihil diuini habet diuina ſcriptura. 107.a.b.108.
Eccleſia ſola eſt, quæ ſcripturam eccleſiaſt. auctoritate donat & ipſam interpretatur. 113.a
Eccleſia Chriſti dupliciter eſt conſideranda. 114.a
Eccleſia antiquior ſcriptura. 116.a
Eccleſia cuſtos verbi Dei. 134.a.b
Eccleſiæ qualis ſit Deus. 200.b
Eccleſia ob dogmatum certitudinem firmamentum eſt inexpugnabile. 134.b
Eccleſia non progredietur quoquàm ſine Dei verbo. 135.a
Eccleſia ſcripturam ſuo ſenſui reſtituit per ſpiritum ſanctum 140.a.
Eccleſia vna. 144.a
Eccleſia nihil minuit de Dei verbo. 123.b
Eccleſia non indiget proprio teſtimonio ad ſuę auctoritatis regnum ſtabiliẽdum. 182.b

Eccleſia ſemper in nomine & verbo domini loquitur. 123.b
Eccleſiam eſſe ſacratiſſimam aram. 115 b
Eccleſiaſtici miniſterij duo ſunt fines. 123.b
Eccleſia ſæpe explicauit qui libri ſint canonici. 182.b
Eccleſiæ dum credimus diuinæ aſpirationi credimus. 121.a
Eccleſiæ auctoritas omni ætate perſpecta & ſuſcepta fuit. 182.a
Eccleſię nihil perfectionis neceſſariæ deeſt quamuis lõgè maiorem ſibi in patria habitura. 134.a
Eccleſiaſticorum auctoritas infirmata, nec Euangelio credere poſſumus. 119 a
Efficacia ſacramentorum nouæ legis. 292.a
Echidna. 9.b
Electionis grad' ſummè particularis. 207.b
Electio Dei duplex, æterna, & ſecundũ præſentem iuſtitiam 209.b
Electionis primus, ſecundus gradus. 207.a b
Electionis diuinæ gradus triplex. 206.b.207.a
Electio à diuina miſericordia ſolum proficiſcitur, conſecutio verò beatitudinis,&c. 213.a
Electionem non eſſe omniũ ſola diuina libertas in cauſa eſt. 216.a
Effectus & defectus originalis peccati, tres. 51.b.52.a
Ephrem de laudibus beatæ Mariæ virginis. 249.a
Ephrem beatiſſimi verba, quẽ tantopere laudat Hierony. 249 b
Ephrem de laudibus martyrum. 249.b
Ephrem oratio ad beatã virginem. 249 a.b
Epiſcoporum munia. 125.b
Epitome locorum pro libero arbitrio. 42.a. veræ & catholicæ confeſſionis de libero arbitrio & diuina gratia. 51.b
Epitome omnium rationum quibus probatur reprobationis cauſam eſſe hominũ ſcelera. 219.a
Epitome Niceni concilij circa imagines. 171.b
Error Caluini circa peccatũ originale. 13.b
Eſaię locus omnes canes muti, in quos ſit prolatus. Ieremiæ ſimiliter locus. 146.b
Eſaias & Ieremias hæreticorum mores notabant. 148.b
Eſau cur in Dei odium inciderit. 219.b
Eſſentia & qualitas deeſt dæmonibus. 327.a
Ethologia Euangelij & legis. 283.b
Euangelium eſſe in rationis radice. 113 b
Euangeliũ aliud eſt ab Euan-

gelii ſcriptura. 276.a
Euangelij fides. 285.b
Euangelium quid ſit. 276 b
Euangeliſtæ magnis doctrinis, magna miracula adiũgunt 323.b
Euangelium operum rationem habet. 71 b
Euangelica fides non eſt opinio. 82.b
Euangelici noui tria à nobis poſtulant. 101 b
Eutychiana hæreſis. 269.b
Exemplis Caluini reſpondetur. 205.b
Exemplum à Chriſto ſumptum. 207.b
Exemplum congruens & aptum ad probandũ, &c. 68.a
Exemplum de Chriſto ſempiterno. 207.b
Exemplũ de orichalco. 32.b
Exemplis oſtẽditur non omnia rudi populo eſſe indicanda. 205.a
Exhortatio diuina & admonitio omnium potiſſimum eſt poſt Dei gratiam. 40.b
Explicationes queſtionũ quo pacto ex verbis ſcripturæ ſint ſumendæ. 140.b
Ex principio corrupto nil niſi damnabile. 65 b

F

FAuore Dei poſſumus meditari iuſtitiam noſtrã, &c. 79.80
Ferarum cum Caluino comparatio. 138.b
Feruor charitatis Chriſti. 273.b
Fidei veræ confeſſio de natura noſtra primi hominis peccato ſaucia traditur. 21.a
Fidei noſtræ myſteria quomodo in ſacra ſcriptura cõtineantur. 180.a
Fidei acceptio multiplex. 87.b
Fideles antiqui partes fuerũt noui teſtamenti. 286.a
Fideles quatuor retinẽtur in Eccleſiæ gramio. 118.a
Fides in peccatoribus. 70.b
Fides ad ſenectam vſque retinenda in qua nati ſumus. 47.a
Fides omnium prima in noſtra iuſtitia habenda. 68.a
Fides actionum eſt omnium prima. 70.a
Fides vera quę. 121 b
Fides aliquando ocioſa. 70.b negotioſa. ibidem
Fides & opus non habent inter ſe contrariorum comparationem. 71 a
Fides definitur. 82.b.84.a. 85.b
Fides Paulo quid. 83.b
Fide nihil certius 85.b
Fides & fiducia apud ſanctos & in quem ſenſum in ſcripturis accipiatur. 87.a.88.
Fidem ad fiduciã & conſcientiam extendunt catholici. 87.b
Fides à Cicerone deſcribitur. 87.b.88.a

Fides ex operibus cōſummatur. 97.b
Fides ſine operibus, eſt velut radix ſine fructu ſterilis. 98.b
Fides Corinthiorum non humana ſapiētia, ſed Dei virtute fundata eſt. 107.b
Filij Dei conſubſtantialitas explicatius à nobis creditur, quàm in ſcripturis legatur. 140.a
Filij Iſrael idololatræ fuerūt. 169.a
Finis duplex conſiderationis vitæ noſtræ humanæ. 11.b
Finis Eccleſiaſticę poteſtatis. 130.a
Finis diuerſus tētationis Dei ſcilicet & dæmonis. 202.a
Fortunatus. 318.b
Franciſci Galliarum regis à fidei integritate laus. 5.b
Fraudes ſatanæ circa res abſtruſas. 327.b.328.a
Fructus doctrinæ de predeſtinatione. 203.b
Fructus tres orationis exauditæ, &c. 260.b
Fructus quot ex ſanctorum veneratione naſcantur. 232.a

G

GAlliæ regis tribunal pōtificium ſemper venerati ſunt. 7.
Georgius Vuicelius catholicorum fidei propugnator. 322.a
Genadius Florentinus concilium commendat. 319.b
Geneua natalicius Euangelij Caluiniani locus. 4.b
Gratia ſine voluntate, nec volūtas ſine gratia quicquam operari poteſt. 63.b
Gratia diuina nihil habet meriti noſtri. 65.a
Gratia non ex operibus. 72 a
Gratia quandoque amittitur manente fide. 86.b
Gratia Dei hominem vegetum facit. 92.a
Gratia Dei nūquā ſine noſtra voluntate exercetur. 39.a
Gratia Dei nolentes humaniſſime prouocat. 60.a
Gratia Dei omne opus bonū præcedit. 63.a
Gratia eſſentiæ diſtinguitur à lege. 283.b
Gratia Dei mecum quomodo intelligatur. 67 a
Gratiam primam poſſumus acceptare vel renuere. 61.a.b
Gratis iuſtificamur, ſed non merè paſſiuè. 62.a.b
Gratia dari non poteſt niſi humiliatis. 28p.
Gratia ex quo, liberum arbitriū, in quo ſaluamur. 46.a
Gratia duplex nobis neceſſaria. 60.a.b. 61
Gratia diuina nihil habet meriti noſtri. 65.a
Gratia ſingularis quæ. 60.b
Gratia in corde electionē & voluntatem formar. 66.b
Gratia ſine noſtra voluntate

exercetur. 39.a
Gratia mutabilitatem nobis relinquit. 36.37
Gratia actiua ſe habet ad ſalutem noſtram. 46.a
Gregorij verba de conciliis vniuerſalibus. 183.b
Gregorij oratio ad S. Cyprianum. 316.a
Gregorij Nazianzeni de anulis duobus comparatio. 160.b
Gregorius tertius. 164 b

H

HÆreditas non pendebat quidē à lege, ſed à promiſſione. 278.b.279.a
Hæreſiarcharum plura nomina. 1.b
Hæreſis pelagiana Caluino conſona. 28.b
Hęreſis, quę imaginum cultū damnat, à Romana ſede olim damnata. 164.b
Hæretici nihil magis curant quàm ſcripturam perdere. 139.b
Hæretici in Chriſti nomine non congregantur. 143.b
Hæretici cum aduerſum Eccleſiaſticam poteſtatem ſecularem irritant, iam hinc futurū bellū indicunt. 139 b
Hæretici antiqui Chriſti diuinitatem & humanitatem oppugnarunt. 268.a
Hæretici ſua commenta cum diuinis oraculis permiſcēt. 124.a
Hæretici tantum curant ſcripturam ſacrā perdere. 139.b
Hæretici à legitimo iudicio ſemper deflectere moliuntur. 7.a
Hæretici ſecularem poteſtatem in Eccleſiaſticam irritantes futurum bellum indicant. 139.b
Hæretici chriſtiana & Euangelica libertate abutentes omne iudicium aſpernantur. 7.b
Hæretici libēter vtuntur ſcripturis. 8.a
Hæretici quā magnificos titulos ſibi vendicent. 118.b
Hæretici ſub diuinæ ſcripturæ latibulis deliteſcunt. 8.a
Hæretici cum Dei ſpiritū iactent omnes, vehementer tamen ſe mutuo de errore accuſeant. 120.b
Hæretici cum plurima polliceantur perpauca præſtant. 118.a
Hæretici ſæpe ſuos libros catholicis aſcribūt vt ſic alios fallant. 172.a
Hęreticis ſolemne eſt ſcripturæ ſacrę & ſanctorum teſtimonia diſcerpere. 181.b
Hęreticorum diſſidia optimè probant, eos à ſuo ſpiritu decipi poſſe. 121.a
Hæreticorū artes & doli. 8.a
Hæreticorū veterum voces. 141.a
Hęreticorum diſcordia mira in diuinis ſcripturis explicandis. 8.a

Hæreticorum rabies in Chriſtianos. 143.b
Hæreticus cur cauendus. 8.b
Hieronymi verba de libris Machabæorum. 183.a
Hiſtoriarũ metaphraſtis compendium. 314.b
Homo non ſemper firmiſſime credit Deum eſſe premij largitorem. 24.25.
Homo poſt lapſum quid amiſit. 53.a
Homo animal natura ſociale quid efficiat ad conſeruandam ſocietatem. 22.b
Homo Dei participatione beatus. 28.b
Homo ſine gratia Dei adiuuante nihil promouere poteſt. 35.a
Homo non afficitur præmio aut pœna abſque libera ſui arbitrij electione. 35.b
Homo quomodo mortuus & ſemiuiuus dicatur. 52.b
Homo quomodo intelligendus eſſe caro. 20.a
Homo totus caro eſt. 20.a.b
Hominem naſci denuo quid. 20.a.b
Hominem vinci perturbationibus non eſt neceſſarium. 32.a
Homines Dei gratia Angelis pares. 257.a.b
Homines mali ſæpe ſunt miniſtri diuinæ iuſtitiæ. 202.b
Honeſti vniuerſales impreſſiones intellectũ extollunt. 22.b.23.a
Hoſij Cordubenſis ad Conſtantium adhortatio. 6.a.b
Hoſtia Chriſti duplex. 270.a
Humana natura ſua luce poteſt, fauente cæleſti ſplendore, illuſtrari ad ſalutem. 27.a
Humanæ noſtræ vires Dei donis ſuffultæ omnia poſſunt in eo qui eas corroborat. 29.a
Humani intellectus excellentia. 22.a
Humilitas noſtra & ſuperbię execratio vnde. 11.a

I

Iacob quãtis calamitatibus fuerit ſubiectus. 287.b
Iacob extremæ Chriſtianitatis exemplar 287.b
Idololatria duplex. 169.b
Ieremiæ vita. 330.b
Ieremiæ prophetæ plurima ſanctorum teſtimonia. 331.a.b
Iſaias & Ieremias hęreticorũ mores illis verbis notant. 148.149.a
Igniculi à natura dati. 30.a
Illuminatio eſt primus effectus ſancti ſpiritus. 309. a. Secundus eſt conſtantia & animi firmitas. Tertius eſt in diſerta locutione. 309.a
Imago Dei in nobis peccato deturpata, ſed non omnino omiſſa. 23.b
Imagines duo requirunt, vt depingantur. 176 b

Imagines etiamnum tempore legis gratię ſunt neceſſariæ. 167.
imaginibus vtimur in eorum memoriam, quos per ipſas veneramur. 165.b
imaginum adoratio quæ, ex vera & catholica ſententia declaratur. 176.a
imaginum genera multa. 171.a
imaginũ cultus qualis damnetur. 167.
imaginum cultus probatur. 317.b
imaginum genus multiplex. 171.a
imitationis cultus ad ſanctos transferri poteſt. 226.
impoſſibilia nõ iubet, ſed iubendo monet. 43.b.44.a
in carne viuere eſt ſecundum carnem ambulare. 17.a
in Chriſto nulla miſtio. 268.a
in eis non inter eos, aut coram eis. 305.a
in Euangelio ſanctorum inuocatio non eſt explicitè præcepta. 260.a
in fidei controuerſiis ad Eccleſiam confugimus. 134.b
infirmitates in Chriſto quæ fuere. 273.b
infirmitatis noſtræ contingentia omnis in facultatem noſtram reiicienda. 48.b
ingenium humanum tantùm male cogitat & operatur iuxta Caluinum. 27.a.b
innocentia miraculis commendatur, oſtenſio diuini amoris, & curæ erga ſuos miraculis oſtenditur. 324.b
inſtrumenta Dei ad conſeruandum hominum ſocietatem, quæ. 32.a
intellectus quàm ſit perſpicax circa terrena etiã poſt peccatum. 22.a.b
intellectus lumen non eſt extinctum poſt hominis peccatum. 22.a.b
intellectus humanus nulla re impeditur, quin rationem ſequatur, ſi velit. 30.a.b
intellectus ad veritatem inueniendam ineptus. 22.b
inuentio auctoris. 3.
inuocationem ſanctorũ Chriſti patrocinium & preces roborant. 244.b
inuocatio ſanctorum quibus coniecturis poſſit firmari. 249.a.b.260.
inuocatio ſanctorum ad Dei gloriam refertur. 246.
inuocatio ſanctorum non arguit nos paternæ miſericordiæ diffidere. 249.a
in vetere Eccleſia non tam frequẽns ſancti inuocabantur. 260.a
in voluntate meritum eſt, ex Auguſt. 57.
Ioannes diaconus, poſtea Ioannes VIII. Papa. 318.b

Ioannes Eckius conſtanter Lutheranos impugnauit. 282.

Ioannis locus : Semen Dei manet in illo , explicatur. 49.b

Iſaac quibus infortuniis fuerit quaſſatus. 287.b

iubere ad liberum arbitrium dirigitur. 46.a

iubet Deus quod non ipſi facimus, ſed ipſe per gratiam complet. 43.b

iudicium mirum diuinæ animaduerſionis. 315.a

iuſtitia alia operum, alia fidei. 78.a.b

iuſtitia non augetur, & vna eſt alia perfectior. 74.

iuſtitia Dei quando impletur. 58.b

iuſtitia & fides nunquã mercedis nomen in ſcripturis ſanctis. 60.a

iuſtitia fidei iuſtitiæ operũ, quæ ex fide non fiunt opponitur. 70.a

iuſtitia noſtra à Deo ſolo eſt. 69.a

iuſtitia ex Deo, ex fide, Iuſtitia Christi apud Paulum idem. 70.b

iuſtitia eſt terminus huius motus cæleſtis. 73.b

iuſtitia noſtra augetur & vna eſt alia perfectior. 74.b

iuſtitia fidei, licet imperfecta, ferre poteſt Dei ſeuerum iudicium, &c. 78.a 79.

iuſtitiæ ad iuſtitiam collatio. 70.

iuſtitiæ noſtræ partes ſine fide panno mulieris aſſimilatæ. 26.a

iuſtitiæ quę eſt ex lege: & iuſtitiæ quæ eſt ex fide diſcrimen. 71.b

iuſtitiam fidei Paulus non oppoſuit niſi iuſtitiæ operum quæ ex fide non fiũt. 70.a

iuſtificari dupliciter dicitur. 72.b

iuſtificari impiũ eſt non imputari peccata iuxta Caluinum. 75.

iuſtificari ex lege & ex natura apud Deum nemo poteſt. 76.b

iuſtificatio quid ex authoris propoſito. 73.a

iuſtificatio non ex ſola peccatorum remiſſione conſtat. 75.

iuſtificatio noſtra eſt gratuita. 69.a

iuſti mortui dormiunt. 256.a

iuſtus ex lege quis. 281.b

iuſtus perfectè quis dicatur. 21.a

L

LActantius quid de imaginibus ſentiat. 173.b

Latria quid. 28.b

Lectori tria ſunt conſideranda, in quibus lis, quæ noſtris aduerſariis eſt, conſi-

ſtit. 73.b
Legales punitiones quomodo eſſent apud Deum ſatisfactoriæ. 291.b
Legales pœnæ quæ delicta emendabant. 292.a
Legales punitiones quo pacto apud Deum eſſent ſatisfactoriæ. 291.b
Lege Moſaïca opus non fuiſſet, ſi homines legem naturæ ſeruarent. 279.280.
Legis nouæ ſacerdotes longè præſtant illis prioribus antiquatæ legis. 124.a
Legis altera conſideratio per fidem credentium. 292.a
Legis datæ quadruplex cauſa. 280. b
Legis finis complementum eſt charitatis. 42.b
Legiſlator veteris teſtamenti quid fecerit. 281.a
Legiſlator vnus veteris & noui teſtamenti. 167.a
Legis nouæ ſacramentorum efficacia. 292.a
Legum inuentio intellectus humani lucem demõſtrat. 23.a
Leonis verba de Nicæno concilio. 179.a
Leontius contra Iconomachos. 165.b
Lex foris exhibet ſcripturam. 281.a
Lex ad perfectum adducens per Chriſtum data. 283.a
Lex nos maledictos eſſe probat. 283.b
Lege data eſt vt homo ſe ipſum agnoſcat. 281.
Lex ad hominem humiliandum data eſt. 280.a
Lex data eſt vt populus dignus fieret vt acciperet fidem. 281.a
Lex data eſt, vt liberatorem quæremus. 280.b
Lex neminem iuſtificabat, fides iuſtos coram Deo efficiebat, &c. 284.b
Lex Moſis cæleſti magis prouidentia, quàm hominum ſtudio fuit conſeruata. 110.b
Lex vetus cognitionem peccati miniſtrabat. 279.b 280.
Lex noua peccata abolet. 279.b
Lex non iuſtificat quod iuſtus ex fide viuit. 280.
Lex diuina quomodo ſeruari poſſit. 43.
Lex æqua & iuſta humanis factionibus nunquam in ſe dirimi poteſt. 23.a
Lex membrorum. 18.a
Libera actione nos agere experimur. 25.a
Libera hominis facultas à prophetis habita, Chriſto confirmata, & ab Apoſtolis tradita, &c. 56.a
Liberi arbitrij definitio. 55.a
Liberi arbitrij delectores. 38.a

Liberi arbitrij quomodo homa dicatur. 61.b
Libertas noſtra & gratia quomodo in ſcripturis oſtendatur. 44 a.b
Libertas ad non peccandum in nobis ex Auguſt. 58.a
Libertas hominis quæ. 61.b
Libertas prima non poſſe peccare. 66.a
Libertas duabus partibus cōſtat. 52.a.b
Libertas diuinæ voluntatis in cauſa eſt quod non omnes eligantur. 216.a
Libertas in nobis eſt teſte Auguſt. 56.b.57.a b
Libertas in nobis coactionem ſimul & neceſſitatem excludit. 56.b
Libertas in homine poſt lapſum in bonum & in malum quæ. 61.b
Libertas diuina noſtram non deſtruit, ſed perficit. 223.b
Liberum arbitrium exhortatur Paulus in Timo. Phile. & Corinthiis. 61.b
Liberum arbitrium ſi tollatur non erit quod ſaluetur. 45.b
Liberum arbitriū gratiæ cooperarus. 45.b
Liberum arbitrium ad noſtram ſalutem paſſiuè ſe habet. 45.b
Liberum arbitrium non omnino extinctum iri debere cum tantum operetur diuina gratia fultus. 29.a
Liberum arbitrium ponitur vt opera noſtra præmium mereatur. 35.a.b
Liberum arbitrium vbi à Paulo confirmatur. 61.b
Liberum arbitrium gratiam Dei neceſſario requirit. 38.a
Liberum arbitrium ſi gratiam amplectatur ſeruat pręcepta. 43
Libri commendantes ſanctorum miracula recenſentur. 318.a.b
Loci ſcripturæ nonnulli explicantur. 116.a
Loci Caluini reſpondetur, quibus nititur noſtri arbitrij libertatem oppugnare. 62.63.64.a
Loci Pauli male à Caluino citati explicantur. 44.b
Locis ſcripturarum à Caluino adductis reſpondetur. 91.b
Locorum ordo triplex. 62.a
Locus ille. Si Eccleſiam non audierit, explicatur atque Caluino reſpondetur. 138.a
Locus fidei Romanæ. 148.b
Locus contra epiſtolæ fundamentum. 117.b
Locus de charitate à qua lex pendet interpretatur. 92.a
Locus à pacto & fœdere diuino cum operibus inito.

94.b.95.a
Locus diui Auguſtini explicatur, quem contra noſtram libertatem adducit Caluinus. 65.a
Locus illæ Apoſtol. Non ego, ſed gratia Dei mecum, expenditur. 67.a
Loci quinque ex quibus inanes noſtras præparationes Caluinus oſtendit. 69.b
Locus Matth. Ipſum audite, explicatur. 128.a
Locus promiſſioni aut præceptis non relinquitur à Caluino. 47.
Locus primus à nominibus & elogiis quibus ópera iuſtorum à Deo in ſcripturis inſigniuntur. 93.b
Longè præſtant nouæ legis ſacerdotes prioribus antiquæ legis. 84.
Longè alia ratio eſt vniuſcuiuſque ſingularis perſonæ & vniuerſalis Eccleſiæ. 130.b
Lucæ Euangelium qui tantum recepere. 113.a
Lumen vultus Dei ſuper nos obſignatum. 23.b
Lumen intellectus poſt peccatum. 21.b.22.a
Lumen naturale intellectus noſtri quantum excellat liberalibus diſciplinis. 25.b
Lumen naturæ quare dici nõ poteſt cæcum. 26.b
Lumen Dei in nobis manebit quouſque imago Dei lucebit in mente. 23.b
Lux Euangelica in prædeſtinatis maxime lucet. 211.a

M

Machabæorum libri duo non ſunt ab eodem authore. 262.a.b
Machabæorũ hiſtoria à quo tempore ſupputanda. 262.b 263 a
Machabæorum libros inter apocryphos non computandos. 263.a
Machabęorum libri inter canonicos numerãtur à concilio Cartha. 251.a
Machabæorum libris Methaſtanes fauet. 263.a
Machabæorum libri à quibus auctoribus probentur non eſſe apocryphi. 263.a
Machabæorum ſecundus à latere priori vniri debet. 263 a
Magiſterij Chriſti præſtantia. 128.b
Maieſtas Chriſti neque imminuenda eſt, neque obſcuranda bonitas. 268.a
Maiora faciet, Ioann.14. declaratur. 309.b
Maiorum ſcientia. 185.a
Mala quæ originalem pœnam conſequuntur. 51.b

Maledicta Caluini in noſtrã naturam aſperè dicta, notantur. 26.a
Mali homines ſæpe miniſtri ſunt diuinæ iuſtitiæ. 74.b
Manichæi nullam ponebant in homine potentiam ad vtrumlibet. 37.b
Manichæi duo principia poſuere. 15.b
Manichæi Bardaſanæ & Pelagij errores. 37.b
Manichęorum nugamẽtum. 15.b
Martiani Imperatoris edictum. 6 b
Martyr non eſt qui pro falſa religione patitur. 294.
Martyrij cauſa in primis eſt appendenda. 293.b
Martyris nullius ſanguis effunditur in remiſſionem peccatorum. 242.a
Martyrum conſtantia vnde fluxit. 310.a
Matthæi Euangelium, aliis reiectis, tantum Ebion admittit.
Maxilla hæreticus. 333.b
Maximini vox de Nicęna ſynodo. 163.a
Membrorũ lex impellit quidem in peccatum, ſed non cogit. 18.a
Mentanor muſicus. 168.a
Mentis noſtræ acumen, quãtum ad Dei notitiam mera caligo eſt. 24.
Mentem humanam ne ſcintillam quidem intelligentiæ, &c. 27.
Mens humana à Dei ſpiritu irrigari debet. 24.a
Merces non amittit gratiæ nomen. 36.a
Merces imputatur ſecundum debitum. 100.b
Merendi aut demerendi ratio liberam voluntatem hominis requirit. 15.a
Meriti nomen. 88.a
Meriti neque demeriti cur in ſanctis & damnatis ratio nulla maneat. 15.a
Meritum. 36.a
Meta ſapiendi recta in nobis expetitur. 12.b
Metaphraſtes martyr 319 a
Minæ & terrores partes ſunt fidei noſtræ & verbi Dei. 84.b
Miracula Chriſtũ in crucem egerunt. 305.b
Miracula pro quibus fiunt. 312.b
Miracula quæ in paſſione ac cruce egit, &c. 306.b
Miracula ſolemnes cæremoniæ. 324.a
Miracula noſtra in Chriſti gloria vnicè cedunt. 325 b
Miraculũ omnium maximũ fuiſſe quod orbis totus Apoſtolicis viris crediderit. 303.b
Miracula Chriſti ab Apoſtolorum miraculis longè di-

ſtincta 310.a
Miracula facta ſunt ad obſtinationē diaboli infringendam. 325.b
Miracula ſanctorum oſtendunt Deum curam gerere ſuorum. 326.a
Miracula vera, ſubſtantiam, qualitatem, modum, cauſam ac finem debitum habent. 328.a
Miracula ſanctorum optimè declarant ipſorum iuſtitiā. 325.b
Miracula prophetarū. 310.b
Miracula hominibus eſſe pernéceſſaria. 311.a
Miracula modo & in Eccleſia fiunt. 312.a
Miracula iuſti omnes nō faciunt. 311.b
Miracula vera fuere in altero ſeculo. 314.b
Miracula falſa ſæpe virorum fidem deſtruunt & abrogant. 323.a
Miraculorū vſus multiplex. 323.b.324.a.b
Miracula Chriſti ab aliis nō edita. 304.b.305.a
Miracula ad reliquias ſanctorum illarū inuocatione probat. 247.b
Miracula vires naturæ ſuperant. 302.b
Miracula diuinæ ſcripturę maieſtatem atque veritatem indicant. 64.a
Miracula ſanctorum Chriſti fidem confirmant. 247.b
Miraculum excellentius eſt ſuſcitare mortuos. 304.b
Miracula ſanctorum non ad ipſorum gloriam tendebant, ſed Chriſti. 305
Miracula ſanctorum veterum Chriſtum promittebant. 310.b.311.a
Miracula nonnulla fiunt naturaliter. 327.b
Miracula diuinæ ſcripturæ, quibus ipſius maieſtas atque veritas ſe optime prodit. 109.a
Miraculorum vſus tertius commendatio innocentiæ. 329.b
Miraculorum vſus primus. 323.b
Miraculorum vſus quartus condemnatio obſtinationis. 324.b
Miraculorum vſus quintus oſtētio amoris & curæ erga ſuos. ibid.
Miſericordiam diuinam admonitio indicat. 40.b
Miſtio nulla in Chriſto. 268.a
Montanus hæreticus. 333.b
Morbi animi ſeu ſenſuum motus. 30.a
Moriones quare Deus creari permittit. 24.a
Mors abſorberi non poterat niſi à vita. 267.268
Mors pallida apud authores prophanos. 18.a

Mors Chriſti quid effecerit. 97.a
Mos peruetuſtus Eccleſiæ circa ſanctorũ inuocationem ac venerationem, &c. 247.b
Moſaica legiſlatio longè alia eſt à fœdere patrum. 278.b
Moſes primus ſcripto legẽ mandauit. 131.a
Moſis corpus cur Deus inueniri non permiſerit. 260.a
Motio inferior qualis. 29.b
Motus carnales vnde prodeunt. 18.a
Moueri nos à Deo vt conſideremus. 29.b
Multa de libris Machabæorum. 282.a
Multa fiunt à ſynodo non definiente, ſed inquirente & diſputante. 172.b
Mundum ſubditũ eſſe Deo quid. 21.a
Mundus Deum non cognouit per diuinam ſapientiã quæ lucebat in creaturis. 26.b
Myſteria diuina à ſuperioribus tradi ſolent inferioribus quaſi per manus. 185.a
Myſteria regni cæleſtis ſublimia ſubhumilitate verborum cur ſint tradita. 107.b

N

Naſci denuo quid. 20.a
Natura nihil habet quo ad peccatum impellatur. 14.b
Natura humana cũ Dei donis maxime extollenda. 32.b
Natura nõ ſolum in bonum propenſa, ſed & ipſa operatio &c. 33.a
Natura noſtra non adeò deprauata, vt Caluinus aſſerit. 21.a
Natura corrupta nõ arguitur ſed mala conſuetudo. 21.a.b
Naturalis vitioſitas non à natura condita, ſed in primo terrę filio corrupta iure hæreditario vniuerſos comprehendit. 15.b
Naturã humanam nõ ita lapſu primi parentis obcæcatam vt vultus ad diuina tollere poſſit. 10.a
Nemo vnquã in ſe ipſo gloriari debet. 28.b
Neminem Deus deſtinato conſilio creauit, vt peccaret. 221.a
Neſtorij impietas. 269.b
Nihil ſcire præter Chriſtum quid ſignificet. 250
Nihil tam in noſtra poteſtate quàm ipſa voluntas. 57.b
Nihil eſt vnde inani ſecuritate hic turgere poſſimus. 210.a

Nihil poſſumus Deo opponere niſi Chriſtũ paſſum. 21.a.b
Nihil eſt in nobis, quo intumeſcamus. 26.b
Nomẽ alicuius ſancti ſuper nos inuocari quid ſit. 259.b
Nomen Chriſti ſemper in litaniis pręponitur atque in eo omnes orationes terminantur. 245.a
Non ego, ſed gratia Dei mecum, exponitur. 67.a
Non tolli omnino originale peccatũ, ſed non imputari, error eſt. 21.a
Non trahi à patre eſt nō petiiſſe. 41.b.42.a
Non mouemur inſtar lapidum. 53.
Non eſt iuſtus quiſquam & omnes declinauerunt, explicatur. 20.b
Nos potius gratiæ debemus quàm ipſa nobis. 38.b
Notæ miraculorum verorũ. 327.a.
Nouitas omnis in fidei negocio imbecilla debet eſſe. 6.a

O

Obſtinatio miraculis damnatur. 324.b
Odor naturalis diuinæ ſubſtãtię eſt ęternę illius maieſtatis ſi ad fidem referatur. 25.b
Ordines præceptorum tres. 42.b.
Offenſam actualem non remanere poſt regenerationem. 14.a
Omnes ſumus ſub peccato quomodo intelligatur. 20.b
Omnes nos ſaluos fieri Chriſtus quomodo velle dicatur. 210.b
Omnibus ſtatuẽdum eſt ne proprio ſenſu nitamur. 133.b
Opera tria genera. 62.b
opera peccatoris bona quatenus mortua dicãtur. 80.a
Opera noſtra vocantur quę, Deo auxiliante, facimus. 52.b
Opera in fide facta nos ad iuſtitiam pręparare exemplo monſtratur. 98
Opera ex fide facta à charitate vitam recipiunt. 70
Opera legis non iuſtificare hominẽ quomodo intelligitur. 72.a.b
Opera ex gratia, non gratia ex operibus. 72.a
Opera bona philoſophorũ cur non erant bona iuxta Caluinum. 32
Opera quæ à prædeſtinatione excluduntur. 208.a
Operari opus eſt charitatis. 99.b
Operatio bona pro dimidia ſui parte à voluntate noſtra eſt, à gratia verò quod inde ſupereſt. 45.a.b

Operibus infructuoſis non eſſe communicandū. 90.a
Operibus bonis debetur regnum cælorum. 101.a
Operum genus primum nullam voluntatis noſtræ partem admittit. 62.b
Operum genus ſecundum noſtrum cōſenſum admittit. 62.b
Operum genus tertiū quod. ibidem
Opes diuinæ tam ſunt paratæ omnibus, quàm neceſſariæ etiam peccatoribus. 60.a.b
Opus noſtrum ab vtroque eſt, &c. 45.b
Oracula Dei certiſſima, non hominū coniecturæ. 110.a
Oratio Eccleſiæ ad Franciſcum regem. 7.a
Oratio omnis aut noſtra, aut ſanctorum Chriſti vniri debet. 240.b
Oratio oſtendit, vnde accipiamus quod petimus 38.a
Oratio S. Bonauenturæ ad beatum Franciſcū. 321.b
Oratio inſipida quę in Chriſti nomine non fit. 240.
Ordo dicendorum. 228.b
Origenes in quibuſdam hęreticis. 333.b
Originale peccatum. 51.b. 52.a
Originalis peccati deſcriptio à Caluino. 13.a.b
Originalis macula nos totos ſecundum corpus & animam in deterius cōmutauit. 52.a
Otioſa poteſt eſſe fides, dilectio verò non. 99.b
Oues paſcere quid. 185.a
Ozias rex & multi alij cur percutiuntur. 7.a

P

PAphnutij vita qualis. 316.b
Pariſienſis ſcholæ laus. 65.a
Partitio eorum quę in his libris tractantur. 11.a
Paruos & magnos poſt mortuorum reſurrectionē iudici offerri quid.
Paſtorum munus per vicarias operas male exercebitur.
Pater clarifica filium tuum ponderatur. 206.b
Pater niſi per filium videri & cognoſci poteſt. 87.a.b
Pater non niſi per filium videri poteſt. 126.a
Pati pro veritate martyriū eſt. 295.a
Patrem adoramus in filio, & filium in ſpiritu ſancto. 316.a
Patres non temere egiſſe in veneratione ſanctorū credendum eſt. 334.b. 335.a
Patres quid in Nicæna ſynodo reſponderint. 178.a
Paulę ardor in adorāda cruce. 176.b

Pauli teſtimonium de certitudine ſacræ ſcripturæ. 112.b
Pauli locus, Abraham nõ ex operibus &c. non contradicit dicto Iacobi, Abraham ex operibus. 97.b
Pauli locus: Fundati eſtis ſuper fundamentum &c. dilucidatur. 116.a
Pauli locus, Nouiſſimè locu cutus eſt, &c. & Matthæi, Ipſum audite explicantur. 128.a
Pauli Samoſateni impudicũ os. 7.a
Paulũ Caluinus peruerſe citat. 45.b
Paulus quare toties meminerit remiſſionis peccati in impij iuſtificatione. 76.a
Paulus Athenis ad Areopagum ducitur. 54.b
Paulus nõ naturam damnat ſed in corruptos hominum mores inuehitur. 31.a
Paulus dum fidem noſtram à Deo vult pendere Eccleſiaſticam, &c. 130.b
Paulus Seminiuerbius cur appellatus. 125.a
Peccati originalis in renato reatum omnem & culpam remitti. 21.a
Peccatores malitiam habent ſimilem malitiæ diabolicę non tamen eandem numero. 94.a
Peccatores etiam ſi poſſent admonitionibus nõ cæderent iuxta Caluinum. 41.a
Peccatorum horrore territi ad ſanctos inuocandos cõfugimus. 247.b
Peccatum in carne damnatum quid. 18.a
Peccatum quia voluntarium ideo nobis Deus aſcribit. 35.b
Peccatum pro hoſtia expiatrice ſumitur. 18.a
Peccatũ à libera voluntate proficiſcitur. 37.b
Peccatũ quando hoſtiã expiatricem ſignificet. 18.a
Peccatum actuale niſi voluntarium in nobis eſt. 14.a
Pelagiana blaſphemia. 63.a
Pelagius liberum arbitrium nobis ſufficere ad meritoriè operandũ aſſeruit. 37.b
Pendere à Deo ſemper debemus. 11.a
Permiſſio reprobatio multa. 216.a
Perſeuerantia Dei donum. 44.b
Perſonarum acceptor quomodo non ſit Deus. 211.b
Perſeuerandi conſtantia in nobis à Deo. 65.a
Perſeuerentia cur in quibuſdam, in aliis non item. 36.b. 37.a
Petrus Damianus de miraculis ſui temporis volumen compoſuit. 318.b

Petrus humanas traditiones damnauit illis verbis, Qui loquitur, loquatur ſer mones Dei. 129.b.130.a
Peruerſi difficile docentur. 250.a
Piè ac catholicè credendum eſt de canonizatione & miraculis ſanctorum. 334.a
Pœnitentia quid ſit. 68.b
Pœnitentia à fide. 69.a
Pœnitentia ex fide informi non otioſa diſpoſitio eſt, ſed nō meritum pro aſſequenda iuſtitia. 70.a
Pœnitētia & iuſtitia quo pacto ſe habeāt in impij iuſtificatione. 69.a
Pœnitētia diſponit peccatores ad iuſtitiam. 77.a
Pœnitentia pro peccatorum remiſſione acquirenda cō mendatur. 68.
Pœnitētia requiſita arbitrij libertatem requirit. 68.b. 69.a
Pœnitētia eſt admonitionis fructus. 40.b
Philoſophi ignorantes antiquam hominis dignitatē, peccatum naturę aſcripſerunt. 30.a
Philoſophi ne odorem quidem diuinorum ſenſerūt. 27.
Philoſophi natura duce honeſto viuēte liberi arbitrij poteſtatem arguunt. 30.b
Philoſophorum vita & doctrina quantum Caluinum ſuperet. 34.b
Philoſophorum ſententia de viribus humani intellect⁹. 30.a.b
Philoſophorum mirabilia opera nō ſine diuino auxilio enituerunt. 34.b.35.a
Philoſophorum omnium cō ſenſus de libero arbitrio ad ſtudioſe agēdum. 29.b
Philoſophorum quorundam probitas incredibilis. 30.b 31 a
Philoſophorum virtutes poſſunt appellari bene ſecundum quid. 32.a.b
Polycarpi querelæ cōtra hæreticos. 275.b
Populi multitudo, ad ſanctorum memoriam cōcurrēs eorum venerationem probat. 195
Potentia magna humanę naturæ ad bonum. 31.b
Potiſſima piorum virtus in Dei gratia, ſed nō tota cōſiſtit. 41.a
Pratum ſpirituale. 317.a
Pręcepta Dei cur nobis data. 38.a
Pręcepta diuina homini non prodeſſent niſi haberet liberum arbitrium. 46.a
Præcepta ſecundi generis. 44.a
Præcepta tertij generis. ibidem.b
Præcepta diuina homini nō prodeſſent niſi haberemus

Liberum arbitrium. 45.b. 46.a
Præceptorum tres ordines. 42.b
Præceptum nouum de orando pro proximis non fuit ſanctis neceſſarium. 265.a
Præceptum, quid debeamus, oſtendit. 38.a
Pręceptum primi explicatur. 43.a
Pręceptum impiis cur datur. 46.b.47.a
Pręceptum primum quomodo hic, quomodo in patria ſeruetur. 43.a
Præcipere Deum quid ſit. 47.b
Prædeſtinationis myſterium nobis omnino latet. 225.a
Prędeſtinatio quid, & ad quã potẽtiam pertineat. 206.b
Prædicationis ſtultitia 26.b
Præmia Dei in nobis ſunt aliquo modo merces noſtra. 36.a
Prænoſcit Deus peccatores non facit. 48
Pręſidia cęleſtia etiam in ingratum populum ſe extẽdunt. 60.b
Præſtantia virtutis legis gratiæ. 278.b
Primo capite reconciliationis cum Deo. 267.b
Primus homo pro matre gratiam habuit. 19.b
Principes ſeculares eccleſiaſticis rebus nõ ſe immiſceãt. 6.a.b
Principiis obſtãdum. 140.a
Promiſſa quomodo liberum arbitrium inferant. 46.a
Promiſſa Dei eius benignitatem indicant. 46.b
Promiſſio generalis diuini beneficij aliter conſiderari debet quàm vt ad ſingulos applicatur. 225.b
Promiſſio dubia eſſet, dempta aſſentiendi voluntate. 46.b
Promiſſiones omnes generales in ſcriptura ſacra sũt, ac ſub cõditione poſitę. 225.a
Promiſſionũ genus duplex. 225.b.
Promiſſionum obſeruatio ex operibus cuiuſque pendet. 225.b.226.a
Promiſſis diuinis ſine libero arbitrio frui nõ poſſumus. 46.a
Promiſſorem qui audit, factorem expectat. 280.a
Propenſio ad malum pœna eſt peccati. 17.b.18.a
Prophetæ aliquando multa tradiderunt. 87.a.b
Prophetæ ſancti Dei multa tradidere quæ in lege non continebantur. 126.b
Prophetę quam fidem nobis docuerint. 68.b
Prophetarum & Apoſtolorũ teſtimonia quæ Caluinus contra Eccleſiæ ſacerdotes profert, quæ in ipſum contorquentur. 144.b
Prophetiæ quę luce Euange-

lica ceſſauerint. 128.a

Propoſitio de futuro contingenti vera, ab æterno fuit vera. 213.b

Prouidentia diuina quo pacto in noſtris ſceleribus ſuo modo præfulgeat. 222.a

Q

QVæ ſcire expedit nobis reuelantur. 203.b

Quæ prophetiæ luce euangelica ceſſauerint. 88.a.b

Quæ propius ad Deum accedit, eo profundius ſe demittit. 290.a

Quę pręcipuè traditione ſola conſtent. 135.a

Quæ nemo fecit, explicatur. 304.b

Quæcunque dixero quî intelligendum. 129.b

Quęſtio de Eccleſiæ dogmatibus quoties eſſet exorta, veteres catholici ad legitimam epiſcoporum & ſacerdotum, tanquam ad ſacram anchoram, recurrebant. 141.b

Quę terrorem in Chriſto gignere potuerunt. 274.a

Quadruplex iuſtitia, Dei, beatorum, Adę & noſtra. 74.b

Qualis ſit eccleſiæ Deus. 200.b

Qualitas miraculorum Chriſti ex quatuor cognoſcitur. 304.a

Quàm temerè quidã in Dei myſteria prorumpant. 222.b

Quãdo & quomodo ſunt expendendę traditiones vniuerſalis Eccleſiæ. 162.a

Quando liceat relictis conciliis recurrere ad ſcripturas, contra hæreticos. 163.b

Quando ſit cõfugiendum ad tropum pro intelligentia ſcripturæ. 74.a

Quanto melius cucurreris, tanto facilius peruenies. 100.b

Quantum miraculi ſanctorũ fidem adhibere teneamur. 335.b

Quantum ſit nõ ſcriptis traditionibus tribuendum, ſanctorum teſtimoniis & exemplis probatur. 139.a

Quare Deus ſinat hominem à diabolo tentari. 202.a

Quare teſtamẽtum vetus dicitur. 281.b 282.a

Quarta ratio Caluini contra noſtras præparationes. 79.b

Quartum Eccleſiæ ſeculum 316.a

Quartus ſcripturæ locus à Caluino inductus. 76.a

Quatenus dominari poſſit in conciliis humani quicquam. 177.b

Quatuor rationib⁹ probatur quòd ſancti pro nobis orent. 165.a

Quatuor ſummis eccleſiæ paſtoribus ineſſe debent. 106.a
Qui manus diuinæ manui porrigunt, ſaluantur. 36.b
Qui bonam conſcientiā gerit, ſperat ille. 99.b
Qui bonas artes Deorum inuenta vocauerūt Chriſtianæ doctrinæ fauent. 23.b 24.a
Qui incidit in latrones expēditur. 51.a
Qui illi ſint quos ſacra ſinodus anathematizat. 172.b
Quibus patronis cælum acquirebant terram negabant. 326.b
Quicquid ſtatuitur in conciliis ad diuinam voluntatē eſt referendum. 135.a
Quid cauſæ quòd ſpiritus ſanctus ſenſibili miraculo deſcenderit. 308.b
Qui Deum non norunt recti nomen non merentur. 32.
Quid intelligamus per Verbum illud: Multa habeo vobis dicere, &c. 137.a
Quid diſcriminis inter catholicos & pſeudoeuāgelicos de Eccleſię authoritate. 135.a
Quid hæc vox, Apoſtolus ſignificet. 125.a
Quies illa placida, & conſciētiæ ſerena trāquillitas, &c. quam iactat Calui. in ſcripturis nullum habet locū. 81.a. 82. 83.
Quinta ratio Caluini contra qualitatem illam. 76.b
Quinta ratio Caluini. 81.a
Quintum eccleſiæ ſeculum. 316.b
Quis aut qualis fuerit Vitulus aureus. 169.b
Quis ſe credat theologum non repentè euaſiſſe. 223.a
Quiſque id debet quod accipit. 57.b
Quodcunque dixero vobis quomodo intelligatur. 129.b
Quod fuit angelis caſus, nobis eſt mors ſecundum Caluinum. 36.a
Quod natum eſt ex carne, caro eſt explicatur. 19.a
Quomodo dicatur Chriſtū velle nos omnes ſaluari. 210.b
Quopacto in ſcriptura fidei noſtra myſteria omnia cōtineantur. 180.a
Quotquot in peccata prolabūtur ſuorum ipſorum culpa cadunt. 301.b

R

Racheli quæ mens fuit dum idola paterna ſuſtulit. 168.b
Ratio propria legis veteris & penitus erat formalis ciuilis vita præcepta continere. 281.a

Ratio ſeptima Caluini teſtimoniis eliditur. 84 a
Ratio in mente inſtar lampadis eſt. 29.b
Ratio optima pro libero arbitrio. 36.b
Ratio etiam vulnerata inexcuſabiles apud Deum reddit ſapientes. 20.a
Ratio & mens virtutis ſunt inſtrumenta. 12.a
Ratio diuerſa eſt ſingularis perſonæ & vniuerſalis eccleſiæ. 130.b
Ratio egregia pro libero arbitrio. 47.b
Ratio humana quid, vbi ad cæleſtia venitur. 24.b
Ratio humana habet nõ minimum diuinitatis odorẽ. 25.a
Ratio humana quomodo ſe habeat in cognoſcenda vitæ noſtræ regula. 27.a
Rationis vis. 29.b
Ratio firma Diui Chryſoſt. pro libero arbitrio. 36.b
Ratio tota diſcriminis in cauſa iuſtificationis inter catholicos eſt hæreticos exponitur. 73.a
Ratio noſtra & Epiſcoporũ diuerſa eſt quamuis æqualis ſit profeſſio. 186 b
Ratiocinatio Caluini. 84.a
Rationalis actio conſideranda, nõ beſtialis. 12.a
Rationũ epitome quæ probant reprobationem non eſſe cauſam noſtrorũ ſcelerum. 217.b.218.a
Reconciliatio perfecta Chriſtianorum quæ. 73 a b
Rebus potiſſimum tribus cõſtat diuinorum perſpicientia. 24.b
Rectitudo quæ & quanta ſit. 73.a
Regulæ duæ certiſſimæ ad ſcripturarum fidem nobis conciliandam. 115.a
Religio quid ſit & vnde dicta. 229.a
Reliquię venerandæ. 232. b
Remiſſio peccati initium doni Dei. 75.b
Remiſſio peccati initium doni Dei eſt. 75.b
Regeneratio quantum fuerit neceſſaria ad comparandam ſalutem. 18.b. 19.a
Remiſſionis peccatorum cur toties Paulus meminerit in iuſtificatione impij. 76 a
Reprobi ſunt membra Eccleſiæ. 203.a
Reprobatio & electio multũ differunt. 211.b
Reprobationis atq; electionis maximum diſcrimen. 216.b
Repugnantia manifeſta oſtenditur in doctrina Caluini. 144.a
Reſponſa dæmonum ambigua. 328.a
Res cæleſtes & terrenæ quæ dicantur. 21.a

Res fidei ſemel ab eccleſia definitæ nullius hominis examini ſubiacere debēt. 161.b
Res damnanda non eſt, ſed qui re bona male vtitur. 160.b
Reſurrectio Chriſti eſt iuſtitiæ noſtræ applicatio. 194.a
Reſurrectio volūtaria mortem voluntariam oſtendit. 307.a
Reſurrectio Chriſti exēplar eſt noſtræ reſurrectionis. 19.4.a
Reſurrectio voluntaria mortem voluntariā oſtendit. 207.a
Reſurrectio Chriſti eſt iuſtitiæ largitio. 194.b
Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram explicatur. 194.a
Romanæ ſedis authoritas vbique commēdatur. 181.b
Romani quantum pontifici deferebant. 6.
Ruffinus ſanctorum auxilia inuocabat. 232.b.233.a

S

Sacerdotes in quos bellum gerere debeant. 7.a
Sacramenta nouæ legis dant gratiam. 292.b
Sacramēta veteris legis Chriſtum promittebant. 292.b
Sacramenta nouæ & veteris legis efficacia differunt. 292.
Sacramēta nouæ legis iuſtificant contra Caluinum. 292.a
Sacræ ſcripturæ iudicium à ſeculari principe quęri nō debet. 5.a.b
Sancti patres libenter ad Eccleſiæ magiſterium confugiebant. 182.a
Sancti cuſtodes ſunt à Deo conſtituti ſingularium locorum. 246.a
Sancti à beatitudine non poſſunt abſtrati. 253.b
Sancti nō ſunt dicendi mortui, ſed viui. 254.
Sancti viri, qui inuocationē ſancti probant. 244.a
Sancti atque domnati nihil amplius merentur aut demerentur. 15.a
Sancti cur in vetere non tam frequens inuocabantur. 260.a
Sancti alicuius nomen inuocare quid ſit. 259.b
Sancti curſum cōſummarunt ac coronis fruuntur viuētes. 259.a
Sancti immortalis preces rationabilius inuocādæ quā mortalis. 254.a
Sanctos qui honorat Deum in illis veneratur. 266.b
Sanctos credimus in cęlis viuere, ſicut alios fidei articulos. 334.a.b
Sanctos inuocandos ex Iob probatur. 265.a
Sanctos in cælis viuere quo-

pacto credendum. 334.a
Sanctorum inuocatio nõ eſt explicare præcepta in euãgelio. 26.a
Sãctorum ſepulchra curvenerem ur. 250.a
Sanctorum inuocatio in euãgelio nõ eſt explicare pręcepta. 260.a
Sanctorum omnium iudicio damnatur Caluinus aſſerens ſanctos non inuocãdos. 252
Sanctorum memoria, Deo grata eorum orationẽ pro nobis gratam facit. 260
Sanctorum memoriam honoramus tanquam ſanctorum Dei. 233.a
Sanctorũ inuocationẽ Chriſti patrociniũ & preces roborant. 244.b
Sãctorum poteſtas poſt mortem eos viuere arguit. 310.b
Sanguis Chriſti etiam ad impios peruenit iuxta ſufficientiam. 41.b
Sanitas neceſſaria ad morale bonum complendum. 58.a
Sapientia noſtra ſi ad diuinã conferatur ſtultitia eſt. 26.a.b
Sapientię noſtræ ſumma. 11.b
Sapientiã huius mundi quomodo Deus ſtultam facit. 26.b
Sapientũ ſcientię intellectus acumẽ arguunt. 22.b.23.a
Satanæ fraudes & doli. 224.a
Satanę angelus ſe in lucis miniſtrum trãsfigurat Gloſa ordinaria exponitur. 335.a
Satanam deliteſcere ſub Dei verbo. 9.b
Scelerum noſtrorum cauſa quæ ſit. 201.b
Scientia diuina nullam neceſſitatem rebus indicit. 222.a
Scriptura diuina cum vna ſit variè tamen ab hæreticis dilaceratur. 8.a
Scriptura ſacra argentum dicitur. 9.b
Scriptura ſancta ſimul & noſtrę facultatis & diuinę gratiæ admonemur. 44.a
Scripturæ ſacræ veritas. 108.a
Scripturæ ſacrę loci exponũtur, quibus Caluinus malè colligit nihil eſſe credendum quod non legatur in ſcripturis. 126.a
Seculis omnibus ſancti iam Chriſto fruentes in viuentium auxilium, &c. 248.b
Seculum Eccleſię quartum. 316.a
Seculum tertiũ, meſſis martyrum appellatur. 315.a
Seculũ 1. & 2. eccleſiæ. 314.b
Seculum 3. quod martyrum meſſis appellatur. 315.a
Seculum 4. 5. & 6. eccleſiæ. 316.a.b.318.a
Secundo ſeculo fuerũt in ce-

cleſia vera miracula. 314.b
Semẽ Dei manere in aliquo quid. 50.a
Semen Diaboli. ibid.
Semiuiui hominis, vulnera, effectus & defectus originalis peccati ſunt. 51.b
Seneca aduerſus Caluinum defenditur. 30.a
Senecæ epiſtola ad Neronẽ Cæſarem. 34.a
Senſu proprio ne enitamur omnibus ſtudendum eſt. 133.b
Senſus ſeu motio inferior. 29.b
Sẽſus mentem in errorẽ trahit. 19
Sententia vera & catholica de adoratione imaginum. 175.b
Sententia theologorum de merito Chriſti. 242.a
Sentẽtia Caluini rationibus confutatur, de reprobatione. 215.b
Sexta Caluini ratio cõtra inchoatam iuſtitiam. 12
Si Adam ſolus potuit vitare peccatum nos peccantes ſumus ſine culpa. 15.a
Sicut non omnes ad prædeſtinationis inquiſitionem ſunt admittendi, ita non omnes ab ea repellendi. 206 b
Similitudo hominis offenſi quem interceſſores placãt 248.a
Similitudo Caluini de coruſcatione fulgetri nocturni. 25.b
Simulachra quę, de diuino metu imminuant. 175.b
Si non abiero, paracletus nõ veniet ad vos, explicatur. 308 a
Solis & iuſtitiæ ſimilitudo. 76.b.77.a
Solutio dictorum contra libros Machabęorum. 261.b
Specimen communis energiæ & facilitatis. 23.b
Spes à bona conſcientia ſumitur. 101.b
Spes nõ à Chriſti paſſione tãtum concipitur, ſed à bona conſcientia. 99.b
Spiritus diuinus eſt qui Eccleſiam ſua virtute firmat. 134.a
Spiritus vnus non in omnibus. 140.a
Spiritus diuinus multa per Eccleſiam nobis reuelaret niſi ſcelera noſtra impedirent. 178.a
Spiritus idẽ eſt, qui ſcripturas dictauit & qui per Eccleſiã eas interpretatur. 182.b
Spiritus pro aëre, anima, Dei maieſtate, & mente rationali ſumitur. 18.b
Spiritus pro lege gratiæ. 19.a
Spiritus hominis tenebrę. 26.a
Spiritus aërem ſeu eius motum ſignificat. 18.b

Spirituscum carne pugnat in non regeneratis. 20 a
Spiritus diuini tres effectus. 309.a
Spiritus Eccleſiæ atque ſcripturæ idem. 132.a
Spiritusſancti in Apoſtolos miſſio prodigioſa. 308.b
Spritumſanctum ſtatim mitti non expedit Eccleſiæ. ibidem.
Spiritusſanctus manet in cõmuni Eccleſiæ conſenſu. 133.a
Spiritusſanctus in Apoſtolis Chriſti Eccleſiæ promittebatur qui nũquam eam deſereret. 133.a
Spoliatio iuſtitiæ originalis. 51.b.52.a
Subſannatio elegans in Caluinum. 46.b
Summa noſtræ ſapiẽtiæ quę. 11.
Superſtitio quid. 225.a
Synagoga honorificè ſepelienda. 53.a

T

Templa & ſacrificia à ſanctis inſtituta eos reuerendos monſtrat. 233.a
Templorũ breuis deſcriptio pro miraculis. 314 b
Tentationis duplex genus. 201. a
Terminus huius motus cæleſtis iuſtitia eſt. 73.a
Teſtamẽti veteris ſancti per fidẽ chriſti iuſtificati ſunt. 279.a
Teſtamentum vetus terrena bona promittebat. 281.b
Teſtamentum nouum ad hominem nouum pertinet. 286.a
Teſtamentum vetus dicitur quod ad veterem hominẽ pertineat. ibid.
Teſtamentũ vetus vnius gẽtis erat, nouum verò ad omnes ſe extendit. 278.a
Teſtamentum nouum ac vetus ſic appellantur ratione manifeſtationis, &c. 286.a
Teſtamentum vetus vmbra erat, nouum autem veritas. 277.b
Teſtamentũ vetus neque nouum in promiſſionibus vitę æternæ conueniunt. 278.b
Teſtamentum vetus ſeruari non potuit, nec iuſtificare. 283.a
Tertia ratio Caluini contra noſtras præparationes. 78.a
Tertius locus à Calui. productus. 76.a
Theodoritus quãdo claruit. 247.b
Theologorum ſententia de merito Chriſti. 242.a
Timor quis & horror in chriſto fuerit. 272.a
Tollerantia Chriſti quæ ac quanta fuerit. 273.a
Tract⁹ patris neceſſarius eſt, vt ad filium quis veniat. 41.b

Tria poſtulant à nobis noui euangelici. 101.b
Tria explicãtur quæ Auguſt. refert de ſimulacrorũ adoratione. 176.a
Tria ponderantur contra eos qui meriti rationem à bonis operibus ſeiungunt. 102.b
Tria operum genera tribus locorum ordinibus reſpondent. 62.b
Tria ponderantur cõtra eos, qui meritum à bonis operibus ſeiungunt. 102.b
Tribulatio patientiam, patiẽtia ſpem operatur. 96 a
Tridentini concilij verba. 21.a
Triplex gen⁹ diuinæ electionis. 206.b.207.a.b
Triplex locorum ordo. 62.a
Triſtitia quę ex Deo eſt pœnitentiam operatur. 68.b 69.a
Triſtitia Chriſti. 272.a
Tropum quando loquimur pro ſcripturæ intelligẽtia. 74.a
Turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimã facit Auguſt. 118.a

V

VÆ hominum vitæ non operibus. 92.a
Velle & poſſe nobis datur. 65.a
Veneratio & adoratio imaginum in eccleſia, alia eſt à Gentium idololatria& cultu. 166 b
Verecundatus ſub pecco. 17.b
Verba Auguſtinj penè diuina. 298.a
Verba Calui. & Petiliani omnino eadem. 297.a
Verbi Dei prędicationẽm ad ſolos ſacerdotes pertinet, colligitur ex Calui. 123.a
Verborum Chriſti lucida explicatio. 19.b
Verborom illud: Viduo aut tres, &c. explicatur. 142.a
Veritatis pręſtantia. 138.b
Veritas ſcripturę certa ac firma, non niſi per Eccleſiam nobis conſtare poteſt. 119.b
Verſati multũ & diu in ſcripturis ſanctis in errorem incidunt. &c. 206.a
Vetus teſtamentum dicitur quod ad veterem hominẽ pertineat: Nouum verò ad nouum hominem. 286.a
Victimæ veteris legis corporis Chriſti ſacramentũ protendebant. 235.a
Vigilantius homines & angelos omni honore priuabat. 238.b
Vinum aqua mixtum quid. 9.b
Virtutem laudans Deum laudo. 232.a.b
Virtutes & vitia in noſtra eſſe poteſtate. 29.b
Virtutes extra charitatem &

fidem falſas quidem & inanes, ſed non eſſe peccata. 32.b
Vis virtutis magna. 144.a
Vita hęc noſtra nihil nauale quoddam bellũ eſt. 224.a
Vita cęleſtis certaminum & meritorum præmiũ. 90.b
Vita ſola valuit abſorbere mortem. 267.
Vita hęc noſtra nauale bellũ eſt. 224.a
Vitij nomen quomodo à Diuo Auguſt. acceptum. 38.b
Vitioſitas pœnalis ſubſecuta ex libertate fecit neceſſitatem. 58.b
Vituli aurei adoratio. 168.b
Viuorum interceſſionibus ſi nihil abrogatur Chriſti precibus. 253.b
Vnde oriatur, quod nonnulli à Deo eligãtur, & quod ſint inimici. 291.b
Vocatio vniuerſalis, electio propria. 226.a
Voces, in quibus ſignificatio etymologiam ſuperat. 125.a
Voluntas. 29.b
Voluntas libera. 41.a
Voluntas præcipuè eſt in noſtra poteſtate. 58.a
Volũtas inter rationẽ & ſenſum media. 29.b
Voluntas humana gratiæ pediſſequa ex Auguſtino. 64.a
Volũtas noſtra roborata ſuũ officium perficit. 63.b
Volũtatis ratio multiplex in genere vt Auguſt. docet. 58.a
Volũtatis noſtrę eſt, vt fruamur, aut careamus ſummo bono. 56.b
Voluntarium idem quod liberum. 36.a.b
Vox eccleſię vniuerſalis Dei oraculum eſt, &c. 130.a.b
Vulgi argumentum de diuina ſcientia, etiam de ipſo Deo formari poteſt, &c. 214.a
Vulneratio hominis ſemiuiui qualis ſit, oſtenditur. 52.a

Index Locorum Veteris ac noui Teſtamẽti, quos auctor apertiſsimè in 1. 2. 3. & 4. libro interpretatur. Obſeruãdum autem in hoc indice quæ lib. 1. 2. 3. & 4. citãtur, tomo primo contineri: Quæ autem. lib. 5. 6. & 7 tomo ſecundo denotari.

LOci probantes ſcripturæ veritatem. pag. 109. a. b
Loci ſcripturæ ſanctæ pro traditionibus eccleſiaſti. 31. a. b
Loci, quos in malos ſacerdotes ex ſcripturis ſanctis colligit Caluinus, habentur. 144. 145
Item pro bonis, quos colligit auctor, habes penè infinitos. 146.
Explicatis iis, quos producit Caluinus, vſque ad. 149. a. b
Loci veteris teſtamenti, qui antiquorum patrum prodigioſa miracula narrant, habentur. 301. 302.
Loci miraculorum Chriſti habentur. 303. 304. 305. 306.
Loci, qui referunt apoſtolorum admiranda prodigia, citantur. 309. 310.

Qui ſequuntur 12. loci. 5. 6. & 7. lib. habentur.

Loci plurimi pro commendatione ieiunij habentur. 28. 29. a
Loci de quadrageſimali obſeruatione leguntur. 38. 39.
Loci, qui probant dignum eſſe verbi miniſtrum, & alios qui ſacris vacãt, cibo, referuntur. 49. 50.
Loci, qui probant multa relinqui nobis ſub conſilio, ad quæ diuino præcepto non teneamur, referuntur. 59. 60. 61. 62.
Loci pro obſeruatione votorum, quæ Deo ſunt facta, referuntur. 85. 86.
Loci pro gratuita Dei condonatione quo ad culpam, ponderantur. 96. 98. 100.
Loci pro differentia peccati venialis à mortali proferuntur. 101. 103 105.
Loci pro ſatisfactione habentur. 109. 111. 113. 114. 116.
Loci plures oſtẽdentes nouæ legis ſacramẽtorũ virtutẽ referuntur. 214. 215.
Loci, explicantes baptiſmi fructus, habentur. 221. a. 222. b
Loci de baptiſmo Ioannis referuntur. 222. b. 223. a
Loci, oſtendentes Chriſtum omnium ordinum gradibus fuiſſe vſum, referuntur. 238. b. 239. a

SEQVVNTVR LOCI PARTICVlares, primi, ſecundi, tertii, & quarti libri.

Geneſis. 4. *Cap.*
Sub te erit appetitus tuus, &c. 50.b
5 Si bene egeris, recipies, &c. 204.b
6 Omnis quippe caro corrumpere viam ſuam, &c. 17.a
13 Sic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ cæli, & arena maris, &c. 285.b
16.21. Repudiata Iſmahele, &c. 108.b
16.21. In Iſaac ſemen vocatum 48 eſt, &c. pag. 207.b
17 Quia patrem multarũ gẽtium poſui te, qui credidiſti, &c. 285.b
33 Iacob, ſepties humi proſtratus, fratrem adorat, &c. 238.a
32 Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate, &c. 291.a
25 Eſau & Iacob eiſdẽ genitis parẽtibus, &c. 108.b
26.28. Iſaac fames fugat de terra Chanaam, &c. 287.b
31 Rachel furata eſt idôla patris ſui, &c. 168.b
46 Ingreſſus eſt Iacob in Ægyptũ cum ſeptuaginta animabus, &c. 17.a
49 Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c. pag. 109.b
49 Simeon & Leui vaſa iniquitatis, &c. 108.b

Exod. 2.
Quoniam non vis dimittere populum, ecce percutiam omnia primitiua Ægypti, &c. pa. 196.b
16 Quid ſumus ego, & Aarõ, &c. 109.b
24 Habetis Aaron & Hur vobiſcum, ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos, &c. 126.b
32 Neſcimus, quid iſti Moyſi contigerit, &c. pa. 169.a
24.34. 40. Num. 16.20. 12. De miraculis Moyſi, &c. pag. 109.a.b

Leu. 15. 25.
Ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum, &c. pag. 277.a.b
16 Nullúmque in ea opus facietis, &c. pag. 236.a
20 Magos ac ariolos lapidibus obrues, &c. 109.a
20 Poſſidete terram eorum, quam dabo vobis in hęreditatem, &c. 282.a
26 Si in præceptis meis ambulaueritis, &c. 282.a

Num. 12.
Murmur Aaronis & Mariæ contra Moyſen, &c. 108.b
14 Amalec, & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, eò quòd non volueritis acquie-

ſcere domino, &c. 48.a

Deuter. 4.

Viderunt oculi tui ſigna, &c. pag. 26.a

4 Iſrael audi pręcepta & iudicia, quæ ego te doceo, &c. pag. 282.b

7.10 Canebat Moyſes, &c. 207.a

17 Si cauſa aliqua inſolita & difficilior, &c. pa. 124.a

22 O' vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent, &c. 40.a

28 Si abſtuleris abominationes à facie mea, non expellêris, &c. 46.a

30 Ne dicas in corde tuo, Quis aſcendet in cælũ, &c pag. 122.a

30 Lætabitur ſuper te bono tuo, &c. 43.b

32 Mihi vindictam, &c. 314.b

Ioſue 5. 6. 2.

Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierũ ſeptem, &c. 288.b

Regum.

1. *Re.* Num Saul inter prophe-
10 tas, &c. 40.b

3. *Re.* Ego ero ſpiritus mendax
22 in ore prophetarum. 197.198. atque ceteri loci, qui videntur Deum auctorem mali facere, explicãtur eadem pagina, &c. 199.a.b

3. *Re.* Conuertit rex Salomon fa
8. ciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael. Similiter loquitur ſcriptura Actor. 18. 20. pa. 183.

4. *Re.* Ezechias rex ipſum quoq;
18 ſerpentem æneum fregit, &c. 170.a

Iudith. 8.

Tẽtati ſunt antiqui patres, vt probarẽtur, ſi verè colerẽt Deũ ſuũ, &c. Gen. 12. 22. Eccl. 44. Gen. 27. Exod. 1. & 2. pag. 201 a

10 Iudith Holoferni, &c. 116. b. & 3. Reg. 1. & Gen. 19. & Ioſue 5. ibid.

Iob 5.

Conuertere ad aliquẽ ſanctorum, &c. pag. 264 b

5 Quem diligit dominus, caſtigat, &c. 201.a

7 Dominus dedit, dominus abſtulit, &c. pag. 197.b

7 Aſtitit porrò Satanas corã Deo, &c. pag. 197.b

7 Interroga patres tuos, & ipſi annuntiabunt tibi, &c. pag. 115.a

13 Etiam ſi me occiderit, in eo ſperabo, &c. pag. 290.b

19 Scio, quia redẽptor meus viuit, &c. pag. 290.b

Pſalm. 2.

Sed in lege domini voluntas eius, &c. pag. 46.a

10 Iuſtus dominus & iuſtitias dilexit, &c. pag. 212.b

15 Quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear, &c. 272.b

19 Et holocauſtum tuum pingue reddat, &c. 226.b

22 Deus Deus meus reſpice in me,&c. pag. 274.a
23 Innocens manibus,& mũdo corde,&c. pag. 2:6.b
32 Propterea orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno,&c. 291.a
34 Apud te eſt fons vitæ, &c. pag. 25.a
34 Iſte pauper clamauit,& dominus exaudiuit eum, &c. pag. 291.a
43 Propter te mortificamur tota die,&c. pag. 294.b
47 Elegit nobis hæreditatem ſuam,&c. pag. 207.a
47 Sicut audiuimus, ſic & vidimus,&c. pag. 256.b
49 Sacrificium laudis honorificabit me,&c. pa. 235.b
52 Me expectant iuſti, donec retribuas mihi,&c pag. 291.a
56 Filij hominum dentes eorum,&c. 298.a
63 Captiuam duxit captiuitatem,&c. 275.b
64 Omnis caro fœnũ,&c. 17 a
78 Generatio praua,quę non direxit cor ſuũ,&c 49.a
98 In toto corde meo excrutabor legem tuam. 43.b
101 Miſericordia autẽ domini ſuper timentes eũ, &c. 289. b. & alij loci quãplurimi. ibid.
105 Ipſe fecit nos, & non ipſi nos,&c. 207.a
110 In toto corde meo exquiſiui te,&c. 43.b
118 Cõfitebor tibi domine in toto corde meo,&c. 43.b
119 Inclinaui cor meũ ad faciẽda teſtimõia tua,&c. 49.a
126 Pretioſa in conſpectu dñi, mors ſãctorũei᷒,&c. 289 a
119 Propter legem tuã ſuſtinui te domine,&c. 280.a
148. Ignis, grãdo, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis,&c. 18.b

Prouer. 2.

Exultat in rebus peſſimis, & lætatur, cùm malefecerit,&c. 46.b
8 Per me reges regnant,&c. 23.a
18 Peccator, cùm in profundũ venerit cõtẽnit,&c. 46.b
10 Pauor his qui operantur malum,&c. pag. 204.b
20 Memoria iuſti in benedictione erit,&c. 170.b

Eccle. 1.

Peruerſi difficilè corrigũtur,&c. 250.a
2 Quid eſt homo, vt poſſit ſequi regem factorem ſuum,&c 231.a
3 Et quis ſcit, ſi ſpirit᷒ filiorũ hominis aſcẽdat,&c. 18.b
7 Fecit Deus hominem rectum,&c. 15.a
7 Reliquit eũ in manu conſilij ſui,&c. pag. 50.b
10.36. Eius ſerui facti eſtis, cui exhibuiſtis vos ad obediendum,&c. 204.b
Cãtic. 6. Vnica eſt columba mea, &c. pa. 116.b
Sap. 3. Viſi ſunt oculis inſipien-

tium mori,&c. 256.a
Eſaiæ. 1.
Argentum tuũ verſum eſt in ſcoria,&c. pag.9.b
1 Iſrael autem me non cognouit,&c.Ioã.1. Et ſui eum non receperũt,&c. pag. 193.b
26 Viuent mortui,&c. 291 a
40 Videbit omnis caro ſalutare Dei noſt.&c. 17.a
51 Spiritus meus qui in te eſt, &c. 120.a.121.a
55 Cuius liuore ſanati ſumus, &c. pag.242 a
53 Attritus eſt, & percuſſus, &c. pa.274 a
55 Chriſtus poſitus eſt teſtis populis,&c. pag.270.a
57 Peccata veſtra diuiſerũt inter me,& vos,&c. 36.b
59 Qui enim dormiunt nocte,dormiũt,&c. 227.b
61 Prædicauit captiuis indulgẽtiam,&c. 275.a.b
63 Tu pater noſter,& Abrahã neſciuit nos,&c. 259.260.a
63 Quare errare nos feciſti domine de viis tuis,&c. 197.a
65 Extẽdi manus meas ad populum contradicentem mihi,&c. 12.b
Ierem. 2. Foderũt ſibi puteos cõtritos &c.10.a
3 Nolite audire verba prophetarũ, vanitatẽ enim vos docent, &c. 180.a
4 Si volueritis & audieritis, bona terræ commedetis,&c. 46.a
7 Quia induraſtis cor veſtrũ, & noluiſtis obedire domino,&c. 48.b
8 Verè mendacium operatus eſt ſtylus ſcribarum,&c. pag. 143.b
10 Aſcia fiunt,auro & argẽto ornantur,&c. 167.b
15 Si ſteterint Moyſes, & Samuel corã me,&c.257.b
18 Recordare mei ſtantis coram te ad loquendũ pro ipſis bona,&c. 241.b
23 Propheta, apud quem eſt ſomnium, narret ſomnium,&c. pag.124.a
24 Dabo illis cor nouum, &c. pag.41.a
31 Illa lex eſt literalis in tabulis lapideis exarata, &c. pag. 278.a
31 Fructus iuſtitię in pace ſeminatur, facientibus pacem,&c. pag 204.b
31 Ecce dies veniũt,dicit dominus,& conſummabo ſuper domum Iſrael, &c. pa.283 a
31 Vltrà non docebit vir fratrem ſuũ,&c.pag.121.b
31 Iniquitatũ veſtratũ nõ recordabor,&c. 238.
Baruc 2.
Reſpice nos ex ſede ſancta tua,&c. 260.a
Ezech. 3.
Audies ex ore meo verbũ, &c. pag.124.a

14 Si fuerint iſti tres in ciuitate viri, Noe, Daniel, & Iacob, &c. 258.b
18.33. Nolo mortem peccatoris. 41.b

Dan. 3.

Ne auferas à nobis miſericordiam tuam, &c. pag. 259.a

Oſeæ 5.

Vadam ad locum meum, ait dominus, &c. pag. 48
13 Ero mors tua, ò mors, &c. 256.b
13 Perditio tua Iſrael, &c. 216. a

Ioel. 2.

Conuerte me domine, & conuertar. 44.a
2 Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, &c. 17.a

Amos 5.

Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper quarto non exaudiã eum, &c. 196.b
5 Quærite bonitatẽ, & non malitiã, vt viuatis. 46.a

Ionæ 1.

Quis ſcit, ſi conuertatur dominus, vt ignoſcat populo ſuo. 40.b
2 Deuoraſti Ionã, ſed in vtro tuo viuus fuit, &c. 256.b

Mich. 1.

Demerget iniquitates veſtras, ac proiiciet in maris profundum peccata veſtra, &c. pag. 14 a

Sopho. 2.

Sicut dolor in vtero habenti, &c. 204.b

Zach. 1.

Conuerte nos domine ad te, & conuertemur, &c. 44.b
9 Redemit vinctos è puteo, in quo non erat aqua, &c. 275.a
9 Tu in ſanguine teſtaméti tui deduxiſti vinctos de carcere, &c. 275
14 Eliget adhuc Deus Ieruſalem, &c. 207.a

Malac. 2.

Legem meam de ore ſacerdotis requirent, &c. 115.a

Matth. 4.

Dominum Deum tuum adorabis, &c. 237.b
5 Beati pauperes ſpiritu, & cætera. 27.a
5 Beati, qui perſecutionem patiuntur, &c. pa. 294.a
5 Vos eſtis lux mundi, &c. 124.b
7 Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, &c. pag. 8.a
7.21 Petite, & dabitur vobis, &c. 227.a
7 Cauete à falſis prophetis, &c. 180.a
9 Peccatores, ac publicanos, &c. 211.b
9 Dixit paralytico, Surge, &c. 324.

10 Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c.pag. 297.b
10. Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, &c. 295.a
11 Væ tibi Corozaim.& cæ. 64. b
11 Venite ad me omnes, qui laboratis,&c. pag.63.a
12 Viri Niniuitæ ſurgent, &c. 64.b
15 Omnis arbor,quæ non facit fructum bonum,excidetur,&c. 220.a
16. Caro & ſanguis non reuelauit tibi,&c.pag.112.b
17 Ipſum audite,&c. 123.a
18 In medio eorum ſum,&c. 124.b
18 Si eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus,& Publicanus, &c. 138.a
18 Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo,&c. 142.a
18 Dic eccleſiæ,&c. 116.a
18 Non dico tibi ſepties,ſed ſeptuageſies ſepties. 147.a.
19 Si vis ad vitã ingredi ſerua mandata. 42.b
19 Si vis perfectus eſſe vade. 59 b
20 Pater libera me ex hac hora. 274.a
20 Multi ſunt vocati pauci verà. 220.a
22 Erunt ſicut angeli Dei. 18.b
22 Similes angelis erimus. 154.b. 2. tom. 19
22 Quomodo huc intraſti nõ habẽs veſtem. 226.a. 1. tom.
22 Reddite quæ ſunt Dei Deo,& quę Cęſaris 6.b 1. to.
23 Super cathedram Moſis ſederunt ſcribæ. 160.b 1. tom.
23 Quoties volui congregare filios tuos. 40.b 1. tom.
24 Si dixerint vobis ecce in deſerto. 159. 2. tom.
25 Ibunt illi in vitam ęternã 291.b 1. tom.
26 Pater ſi fieri poteſt tranſeat. 273.a 1. tom.
26 Hoc eſt corpus meum. 117.a 1. tom.
27 Non hunc ſed Barrabam. 229.b 2. tom.
27 Deus Deus, vt quid dereliquiſti. 271 b 1. tom.
28 Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem. 133.a 1. tom.

Mar. 3.

Audientes non audient. 213.a 1. tom.
5 Nõ eſt mortua puella,ſed. 256.a 1. tom.
11 Omnis enim qui petit accipit. 227.a 1. tom.
13 Videte ne quis vos ſeducat. 159.a 2.tom.
vlti. Euntes in vniuerſum mũdum. 124.b 1. tom.

Luc. 3.
Ioannes prędicauit baptiſmum pœnitétiæ in remiſſionem 223.a.2.to.
6 Nunquid colligunt ex ſpinis vuas, aut de. 115.b 1. tomo.
8 Qui habet aures audiendi audiat. 213.a 1.tom.
9 Conuocatis duodecim diſcipulis dedit eis poteſtatem. 185.a 2.tom.
9 Si quis vult venire poſt me abneget. 230.b 1. tom.
9 Qui perdiderit animam ſuam propter me. 46.a 1. tom.
10 Qui vos audit me audit. 157.b 2. tom.
10 Samaritanus incidit in latrones. 13.b 1. tom.
10 Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit pater. 185.a 2.tom.
11 Quis veſtrum habebit amicum. 27.a 1. tom.
11 Qui petit accipit, & qui quærit inuenit. 42.a 1. tom.
12 In cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent 217.a 1. tom.
18 Deſcendit ille iuſtificatus in domum ſuam. 69. 1. tom.
22 Et tu conuerſus confirma fratres. 187.b 2. tom.
22 Hoc facite in mei memoriam. 104.b 1.tom.
24 Cepit interpretari ſcripturas. 127.b 1. tom.
24 Aperuit illis ſenſum vt intelligerent. 180.b 1 to.
Ioann. 1.
Verbũ caro factũ eſt. 17.a 1.t.
2 Hoc initium fecit ſignorũ Ieſus. 32.b 1. tom.
3 Nemo poteſt hæc ſigna facere niſi. 324.b.1. tom.
3 Quod natum eſt ex carne caro eſt. 16.a 1.tom.
3 Nemo poteſt accipere quicquam niſi datũ illi fuerit. 25.a 1. tom.
3 Nemo aſcẽdit in cælũ niſi filius hominis. 269.a 1.t.
4 Scio quod Meſſias venit qui. 128.b 1. to.
4 Deus ſpiritus eſt & qui adorant. 13.b 1. tom.
4 Venit hora quãdo in mõte hoc, nec Hieroſolymis. 17.b 2. to.
4 Dabo aquam ſalientem in vitam æternam. 205.a 1. tom.
5 Qui in monumentis ſunt audient vocem. 51.b 1 tom.
6 Et omnis qui venit ad me non eiiciam foras. 14.a 1 tom.
6 Omne quod dat mihi pater ad me veniet. 209.a 1. tom.
6 Nonne duodecim vos elegi & vnus veſtrum. 60.b 1. tom.
6 Nemo venit ad me niſi pater traxerit. 13.a

1. tomo.

6 Cum vidiſſent quod ſignũ Ieſus fecerat &c. 323.b 1. tom.

6 Hæc eſt patris voluntas, vt omnis qui videt filiũ & credit in eũ. 211.b. 1. to.

8 Antequam Abraham fieret ego ſum. 268.b 1. tom.

8 Abraham exultauit vt videret diem meum 279.a 1 .tom.

8 Sanctifica eos qui in veritate. 14.a 1. to.

10 Ego & pater vnum ſumus. 114.a 1. tom.

10 Ego ſum oſtiũ. 230. 1 tom.

10 Ego veni vt vitam habeãt. 42.a 1. tom

11 Quid facim⁹, qui hic multa ſigna facit. 305.b 1. to.

11 Lazarus amicus noſter dormit. 256.a 1. tom.

12 Quia audierant eum feciſſe hoc ſignum 324.b 1. tom.

12 Fur erat & latro loculos habens. 209.b 1. to.

13 Scio quos elegerim. 209.b 1. tomo.

13 Qui lotus eſt non indiget. 219.a 1. tom.

13 Exemplum enim dedi vobis, vt. 37.b 2. tomo.

14 Ille vos docebit omnia, & ſuggeret. 11.b.1.tom.

14 Petite & accipietis. 139.b 1. tomo.

14 Vnus eſt magiſter veſter. 129.a 1. tom.

14 Pater maior me eſt. 114 b 1. tomo.

14 Non vos eſtis qui loquimini. 124.b 1. tom.

14 Ad eum veniemus & manſionem. 14.a 1. tomo.

14 Maiora horũ faciet. 309.a 1. tomo.

14. 15.16 De ſpiritu ſancto qui doctor eſt eccleſiæ. 232.a 2. tomo.

15 Sine me nihil poteſtis facere. 13 a.1. tom.

15 Non vos me elegiſtis. 208.b 1. tom.

15 Si opera non feciſſem in eis. 304.b. 1. tom.

16 Multa habeo vobis dicere, ſed. 137.a.1.tom.

17 Non pro mundo rogo. 209.b 1 tom.

17 Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant. 59.a.1.tomo.

17 Dedit ei poteſtatem omnis carnis. 17.a. 1. tom.

17 Pater clarifica filium tuũ. 306.b 1. tom.

20 Quæcũque ligaueritis ſuper terram. 124.b 1. to.

20 Aſcẽdo ad patrem meum. 267.b 1. tom.

21 Petre amas me. 185.a 1. tomo.

21 Multa & alia ſigna fecit. 127.b 1. tomo.

Roma. 1.

Ita vt ſint inexcuſabiles. 25.b 1. tomo.

1 Qui talia agunt digni ſunt morte. 32.a 1. tom.

2 An diuitias bonitatis & patiẽtiæ & lõguanimitatis. 196.b. 1. tom.
3 Per legem cognitio peccati. 278.b 1. tom.
3 Veloces pedes eorũ ad effundendum. 31.a. 1. to.
3 Non eſt iuſtus quiſquam. 20.b 1. tom.
3 Cauſati nos omnes ſub peccato eſſe. 20.b. 1. to.
4 Mortuus eſt pro peccatis & reſurrexit propter iuſtificationem. 193.b 1. tom.
4 Non enim per legem promiſſio Abrahæ. 285.a 1. tom.
4 Stipendia peccati mors. 218.b 1. tom.
6 Gratia ſaluati eſtis per fidem non ex operibus. 62.b 1. tom.
6 Quod enim mortuus eſt. peccato mortuus eſt ſemel. 256.b
Renouamini in iuſtitia & ſanctitate veritatis. 14. a. 1. tom.
7 Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato. 17.b 1. tom.
7 Infelix ego homo quis me liberabit. 280.b 1. tom.
8 De peccato damnauit peccatum in carne. 18.a 1. tom.
8 Quod notum eſt Deo manifeſtũ eſt hominibus. 211.a 1. tom.
8 Quid oremus ſicut oportet, neſcimus. 291.a 1. to.
8 Effectus carnis mors eſt. 16.a 1. tom.
8 Quos preſciuit & prædeſtinauit. 195.a 1. tom.
8 Quis me ſeparabit à Charitate. 215.a 1. tom
9 Non eſt volentis neque currentis. 38.39.a 1. to.
9 Quorum adoptio eſt filiorum & gloria & teſtimonium. 193.b 1. to.
10 Inueſtigabiles viæ eius. 218.a 1. tom.
11 Quis prior dedit illi. 208.b 1. tom.

Prima Corinth. 1.

6 Perdam ſapientiam ſapientum & prudentiam prudentum. 26.a 1. to.
4 Qui gloriatur in domino glorietur. 213.a 1. tom.
2 Non exiſtima aliquid me ſcire aliquid niſi. 270.a 1. tom.
3 Si cuius opus arſerit detrimentum patietur. 93.b 2. tom.
4 Quid habes quod non accepiſti. 12.a 1. tomo.
4 Imitatores mei eſtote ego Chriſti. 230.b. 1. tom.
6 Angelos iudicabimus. 257.a 1. tom.
7 Vnuſquiſque vt illum vocauit Deus ita & ambulet. 83.b 2. tom.
7 Melius eſt nubere quàm vri. 74.a 2. tom

Volo au-

7 Volo autem omnes vos eſſe ſicut meipſum. 230.b.1.to.
7 Exiſtimo quod ſpiritum Dei habeam. 9.a.2.to.
7 Alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem. 266.a.2.to.
9 Sororem mulierem circũducendi, vt,&c.132.a.b 2.tomo.
9 Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus. 196.b. 197.a.2.tomo.
10 Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, 54.a.1.tomo.
11 Eſtote ſicut & ego. 23.a. b.1.tomo.
11 Oportet hæreſes eſſe. 113.b.1.tomo.
12 Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci.230.b.1.to.
13 Seminatur corpus animale, ſurget & ſpirituale. 18.b.1.tomo.
13 Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt. 121.b.1.tomo.
15 Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. 18.b.1.to.

Secunda Corinth.

3 Si ſciam omnia ſacramenta, & ſi habuero omnẽ poteſtatem .329.a.1.to.
3 Epiſtola eſtis Chriſti Ieſu, non ſcripta atramẽto, ſed. 281.a.1.to.
5 Dum ſumus in hoc corpore peregrinamur. 255.b.1.tomo.
9 Sic currite vt comprehendatis. 47.a.1.tomo.
10 Hæc ſunt arma ſpiritualia potentia Deo. 130.a.1.tomo.
11 Vni viro deſponſaui vos virginem caſtam exhibere. 116.b.1.tomo.
12 Sufficit tibi Paule gratia mea 201.a.1.to.
13 An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me. 9.2.tomo.

Galat.

1 Non ab homine accepi, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. 112.b. 1.tomo.
1 Sed licet aut nos aut angelus de cælo euangelizet præter. 139.2.to.
2 Nõ iuſtificatur homo eoperibus legis. 178. 179.a.1.tomo.
3 Lex nõ eſt ex fide. 281.b. 1.tomo.
5 Manifeſta ſunt opera carnis. 13.a.b.1.tomo.
5 In Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque. 281.b.1.tomo.
6 Mihi mundus crucifixus eſt & ego mũdo.230.b. 1.tomo.
6 Viuo ego iam non ego viuit vero in me Chriſtus. 225.a.1.tomo.

Epheſ.

2 Cum mortui eſſemus reconciliati ſumus. 51.b 1. tomo.

4 Ipſe dedit quoſdam apoſtolos, alios prophetas. 125.a.1.tom.

4 Omnis ſermo malus de ore veſtro nõ procedit. 190.b.1.tomo.

4 Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. 18.b.1.tom.

5 Sacramentum hoc magnũ eſt in Chriſto & in eccleſia. 242.b.2. tom.

5 Eſtote imitatores Dei ſicut. 230.a.1.tom.

6 Induite vos loricam fidei & galeam. 227.b.1.to.

6 Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ. 7.a.1.to.

6 Nolite contriſtari ſpiritũ domini. 44.b.1.tom.

Philippen.2

Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiẽs. 269.a.1.tom.

4 Omnia poſſum in eo qui me confortat. 12.a.1 t.

Collocen.1.

Elegit nos antequam iacerentur mundi fundamenta. 208.a.1.tomo.

3 Super omnia charitatem habete. 56.b.2.tomo.

3 Interior noſter homo renouatur in agnitiońe Dei ſecundum. 18,19.a 1.tom.

Primæ ad Theſſalo.

3 Quod facitis ex animo operamini ſicut domino. 204.b.1.tom.

4 Siue per epiſtolam. 131.a 1.tom.

2.Theſſalo.

1 Hæc eſt iuſtitia dare miſeris& iuſte afflictis relaxationẽ. 226.b.1.to.

1 Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini. 44.b.1.tom.

5 Non dormiamus ſicut & cæteri,ſed vigilemus. 204.b.1.tom.

1.Timoth.1.

1 Soli Deo honor & gloria. 231.b,1.tom.

2 Vult omnes ſaluos fieri. 195.b.1.tom.

3 Eccleſia columna & veritatis fundamentum. 153.b.1.tom.

5 Vidua eligatur non minus quàm ſexagenaria.76.b 2.tom.

6 Tu autem ô homo Dei. 227.b.1.tom.

Timoth. 2.

1 Vocauit nos Deus vocatione ſancta.208.a.1.to.

2 Vnus mediator Dei & hominum. 211.a.1. tom.

3 Fundamentum eſt & columna veritatis. 114.a 1. tom.

3 Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata. 112.b.1.tom.

Tit.

2 Huius rei gratia reliqui te Cretæ. 238.a.2.tom.

Hebræo.

1 Multifariam Deus locutus eſt prophetis. 128.a 1. tom.

2 Coram illo omne genu flectetur. 269.a.b.1.to.

7.9 Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius. 282.b 1. tom.

8 Quod antiquatur & ſeneſcit prope interitum eſt. 283.a.2.to.

10 Aſperſi corda in conſcientia bona. 229.a.2.tom.

13 Honorabile connubium. 132.b.2.tom.

Iacob. 1.

Deus intentator malorũ eſt. 195.b.1.tomo.

2 Concupiſcentia cum conceperit peccatum parit. 102.b.2.tom.

5 Infirmatur quis in vobis. 236.b.2.tom.

1. *Petri* 1.

Quæ autem gloria eſt ſi peccantes pœnas patimini. 297.a.1.tom.

2 Vos eſtis genus electum. 239.a.2.tom.

2 Purificãtes animas veſtras per ſpiritum. 49.b.1.to.

2 Chriſtus paſſus eſt pro nobis. 230.a. tom.

5 Paſcite qui in vobis eſt gregem. 184.a.1.tom.

5 Humiliamini ſub potenti manu Dei. 9.a.1.tomo.

2. *Pet.* 1.

Non humana volũtate allata eſt aliquando prophetia. 112.b.1.tom.

3 Indocti & inſtabiles deprauãt ſcripturas. 17.b. 1.tom.

3 Dies domini tanquam fur in nocte. 227.a.1.tom.

1. *Ioan.* 2.

2 Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. 70.b.2.tom.

2 Aduocatũ habemus apud patrem. 240.a.1.to.

3 Quid ex illo eſt non peccat, quia ſemẽ Dei manet in illo. 49.b.1.to.

Dei ſemen manet in illo, &c. 50.a

1. *Ioan.* 3.

Vt Dei filij nominemur, & ſimus, &c. pag. 14.a

4 Cariſſimi nolite omni ſpiritui credere, &c. pag. 120.b

5 Quiſquis ex Deo eſt, ſerãt ſe ipſum, &c. 49.b

Act. 1.

Cœperũt loqui variis linguis, &c. 121.b

1. Loquens de regno Dei. 127.b

1 Effuſis viſceribus, in locũ pro ſceleribus, commeritũ infeliciſſimus abiit, &c. 203.b

5 Ananię & Sapphirę fraus. 254.b
10 Perſonarum acceptio nõ eſt apud Deum,&c. pag. 212.a
10 Infamare homines,&c. 211.b
13 Crediderunt quotquot erât præordinati à Deo, &c. 121.a
15 Conuenerunt apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc,&c. 184.a
16 Nõ permiſit ſpiritus Ieſu Paulũ loqui,&c. 64.b
17 Genus cùm ſimus Dei,nõ debemus exiſtimare auro & argento aut lapidi ſculpturæ artis,& cogitationis hominis diuinũ eſſe ſimile,&c.166.b vbi plures loci de diuinis ſimulachris. 54.b
17 Paulus diſputabat in ſynagoga.&c. 54.b
17 Quid ſibi vult ſeminiverbius hic,&c. 125.a
18 Tradebant eis cuſtodire dogmata,quæ erant decreta ab apoſtolis,&c. 125.b
20 Triſtitia, quę ex Deo eſt, pœnitẽtiam operatur in ſalutẽ,&c.68 b.vbi multi loci ſcripturę pro pœnitentia.
20 Attẽdite vobis,& vniuerſo gregi,&c. 125.b

Apoc. I.3

Ego primus nouiſſimus, qui fui mortuus, & viuo. 201.a
2 Eſto fidelis vſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. ibid.
2 Memor eſto, vnde excideris,&c. 40.a
3 Ad oſtium ſum, & pulſo, &c. 64.b
3 Sicut dolor in vtero habentis, ita iilis repentinus veniet dolor, &c. 227 b
3 Ego ad oſtiũ ſum, & pulſo,&c. 12.b
3 Si quis audierit vocem meam, intrabo ad illũ, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum,&c. 46.a
19 Procidit in genua,&c. 227.b
21 Aſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum.&c. 226.b
22 Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum,&c. pag. 235.a
vlt. Auferet Deus partem tuã è libro vitæ,&c. 137.a

Huius indicis finis.

custou trezentos reis.
de Lisboa

LOCORVM CATHOLI- CORVM PRO ORTHO- *doxa ac veteri fide retinenda,*

De naturæ noſtræ viribus, déque fidei & gratiæ operibus.

LIBER I.

F. Franciſcò Horantio Hiſpano auctore.

MIRARI *ſatis non queo, lector Chriſtiane, Ioannis Calui-ni ingenium, acerrimum qui-dem ipſum, nulla tamen mode-ſtia præditum. qui, cùm ſemel atque iterum admoneretur, vt ſacram ſcriptu-ram detorquere ac fœderare ceſſaret, (idque ec-cleſia faceret, non tam vt pœnas ipſe penderet, quàm quòd modis omnibus ea ſtuderet ad men-tem ſaniorem hominem reuocare) non modò ra-tionem omnem diſciplinæ poſthabere cœpit, at-que execratus eſt, ſed etiam ingenij ſui aciem in ſuæ matris viſcera dilanianda, atque radicitus extrahenda totam tradidit, linguam ad crudeli-*

tatem acuit, maledicendo loquendi celeritatem incitauit, crucéſque ac verbera non minùs, quàm verba acerbè & crudeliter parauit. Vt quoties de Caluino ſit mihi cogitandum, ſtatim arbitrer, neminem antiquorum hæreticorum tot ſcripturarum locis, tot artibus, tot libris excuſis, Christi eccleſiam adeò vexaſſe, quàm Caluinus contriuerit, nullo temporis puncto intermiſſo. nō enim me præterit, quantæ fuerint Arrianorum furiæ, noui bene Neſtorij partes, Photinidotes compertas habeo, Apollinaris præſtantiam, & multorum aliorum ingenia, vires, impetus ſæpe conſideraui, ac penitus inſpexi: verùm omnes hos longo certè interuallo poſt ſe Caluinum reliquiſſe, qui ignoret, arbitror eſſe neminem. Vnus profectò quidem eſt, qui omnibus ſæculis à quouis homine illatas eccleſiæ iniurias, colaphos impactos, vulnera inflicta, quæ, multo iam tempore antiquata, conſenuiſſe æſtimari meritò poterant, vel ſuo calamo (vt viperinos iſtius morſus non attingã) reuireſcere, ac recrudeſcere cogat. inter multa tamen, quæ in lucē edidit, vnum præ ceteris extat, quod inſcriptum eſt, Inſtitutio Christiana, ſimul cum epiſtola ad Galliarum regem Franciſcum. Porrò inquirere diligentiùs deſinimus, quo conſilio, quáue ratione tam illuſtre nomen, támque præclarum patronum operi ſuo quæſiuerit, cùm longe abſit & à Christiana fide, & à nobiliſſimi

eiuſdémque fortiſsimi regis pietate ac religione: quia cauſſæ noſtræ ſtatus id efflagitare minimè videtur. quamobrem ea omnia nunc prætermittenda ac reliquenda eſſe exiſtimauimus. neque clam me eſt, dici hìc poſſe, citra ambages, ſub magnifico Chriſtianæ inſtitutionis titulo, & ſub potẽtiſsimi principis vmbra, nõ ſecus, quã ſoleat ſcorpius ſub latere latêre, voluiſſe ipſum deliteſcere. itaque apud regem nos ſecũ pugnare queritur, nõ alia ratione, quàm quòd eum corruptæ ſcripturæ perperam inſimulemus. à qua re non modò ſe purgare, ſed etiam ſui criminis inuidiam in accuſatores ſuos trãsferre magnopere nititur. iccirco reſpondet, non aliud habere nos, de quo iure cum eo agere poſsimus, quàm quòd fateatur ex corrupta natura, nihil niſi corruptũ prodire, quòd ſub nefanda libidine, ac ſcelere nos iacere ſentiat, quòd intellectum noſtrum cæcum eſſe dicat, quòd arbitrij libertatem primi hominis culpa extinctam fuiſſe doceat, quòd rem fictam & commẽticiam eſſe iudicet, nos præparari ac diſponi noſtris operibus ad iuſtitiam, quòd poſtremò meritum operum non recipiat. quorum omnium certitudinẽ ab inſtitutione illa ſua petẽdam eſſe exhortatur. neque aliter perſuadere ſibi poteſt homo ſcilicet pius pariter & doctus, aut Deo ſuam gloriam, aut Chriſto ſuum nomen integrum atque inuiolatũ poſſe conſtare, quàm ſi operibus noſtris nul-

las omnino partes tribuamus. Itáne? quid, ſi oſtẽdero plura illo in opere contineri, quæ non magis cũ recta fide conſentiant, quàm conueniat Chriſto cum Belial? quid, ſi indicare voluero, in diuinam prouidentiam, ſanctorum electionem, æternam Dei præſcientiam ſæpe & ſæpius impegiſſe, alucinaríque frequenter ſolitum? quid, ſi referam, quàm ſit imminutus, dum vtriuſque teſtamenti & differentias, & ſimilitudines perſequitur? dum apoſtolicum ſymbolum dilucidat? dum decalogi præcepta explanat, & enarrat? nihilne corrupit, nihil deleuit de diuinis tabulis, cùm legis gratiæ ſacramenta pertractat, verſat, atque euoluit? hei mihi, vtinam ſic res ſe haberent. Sed age perſequamur hic ſeptẽ illa, quæ primo loco ſunt regi propoſita. quo quidẽ in negotio, mihi non libet, tranſuerſum (vt aiunt) digitum à præfata inſtitutione diſcedere. In partes ſeptem diuiſa eſt tota Caluini epiſtola, quibus in inſtitutione totidẽ reſpondent: eodem modo nos tibi, Chriſtiane lector, ſeptem libros daturos pollicemur. Quòd ſi non iſtius lenocinia, ac fucos æquare potuimus, ſi non maledicta maledictis vicimus, hoc tamen ſine inuidia affirmare poſſumus, catholica ſcilicet veritate, & Chriſtiana modeſtia longè nos Caluino antecellere ſumma diligentia ſtuduiſſe. conſiderauimus quidem, nec inanium verborum flumine, nec conuiciorum aceruis, aut contumeliarum cu-

mulis veritatem ipſam conturbari ſolitam, ne dum obtineri, & frangi. quare ſi rudis oratio noſtra eſſe cuiquam fortaſſe viſa fuerit, quippe quæ ad rudem dicendi formam ſit compoſita: meminerit, rogo, quiſquis ille erit, ſic ſemper me in hac cauſſa ſtatuiſſe, atque in hoc ſcribendi genere pietatis, & religionis potiùs, quàm accuſationis, querelæ, quàm eloquentiæ, doloris, quàm ingenij partes eſſe ſuſceptas. quas ſi pro virili parte integrè, verè, candidéque præſtiterimus, non multum aut tibi, lector, aut muneri noſtro defuiſſe iure & merito videri poterimus.

Proponuntur Caluini querelæ: atque totius cauſſæ ſtatus aperitur. Caput primum.

GRAVE ac moleſtum videri ſæpe ſolet Caluino, intueri eos, qui cum religione, cum bonis omnibus Chriſtianam rempub. afflictam excitarint, ſeruitute miſera liberarint, & in priſtinam illam ac verè euangelicam libertatem pro viribus vindicare laborarint, mæſtos, ſordidatos, reos, de capite, de fama, de religione, de fortunis dimicantes, eos autem, qui omnia diuina & humana violarint, vexarint, perturbarint, euerterint, non ſolùm alacres, lætóſque volitare, ſed etiam voluntarios euangelicis, atque optimis animis periculum moliri, de ſe nihil timere. in quo cùm multa eſſe indigna cenſet, tum nihil minùs ferendũ ducit, quàm quòd iam non per latrones, non per conducticios ſicarios, non per homines egeſtate, & ſcelere perditos, ſed per tribunalia legitima, per iudices incorruptos, per optimos viros optimis ciuibus periculum inferre conantur: & quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos vi, manu, copiis delere non potuerunt, hos regum auctoritate, ſimulata quadam religione, & multorum ſententiis, ſanguinariis quidem illis, ſe oppreſſuros arbitra-

tur. at longè omnium moleſtiſsimè, & acerbiſsimè ferendum eſſe æſtimat, quòd læſæ Dei maieſtatis alios accuſant ij, qui non nimiùm afficiuntur, ſi Dei gloriã blaſphemiis manifeſtis per quoſque pollui contingat, modò ne quis aduerſus humanam digitum tollat, quòd fidei turpiſsimè violatæ accuſant ij, quibus Deus venter eſt, culina religio, quòd verbi Dei, infideliter tractati, accuſant ij, qui diuinas ſcripturas facilè & ſibi, & aliis ignorare, negligere, deſpicere permittunt, quòd denique ſúſque déque inuerſa ſint omnia artibus & dolis, accuſant ij, qui dilationibus atrociſsimis orbis angulos replent, proximum ſuum pudore ſuffundunt, & cauſſam, alioqui honeſtam, omnium iudiciorum ordinibus quàm odioſiſsimam reddere moliuntur. O factum indignum, en tanta maieſtate homo, lugubris ſedet, pannoſus, conſtrictus vinculis, virgis cæſus, in ludibrium omni plebi circumductus, proſcriptus, ſæuiſsimè tortus, ac demum fuga ſacrificulorum (vt ipſe vocat) flammis elapſus. ò bone Deus, en adeſt vnus Caluinus, quem nemo congreſſu, nemo aditu, nemo ſuffragio, nemo ciuitate, nemo hac luce dignum putat: quem patriis focis expulſum nemo excipit, in alieno ſolo degentem nemo reuocat, iacentem nemo erigit, rebus ſuis diffidentem nemo confirmat, afflictum & prope perditum nemo recreat. Non de craſſo ſęculo hoc noſtro exulcerato, atque ingrato, & calumniis innumeris peruio queritur Caluinus, vt video, (nouit ſanè optimè nihil eſſe tam ſanctum, nihil tam religioſum & vtile, ſumma quamuis diligentia & fide integra ſit elaboratum, quod ipſum non continuò impetat, calumnietur, atque rabioſè laceret) ſed ad te, ô maxime & iuſtiſſime, atque immortalis Deus, ad te clamat, tecum quaſi expoſtulat, quòd ſe virum tantum lacerari, diris maledictis laceſsiri, tot modis ſe indignis prorſus tractari: tu, æquiſsimus iudex, permittas, ſinas, & toleres. ſi in te vno ſperaſſe, in te ſolo ſua omnia collocaſſe, id peccatum eſſe iudicas: fatetur, non negat, neque vult, grauiter ſe deliquiſſe. qui de ſpe vitæ æternæ, quam vnam in te vno Deo viuo repoſuit, ſemper feliciſsimè ſenſit, qui reipub. Chriſtianæ paci vbique ſtuduit, qui omnem prophetiam ad fidei noſtræ analogiam religioſiſsimè exegit, num

Caluin. in epiſt.

iſtæc illa eſt doctrina, in quam tanta rabie orbis exardeſcit? quam carcere, exilio, proſcriptione, incendióque, ac facibus abolendam omnes inclamant? O rem grauem, miniméque ferendam. hiccine fructus ſtudiorum? hæccine merces pulcherrimi laboris pro Chriſto, & eius magnifica pace ſuſcepti? quid, cedò, poſthac vigiliæ, & benefacta iuuabũt? quis Chriſti regnum propagare iam ſtudebit? quis vltrà vtilitati publicæ & conſeruandæ, & augendæ animum dicare velit, poſtquam is, cuius vnicũ ac ſingulare votũ ſemper fuit, Chriſti eccleſiæ prodeſſe, ſéque illi totum tradere, is, inquam, vix locum vnum hoſte vacuum reperit? ò tempora, ò princeps orbis huius, hoc tibi hactenus ferendum, conniuentibúſque oculis ſpectandum videtur? ſi noſtra curas, ſi intra cæli cardines non delitecſcis, ſed humana, ò Deus, conſideras, vt piè exiſtimamus: cur virtus opprimitur? cur crudelitati innocẽtia præbetur? cur temperantiæ, & prudentiæ ſpecimen ablegatur? Optarat iam olim Caluinus, vt ſuſciperet aliquando orbis huius cauſſæ cognitionem, quò ſi perturbatè hactenus, nullóque iuris ordine, ſed potenti ferocia magis, quàm legitima grauitate tractata ſit, vel quoquo modo exagitata, re propius cognita, poſtquã & ſibi ad dicendum ſuæ quoque vices fuerint, cauſſa demum coram legitimo iudice vltro citróque iactata & excuſſa, victori alter manus det vinciendas. in eam rẽ (res eſt notiſsima) iudicem Chriſtianiſsimum Galliarum regẽ Franciſcum Caluinus creauerat, quòd intelligeret potentiſsimi, eiuſdémque Chriſtianę religionis obſeruãtiſsimi regis iudicium orbi vniuerſo probatum iri. ea nimirũ fortitudine virtus prædita eſt, eo præſtat robore, integra ſcilicet, ac pura vita innocentiſsimè trãſacta, vt potentiſsimorum etiam & Chriſtianiſsimorum regum non declinet aures, non cognitionem, non tribunalia. Sed ò miſeram hominis condicionem, ò genium omnium infeliciſsimum. Cur ita? Roga? vix apud nobiliſsimum principem cauſſa agi cœpta eſt, vix in teſtimonium teſtes vocati ſunt, deniqueomni negotio ne inchoato quidem, rex humaniſsimus omnium dolore, ſummo ſuorum omnium malo, mortalitatis noſtrę communi legi ceſsit. Iã ad te venio Caluine: quid agendum? quò te vertes? quem hominum

Caluin. in principio epiſtolæ.

appellabis? pereant ne illa tua omnia, quæ pro apologia innocentiæ tuæ aduerſum ſacrificos iſtos, (vt tu vocas) eorúmque impudentiſsimas calumnias congeſta copioſiſsimè habes iudice defuncto? pereátne totus iſte multorum annorum labor vnius interitu? tot noctium lucubrationes mors vna abſumet? quouſque, te rogo, patiêre intra vnā Geneuam euangelij tui locum nataliciū, quaſi clatris circumſeptum, te detineri? quid vereris? quid times? fac memineris voces illas, cum non dum narrationem tuam eſſes ingreſſus, *In manibus eſt, ò rex, victoria, in vlnis triumphus, & corona.* non iam amplius eſto idem ipſe actor, & reus: noli iam eundem te & obiicere, & diluere, ne citra puluerem & ſanguinem vincere te ſemper ſimulata quadam iudicij forma ſacrificuli tui (vt ſolent) cauſſentur. porrò ſi ſit malefactor iudex, quis reus damnabitur? ſi ſit actor, quæ vera crimina ſæuæ animaduerſioni obiicientur? quare futurus eſt iudex non is, quem reus velit, ſed magis is, cuius fidem multò antè Chriſtiana reſpub. in id genus cauſsis experta fuerit, & cuius diligentiam, non vno, aut altero, ſed multis experimentis iam antè probauerit. aduerſum te non à ſimulato actore communē cauſſam ſuſcipi, paululū patere, & ſine: fortè aget tecum duriùs, quàm cogitare potuiſti. quid ſi inſtet vehementiùs? pungat acriùs? penitiùs vrgeat? videre te oportet, Caluine, quid tibi concedatur, aut negetur, non te ipſum quod velis ſumere. conſtanti & firma fama ex ephebis iam te exceſsiſſe accepimus, vt qui ter propè Saturni annum attigeris: quid igitur ſenem, extremum iam pænè ſuſtinentem diem, fictas & iuueniles declamationes exercere nunc denuò tantopere iuuat? quaſi verò tot annorū homo reuireſcere, aut repueraſcere poſſit. recedant itaque puerorum laruæ: ſecedant perpuſillùm vanæ vmbræ: per veras & non fictas perſonas res tanta agatur.

Caluin. in epiſt.

SED hîc voces audire ſum mihi viſus, eorum cum primis, qui mihi bene ex animo cupiunt, Quid facis nullius conſilij homo? cur non conſideras, quàm ſcopuloſo, difficilíque in loco verſeris? contemnenda ne tibi ea eſſe videntur, ſine quibus cauſſa ſuſtineri, præſertim tanta, nullo modo poteſt? quæ tua in agendo facultas? quæ certan-

di conſuetudo? quæ tibi eſt aut natura, aut exercitatio? tu ipſe quemadmodum exiſtimes, vide etiã atque etiam: & tu te collige: & qui ſis, & quid facere poſsis, conſidera. putáſne te poſſe tot res, tam graues, tã varias oratione, memoria, conſilio ſuſtinere? magna ſunt ea, quæ dicimus: nobis credito: noli hæc contemnere: dicenda, demonſtrãda, explicanda ſunt omnia. ne illud quidem cõſiderabis, perſpiciendum tibi eſſe, ſi quid agere, aut perficere vis, vt homines te non ſolùm audiant, verùm etiam libenter ſtudioſéque audiant? tantam cauſſam, tam expectatam tua ipſe diligentia aſſequi, memoria cõplecti, verbis exponere, viribus ſuſtinere tẽtabis? nunc ne illud quidẽ cogitas, tibi cum homine maximè aſtuto ac callido, diſertiſsimo, & ad dicendum paratiſsimo futurum eſſe certamen: quicũ modò diſſerendũ, modò ſcripturis & ratione pugnandum, ſimulátque antiquitate certandum ſit? ô quàm veremur, ne ſuo ille ingenio te opprimat, artificio peruertat, conſilio labefactet, atq; infirmet. nouimus omnes hominis artes: te verò quẽadmodum ſit elуſurus, quàm omni argumento iactaturus, videre iam videmur. caue incipias quandoque metuere, ne innocenti eccleſiæ, aut inuictæ veritati negotiũ faceſſas. tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras. Video quidẽ certè, video, quàm inæquali iure, quàm diſsimili robore, quàm impari lacertorũ animorúmque contentione nos duo pugnabimus. ille magnus ac potens eſt magiſter, multis & miniſtris, & mancipiis armatus, ſatellitibus ſeptus, atque factionũ ducibus ſubnixus: ego verò theologiæ nó tam magiſter, quàm ſtudioſus, nullis viribus, nullis clientelis, nullis deniq; præſidiis munitus. ille ingenioſiſsimus, doctiſsimus, facundiſsimus, clamoſiſsimus, & quid non? ego nullo ingenio, exigua doctrina, ſermone ſatis inculto parúmque elaborato. ille denique veteranus miles, qui iã pridem in iſto puluere maledicendi non vulgariter eſt exercitatus: ego tyro rudis ſatis, in vmbra imbelliũ modeſtiſsimarũ diſputationũ educatus. hęc omnia, ita Deus mihi ſit bene propitius, ſæpe & diu cogitaui, ſæpe animo meo nocturna cogitatione atque diurna verſaui, ſæpe mẽte reuolui: verùm qui pio meo dolori, & iuſtę iracundiæ nihil cõcedendũ putat, conſideret, rogo, quòd officio coniunctior

nullus dolor eſſe poteſt, quàm hic in eccleſiæ hoſtes ſuſceptus, neque iracundia vlla magis laudãda, quàm ea, quæ me inflãmat, iſtorum arrogantia & ſcelere, qui cum omnibus etiã mortuis bellũ ſi ſuſceptum iactare non verentur. iniecítque in eam rẽ mihi incredibiles ſtimulos ipſa Dei noſtri potẽtia, ſapiẽtia, ſimul ac liberalitas. ipſe enim eſt qui eligit mundi infirma, vt potẽtiſsima quæque proſternat, qui ſolet ſæpe huius mundi ſapientiã perdere, qui in indigentẽ vera ſapientia poſtulantémque admirabili magnificentia cõfert. hunc ego hoc loco ſupplex adoro, & peto, vt cuncta hæc noſtra in ſua laude, atque eccleſiæ ſuæ ædificatione fore permittat, ſpiritum diuino ſanguine nobis partum mecum communicare velit, auxiliares manus porrigat, cor accendat, dona, viréſque largiatur.

Notatur Caluinus, quòd cauſſam fidei noſtræ non ad eccleſiaſticos, ſed ſeculares principes deducat. CAP. II.

IAm ad te venio Caluine, atque hîc abs te quæro, ſi, quemadmodum coram rege teſtatus es, non priuatam defenſionem meditabare, ſi non tuam tantùm agebas cauſſam ſed piorum omnium, adeóque ipſius Chriſti partes, vt tibi viſus es, complectebare, quòd tibi proſciſſæ, ac protritæ viderentur iacêre: quid, obſecro, in cauſſa fidei, in negotio ad religionem noſtram pertinente, à Dei Sacerdotibus ad principem ſæcularem trãſire te coegit? num arbitrabare, eſſe regem Chriſtianiſsimũ non ſui ſimilem aliquando futurum? potuiſtíne cogitare quidem, animum illum, verè regium, paternæ auitæq́ue ante mille ferè annos laudis & æmulum, & imitatorem, lenociniis tuis, fucatíſque præſtigiis, nunc modò degenerem læſæ diuinæ maieſtatis nota peſsima per te inurendum? principem magnum, antiquæ fidei hæredem, ſingularis illius obſeruantiæ aduerſus Romanam ſedem à ſuis maioribus, & cum ſanguine præſtitę ſucceſſorem legitimũ, ſic tu illudis? tantúmne animum, vſqueadeo audax tu, vt vel mentem tuam ſubiret, è tanta ſublimitate, ac faſtigio, è tanta fidei, ac religionis antiquitate, tuæ orationis fuco deturbare? cùm Romanus Cotta nimiùm à Balbo vrgeretur, quòd Stoicorum iudicium de diuina prouidentia, & deorum natura ſuo ſuffragio confirmaret, atque

Cal. in epiſt.

auctoritate cumularet, quòd & princeps ciuis, & pontifex, Cotta eſſet: non minùs grauiter, quàm eleganter reſpondet, Non enim mediocriter moueor auctoritate tua, Balbe, orationéq; ea, quæ me in perorãdo cohortabatur, *Cic. de nat.* vt meminiſſem, me & Cottam eſſe, & pontificem. quod *deorũ lib. 3.* eò, credo, valebat, vt opiniones, quas à maioribus accepimus de diis immortalibus, ſacra, cæremonias, religionéſque defenderem. ego verò eas defendam, ſempérque defendi: nec me ex ea opinione, quam à maioribus accepi de cultu deorum immortalium, vllius vnquam oratio aut docti, aut indocti mouebit. Neges Caluine antiquã & annoſam fidem, patrióque iure, ſumma religione regi traditam? neges eam ipſam agitatam à patribus ſæpe in conciliis, iactatam in iudiciis, commemoratam in tribunalibus, & demum incredibili omnium conſenſu probatam in eccleſia? euelles ex animis nobiliſsimorum principũ tantam opinionem? tam penitus inſitam? tam vetuſtam? etenim cùm aliis in locis parum firmamenti, & parum virium falſitas habet, tum verò in religionis cauſſa, in fidei negotio omnis nouitas imbecilla eſſe debet. dominetur illa in vulgi rumoribus, obtineat in ſæcularibus iudiciis, valeat in opinionibus, ac ſermonibus imperitorum, modò à piorum hominum ingeniis in rebus grauioribus ſpatio interpoſito repudietur, & ab eccleſiæ liminibus procul exigatur. Iã verò, vt ad Chriſtianiſsimũ, eundémque potentiſsimum Franciſcum noſtra ſe conuertat oratio, non tibi in mentem veniebant, ò omnium oblite, dum regem tuum prodere tentas, Gallorũ principum in eã rem & clariſsima nomina, & exempla minimè obſcura, quibus nobiliſsimus princeps excitari, & in te inflãmari meritò potuiſſet? ò Caluine, non tibi præſtabat expendere, quòd etiam ſi tu deferres vltro, tamen in fidei cauſſa nullam ſibi princeps orthodoxus iudiciariam poteſtatem arrogaret, ſed aliorum imperatorum, & regum fidẽ exprimens, ad eorum protinus te tribunal tranſmitteret, quibus id muneris cõuenire probè & catholicè intelligeret? neque Hoſio Cordubenſi, mihi crede, àut Me- *Hoſius Cor* diolanẽſi Ambroſio nũc denuò opus erit. apprimè nanq; *dubenſis ad* ſanctiſsimi põtificis ad Cõſtãtiũ voces memoriter retine- *Conſtan-* bat Frãciſcus: Ne te eccleſiaſticis immiſceas, ò princeps: *tium.*

neque nobis in hoc genere præcipe,ſed à nobis eá diſce. tibi Deus imperium commiſit,nobis,quæ ſunt eccleſiæ, cõcredidit. adhortationem etiam glorioſiſsimi Ambroſij non poterat negligere Franciſcus : Noli te grauare imperator, (Valentinianum iuniorem alloquitur) vt putes te in his,quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere:noli te extollere : ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubiectus.ſcriptum eſt, Quæ ſunt Dei, Deo, quæ Cæſaris,Cæſari. ad imperatorem palatia pertinent,ad ſacerdotem eccleſiæ. Hactenus Ambroſius. Num ignorare poterat rex Chriſtianiſsimus in tanto ſuo regno,quod hominum eruditiſsimorum prouentu vberrimo mirum ſemper in modum emicuit,Iuſtiniani, Conſtãtini,Theodoſij, Valentiniani,Martiani,plurimorúmque Romanorum principum & publicè edicta,& religioſè acta? potuit Theodoſij verba legiſſe,quæ ille ſacerdotum obſeruantiſsimus imperator ad Epheſinæ ſynodi patres religioſiſsimè tranſmiſit.potuit eiuſdem fortiſsimi imperatoris ad Cyrillum epiſtolam ſuper re non abſimili oculis proſpexiſſe. potuit & Pulcheriæ Auguſtæ, magni Theodoſij ſororis,ad Chalcedonenſem ſynodum miſſam, epiſtolam manibus triuiſſe.potuit etiam audiuiſſe,quæ imperator ille,re & nomine Baſiliſcus,in negotio non ſanè multùm diuerſo feciſſet.potuit à multis accepiſſe Hunerici,immaniſsimi eccleſiæ Chriſti perſecutoris, Arriani tyranni,impiíque regis & dicta,& facta.horum ergo,(vt aliquando finiam) pluriúmque aliorum exemplis mirè excitatus Franciſcus,magis ipſe ſacerdotum veſtigiis hærere piè ſtuderet,quàm contrà maiori licentia, Satanicáque audacia,ipſis,quæ eſſent ſequenda,præſcribere auderet:adeò veritas hæc omnibus ſæculis, omnium mentes perſuaſit,atque occupauit.Pone ante oculos tuos,tua mẽte percepta,vniuerſam Chriſti eccleſiam hac oratione apud principem vtentem.

Vt multa tuis auribus digna ſint, ô fortiſsime princeps Franciſce,vt multa digna tua cognitione,digna tuo tribunali,at ne,quæ tua ſunt, perdas, caue tuam ſepem tranſcendas,in non tibi conceſſa aſpires.num nos, ô rex potentiſsime,tuam purpuram aliquando vſurpauimus? noli igitur tu ſacerdotum munus occupare. Saul cùm ſi-

Ambr. li. 5.epiſt.32. *Matth.22.* *Iuſtiniani imperator. in actis S. ſynodi inſti. Martiani imp. edictũ act.13.conc. Chalced. Euſeb. lib. 3. de vita Conſtant Soc.lib.1.c. 8. Theodoritus lib.1. c.7. Aug.epiſt. 48.&166 Rufin. l. 1. c.2. Sozom.lib. 9.c.1. Euagr.l. 3. c.4. Victorinus l.1.perſecutionis Vandalicæ. 4.ſyn. Ro.*

ne ſacerdote offert, ſtultè egiſſe ſe, audit. Ozias, qui rex erat, non ſacerdos, dũ ſacerdotali munere fungitur, lepra miſerè corripitur. Corytæ, etſi ex leuitica tribu erãt, quòd de his, quæ ad ipſos minimè pertinerent, cum Moſe & Aaron pertinaciter contenderunt, diris flammis acerbiſsimè abſumpti periere. Dathan quoq;, & Abîron viuentes infernus excepit. vt vel hoc pacto iuſta vindicta Deus perditiſsimorum hominum inſaniam reprimat, pontificémque in hoc ipſum eſſe creatum declaret. tu, rex Chriſtianiſsime, terrenam Spartam nactus es? hanc orna. obtigit ſæculare imperiũ? nũquam deſere. ceterùm ſacerdotij ius de cælis eſt. vt tibi Deus opt. & max. nobiliſsimi principatus, ampliſsimi ſanè, & auguſtiſsimi iura commiſerit: Chriſti tamen ſacerdotibus multò ampliora, nempe cæleſtia, ſuo teſtamento reliquit. tu bellum geris cum barbaris: ſacerdotibus verò Chriſti non eſt colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus dæmones, qui in hominibus huiuſmodi, in Simone, in Baſilide, in Gnoſticis, in Luthero, in Caluino omnium nouiſsimo efficaces ſunt, aduerſus principes, & poteſtate-, qui ipſos in pugnam incitant, & armant, aduerſus mundi rectores, hoc eſt, aduerſus dominos tenebrarum ſæculi huius, contra ſpirituales nequitias, quæ nos è cælis conantur abſtrahere. maior ergo hic dominatus. Conſidera rex fortiſsime & nobiliſsime, nihil tam familiare hæreticæ factionis hominibus eſſe, quàm legitimi fori nolle decretis ſtare, ſed magis nouos in dies horáſque iudices ſibi conquirere: vt ſi quoquo pacto apud ſimplicem & rudem plebem, tum aſsimulatam quandam innocentiam oſtentare, tum verò auctoritatem eccleſiaſticã traducere poſsint. habẽt id ſanè omnis ſæculi hæretici cum flagitioſis omnibus commune, vt in incredibile, & pluſquam Vatinianum odium eorum, qui in ipſos animaduertere iure poſsint, ſemper veniant. ſic Paulus Samoſatenus, cùm à catholicis epiſcopis propter hæreſim manifeſtam Chriſti corporis veri, atque myſtici communione iure priuaretur, contemptis patribus, eccleſiaſtica correctione poſthabita, ſacerdotum illuſo imperio, Aurelianum tyrannum quendam non modò appellauit, verùm impudico ore ſuum dominum ſæpe vocabat, cuius & fi-

ſub Symm. papa de Theodor. Arriano.

Oratio eccleſiæ ad regẽ Frãciſcum.

1. Reg. 13.

1. Paralip. 26.

Num. 26.

Num. 16.

Matt. 18.

Epheſ. 6.

Hæretici à legitimo iudicio ſemper deflectere moli. ntur.

Euſ. li. 7. c. 30. hiſtoria eccleſiaſtica.

dem aſsiduè precibus implorabat. ſic olim Arrius, ſic Sabellius, ſic Neſtorius, ſic antea mendaces Iudæi, cũ Chriſti IESV ſummi ſacerdotis, ſupremíque regis animum mitiſsimum, ob ſcelera nimiũ ſibi ipſis infenſum, intellexiſſent, à Chriſti caſtris transfugæ ad Cæſarem tranſibãt, ac ſeſe ex patriis focis in imperatorias ſedes turpiſsimè
Ioan.16. traiicientes, prætori Romano obiectabant, Si hũc dimittis, non es amicus Cæſaris. non ſic oderunt (crede nobis) pueri, ſui præceptoris irati ferulam, non ſic verbere, & flagello inſequentem eos patrem filij declinant, nõ ſic dominum ſerui fugiunt, atque ſolent iſti, cùm ab eccleſiaſtico magiſterio, & à patrib⁹ deflexerint, ad extraneos, miniméque competentes iudices deſciſcere: quibus ſi ſemel meritas pœnas perſoluiſſent, omni ꝑcul dubio, Cæſareo tribunali poſtpoſito, quod mille artibus non legitimum tunc cauſſarentur, aut rurſum ad nos iſtorũ cauſſa deuolueretur, aut certè (quod vero ſimilius eſt) Chriſtiana & euãgelica libertate abuſi, omne iudicium, homines ſine lege, ſine rege, & abſque ſacerdote aſpernarentur, & execrarentur. quis integra mente homo, aut parentibus filios, aut dominis ſeruos, aut magiſtro diſcipulum, aut certè imperatori milites iuxta ortus, poteſtatis, diſciplinæ, imperiíque rationem præferendos eſſe affirmauerit? porrò non minore inſania inſanire nobis vidẽtur, qui eccleſiaſticam hierarchiam conturbãtes, Chriſti ſacerdotes regibus, ac principibus ſubiectos eſſe volunt. tu ne ò rex id tribunal contemni patiere, quod maiores tui ſemper ſumma religione coluerunt: eorúmne ſententias poſthaberi permittes, qui ſanctum Dei ſpiritum, quem nobis
Ioã.14.15.
16.& 17. Chriſti ſanguis peperit, à conſiliis habent, ſuggerentẽ ſibi ipſis omnia, ipſúmque vnigenitum magnificè clarificantem, illuſtri illa æternáque claritate, quam filius habuit antè, quàm mundus fieret? noli poſteris ſimile exemplum relinquere, quod ſequãtur: ſed magis tam præclarũ gentis tuæ nomen, & religionis ſpecimen, tibi à maioribus quaſi per manus traditum, eis, quos genueris, multis acceſsionibus cumulatũ atque amplificatũ reddere nõ dedignaberis. nec minùs per te eccleſiæ ſanctæ auctoritatẽ ſartam tectã ſemper fore ſperamus & confidimus, quã licuit tibi hactenus per eccleſiaſticos viros, licebítque tã

glorioſum nomẽ perpetuò retinere. Nõne Caluine, aut hanc, aut certè multò meliorem orationem apud regem habere potuiſſet eccleſia? Sed ad rem veniamus.

Cùm ſcriptura diuina vna ſit, multipliciter tamen à nouis hæreticis non minùs, quàm ab antiquis, dilaceratur & corrumpitur. CAP. III.

HAbent id commune cum antiquis hoc noſtro ſęculo exorti hæretici, quòd ſcripturæ diuinæ teſtimoniis libenter atque vehementer quidem vtuntur. nec minùs iſtos, quàm illos, videas per ſingula quæque legis diuinæ volumina volitare, per Moſis & regnorum libros, per pſalmos, per euangelia, per apoſtolos, per prophetas: ſiue apud ſuos, ſiue apud alienos, ſiue priuatim, ſiue publicè, ſiue in ſermonibus, ſiue in libris, ſiue in conuiuiis, ſiue in plateis, nihil vnq̃ pænè de ſuo proferunt, quod ſcripturæ verbis non adũbrent, & ornent. cernas propè nullã omitti lineã, quæ non noui aut veteris teſtamẽti ſententiis ſit ornata, mille teſtimoniorũ Pauli, mille exemplorũ veteris teſtamenti, mille auctoritatũ pſalmorũ, & euangeliorum. ſic ſimulatæ dulcedinis incsuta ora, melle circumlinita, amaritudinem non horrent: ſic mala gramina, atque ſucci noxij nouis & ſalutaribus titulis, nominibus ſcilicet, medicaminũ ornati, remediũ foris pollicentes, mortẽ his, qui ipſis vtuntur, inopinatã inferunt: ſic lupi rapaces, natiua ferocia perſeuerãte, lupina ſpecie tantũ depoſita, & quibuſdã quaſi velleribus obuoluti, in ſimplicibus ouibus, nihil ſimile pertimeſcẽtibus, dentiũ aculeos incredibili inhumanitate frãgunt: ſic poſtremò ipſe tenebrarũ princeps Satan ſæpe boni angeli ſeſe perſonã gerere ſimulat, atque mendacij pater cũ ſit, veritatis ſe profeſſorẽ eſſe fingit. Habent ſecundò noſtri ſęculi hæretici cũ antiquioribus hoc etiã cõmune, quòd non vno & eodẽ ſenſu omnes, ſed ꝓ ſua quiſque libidine de ſcripturis loquitur. ſicut enim olim ſcripturam aliter & aliter illi intellexerunt: ita & nũc aliter Lutherani, aliter Caroloſtadiani, aliter Zuingliani, aliter Anabaptiſtę, aliter Iconomachi, Antinomi, Oſiandrini, Dauidici, Mõnouitæ, aliis multis obſcuris factionibus omiſsis. Verùm, cùm hæc à nobis obiiciuntur, pro omnibus Caluinus reſpondet: *Reclamant quidem aduerſarÿ, falſum nos prætendere verbum Dei,*

Hæretici libẽter vtuntur ſcripturis.

Hæretici ſub diuina ſcriptura latibulis delitescunt.

Hæreticorum artes & doli.

Matth. 7.

Act. 20.

2. *Cor.* 11.

Mira hæreticorum diſcordia in diuinis ſcripturis explicandis.

Caluin. in epiſt.

cuius ſimus ſceleratiſſimi corruptores. ita eſt, vt aſſeris Caluine: quid tu ad hæc? *Hæc verò, quàm ſit malitioſa calumnia, ſed inſignis quoque impudentia: ipſe, ò rex, confeſſionem noſtram legendo, pro tua prudentia iudicare poteris.* ſiſte gradum Caluine, amabò expecta. éſtne confeſsio iſta, quam in inſtitutione tua (quæ omnia magis, quàm Chriſtiana videri poteſt) expreſsiſti? Ea ipſa. Quomodo igitur id probabis? *Paulus, cùm ad fidei analogiam prophetiam omnem formatam*
Rom. 12. *eſſe voluit, certiſſimam amuſſim poſuit, qua probari ſcripturæ interpretatio debeat. ad hanc fidei regulam ſi noſtra exigantur, in manibus eſt victoria.* quid ita bone homo? *Quid enim melius, atque aptius fidei, & Dei verbo conuenit, quàm agnoſcere nos omni virtute nudos, vt à Deo veſtiamur? nos cæcos, vt ab ipſo illuminemur? nos debiles, vt ab ipſo ſuſtentemur? nobis omnem gloriandi materiam detrahere, vt ſolus ipſe glorioſus emineat, nóſque in ipſo*
Rom. 8. *gloriemur? Rurſum, quid fidei noſtræ conuenientius, quàm Deum ſibi polliceri propitium patrem, vbi Chriſtus frater, ac propitiator agnoſcitur? quàm omnia læta, ac proſpera ſecurè ab eo expectare, cuius inenarrabilis erga nos dilectio eò progreſſa eſt, vt proprio filio non pepercerit, quin pro nobis ipſum traderet? quàm in certa expectatione ſalutis, & vitæ æternæ acquieſcere, vbi Chriſtus à patre datus cogitatur, in quo theſauri tales abſconditi ſunt? Percurre ò rex fortiſſime, omnes cauſſæ noſtræ partes, & quouis ſceleratorum genere nequiores nos exiſtima, niſi planè comperias, in hoc nos la-*
1. Tim. 4. *borare, & opprobriis affici, quia ſpem ponimus in Deo viuo, quia*
Ioan. 17. *hanc credimus eſſe vitam æternam, noſſe vnum verum Deum, &, quem ille miſit,* IESVM *Chriſtum. Propter hanc ſpem alij noſtrũ vinculis conſtringuntur, alij ſæuiſſimè torquentur, alij fuga elabuntur: omnes rerum anguſtia premimur, diris execrationibus deuouemur, maledictis laceramur, indigniſsimis modis tractamur.* ſine ſine, apage apage, tibi ſanè alios dolo fefelliſſe ò quã bellum & pulchrum eſſe videtur, nobis verò, Chriſtiana modeſtia & veritate catholica ſuperaſſe, ſatis profectò erit. hoccine eſt ſanctum Chriſti euangelium illibatum, incorruptum, integrúmque ſeruaſſe? hæccine illa ſcripturæ ſanctæ prophetia, ad fidei noſtræ & religionis amuſſim exacta? ò quàm verum, quod à maioribus noſtris accepimus, cauendum cum primis hæreticum, quòd ſic oculorum aciem præſtringat, vt vllum latêre ibidem dolum, neque oculatiſsimus quiſque deprehendat: & iam

nocuerit

nocuerit grauiſsimè,cùm nil minus, quàm læſiſſe eum ſuſpiceris. Hoc ipſo ſuper negotio ſic tecum digladiabor, quaſi hoc tempore (quod ſcio te percupere) hæc cauſſa primùm per nos agatur,non quaſi iã ſæpe acta,& profligata,pęnéque ad exitũ adducta ſit quæſtio & abolita.ecce hodierno die datur veteris iſtius criminis nobis quidem obiectandi poteſtas,tibi verò diluendi facultas. ſit ante hoc tempus error in hac cauſſa verſatus, inuidia cuncta perſuaſerit:rogo te, hæccine cauſſa eſt, Caluine, quòd tam diu a dulci patria,paterníſque focis exul & inops erras? Dei gloria & maieſtas in cauſſa fuere,quòd ſic te in vnam Geneuam concluſeris,vt inde quoquam pedem exigere,neque tutum,neque liberum ſit tibi? quem hominum ſpes in Deo viuo repoſita ne apud fidei noſtrę hoſtes quidem in tam extremas anguſtias iniecit aliquando?hæc hæc ſunt in homine iſto expreſſa probitatis ſuæ ſigna.quis notam ſimilem nefariæ turpitudinis Chriſti eccleſiæ,ac nomini ſuo inuſsit aliquãdo? quotus quiſque hæreticorum hunc dolorem ſanctiſsimæ matris cineribus,atque oſsibus inflixit aliquando?ego ex arcanis ſcripturis,prout me mater mea redemptoris mei ſponſa per euangelium,& Dei verbum docuit,nihil magis didici,quàm ꝙ humiliarer ſub omnipotentis Dei manu: nihil magis didici, quàm ꝙ intelligerem, & agnoſcerem nudum me,omni bono vacuum, egenum, & pauperem, *1.Petr.5.* in illóque primo terræ filio Adam, expoliatum cæleſtibus,miſeréque ſaucium:nihil magis didici, quàm quòd in Deo patre ſpem omnem ſtatuerem, eiúſque tectus præſidio,quaſi naui tuta collocatus, portum petere contenderem,in cuius etiam [illegible]o ſecurus quieſcerem, iuxta quem haud ſecus quàm prope perennem & placidiſsimum omnis boni fontem, & infinitæ bonitatis ſtillicidium,vnde cæleſtes nobis diſtillant guttæ,ſemper conſiderem,ac perpetuò in amantiſsimi Chriſti IESV vlnis & gremio conſeneſcerem:nihil crebriùs à me auditur, quam ꝙ nulla in re,præterquàm in Deo, omnium creatore,ſit gloriandum,& ꝙ ſtultè nimis ſe extollit, atque effert omnis caro coram eo.Si hæc ipſa,neque plura peccauit iſte,quid eſſet,rogo, quod tam diu vereretur Caluinus? quid,quod tam diu timens, ac pauens occultè la-

teret? ecce nos nulli negotio ſic ſtudemus, nihil magis cupimus, & amamus, quàm quòd infinita Dei noſtri maieſtas, gloria, benignitas, ſummáque illa ſua magnificentia cum infinita prudentia coniuncta, vbique per nos ſarta & tecta maneat. ecce humanam miſeriam, in quam primi hominis peccatum claudos, nudos, omnibus bonis deſtitutos, denium plagis vibicibúſque exulceratos miſerabiliter nos coniecit, liberè fatemur, beatúmque prædicamus eum, cuius dominus ſpes eſt, neque reſpicit in vanitates fluxas, & inſanias falſas: & tamen nobis per vos viuere licet ſanctiſsimi cenſores. Quid igitur nobis parcitur, & in vnum Caluinum mũdus totus exardeſcit? at ſi coniecturis locus vllus dabitur, non ineptè ſuſpicabimur, ſub magnifico Dei verbo, quod iſti frequens eſt,
Matth. 4. Satanam deliteſcere, vt iam olim in Palæſtino deſerto, & templi pinnaculo latuiſſe, euangeliſta referente, didicimus. priùs tamen, quàm hinc prodeat coluber obſtructus, priùs, quàm echidna ſuum virus exerat, audiat Cal-
Baſilius ſuper Iſa. c. 1. uinus Baſilij magni verba ad eum Eſaię locum, Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, caupones tui vinum aquá miſcent. Argentum, inquit Baſilius, ab ſpiritu prophetico, qui Dei altiſsimi eſt, ſcriptura ſancta nominatur. ſcrutemur ergo, ô fratres, cordis noſtri conclaue, ſítne in eo aliqua dragma falſa, id eſt, adulterinum dogma, quod Dei ſpiritus non obſignauit ſignis illis veritatis, quæ nobis per Apoſtolos, & prophetas ſuos donauit. ſicut & vinum, quod cor hominis lætificat, mentẽ ſcilicet principem animæ partem, doctrina eſt ſcripturarũ, quas ſpiritus ſanctus per Dei voces nobis dedit, vt æterna lætitia perfrueremur. Hoc ſanè vinum aqua miſcent, qui Dei verbum cauponantur, apponentes ſuum ſenſum, cũ damno & iactura auditorum. dum enim ſe ad eorum voluptatem obtemperant, ad gratiam loquentes, aſſentatoriè alunt eorum morbos, & acerbitatem illam ſcripturarum relaxando, diluendo, acrimoniam & vim ſtringendi minuendo, humanitates, neſcio quas imperitas remiſsiones, temerarias peccatorum venias, pernicioſas ſatis ſuis auditoribus concedunt, quorum mentes huiuſcemodi voluptatibus captas miſerè frangũt, & demoliuntur. Hactenus Baſilius. Quid hîc legiſ Caluine, quod ex omni

parte abſolutiſsimè tibi non conueniat? ô homo natura maleuolus, qui petulantiſsima lingua probos viros conſectaris, atque in opinionum commẽtis magnas & multas delectationes habes, quid magis conueniens iſti tuæ calumniæ, ac impudentiæ, qui Dei ſcripturas nimium iactas, obiicere nos poſſemus?

Caluini impietas magis ac magis ſe prodit.

CAP. IIII.

VErùm me oportet explicatiùs tuos dolos detegere, &, quæ fuco operta latent, nudata, iudicibus opponere, vt vel ſic Satanica inuolucra, reiectis conquiſitiſsimis integumẽtis, quibus inuoluta, ac circũplicata hactenus delituere, iam Deo propitio nos euoluamus, quatenus intuentium in ſe oculos facilè & rapiant, & feriant: vt dicere iure poſsint, Diſcuſſa eſt nobis caligo, diluxit, patet, videmus omnia. Sed quid ego tantopere hunc laborem vobis oſtento, cùm eum mihi leuauerit Caluini labor? quid enim ait? *Hæc, atque id genus reliqua, cũ à nobis dicuntur, interpellant iſti,* (ſacrificos intelligit) *queritantúrque hoc modo, ſubuerti neſcio quod cæcum naturæ lumen, fictas præparationes, liberum arbitrium, & meritoria ſalutis æternæ opera.* Ecce doli, ecce machinæ, ecce inſidiæ, ecce fallaciæ occultiſsimæ tuæ, Caluine: ecce quorſum euaſerint præclara illa diuinæ magnificentiæ elogia, ecce exilij tui legitima cauſſa, ecce ſanctarum ſcripturarum minimè ferendum adulterium. quid ergo? non cohærent iſta cum Dei gloria? ſic ſibi inuicem aduerſantur? cur ita magiſter magne? *Quia,* inquit, *ferre non poſſunt integram omnis boni, virtutis, ſapientiæ, iuſtitiæ laudem apud eam reſidere. At non legimus,* ait, *reprehenſos, qui nimium aquæ viuæ hauſerint: contrà grauiter obiurgantur, qui foderunt ſibi puteos, puteos contritos, & qui continere aquam non valent.* Ierem. 2.

Papè, bone doctor, ſiccine poſt culpam illam primi hominis hominum genus tabeſcere cœpit? ſiccine miſera noſtra condicio, nobiliſsimúmque hominum genus pœnitendo ſatis congreſſu primo obcæcatum eſt, vt neque ſublimioris luminis ſplendore perfuſum cæleſtia vtcunque contemplari queat? ſiccine curua humi repẽs, vt neque à ſuo conditore in bonum erecta hominis natura, ad diuina vultus tollere valeat? ſiccine miſera, vt

libidinis fomes,membrorum & peccati lex, imbecillæ carnis motus,& propenſio,& ante voluntatis liberã electionem peccatum illi ſit?ſiccine iugo peccati oppreſſa, vinculíſque illius criminis ſic conſtricta,vt neque diuino excitata fauore,cæleſtíque ope ſuffulta ſtudioſam vnquã actionem habere poſsit?ſiccine demum elumbis, puſilla, & infirma,vt neque diuinæ acceſsione gratię, ſuas ipſa quoque partes agere dicatur?ſanè, ſi iſta ſic ſe habent, iſtius peſsimi figmenti opera ex radice nequam enata omnia,praua execranda,omnibúſque modis deteſtãda tibi habebuntur:immo verò non,opinor,vereberis exinanitam eſſe affirmare,& deletam prorſus,nõ obliteratam tantùm in nobis Dei imaginem,poſtquam quidquid ibi ſupereſt,nihil niſi horrenda quædam deformitas eſt. & puto,ſi multùm emungamus, non ἰυδαίμονος, ſed κακοδαίμονος figmentum eam faciemus. Abſit, abſit, profligatam iam quæſtionẽ de libero hominis arbitrio,de noſtris ad iuſtificationẽ præparationibus,de operibus meritoriis æternæ vitæ,denuò in diſquiſitionem & iudiciũ reuocem.abſit,abſit velim ego hîc antiquam Camarinã mouere,de fomite,de naturali lumine,& de primi hominis peccato,quod originale à nobis dicitur. extat ſiquidem ſuper his omnibus catholica patrum confeſsio in Tridentina ſacratiſsima ſynodo edita, veréque Chriſtiana inſtitutio,quã & Chriſtus IESVS Apoſtolos docuit, & quam ab ipſis traditam vetus eccleſia perantiquato & perpetuo tenore,longáque magiſtrorum ſerie acceptam retinet. Illa verò tua,Caluine,qua nos truncos magis, & fungos,ac ſtipites fingis,quàm homines,non catholica & Chriſtiana ſidei noſtræ paræneſis,ſed tua eſt excogitatio.itaque poſtquam coacta ſynodus pro fide catholica, pro apoſtolica veritate,pro eccleſiaſtica diſciplina ſic in inficiatores diuulgauit, Si quis retractat,anathema ſit: ſi quis ſuper iſtis,quaſi nuper inchoatis,inquirit, anathema ſit:ſi quis non recipit,anathema ſit : maledictus , qui addit,maledictus, qui innouat , maledictus , qui aufert:

Concil. Tridẽ.ſub Paulo III. ſeſſion. 5. can. 7. de peccato originali. Idem conc. ſeſsione 6. c. 1. & 5. 6. 10, 11. 19.

Nolo amplius hîc,quaſi integro negotio , quod certè multorum vigiliis,plurimorúmque ſanguine comparatum eſt,perſpicuum,conſtans,& certum,iterum aleæ cõmittere,ſed tantùm quæ tu ſuper hac ipſa re Chriſti, &

Act. I. cõcil. Chalced. pro Nicæn. ſyn.

Apoſtolorum teſtimonia induxeris, ſcripturas detorſeris, ſanctorum ſententias immaniſsimè in inſtitutione tua luxàris, ſimplici ego oratione, ad ſimplicem rudémque dicendi formam compoſita, breuiter, verè, dilucidéque perſequar, nullúmque te doctrinæ antiquæ in inſtitutione illa tua feciſſe locum, cùm tuam mentē expreſſero, oſtenſurum me palàm nimiùm confido, & ſpero. at quoniam, vt video, non dubitat iſte ſummam doctrinæ ſuæ illo opere, & inſtitutione ſe fuiſſe complexum affirmare, eundem ego inſecutus ordinē, eam totā incendio multandam, terra, maríque exterminandam veris criminationibus & non mendacibus calumniis, ne nos detortæ perperam innocentiæ ſuæ ampliùs inſimulet, conuincam: vt poſtquam hominum animos, beatorum etiam mentes iure à ſe abalienatas, auerſáſque (addo etiam, inflammatas) iuſtis de cauſsis, ac pro meritis ſuis fuerit expertus, deſinat queri, in calumniatorum virulentam iniquitatem, in eorúmque delationes vltra modum, & meritū credula nos aure propendêre. memineris etiam tu, manum domini fortem aliquando te manere, quæ indubiè pro Chriſti innocentiſsima ſponſa aduerſum te armata aderit: quam ſic crucias, torques, premis, & in quam aculeis, & incendiis ſic ſæuis. illa ſeſe potentiſsimè exeret, tum ad pauperes ex afflictione eruendos, tum etiam ad acerbè animaduertendum in eos, qui ſeueritate nimia aduerſum Chriſti eccleſiam furiunt, hæreticos.

Nunc igitur tuis importunis furiis, quibus neque propriæ tuæ naturæ parcis, nos opponemus, atque hîc vniuerſa, quæ libro ſecundo inſtitutionis tuæ, à capite primo ad ſeptimum vſque perſequeris, confutabimus, ac penitus elidemus. quò verò commodius, ac numero omnia dicamus, à condicione lapſi hominis exordiemur: deinde intellectus noſtri lumine non nihil tecum conferemus: tertio verò loco, quàm effrenatè in voluntatis noſtræ libertatem, impetuoſéque irrueris, tecum expoſtulabo: demum de fictis præparationibus noſtris, (vt ipſe vocas) & de operibus vitæ æternæ meritoriis, quàm in his omnibus inſigniter à recto defeceris, & quàm inſolenter in Romanam eccleſiam (quę omnium mater,) magiſtra, ac princeps eſt) fueris debacchatus, venenóque *Partitio tractandorum.*

tua omnia inſperſeris, cumulatè audies. fiet, ſpero, vt ſi quam voluptatem maledicendo accepiſti, eam malè audiendo amittas. nos verò omnia, quæ diffuſa ſatis libro toto habes, ſic memoriter referemus, vt neque verbum excidiſſe nobis in tanta ſylua mireris.

De duplici fine conſiderationis humanæ noſtræ naturæ. CAP. V.

Cal.li. 2. c. 1. ſect. 1. EST antiquum, & vetus prouerbium, quo ſummopere cõmendata ſemper fuit hominis ſui ipſius cognitio: ſiquidem ferè tota ſapientiæ noſtræ ſumma, quæ vera ac ſolida cẽſeri debet, ſummis philoſophis auctoribus, duabus partibus cõſtat, Dei cognitione, & noſtri. habet iam hic Caluinus, quod mundi ſapientes arrodat, quod colli-
Sect. 1. minet, & imminuat. *Illi enim,* inquit, *dum hominem hortãtur, vt ſe ipſum nouerit, finem ſuum proponunt, ne dignitatem, excellentiámque ſuam neſciat. neque aliud ipſum in ſe contemplari volunt, quàm vnde inani fiducia intumeſcat, & ſuperbia inſletur. At,* inquit, *noſtri cognitio primũ in eo ſita eſt, vt reputãtes quid nobis in creatione datum ſit, & quàm benignè ſuam erga nos gratiam continuet Deus, ſciamus, quãta ſit naturæ noſtræ excellentia, ſiquidem integra maneret: ſimul tamen cogitemus, nil nobis ineſſe proprium, ſed precariò tenere quidquid in nos Deus contulit, vt ſemper ab ipſo pendeamus: deinde vt nobis occurrat miſera poſt Adæ lapſum condicio noſtra, cuius ſenſus, proſtrata omni gloria, & fiducia, nos pudore obrutos verè humiliet.*

Non te pudet, tam aperta non modò calumnia, ſed inſigni quoque fallacia, & rabie ſanam philoſophorum do-
Cicero in. 1. paradox. ctrinam infamare? cùm id rei aliquãdo Cicero verſaret, hominíſque naturam præexcellentem contemplaretur, non inanem inde elationem aucupatus eſt, aut vnde homo intumeſceret, venatus quidpiam eſt: ſed magis in hũc modum intulit, Cùm tibi ſiue Deus, ſiue mater, vt ita dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neque diuinius, ſic te ipſe abiicies, atque proſternes, vt nihil inter te, & quadrupedem aliquem putes intereſſe? O præclarum præfixum illi conſiderationi ſcopum. quid ergo doctrinam alioqui ſanã iſte veneno corrumpit? *Neque,* inquit Caluinus, *aliud ipſum in ſe contemplari volunt, quàm vnde inani fiducia intumeſcat, & ſuperbia inſletur.* nónne vides mendacium apertum? non

aduertis calumniam? quid apud philoſophum legis Caluine? conſidera homo te ipſum: conſidera, ſi vales mente aſſequi, quantum tu ipſe beſtiis terræ, ingenio, atque facultate præſtes. Quid tum poſtea cogitare me iubes Cicero? num propria excellentia turgidus intumeſcam? quid, cedò, in conſideratione hac operæpretium futurum arbitraberis? reſpondebit Cicero, procul dubio ſtudioſam, & rationalem, non beſtialem, neque animalem actionem. Perperam igitur ac mendoſè, ne quid turpius dicam, animi tumorem; ac mentis elationem collegit Caluinus, vnde philoſophus, vel natura duce, ad virtutẽ nos cohortatur. quare nos vtranque de homine conſiderationem, & non alteram ſolùm ſic paucis cõplectimur. Sicuti Deus ad ſui imaginem nos initiò finxit, vt mentes noſtras tum ad virtutis ſtudium, tum ad æternæ vitæ meditationẽ erigeret: ita, ne ſocordia noſtra poſt hominis etiam primi lapſum eadem imago, & tanta noſtri generis nobilitas obrueretur, penitus ſemper nos voluit recordari: ideo nos ratione, & intelligentia præditos, vt ſanctam & honeſtam vitam colendo, ad propoſitum beatæ immortalitatis ſcopum tendamus in quam ſanè ętternæ ſalutis ſpem non legis, aut naturæ beneficio, ſed Dei ſolius miſericordia, qui diues eſt in omnes, qui humiliato ſpiritu inuocant illum, cæleſtíque beneficio aſciti ſumus. ceterùm fatemur ingenuè, in mentem nobis venire non poſſe primam noſtram illam dignitatem, quin ex altera parte mox ſe offerat triſte fœditatis, & caſus noſtri ſpectaculum, ex quo in primi hominis perſona ab origine illa nobili tot donis cumulata excidimus. hinc odium, & execratio ſuperbiæ, hinc diuinæ offenſæ ingens acerbitas, & in nos ipſos indignatio ſæua, hinc vera noſtra humilitas, & ſubiectio oritur, hinc demum nouum accenditur quærendi Dei ſtudium, in quo quiſque ea bona recuperet, quibus deſtituti eſſe deprehendimur. nil ſanè magis ſacra ſcriptura nos docet, quàm vtranque veritatem, nóſque tenet medios inter ſuperbiam, & nimiã deiectionem. qui enim dixit, Quid habes, quod non acceperis? idem ipſe eſt, qui oportunè gloriatus dicebat, Omnia poſſum in eo, qui me confortat. *1. Cor. 4.* *Philip. 4.*

Duplex de homine conſideratio habenda deſcribitur.
Cap. VI.

IN ſumma libétne tibi, ô homo, rectam & à bonis omnibus expetitam ſapiendi, quæ Dei ſunt, & meritoriè agendi, metam pertingere? hác te tenere regulam oportet, vt ab omni propriæ facultatis confidentia ſine Deo, omnino tui conſideratio te auocet, eadémque poſſe te non nihil afferre, immo oportere, rationémque, & mentem virtutis eſſe inſtrumenta, admoneat. neque nobis,

Calu. lib. 2. ſect. 1. c. 1. mihi credito Caluine, prior illá conſideratio, pro excellentia humanæ condicionis, & naturæ plauſibilior habetur, quantumlibet ad reputanda bona noſtra nos inuitet, quàm hæc altera, quæ miſeram noſtram inopiam ſine Deo commonefacit inſpicere. cùm enim dotes, quibus homines dignatur altiſsimus, magnifieri audimus, neque blanditiis demulcemur, neque ſic nimia credulitate propendemus, ſed magis ab his bonis, quę guttatim ad nos è cælo ſtillant, tanquam á riuulis ad fontem, deducimur: ſicut contrà nulla penitus humano generi ignominia accreſcit, ſi potiſsima & gloriæ, & fiduciæ materia apud Deum ſemper reſideat. ipſius ſiquidem & figmentum, & figulina vaſa ſumus, vt neque apud Deum mendicare erubeſcamus, neque eum precibus ſolicitare, & promereri nobis, pudore ſuffundamur. nouit ſanè Chriſti ſponſa, libentiùs ſuas laudes ad ſponſum transfundere, quàm vel minimam partem ex diuinis exhaurire. quare

Cal. ſect. 3. c. 1. melius nos iuxta veræ fidei analogiam, quàm homo ſui notitiam habiturus ſit, ſic partiamur, vt primo loco, quē in finem creatus ſit, tot donis non contemnendis præditus, apud ſe reputet, qua cogitatione ad diuini cultus, vitæque futuræ meditationem mirè excitabitur: deinde, ſuas facultates, vel certè facultatum inopiam, niſi ſibi opitulatio Dei paratiſsima eſſet, expendat: qua perſpecta, non ſic in nihilum redactus, non in extrema confuſione iacens, vt vult Caluinus, ſed magis ad Dei regnum expetendum excitatus & inflammatus, ad illius opem accin-

Apoc. 3. gatur, qui ad oſtium eſt, & pulſat, qui neminem ad ſe ve-

Ioan. 6. nientem foras eiicit, qui manus ad populum infenſum

Ieſaiæ 65. ſibi extendit quotidie, qui nobiſcum in agone certat, in tribulatione pungitur, nouiſsimè verò nobiſcum victor

triumphat. nihil, nihil ſanè in homine eſt, cuius fiducia ſuperbire aut poſsit, aut debeat: nihil, nihil eſt in homine, (fatemur Caluine) nihil, quod ſic nos animoſos reddat, vt noſtra integritate confiſi humanis conatibus nitamur. *Ioan.15.* Pelagiana inſomnia iſtæc, non immaculatæ eccleſiæ cogitationes, quæ Chriſti voces lubés excepit, Sine me nihil poteſtis facere, &, Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum, atque in hunc modum pænè infinita. *Ioan.6.* *Cal. ſect.8. cap.1.* quòd ſi noſmetipſos (quemadmodum tu fieri poſtulas) ad diuini iudicij amuſsim inſpiciamus, & examinenemus, multa certè reperiemus, quæ animum noſtrum præſidio cæleſti nixum, ad bonam fiduciam erigant. non minimum eſt, quod in nobis ad rectè, ſanctéque viuendum, & vitam noſtram ſtudioſè inſtituendam, plagis quamuis ſaucia, naturæ tamen lumine perfuſa ſibi ratio noſtra reliquit. neque licet nos ſic noſtræ ſortis pertæſos, omnem deſpondiſſe animum ad bonum, & ad virtutis officium, ſed magis (ſi dicere fas eſt) qua benignitate, & magnificentia Deus eſt, quaſi in ſanctam nos attollit audaciam, cùm nobis ſtudet, cùm rationem noſtrã illuminat, mentem afficit, mirabilitérque ad virtutis officia nos incitat, cùm, indicto vitiis bello, ad id, quod pulchrum eſt, & honeſtum, toto ſtudio conari hominẽ vult: cùm ſe fontem viuum quærere, ſe ſitire, ad ea demum omnia niti, ad quæ vita beata aſpirat. Verùm quantum in his, quæ diximus, veri ſit, & quàm neceſſariò conſiderandum, alibi apparebit.

Caluiniana hæreſis duplex circa originale peccatum excutitur. Cap. VII.

ILlud tamen minimè ferendum eſt, Caluine, quod de originali macula, qua hæreditario iure afficimur omnes, tu falsò comminiſceris. *Cal. ſect. 4. 5678.* *Videtur*, inquis, *nil eſſe aliud originale peccatum, quàm hæreditaria naturæ noſtræ prauitas, & corruptio in omnes animæ noſtræ partes diffuſa, quæ primùm nos iræ diuinæ reos facit, tum etiam opera in nobis profert, quæ ſcriptura vocat, opera carnis. atque id eſt proprium, quod à Paulo ſæpius peccatum nominatur.* ex tam mala quippe peccati originalis diffinitione inſignis iſte theologus duo peiora multo colligit: vnum, *Tota noſtra natura, quanta* *Galat.5.*

quanta eſt, non niſi peccatum, nilque niſi omnium ſcelerum ſeminarium quoddam eſt, ac proinde non odioſa Deo, & creatori ſuo, atque abominabilis eſſe non poteſt. Immo, ait, *vt breuiùs abſoluamus, homo totus non aliud ex ſeipſo eſt ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem, niſi concupiſcentia, reatus, culpa, & peccatum.* alterum, quod colligit, eſt, *Peruerſitas iſta nunquam in nobis ceſſat, nouos aſsiduè fructus parit, ea ſcilicet, quæ antè deſcripſimus carnis opera haud ſecus quàm incenſa fornax flammas, & ſcintillas efflat, aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit.* et interim vult Caluinus, cupítque fortiſsimo regi perſuaſum, ſuam cauſſam non veritate ipſa à nobis confoſſam eſſe, ſed magis partim noſtra aduerſariorum factione, & potentia deiectam, partim mendaciis, dolo, calumniis inſidioſè à nobis, fraudulentérque appetitam, & oppreſſam. Quis iam miretur publico odio circumfuſum & iactatum eſſe, ô Caluine, poſtquam ſcripturarum, & ſanctorum omnium voces tuis iſtis furiis patrocinium ſuum opponunt? quis vel cogitatione aſſequi poterit, quantam hæreſum corruptelam iſta vna doctrina nobis dederit, quótue ex ea errorum examina prodierint? non plures efflabit (mihi credito) incenſa illa fornax ſcintillas, neque egeret tantam aquam ſcaturigo, pluribus quamuis riuulis dimanet, quantos iſta tua rabies, crudelíſque ferocia in naturam vulneratam dabit, & pariet noua quotidie deliramenta. quaſi verò carnis concupiſcentia nobis omnibus, qui ſenſibus pollemus, connaturalis, ex naturæ noſtræ innatis principiis exorta, originalis iuſtitiæ freno felici illo ſeculo coercita, nunc verò noſtro peccato effrenis, non magis effectus peccati ſit, quàm quòd peccatum eſſe verè dicatur? nil porrò eo verbo ampliùs ſignificamus, quàm naturam dono deſtitutam ob peccatum: niſi etiam ſic Caluino meo inſanire libeat, vt dicere non dubitet, Samaritano miſero & ſpoliari, & plagis cædi, peccatum, &
Lucæ 10. non magis pœnam, ac ſupplicium fuiſſe illi. inſuper
Auguſt. cõtra Pelag. ad Boniſ. li. 1. c. 3. ſempérne erit in regeneratis etiam culpa, & defectio? ſemper peccatum? ſemper quod diuina maieſtas in eis deteſtari, execraríque poſsit? ſanè mirum eſt, quomodo illi placere poſsimus quoquo pacto, cui & iniquitas, & iniquus execrabiles ſunt. ſi actualis offenſa ſemper eſt in

Adæ filiis etiam poſt regenerationis,& renouationis ſuſceptum lauacrum,(nam,vt hîc aſſeris, natura noſtra nō boni tantùm inops & vacua eſt, ſed malorum omnium adeò fertilis & ferax,vt otioſa eſſe non poſsit) quomodo placere illi poſſumus?quomodo ablutos, & ſanctificatos nos habebit?quomodo nos non ſeruos,ſed amicos dicet? denique quomodo qui iuſtus eſt,qui iuſtitiā diligit, parans in iudicio & iuſtitia thronum ſuum ſcaturientem tot malis & criminibus,in dies,horáſque magis culpam, non pœna ſatis commerita,reordinat? atque cur is, qui ſpiritus eſt, tenuem ſemper aſpirans auram, incēſam illam fornacem non ſpiritu ſuo extinguit aliquando? Doce nos,bone magiſter,quî fieri poteſt, ſtet verum & certum illud Chriſti ad eos, qui Dei mandatis obſeruandis ſe pro humana tenuitate ſacrant,& qui Dei vnigenitum diligunt, Ad eum veniemus, & manſionem apud eum *Ioan.14.*
faciemus: & illud,Pater meus diliget eū: ſi actualis im- *Ioan.7.*
pietas,effreníſque libido,quàm diu viuent electi, arcem ipſam mētis nefanda occupabit,& ad cor intimū perpetua,ac conſtans continuò penetrat ſuperbia?nū ad animā maleuolā,& ad corpus peccatis obnoxium, & ſubditum increatam illam ſapiētiam legiſti aliquādo accedere ſolitā?quis iam fructus orationis illius, Pater ſanctifica eos *Ioan.8.*
in veritate,& ſermo tuus veritas eſt: ſi in veritate immūdi,iniuſti,fœditatiſq;,& impuritatis vinculis detinentur? quantumuis ſordes illæ peſsimæ in pœnam ſibi minimè imputentur:mihi ſanè nunc non de æterno ſupplicio,ſed de iuſtitia,& ſanctitate ſermo eſt. Quid igitur ſic toties perſonabat Paulus, Renouamini in iuſtitia, & ſanctita- *Rom.6.*
te veritatis: poſtquam probè intelligebat ſub peruerſi- *Hieronym.*
tate nefanda nos ſemper iacēre?ſileátne poſthac Hiero- *ad Ocean.*
nymus eximius baptiſmi, & ſacramentorū encomiaſtes multo quamuis diuinarū ſcripturarū præſidio ſuffultus? nil valeat, quòd iam olim per veterem Michæam ſe fa- *Michaæ 1.*
cturum in nobis reſpondit Deus, Demerget iniquitates veſtras,ac proiiciet in maris profundum peccata veſtra? rurſus per Ezechielem, Mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris? quid ergo? nihílne proſit iuſtis peccato mori?cum Chriſto in baptiſmo ſepeliri? & demum in vitæ nouitate ambulare? vt omnia tibi demus, id ta-

1. Ioan. 3. men nunquam à nobis extorquebis, vt Dei filij nominemur, & ſimus, quemadmodum dilectus prænuntiat, & cũ hoc omnibus naturæ noſtræ partibus vitiati, peruerſiq́ue habeamur, & quod neque audire ſuſtinemus, ſemper actu Deum offendamus. quare qui Dei filius nominatur, & eſt, cæleſtium bonorum hæres, & Chriſti cohæres, Angelis gratus, iuſtis carus, mediusfidius, idem non iniquus, ſed iuſtus innocénſque eſt: Deo ſiquidem noſtro nihil eſt acceptum, niſi iuſtitia, innocentia, & puritas. tandem, ne in re vſqueadeo nota teſtes minimè neceſſarios videar induxiſſe, dico nihil naturam noſtram habere, (ſi originalem culpam excipias, quæ ſanctiſsimo lauacro prorſus abſtergitur) quod actuale peccatum ſit, niſi voluntarium eidem, & liberum fuerit. habet, fatemur nos, poſtquam in latrones infeliciter cecidit, poſtquã miſerabilis hæc ruina, in quam nos deiecit, primíque hominis defectio miſerè nos infecit, habet, inquam, ſaucia noſtra natura multa, quæ in peccatum impellant, & pelliciant: quod verò cogat, aut vllam illi neceſſitatis legem præſcribat, nihil profectò habet. reputantur verò in peccatum, non, vt tu abſque ratione opinaris, quæcunque ab ea procedunt facta, ſed ea magis, quæ carnalis homo ſenſui obtemperans, inſipienter operatur. hæc ſunt carnis opera, ex carnali concupiſcentia orta, ij carnis noſtræ affectus, eæ cogitationes inimicæ legi Dei.

Malè reſpondet Caluinus ſcrupulo, quo vrgetur. CAP. VIII.

Cal. ſect. 10. cap. 1. GRauiter hic vrgetur Caluinus ſcrupulo ſanè nõ mediocri, quòd tũc, ſi vera ſunt, quæ docuit, multi Deũ ſuis vitiis inſcribere auderent, in eúmque, tanquam in ſuorum ſcelerum auctorem, ſua crimina impudenter refunderent, poſtquam non erubeſcit Caluinus dicere, nos naturaliter eſſe vitioſos. ad hoc ſic reſpõdet, *Opus Dei perperam in ſua corruptione ſcrutantur iſti, quod in illa integra adhuc, & incorrupta Adæ natura requirere debuerant.* quid, quæſo, tuorum ſic miſeras mentes excæcas vafer homo? Adæ peccatum illius eſt & noſtrum, quis hoc ignorat? ipſius quidem actuale, noſtrum verò ab eo per propagationem in nos deductum, & nobis conciliatum. iam verò quis vſqueadeo deſipiens ſit, vt velit, quæ tu aſtu peccas, in pri-

mam illam reiicere defectionem, quæ hæreditate tibi, nõ libera electione contigit, & non magis in cor iſtud, cui placuit carni tuæ obediſſe potiùs, quam ſpiritui? quod ſi ita eſſet, vt tu doces, magis quippe hominis ſcelera, adulteria, furta, homicidia, ceteráque carnis nefanda facinora exiſtimari poſsint contracta, quàm actu voluntatis commiſſa, nec propter ipſa æterni cruciatus pœna multandus eſſet homo, cùm ea non niſi in Adam liberum illi & integrum fuit vitare. Huius rei gratia à ſanctis ſæpe iactatur, quòd originis peccato, etſi mortali non niſi damni, vt theologi noſtri loquuntur, pœna debetur, indignum ſanè iudicant, neque diuinam decere iuſtitiam arbitrãtur, tam graui afficere infantes ſupplicio, propter id ſcelus, quod immediatiſſimo actu ſuo vitare non potuerunt: ſic etiã ne ad neceſsitatem iſte confugiat dicens, Voluntariũ quippe eſſe non liberũ, voce cõcordi, ſanctorũ ſchola nos docet, in ſanctis & dãnatis nullam neque meriti, neq; demeriti rationem manere, quòd horum voluntates aut in bono, aut in malo perpetuò firmatæ ſint. Noua igitur merendi, aut demerendi ratio non voluntariam modò, ſed & liberam operationem exigit. quare noſtrum peccatum, quæ multa nos habemus, non naturæ deprauationi tãtùm tribuam ipſe, ſed voluntati noſtræ malæ & peruersè affectæ, perperámque eligenti, ne in Deum ipſum quoquo pacto accuſationem ſtringam. Hærere quidem exitiale illud vulnus in natura, etiam in renatis verum eſt, ſed quod ad agonem relictum nocere non cõſentientibus, & viriliter per Chriſti Ieſu gratiam repugnantibus, non valet. non eſt igitur, cur conqueramur, niſi de nobis ipſis: poſtquam malum illud concupiſcentiæ, per peccatum inflictum fuiſſe cõſtat, neque ſine nouo adhuc noſtro conſenſu, quantumcunque nos in malum trahere nitatur, efficere poſsit, quin legitimi certaminis noſtri nos corona cæleſtis ſemper expectet: ſiquidẽ vicerimus. Audi Caluine. tu dicis, *Scriptura dicit, hoc ſcio, quòd fecerit Deus hominem rectum, ipſi autem quæſierunt ſibi adinuentiones multas: hominis tantùm ſuum exitium aſcribendum apparet, quin Dei benignitate rectitudinem adeptus, ſua ipſe ſemel dementia in vanitatem delapſus ſit.* ô quanto meliùs illi ſanctiſsimi orthodoxi doctores, ſuper iſto ſcripturæ loco, Salomonis

Cal. ſect. 1 cap. 1. Eccle. 7.

verba ad nos omnes referunt: qui relicto Deo, eiúſque ſapientia, iuſtitia, & bonitate, noſtram nobis ſapientiam, bonitatem, & prudentiam, à conſiliis ſtatuimus. vnde fit, vt de bonorum Dei poſſeſsione liberè excidamus. ſic cōtigit primis noſtris parentibus, ſic Saul, qui ſuo conſilio perdidit regnum. in ſumma, vitioſitas, & concupiſcentia, ſeu morbus humanæ condicionis, prætérquàm quòd aduenticia qualitas homini accidens, & non ſubſtantialis proprietas, quæ ab initio indita fuerit, habenda eſt præter id ſanè, cùm quaſi hæreditario iure vniuerſos comprehenſos teneat: nullum tamen in malum, homini neceſſariam legem præſcribit, quam libera hominis facultas diuina ope ſuffulta non facilè vincat, ac exuperet. In hoc, ſæpe dicam, huius cauſſæ cū aduerſario meo ſtatus eſt, & in eo vertitur negotij huius cardo. non enim quaſi naturalem vitioſitatem non à natura cōdita, ſed in primo terræ filio corrupta hæreditario iure comprehendentem vniuerſos, negamus. Eramus, inquit Paulus, naturà filij iræ. quomodo creaturæ omnium nobiliſsimæ infenſus eſſet Deus, cui placēt infima quæque opera ſua? operis porrò ſui corruptioni magis eſt infenſus, quàm operi ſuo. Ergo vocare nos naturaliter prauos, & vitioſos, quòd naturam peccato illi primi hominis habeamus ſubditā, ob quam etiam vitiatam in illo, nos naturà irę filios appellabat Paulus, in plura quoque quotidie miſerā condicionem noſtram pellicientem, hoc eſt, vt ſancta ſynodus dicebat, ex peccato eſt, & in peccatum inclinat: ſi id, inquam, ſolum ſit, nos naturaliter prauos, & vitioſos dicere, non omnino ineptè, neque inſcitè diceretur. Fortè ſic locutus eſt Auguſtinus aduerſum Pelagianos: eſto, nihil pugno: at naturalia dicere peccata, non hac ratione, ſed quòd ſint ſic à carne corrupta habita per propagationem naturalem, vt in ea neceſſariò regnent, Caluinianum hoc eſt commentum, non Auguſtinianū. quemadmodum minimè ferendum eſt ſtultum illud Manichæorum nugamentum, qui, cùm ſubſtantialem malitiam in homine imaginarentur, alterum illi conditorem affingere auſi ſunt, ne Deo iuſto viderentur mali cauſſam, & principium aſsignare. Verùm, quantum hoc veritatis habeat, mox conſideratum apparebit.

Gen. 3.

1. Reg. 15.

Epheſ. 2.

Manichæo. nugamentum.

Loci ſcripturarum recenſentur, quibus nititur probare Caluinus, ex corrupta natura nihil niſi corruptum poſſe prodire. CAP. IX.

SEd, ne videretur Caluinus abſque Dei verbo locutus, numeroſam ſcripturarum multitudinem huc congerit, vt probet ex corrupta hominis natura, tantoperéque in primo homine deprauata, nihil niſi damnabile neceſſariò prodire. Quæ ſanè teſtimonia quantum probent, aliorum eſto iudicium: nos verò explicatiſsimè ea euoluemus. Incipit ergo Caluinus carnis ſuæ pudenda detegere, nudatæque naturæ amplius verenda diſcooperire. ait enim, *Melius homo vtraque animi parte cognoſci non poteſt, quàm ſi cum ſuis elogiis in medium prodeat, quibus à ſcriptura inſignitur. ſic totus depingitur ex Chriſti verbis, Quod natum eſt ex carne, caro eſt, vt valde miſerum animal eſſe conuincatur. effectus enim carnis, teſte Apoſtolo, mors eſt. quandoquidem in inimicitia eſt aduerſus Deum, eóque legi* Dei *non ſubditur, nec ſubdi poteſt.* iam incipit triumphare de carne. *Itáne eſt peruerſa caro, vt toto ſuo affectu ſimultatem aduerſus Deum exerceat? vt cum legis diuinæ iuſtitia conſentire nequeat? vt nihil denique parere queat, niſi mortis materiam? Nunc fac in hominis natura, nil eſſe niſi carnem, & inde quidpiam, ſi poteſt boni, elice.* Placétne, Caluine, preſsiùs, ac clariùs multò collationem tuam intra breues cancellos nos detineamus? dicito ſic, *Probo, quòd ex corrupta natura noſtra nihil niſi peccatum prodire poſsit. Tota noſtra natura caro eſt: ergo ex ea non niſi caro naſcetur, dicente domino, Quod natum eſt ex carne, caro eſt.* Rurſum, *ergo non niſi peccatum, ergo non niſi mors, ergo non niſi inimicitia aduerſus Deum.* At quoniam poterat quiſpiã videri ſibi non omnino ſtultè Caluinianum laqueum contriuiſſe, ſi carnis vocabulum non ad mentem, principem hominis partem, ſed ad ſenſum carni coniunctum pertinere tantùm diceret: mox venator callidus occurrit, vt ne hac quidem parte miſera auicula pedem exigat, ſic obiiciens, *Id verò ex verbis Chriſti & Apoſtoli facilè refellitur. Argumentum domini eſt, oportere nos naſci denuò, quia caro ſumus. non ſecundum corpus renaſci præcepit, animo autem non renaſcitur, ſi corrigatur aliqua eius portio, ſed vbi tota renouatur. idque confirmat vtroque loco poſita antitheſis. ſic enim carni comparatur ſpiritus, vt nihil relinquatur medium. Ergo quidquid non eſt ſpirituale in homine,*

Caluin. li. 2 c. 3. ſect. 1. 2.

Ioan. 3.
Rom. 8.

ſecundum eam rationem dicitur carneum. nihil autem habemus ſpiritus, niſi per regenerationem. eſt igitur caro quidquid habemus à natura. à natura totum hominem habemus, & corpus, & ani-
Epheſ.4. *mam: ergo totus homo, caro, hoc eſt, mors, & peccatum eſt. Paulus etiam non ponit illicitas, ac prauas cupiditates in parte ſenſitiua tantùm, ſed in ipſa etiam mente, atque ideo eius exigit renouationem. immo paulò antè eam humanæ naturæ imaginem depinxerat, quæ nulla in parte nos non corruptos, ac peruerſos eſſe oſtenderet. nam quòd gentes omnes ſcribit ambulare in vanitate mentis ſuæ, obtenebratas intelligentia eſſe, alienatas à vita Dei propter ignorantiam, minimè dubium eſt, quin competant in eos omnes, quos dominus ad rectitudinem ſuæ tum ſapientiæ, tum iuſtitiæ nondum reformauit, vt ſemper colligamus, Chriſti gratiam vnicum eſſe remedium, quo ab illa cæcitate, & malis inde conſequentibus*
Eſaiæ.60. *liberemur. Hoc Eſaiæ illud vaticinium, quod in lucem gentium*
Pſal.62. *futurus eſſet Chriſtus, euidenter præmonſtrabat. Et, vt non recenſeam ſingillatim, quæ in hominis vanitatem paſſim in pſalmis præſertim, & prophetis habentur, magnum certè eſt quod ſcribit David, ſi cum vanitate appendatur, ipſa fore vaniorem. Graui ſanè tegulo confoditur naturæ noſtræ ingenium, cùm omnes, quæ inde prodeunt, cogitationes, vt ſtultè, friuolè, inſanè, peruerſeq; irridentur.* Hactenus Caluiniana rabies. Quemadmodum iis, qui per vitrum rubeum, aut cæruleum res intuentur, omnia rubra, aut cærulea eſſe videntur, cùm longè ſecus ſe res habeat: ſic iſte, quam ſemel imbibit carnalem putredinem, vniuerſis putat conſentire. explicandum eſt ergo nobis, quid Carnis nomine ſimul, ac Spiritus in ſcriptura ſancta ſignificatum intelligamus: mox ſanè, in quẽ ſenſum, quæ de carne iſte ex ſcripturis arcanis induxit, accipienda nobis ſint, indagabimus, vt quæ ſit illa caro, quæ tot elogiis in medium prodit, quibus à ſcriptura inſignitur, non difficile ſit cognoſcere.

Vt commodè Caluino reſpondeatur, notatur multiplex acceptio nominis, Caro, in ſcriptura ſancta. CAP. X.

PRincipiò citra controuerſiam nobis ſit conſtitutum ſub nomine carnis, ſubſtantiam ſignificari, ſiue ea ſit
Luc.24. pars, quæ ab oſſe diſtinguitur, iuxta illud Chriſti, Palpate, & videte, quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habẽt, & alibi ſæpe: ſiue ea pars ſit, quæ ab anima ſecernitur. aut

certè

certè totus homo caro dicatur, vt illud eſt, Omnis quippe caro corruperat viam ſuam. & illud, Videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri. & illud, Omnis caro fœnum. rurſum illud, Verbum caro factum eſt. & illud, Ad te omnis caro veniet. & illud, Dediſti ei poteſtatem omnis carnis. &, ne infinita perſequar, locus ille in eam rem probandam eſt egregius, quē ex Ioele propheta prima illa concione ſanctiſsimus Petrus depromit. Effundā de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. ac mox ſequitur, Filij veſtri prophetabunt, & filię veſtrę viſiones videbūt. ſicut enim anima in ſcriptura ſancta totum hominē comprehendit, iuxta antiquam ſanctorum phraſim, vt cum dicitur, Ingreſſus eſt Iacob in Aegyptum cum ſeptuaginta animabus: ſic appellatione carnis, anima corpori vnita aptè explicabitur. hoc ſat ego ſcio, haud ægrè dabit nobis Caluinus. Rurſum accipitur caro (quod eidē minimè abſurdum videbitur) pro culpa & peccato: pro defectione demum, aut, ſi mauis, pro homine viuente ſecundū carnis deſideria, & in quo non modò ipſa caro ſpiritui reluctatur, ſed etiam vincit, & exuperat ſpiritū. in quem ſanè ſenſum Paulus eſt intelligendus, cùm diceret, Sunt inter vos zelus & contentio, nónne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? nónne homines eſtis? Hęc caro inimica eſt Deo: caro hæc & ſanguis, Dei regnum non poſsidebunt: huius carnis prudētia mors eſt: hæc legi Dei nec ſubditur, nec ſubdi poteſt: huic & ſpiritui gratiæ conuentio, nec participatio vlla eſſe poteſt, non magis, quàm tenebris & luci, mendacio & veritati, prauitati & iuſtitiæ. qui ſecundum hanc carnem viuunt, & patiuntur eam ſibi dominari, quæ carnis, non quæ ſunt Dei, ſapiunt. qui in iſta regnante carne ſunt, non tantùm Deo non placent, ſed neque placere poſſunt. eſt enim Deus ſpiritus, ac proin tales adoratores vult, qui adorent eum in ſpiritu. Huic carni pulchrè dicebat Paulus, nō nos debitores eſſe, (quod, cupio, aduertat Caluinus) vt ſecundum eius leges viuamus. ac ſi diceret, gentium doctor, & orbis magiſter, cauendum nempe omnibus nobis eſt iuxta liberam arbitrij noſtri condicionem, ne, quas miſera caro peccati leges nobis quotidie ferre molitur, nos eas regnare patiamur. ſi enim ſecundum carnem vixerimus,

Gen.6. *Eſaiæ.40.* *Ioan.1.* *Pſal.64.* *Ioan.17.* *Ioel.2.* *Gen.46.* *Rom.7.* *1.Cor.3.* *Rom.8.* *2.Cor.6.*

moriemur. quod olim dixerat, Stipēdium peccati mors, virtus verò peccati lex. idem etiam Paulus, qui Romanis dixerat, Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt, idem ipſe Corinthios in hunc modū exhortabatur, Rogo autem, ne præſens audeam per eam confidentiam, qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrantur nos, tanquam ſecundum carnem ambulemus. In carne, inquit, ambulantes, non ſecundum carnē militamus. Vidéſne pulchra cōcluſione, atque epiphonemate vtranque vocis huius ſignificationem expreſſam? Accipitur tertiò pro pœna, ac paſsionibus, quibus propter peccatum afficimur: qualis inter alias vna illa eſt, procliuis ſcilicet ac miſera naturæ noſtræ ad malum propenſio & inclinatio, ad bonū vero incredibilis difficultas, ingénſque hebetudo. Ego autem carnalis ſum, dicebat Paulus, venundatus ſub peccato. quem locum ſanctus Auguſtinus fatetur rectiùs interpretandum, ſi dicamus, Apoſtolorum de ſua, ſiue iuſtorum perſona hæc pronuntiaſſe, quàm ſub eius perſona hæc protuliſſe, qui non dum diuinę gratiæ particeps, luctatur quidem cū carnis affectibus, ſed illis impar vincitur, & trahitur à concupiſcentia dominante. quáuis poſteriorem ſententiam idem ipſe eccleſiæ doctor ſecutus aliquando fuerit. Eſt ergo Paulini ſermonis ſenſus hic genuinus, & intimus, Ego carnalis ſum, id eſt, ſecundum meam naturam, quam ex Adam traxi, procliuis, nimiúmque propendens ad ea, quæ carnis ſunt, concupiſcēdum. Cum hac ſanè theſi vniuerſa, quæ in Paulino diſcurſu ſubſequuntur, & quæ capite proximè præcedenti præmiſit, nimiùm conſentiunt. Venundatus, inquit ſub peccato, id eſt, voluptatis dulcedine, quaſi iuſto pretio in Adā ſub ſeruitutem, grauéq; peccati iugum miſerè redactus: acceſsítque mihi vnius hominis eiu fomes quidam, qui velim nolim in me cogit ebullire motus carnales impuros & nefandos, vt ſi quo pacto in eā me trahat inobedientiam, diuinǽque celſitudini contemptū, vnde ſemel exortus prodiit. et multò plura, quę toto illo capite ſeptimo ſecundum datam ſibi à Deo ſapiētiam intellectu difficillima proſequitur: quæ indocti, (vt iam olim Petrus ſanctiſsimus de Paulinis epiſtolis ſcriptū reliquit) & inſtabiles (cuiuſmodi Caluinus videri nobis nō ſine ratio-

Rom. 7.
Auguſt. ad Simplicianum ca. 7.
Auguſt. li. 1. de nup. & concup. ad Val. ca. 27. Idē li. retract. 2. c. 1.
2. Petri 3.

ne poſſet,qui in veritate non ſtetit, & primã fidem irritã fecit)deprauant,ſicut & ceteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.ad ſummã hi quidem motus à fomite prodeunt,tanquã ab eius poſitiua cauſſa nimiùm propellente & excitante in carnis opera,à ratione verò, tanquã à cauſſa negatiua,ſi non cohibeat,& coerceat,& pro viribus compeſcat. Hęc lex membrorum,hæc carnis concupiſcentia,hæc peccati lex,mortis vinculum , & carnis fomes,peccati virtus nominata à ſpiritu Dei noſtri,vbique in arcanis litteris occurret: quòd hæc imperet, plectat, propellat,nunquam tamen ſic cogat, vt illi obſiſtere ſibi ſubditis non ſit integrum , more legis proprij nominis. Neque mirabitur Caluinus,peccatũ dici, quod non actu maculat, neque æternæ gehennæ reos cõſtituit,ſi tamen effectus ſit ex peccato natus,& in peccatũ inclinans:cùm etiam & apud profanos ſcriptores pallida mors non eò dicatur,quòd fuſcedine aliqua aſperſa ſit , cũ nihil aliud, quàm quędam priuatio vitę hoc nomine intelligatur,ſed magis,quòd hominem pallore ſuffundat. ſic Paulus dicebat locutus de Chriſto, De peccato, damnabit peccatum in carne. vbi peccatum,quod priori loco ponitur, tropũ habet. ſumitur enim vel ſummis auctoribus teſtibus pro hoſtia expiatrice,vt ſit flexus contrarius illi vſui,qui in nomine piaculi apud Latinos viget . cùm enim propriè expiationis ſacrificium exprimat, apud claſsicos auctores deflexum eſt ad ſignificandum ſcelus , vel flagitium.in priori acceptione dixerat quidam *Rom. 8.*

-Téque piacula nulla reſoluent.

in poſteriori verò alius,

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Eſt ergo ſenſus Pauli,vt ad diuina veniam, reiectis profanis,hoſtia expiatrix peccati dãnauit, hoc eſt,iuxta phraſim Hebraicam,extinxit, aboleuit peccatum , non illam damnationem æternam ſolùm,poſtquam in renatis,quibus Chriſti ſanguis per baptiſmum applicatur,Deus nihil habet,quod execretur,ſed etiam fomitis vires mirè in ipſis comprimit,& reſtinguit,vt nimiùm fractus non tãta tyrannide nos pertrahat,non tanto imperio nobis dominetur,nec ſic captiuos nos teneat ſecundum mentem. Hæc habui,quæ de nomine carnis dicerem.

De multiplici acceptione nominis, Spiritus. CAP. XI.

Auguſt. ſu per Geneſim ad lit. lib. 12. c. 7. ACcedo iam, vt, quod de nomine, Spiritus, pollicitus ſum, nunc præſtem. quo loco vnius ſanctiſsimi Auguſtini expreſſum de hac re teſtimonium pro mille nobis ſufficiet. is enim ſuper Geneſim ad litteram ſic ait, Spirituale, ſiue ſpiritus pluribus modis dicitur in ſcripturis ſanctis. nam & corpus, quod futurum eſt glorioſa virtute præditum in reſurrectione ſanctorum ſplendori Solis ſimillimũ, ſpiritale Apoſtolus appellat, cùm ait, Seminatur corpus animale, reſurgit ſpirituale, non quòd incorpoream ſubſtantiam ſit habiturum, ſed quòd incorruptibile & immortale animæ ſubiectũ cæleſte, & præclarum ſit futurũ. in quod iam mors ipſa penetrare nõ poſſit abſorpta in victoria. & hoc puto ſanctiſsimam Pauli animam verbis illis inſinuaſſe, quando dixit, Caro & ſanguis regnũ Dei non poſsidebunt, non tãtùm quòd caro, & ſanguis Pauli ſanctiſsimo, nõ copora, ſed carnis, & ſanguinis opera, & affectus, quemadmodum ſuprà nos meminimus, ſignificent, ſed etiam quòd dicamus carnem, & ſanguinẽ his, quibus nunc præpediuntur, ac ſordeſcunt, qualitatibus, & temperamentis comitãtibus, vtpote ſede illa æterna, ac diuina indignis in cæleſtem hæreditatem, & ciuitatẽ tunc minimè perductũ iri, ſed magis cùm cęleſtes dotes, diuináque, ac ſuprà relata ornamenta acceſſerint, &, quæ obſunt, turpitudinémque afferũt, abierint: tunc cælo, & diuinæ ſedi beatorum corpora quadrabunt, atque in cælum, Deíque regnum recipientur, &, vt verbo vno multa comprehẽdam, erunt, ſicut Angeli Dei. Rurſus ſpiritus aerem, vel eius flatum, ſeu motum aliquando ſignificat, vt in pſalmo, Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis. Dicitur præterea anima ſpiritus, ſiue ea hominis ſit, ſiue pecoris, ſicut nos ſcriptum legimus, Et quis ſcit, ſi ſpiritus filiorum hominis aſcendat? &c. Trahitur etiam nomen ſpiritus ad Dei noſtri maieſtatem æternam exprimendam, vt in illo loco, Deus ſpiritus eſt. Demum dicitur ſpiritus mens rationalis, vbi eſt quidam, tanquam oculus animæ, ad quã pertinent imago, & agnitio Dei. ſic Paulus, Renouamini, dicebat, ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deũ creatus eſt. cùm & alibi dicat, Interior hic noſter homo

1. Cor. 15. *1. Cor. 15.* *Matt. 22.* *Pſal. 148.* *Eccleſiaſt. 3.* *Ioan. 4.* *Epheſ. 4.* *Coloſ. 3.*

renouatur in agnitione Dei, ſecundum imaginem eius, qui creauit eum. ſic etiam, cùm antea dixiſſet Paulus, Igitur ipſe ego mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. alio ſanè loco eandem ſententiam vſurpans, pro *Rom.7.* mente, nomine ſpiritus vſus eſt, dicens, Caro concupi- *Galat.5.* ſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. vult etiam idem magnus doctor Auguſtinus, in omnibus illis locis Pauli ad Rom.7. & 8. ad Galat.5. ad Epheſ. 4. ad Coloſſ.3. vbi carni opponitur ſpiritus, pro mente, in qua Dei imago viget, & ſuper quã cæleſtis vultus ſui lumen obſignauit Deus, ſua ipſius hominis creatione, vſurpari: quæ ſanè mens nata eſt, vt imperaret carni & ſenſui. hic ſpiritus non in regeneratis tantùm, ſed in aliis ſæp: Dei dono paſsionibus carnis, & deſideriis rationem moderatricem ſtudioſè obiectat. non negat Auguſtinus, eam legem ab auctore naturę, hominum menti impreſſam, quę dictabat hoc honeſtum, illud cõtrà, turpe & indecorum, hoc amplectendum, illud repudiandum, huiuſmodi, inquam, legem innumeris tenebris à gentibus, quemadmodum Paulus teſtis eſt ad Romanos, obnebulatã eſſe, atq; obtenebratam. Hactenus Auguſtinus de nomine ſpiri- *Rom.1.* tus. Vnum tamen ſilentio non præteribo, ſumi etiam & apud Paulum carnẽ pro lege, quæ per ſe nullas ſuppetias ferret ſubditis ad faciendum quę iubebat, ſed magis ipſa, carnis appetentiam quaſi irritabat, & pro carne potiùs, quàm pro ſpiritu præliari videri poterat: ſpiritum verò pro lege gratiæ adiutoriis, cæleſtibúſq; donis locupletiſſima, & quæ per ſacramenta iam factæ redemptionis ſibi ſubditis copioſiſsimè fauet. quacum ſanè re vniuerſa, quę Paulus verſat de lege & de gratia, de ſpiritu & de carne *Rom.7.* valde conſentiunt. quod facilè intelligemus, ſi Græcos & Latinos auctores conſulamus. Prælibatis iis, plurimíſq; aliis omiſſis, quæ etſi ad cauſſam noſtram non parum faciunt, ne tamen lectorem diutius detinerem, omiſi, Caluiniana mox machina tot argumẽtorũ, felicisſimè ruet.

Explicatur locus, Quod natum eſt ex carne, caro eſt. CAP. XII.

PRincipiò vox Chriſti ad Nicodemum, Quod naſcitur ex carne, caro eſt, quouis modo caro ibidẽ à Chriſto vſurpetur, veriſsima, neque nobis contraria exſtit. *Ioan.3.*

eſt tamen horum verborum hic genuinus & natiuus ſenſus, Ne tantopere mireris, ô Nicodeme, quòd dixi oporrere, vos naſci denuò: ſed magis mecum conſidera, quoniam, ſi primam hominis creationem attendas, gratiam pro matre habuit. ex ea enim creatus homo, in tãtam dignitatẽ, quam tu & legiſti, & ſæpe audiuiſti, eſt euectus: at tũc de matris vtero malè natus & proiectus eſt homo, quando in primo parente deſerta paradiſi requie, immortalitatis dono amiſſo, regni cæleſtis iure fũditus inuerſo, propter peccatum ex amœniſsimo loco expulſus, in hoc, quod vides, omnium miſeriarum exilium, cupiditatúmque ſentinã decidit. quid ergo ex hac carne, niſi caro hoc eſt, fragile, interitui & corruptioni obnoxium, inops, in malum procliue, innumeríſque affectum miſeriis naſcetur? ecce iam oſtendo, ô Nicodeme, vnde poſsis quaſi lõgo poſtliminio in antiquæ matris, id eſt, gratiæ vterum redire, amiſsíque regni iura repetere, ſcilicet ſi denuò ex aqua & ſpiritu ſancto renaſcaris. natus es ſemel ex carne, & talis natus, qualis erat Adam, cùm generare inciperet, peccati ſeruus, bonis omnibus ſpoliatus, mortis & miſeriæ imago quædam expreſſa: cuius vires fragiles, animi dotes imminutæ, anima, ratio, voluntas, omnia tandem nimiùm ab antiqua felicitate degenerantia. ex tam mala ergo radice quid boni, quod æternæ vitæ ſit meritoriũ, ſperare iurè poſsis ô Nicodeme? nunquid colligunt de ſpinis vuas? num lupus agnum aliquando genuit? num muſca elephãtem vnquã peperit? aut ex homine natus eſt angelus, vel ex carne ſpiritus? an non potiùs, quod natũ eſt ex carne, caro erit, carne quidem maledicto ſubiacente, ad malum impensè irritãte, iræ filios, poſſeſſores ſuos conſtituẽte? Vides igitur, non eò omnia hæc à ſaluatore noſtro inducta, quò in vniuerſum naturam noſtram, tanquam malam, & ſub peccato neceſſariò iacentem, damnaret, ſed magis quò cæleſtis regenerationis, quæ nobis in baptiſmo contingit, neceſsitatem pro cæleſti regno comparando nobis omnibus in Nicodemo traderet. nõ habet caro, vnde ex ea cæleſtia naſcãtur, habet, vnde infinita mala ex ea propagentur, niſi naturæ lumen, & gratiæ ſpiritus, qui multò eſt potẽtior, huic malæ inclinationi reſiſtat. ceterùm ea caro, quæ in ſcripturis tot elogiis inſi-

gnitur, vel fragilem noſtram naturam, vel certè ea opera, quæ ab ea proficiſcuntur in ratione carnis & ſenſus, importat: nulla tamen eſt, quæ peccato neceſſariò, ſed volũtariè, & liberè captiua teneatur. ea verò, quæ per voluntarium aſſenſum membra ſua iniquitati arma exhibet, ea ſanè eſt inimica Deo, atque mors. Totus homo, Caluine, caro eſt: fateor, ſi verbum hoc iuxta priorem acceptionem, naturam nimiùm infectam inſinuet, & in malum propenſam, ex qua carne totum, quod naſcitur, illi ſimile eſt: non tamen totus homo caro eſt, vt dicebat Auguſtinus, ſi caro ſit ea pars quæ peccato eſt ſemper ſubdita, & quæ non pugnat, ne à malo exuperetur, ſed ſic peruerſa eſt, vt toto ſuo affectu ſimultatem aduerſum Deum exerceat. nõ totus homo caro eſt, ſi eam carnẽ intelligas, quæ paſsionibus irretita poſt cõcupiſcẽtias ſuas perditè abit, quæ nihil parit, niſi iniquitatis materiã, & cum legis diuinæ iuſtitia pugnat, poſtquam in homine etiam non regenerato, vt vult Auguſtinus, ſpiritus eſt pars altera, quæ in omnibus cum carne bellum gerit. at totus homo caro eſt, poſtquam nihil niſi procliue ad malum, & quod facilè in turpitudinem ſe proſtituat rapiendum, habet. ſecundum vtrãque hominis partem, hominem naſci denuò oportet: hæc quidem, quæ animalis eſt, ne nimiũ nos vrgeat, illa verò, id eſt, mens noſtra, vt victrix perſeueret à peccato libera, non ampliùs affectibus ſeruiens, ſitque totus homo Chriſti beneficio & dono oppidò roboratus. quidquid habemus à natura, caro eſt, id eſt, nihil in nobis eſt, ſi Dei dona non annumeremus, quæ Chriſti ſanguis nobis peperit, quod in parietem iam inclinatum, & in ruinam, quam peccatum in nobis fecit, non incumbat: nihil eſt in nobis, quod nimia carnis noſtræ ferocia in malum non propendeat. cuius certè rei odorem non mediocrem habuiſſe huius ſæculi philoſophos, vel vnus Cicero nos admonere poterit, cũ dicit, Nunc autem ſimulãtque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni cõtinuò prauitate, & in ſumma opinionũ peruerſitate verſamur: vt penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. at vigent in nobis antiqui illius primi hominis non leuiter preſſa veſtigia libertatis ſuæ, ſed fixa ad memoriam antiquæ illius felicitatis perpetuæ, vt ratione

Cicero 1. Tuſc. quæſt.

& libertate ſua tum ſe,tum motus ipſos ſenſibilis partis in officio ſæpe contineat. Chriſti igitur gratia vnũ eſt nobis & ſingulare remedium,quo à miſera noſtra cæcitate,& malis omnibus,quibus non tam naturæ vitio, q̃ noſtris corruptiſsimis moribus irritemur,expediti liberemur: cùm hoc tamen ratio ea,quæ in natura vulnerata manſit,inexcuſabiles ſapientes huius mundi reddidit a-
Rom.1. pud Deum, quem cùm cognouiſſent, non, ſicut Deum, glorificauerunt.

De intelligentia illorum verborum pſalmi & Pauli, Non eſt iuſtus quiſquam, & omnes declinauerunt.

CAP. XIII.

PAulus etiam dum humani generis arrogantiam tot
Rom.3. ex ſcriptura teſtimoniis deſumptis deiicit, Non eſt iuſtus quiſquam,non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt:
Pſal.13. non eſt qui faciat bonum,non eſt vſque ad vnum. Sepul-
Pſal.5. chrum patens eſt guttur eorum:linguis ſuis doloſè age-
Pſal.139. bant. Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os
Pſal.9. maledictione,& amaritudine plenum eſt. Veloces pe-
Ieſ.59. des eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio &
Prouer.1. infelicitas in viis eorum,& viam pacis non cognouerũt.
Pſal.35. Non eſt timor Dei ante oculos eorum, non his certè fulminibus in filiorum Adæ naturam, quaſi eam ipſe damnet,ſed in corruptam hominum conſuetudinem inuehitur. non certè perpetuam naturæ noſtræ corruptionem Paulus eo loco accuſat,ſed in hominum magis,Iudæorum potiſsimùm, quibus (vt diligenter Chryſoſtomus hìc obſeruat)non ſatis ſua impietas perſuaſa adhuc erat,deprauatos & corruptos mores declamat.quam ſanè rem ea,quæ vniuerſum Pauli progreſſum ibidem præceſſere,& epiphonema, quo Paulinus ipſe locus eleganter clauditur,nos euidenter docent de actualibus fuiſſe lo-
Rom.3. cutum Paulum. præmiſerat quippe, Cauſſati ſumus,hoc eſt,cauſsis redditis oſtendimus, nos omnes ſub peccato eſſe,non ſub eo tantùm,quod ab Adam,quaſi per manus accepimus,ſed ſub infinitis noſtris ſceleribus. quod vt probet,peccatorum mox catalogum cõtexuit, ac demũ, vt aperiret,quo conſilio hactenus vtriuſque populi peccata commemoraret,rationem in hunc modum ſubne-

ctit, Vt omne os obſtruatur,non gentium modò, ſed & Iudæorum,& ſubditus fiat omnis mūdus Deo. quo loco pro eo,quod nos,ſubditos,legimus,Græcè eſt, ὑπόδικος, quod perinde valet,ac ſi vertas,obnoxius, ſiue obligatûs ad pœnam luendam. Vſus eſt eo loco Paulus forenſi vocabulo,compoſito ex præpoſitione ὑπὸ,id eſt,ſub,& δίκη, quod & crimen ſignificat,& cauſſam, & vindictam, ſiue pœnam,vt intelligamus non niſi grauiſsima peccata ſe hîc recenſuiſſe,& meminiſſe. Magna tamen conſideratione obſeruandum duco non tam propoſitum Chriſti Apoſtolo eo loco fuiſſe homines obiurgare, quò reſipiſcant, quàm docere, neque ab antiqua Adæ calamitate, neque à noſtris defectionibus, quibus illam cumulauimus,aut naturę viribus,aut antiquæ legis vigore,ſed magis Dei ſolius miſericordia, & per Chriſti IESV fidem nos inde explicari,& eripi poſſe. is enim ſolus perfectè iuſtus eſt ea ſanè iuſtitia,quàm nullus eſt, qui iure Deo opponere pro nobis poſsit,præter eum , quem miſit pater,factum nobis iuſtitiam,& redemptionem Chriſtum IESVM. *1.Cor.* *Epheſ.1.* *1.Tim.2.*

Veræ fidei confeſsio de natura noſtra primi hominis peccato ſaucia traditur. CAP. XIIII.

IGitur non ſic perditam eſſe naturā noſtram, neque ſic deprauatam,vt importunè ſatis Caluinus ſemper obſtrepit,Paulus hoc loco cōuincere laborat:ſed magis imbecillam & infirmam,ſub originali ſcelere iacentē,innumeríſque noſtris ſceleribus oppreſſam,vt ſe inde exigere non poſsit,niſi vnici mediatoris gratia,tota illa conſecutione colligere nititur,vt vel ſic ſtare commodè poſsit Apoſtoli argumentatio, ſimúlque fidei noſtrę catholica confeſsio,à patribus ſanctæ ſynodi Tridentinæ verè,piéque explicata. ita enim cenſuerunt, Si quis ergo per IESV Chriſti domini noſtri gratiam,quæ in baptiſmate confertur,reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id,quod veram & propriam rationem peccati habet,ſed illud dicit, tantùm radi, aut non imputari, anathema ſit. in renato enim nihil odit Deus:quia nihil eſt damnationis iis,qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſmum in morte, qui non ſecundum carnem ambulāt,ſed veterem hominem exuen- *Verba concil.Trident.*

tes,& nouum,qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes,innocentes,immaculati,puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti ſunt:hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Chriſti,ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur. remanere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitẽ hæc S.ſynodus fatetur,& ſentit: quæ cùm ad agonẽ relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Chriſti IESV gratiam repugnantibus,nunquam valuit: quinimmo qui legitimè certauerit,coronabitur. hanc concupiſcentiam,quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, S.ſynodus declarat,eccleſiam catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari,quòd verè & propriè peccatum ſit,ſed quia ex peccato eſt,& ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit. Hæc S. ſynodus.cuius decretis repugnare neque debeo,neque volo,ſed magis mihi ipſi gratulari debeo, ꝙ vniuerſam noſtram diſſertationem ad huius ſacrati canonis iudicium Chriſto fautore exegerimus. Nunc proximum eſt,vt pertractem de cæco naturæ lumine,& de voluntatis noſtræ in malum neceſsitate:in quibus quãtum iſte à rectæ fidei regula deflexerit,ſpero per me cõſtabit, & quàm ſemper pro Lesbia regula,diuina ſcriptura fuerit iſte vſus,manifeſtò patebit. nunc ergo videamus de lumine intellectus,mox acturi de libera voluntatis noſtræ in bonum & in malum electione.

De lumine intellectus noſtri poſt peccatum,& quòd alia ſit intelligentia rerum terreſtrium,alia cæleſtium.

CAP. XV.

Cal.lib.2.c.2.ſect.13. MIhi non omnino improbatur Caluini diſtinctio in hac parte,quæ habet,eſſe aliam quidem intelligentiam rerum terrenarum, aliam verò cæleſtium. res terrenas vocamus,quæ ad Deum,eiúſque regnum,ad veram iuſtitiam,ad futuræ demum vitæ beatitudinem non pertingunt,ſed cum vita præſenti rationem,relationémque habent,& quodammodo intra eius fines continentur:res cæleſtes puram Dei noſtri notitiam,veræ iuſtitiæ rationem,ac regni cæleſtis myſteria comprehendunt. in priori genere ſunt politia, œconomia, artes omnes mechanicæ, diſciplinæque liberales, ſiue ſpeculatiuæ illæ ſint,ſiue ethicæ ac practicæ. Videamus ergo primùm,

ſitne extinctum lumen intellectus noſtri in prioris generis rebus: altero ſiquidem loco, quo pacto ſe intellectus habeat circa diuiniora obiecta pertractabimus: denique tertia parte, quæ vltima erit, quantum ſit in vtroque genere non ante lapſum tantùm, ſed poſt defectionem illam, liberæ facultatis id voluntate noſtra tum pro ſtudioſis actionibus liberè eligendis, tum pro vitæ æternæ meritoriis operibus comparandis, expendemus: in eámque rem apprimè inſiſtemus conſiderantes ſemper, an ſcilicet Caluiniana omnia vel hac parte cum fidei noſtræ regula, atque euangelica amuſsi optimè (vt ipſe de hoc ſe magnificè iactat) quadrent, an potius longè ſecùs ſe res habeat.

Quàm ſit perſpicax intellectus noſter circa hæc terrena etiam poſt peccatum. CAP. XVI.

PErpetuæ cæcitatis ſic noſtrum damnare intellectum, vt nihil illi naturalis intelligentiæ, & ſcientiæ in vllo genere reliquum facias, non modò naturali rationi, (vt de Dei verbo nihil ego hîc commemorem) ſed communis etiam ſenſus experimento repugnat. videmus enim (neque puto, id velit negare Caluinus) inſitum eſſe humano ingenio deſiderium neſcio quod veritatis indagandę, ad quam non ſic aſpiraret, niſi magno illius odore iam mente percepto. erit igitur non parua humani intellectus hæc excellentia, quòd veri amore naturaliter rapitur, cupiens in dies meliori ſcientia, & plurima veritate cumulari: cuius ſanè neglectus in brutis animantibus craſſum arguit, & abſque ratione ſenſum. neque tam facilè naturalis hæc veri appetentia antè, quàm ſui curſus ſtudium ingrediatur, deficit, quòd mox in vanitatem concidat, vt vanus iſte magis affirmat. quoniam mens hominis non ſemen & principia innata tantùm tenet, ſed ipſam rectam veri inueſtigandi viam ſecuta, quid habeat acuminis intellectiua virtus in ethicis, phyſicis, & id genus aliis diſciplinis, abundè eſt teſtata. ſolent bene (ego fateor) & hi non ſemel vagari per errores, &, tanquam in tenebris palpando, ſubinde impingere: at nihil ad me ſpectat, qui huiuſmodi lumen non reſtinctum poſt primi hominis peccatum defendo, omniſcium noſtrum intellectum facere, aut probare,

ſatis nobis ſit non ſic cæcum oſtendiſſe, quin ſit in eo ſufficiens lumen ad inueſtiganda ea, quæ intra naturã ſunt, modò inquirere, aduertere, ac contemplari velit. ridiculum ſanè, & ſtultitiæ proximum mihi videri ſolet, quòd dum intellectus noſtri vires iſte exugere laborat, ſtultiſſimè calumniatur. *Veritatem*, inquit, *quærendo, quàm ſit humana mens ad eam quærendam, & inueniendam inepta, ſe ipſam prodit*. immo verò ſic mihi liceat opponere, ita veritatem quærendo, vt doctiſsimi quique fecerunt philoſophorum, quàm ſit humana mens ad ipſam inquirendam apta, ex his, quæ non probabilitate ſumma tantùm, ſed etiam neceſsitate, quæ deficere nequit, inuenta eſſe & videmus, & legimus, apertiſsimè prodit. Torquet & Caluinum hoc loco altera intellectus noſtri prauitas: ſic enim eam dicit cenſor iſte, *Altera deinde intellectus noſter prauitate laborat*. qua bone medice? *quòd in quarum rerum veram notitiam incumbere expediat, ſæpius non diſcernit*. ô morborum naturæ hominum cenſor, æſtimator, & magne inquiſitor, quaſi verò vitio intellectus id eueniat, & non ſæpe appetitus, ac voluntatis, cuius etiam imperio intellectiua vis nata eſt ferri, & auocari. Deinde, vt demus Catoni iſti nõ è cælis delapſo, ſed ab inferis ob reip. Chriſtianæ exercitium Dei permiſſu in vitam reuocato, vt, inquam, illi demus, torquere ſe aliquando mentem noſtram ridicula curioſitate in diſquirendis ſuperuacuis rebus: cur, rogo, cùm ad res cognitu maximè neceſſarias aduertit, & deflectit, (quod in multis feciſſe negare ſtolidiſsimus quiſque verebitur) non laudat? dicat mihi Caluinus, quid cauſſæ, quare ex ſtudio intellectus noſtri (quod ſeriò ad bonum & honeſtum & vtile inquirendũ accommodat) minùs mihi liceat inferre, vim ineſſe non paruam naturæ hominum ad cognoſcendum, quæ naturalia ſunt; quàm ſibi licuit, quòd circa multa minùs neceſſaria turbatur ratio noſtra, eam, ceu cæcam, diffamare? rurſum precor, attentè, quæ ſequuntur, lector excipiat. non poteſt negare Caluinus, quantumuis aduerſum naturam ſuam armatus veniat, quoniam homo animal eſt natura ſociale, vt naturali inſtinctu ad fouendam conſeruandámque eam ſocietatem propendeat, atque ducatur: & non hoc ſolùm, ſed & ciuilis cuiuſdam

honeſtatis, & ordinis mirabiles vniuerſales habet impreſsiones. neque id tantùm, verùm legibus huiuſmodi hominum conuentus detineri gaudent, quarum principia mente complectuntur, éſtque propè naturalis mortalium hominum in politicas leges conſenſus. & quòd ſummè Dei noſtri infinitam maieſtatem in homine cõmendat, hoc eſt, quòd prudentiam dedit, vt eas leges inſtituerent, quæ poſſent intra ius & rectum, intra amicitiæ terminos immenſam hominum continere multitudinem: vt non erret, qui creatam iſtam ſapientiam ab æterna illa profectam firmiſsimè credat, qui ait, Per me reges regnant, per me principes imperant, per me legum conditores iuſta decernunt. quæ quidem verba nemo dubitat ad Lycurgum, Solonem, Platonẽ, & alios ſe extendere. hæc ſiquidem infinita ſapientia in publicum generis humani bonum bona ſua vbique diſpenſat. Hæc cùm ita ſe habeant omni ex parte, ſintque veriſsima, iam ſe importunè ſatis immiſcet Caluinus, qui lamentis, multóque fletu hominis cæcitatem, & humanæ lucis lugubre funus proſequitur: lamentatúrque, quòd inter tot diſſenſiones & pugnas, quæ mox emergunt, dum alij cupiunt omne ius & fas inuerſum, ſoluta legum repagula, libidinémque ſolam pro lege graſſari paſsim videamus. *Alij*, inquit, (ne quod naturæ malum obliuiſcatur, quod vitium, vt ipſe ait, eſt pluſquam vulgare) *iniquum eſſe putant, quod pro æquo ab aliis ſancitur: contrà laudabile contendunt, quod ab aliis vitatur.* Quid laboras miſerias noſtras vndique congerere? ſunt hæc veriſsima, & adhuc fortè minimam portiunculam noſtrorum malorum à te audiuimus: ſed quid ad lumen intellectus? num iſti ideo leges oderunt, quòd ignorent bonas & ſanctas eſſe? ánnõ magis præcipiti cupiditate furentes, cum manifeſta ratione pugnant, & quod mentis intelligentia probant, pro ſua libidine execrantur? claudicet quantumuis humana mens, vacillet libera hominis facultas: nunquam humanis factionibus æqua & iuſta lex dirimi in ſe poteſt, neque ipſum, qui eam condidit, intellectum non ſemper ab admirabili luce commendare. igitur multùm poteſt intellectus noſtri acumen, ſiquidem excolatur, pro humanis actionibus ſtudioſè inſtituendis.

Prouer.8.

Quantum excellat naturale lumen intellectus noſtri in liberalibus diſciplinis, mechanicíſque artibus. CAP. XVII.

IAm verò in liberalibus diſciplinis, mechanicíſque artibus addiſcendis, quis adeò hebes erit, vt vim humani acuminis iuxta eam aptitudinem, quæ in nobis eſt ad eas perdiſcendas, non facilè, nullóque labore deprehendat? omitto ſingulare ſanè quoddam, ac certum communis energiæ ſpecimen, quòd propè neminem reperias, cuius perſpicientia in arte aliqua non ſe exerat. quæ quidem energia & facilitas, non ad diſcendum ſuppetit tantùm, ſed ad excogitandum in vnaquaque arte aliquid, vel amplificandum, & expoliendum, quod ab alio præeunte didicerit. non quòd eam energiam recordationem cum Platone eſſe ſentiamus (abſit) ſed optima ratione fateri cogimur, eſſe inſitum humano ingenio huiuſmodi principiũ, quod arte excolatur. dico igitur nõ ſic hominem à Deo cõditum ſolùm, verùm & nunc eo præſtare intellectus vigore, vt ſi rationem ducem ſequi velit, vt plurimùm ſtudioſè, & bene moraliter agat. quod ſanè lumen, ſuper nos obſignatum lumen vultus Dei nominabat regius propheta. Quouſque igitur Dei imago nobis impreſſa manebit, lumen diuinæ ſcientiæ, homini tam diu obſignatum hærebit. at Dei imago peccato vtcumque ſit deturpata, nõ tamen aut omnino obliterata, aut ex omni parte erit amiſſa: ſic lumen illud animæ noſtræ conciliatum. quod quamuis bona ex parte poſt peccatum fuerit obtenebratum : (quis enim audeat ad terrena etiam iſta poſt lapſum, ſe cum illo primo homine omni ſplendore ornato, ac multi iuga ſcientia abſoluto conferre?) tamen non ſic omnino extinctum, aut offuſcatum eſt, quin labore & ſtudio poſsit naturale bonum intelligere, & malum deprehendere. quis, Deum immortalem, veritatem vellet auferre ab antiquis iureconſultis, qui tanta æquitate ciuilem ordinem, & diſciplinam omnibus ſæculis ſequendam propoſuerunt? quis philoſophis lucem in exquiſita naturæ cõtẽplatione, & artificioſa deſcriptione defuiſſe affirmet? quis ab his, qui, arte diſſerendi conſtituta nos cum ratione loqui docuerunt ſplendidam mentem, aut ab his, qui, medicinam ex-

tudendo, ſuam nobis induſtriam magnificè impenderunt, prudentem, ac lumine plenum intellectum adimere audebit? igitur hi non mediocri ex parte penitiſsimos naturæ receſſus perluſtrarunt, vt vel ea ratione, quantú excellat intellectus, liquidò cognoſcatur. cuncta tamen, quæ diximus, maxima conſideratione, ſummáque prudentia ſunt ponderanda. id dixerim, quòd quamuis vniuerſale ſit hoc humani intellectus donum, in eo tamen pro ſe etiam quiſque peculiarem Dei gratiam agnoſcere debet. ad quam gratitudinem nos abundè expergefacit ipſe naturæ conditor, dum moriones creari permittit, vt omnes intelligant, ſic naturale eſſe omnibus quod habent, vt etiam æſtimari poſsit gratuitum erga ſingulos beneficentiæ eius munus. quis porrò ignoret, hominis mentem, quantumuis ab integritate ſua collapſam, à Dei ſpiritu, qui omnis veritatis fons eſt vberrimus, ſolitam irrigari? Dei igitur dona vbique agnoſcentes, in quo viuimus, mouemur, & ſumus, quàm præcellentem condiderit hanc naturam, ſic continuò miramur, vt vniuerſa illi noſtra accepta feramus, & quæ in creatione dedit, & quæ (qua eſt liberalitate) quotidie gentibus etiam communicat: ne ſimus Dei ſpiritui contumelioſi, ſed pij & grati. Vt mihi quidem noſtram cauſſam egiſſe videantur, quotquot bonas omnes artes deorum inuenta eſſe dixerunt: tantum abeſt, vt ab ipſis, cùm hæc dicerent, naturale lumen hominis cum contemptu & opprobrio vilipenderetur. melior enim natura, qui Deus eſt, opportunis ſemper eſt vſa inſtrumentis, vt quæ vniuerſa ſuauiter de more diſponat. quare importuna iſtius repetitione non indigemus, ne interim obliuiſcamur diuini ſpiritus præſtantiſsima hæc eſſe dona. Quis, cedò, ſic dormit, vt ab iſto è ſomno excitari ſit illi neceſſe? quis tam obliuioſus, cui magnifica hæc Dei dona non occurrant? ne ergo importunus aliquis canis oblatret, mentem meam de hac re paucis explicabo. obiectum quodcunque ordinis iſtius, id eſt, creati, de quo, vt princio ſtatui, nunc nobis ſermo habetur, non habet vnde humanum intellectum, ſi ipſam & obiecti, & intellectiuæ partis naturam iuſta libra penſemus, latitudine vincat: habétque hoc à Deo, qui præ ceteris animantibus eam illuſtrauit. ſit in-

de,vt vel hac prima conſideratione Dei donum ſit, dein iuuatur ſæpiſsime ſupra ſe excellentiori eleuata luce etiã hominum mens circa ſibi natiuum obiectum, ne voluptati conſentiens (vt ſolet ſæpe) falſa bonorum imagine deluſa carni intellectum aggrauanti miſerè cedat: ſed magis curis vacua, veri ſemina preſsiùs meditata, ſibi & aliis iam nata, in meliorem frugem ſemper veniat. quò demum finiamus, naturæ lumen ad ea, quæ ſupra naturam non ſunt, efficax eſt ad multa, & præter id illuſtrationi Dei optimè ſe aptat. Hæc de primo membro, nunc de altero genere rerum.

Quid cernat humana ratio, vbi ad cæleſtia ventum eſt. CAP. XVIII.

VEnio ad alteram propoſiti noſtri partem, in qua ſimili compendio eſt mihi exponendum, quid cernat humana ratio, vbi ad Dei regnum, & ad ſpiritualem illam perſpicientiam venitur: mox eſt nobis examinanda voluntas. quo ſanè loco polliceor, perſpicuis & euidentibus teſtimoniis ſcripturarum, atque ſanctorum oſtenſurum me Caluino, quàm ſiniſtrè & flexuosè, multiplex & tortuoſum hominis ingenium Dei verbum tractet. Quæ diuinioris ſunt obiecti, tribus potiſsimùm rebus conſtant, ſcilicet, Deum noſſe, paternum erga nos fauorem expendere, quem abundè patefecit, dum verbum ſuum carnem factum ex integra virgine, atque illibata nobis dedit, & demum formandæ ſecundum legis diuinæ regulã probè callere. Vt intelligat ac perſpiciat Caluinus, magis nos duci veritatis & fidei amore, q̃ quòd nimia & oppugnandi & maledicẽdi libidine in aliquẽ feramur, hoc mihi cũ illo conuenit, quódq; apud omnes optimè cõſtitutũ cupim⁹, nulli vnquã viã in æternã ſalutẽ patuiſſe, niſi p̃ vnius Dei creatoris, & remuneratoris fidẽ, (vt de fide explicita mediatoris nihil modò affirmẽ) neque ſine ſupernaturali dono fidei ipſam naturalé cognitionem de Deo quamlibet exactiſsimam nos ei reconciliare, & in eius gratiam reſtituere, vſquam gentium, aut vllo ſæculorum potuiſſe. Probè noui, viros magno nomine huic noſtræ aſſertioni ſuam omnino opponere, quorum grauitas, bonorúmque ſtudiorum lucubrationes multùm & diu elaboratæ me mouerunt, ne rem dubiam,

Fides explicita vnius Dei ſemper in ſalutem fuit neceſſaria.

biam, quæ ſub iudice adhuc eſt, mox hæreſeos notarem cenſura: quemadmodum multi faciunt, qui cùm vix mactarint, (vt dicitur, opinor, apud Homerum) iam excoriant: quos hac quidem parte imitari neque cupio, neque volo: tantum abeſt, illis inuideam. Igitur fruantur illi bonis auibus ſuis laboribus, modò permittant & nobis noſtris gaudere, & in noſtro ſenſu abundare. quare non contradicimus Caluino aſſerenti, non eſſe tam ſublimis ſapientiæ capacem hominem, vt Deum æterni præmij largitorem, æternáque & infinita maieſtate pollere ſemper credere, & firmiſsima cognitione tenere valeat, niſi Dei dono gratis ad tantam intelligentiam aſciſceretur: at, hoc oportuiſſe eos credere, qui ad Deum acceſſuri eſſent, Paulus de fide diſſerens copioſè & eleganter quamplurimis exemplis confirmat. inclamat quoque *1.Cor.12.* propheta, Apud te eſt vitæ fons, & in lumine tuo vide- *Pſal.34.* bimus lumen. eò etiam pertinet quod Ioannes Baptiſta ſtupore diſcipulorum perculſus intulit, Nemo poteſt ac- *Ioan.3.* cipere quidquam, niſi datum ſit illi deſuper. Donamus *Deut.29.* omnia libenter Caluino, quæ à Moſe, Ieremia, & à Pau- *Iere.24.* lo, immo à Chriſto ipſo, in eam rem conſtruendam o- *Ioan.6.* portunè mutuatus eſt. Verum eſt, Caluine, quod hîc aſſeris, nemini patuiſſe à condito orbe in cæleſtem illam Dei noſtri requiem aditum, niſi cui nouam mentem ſpiritus ſáctus ſua priùs illuminatione reddiderit. damus nihilominus tibi non ſatis huic ruditati, & ſtupiditati Deum ſuccurrere, dum verbi ſui doctrina eò dirigit intellectum noſtrum, quò ſine duce peruenire non poterat, niſi etiam nobis diuinus ſplendor oculos retegat, vt diuinæ legis myſteria conſideret. non grauamur, aut moleſtè ferimus noſtram inopiam fateri, & tantùm nos ad ſecretiora & ſacratiora hæc myſteria intelligenda valere, quantùm eius gratia illuminati fuerimus.

Habet humana ratio non nimium diuinitatis odorem.

CAP. XIX.

HAbeat hæc nobiſcum communia Caluinus, habeat bonis auibus, ſed hortamur eum, ne veritatis ſpecie, & recti imagine nos ampliùs illudere pergat, nec veritatem hanc tot conuiciis in naturam humanam duriſſimè iactatis, manifeſtíſque contumeliis inſpergat & in-

famet. quid homines alioqui ingenioſos, & Lynceos talpis appellat cæciores? quorum non pauci (loquor de antiquis ſapientibus) etſi non ea certitudine, & eo ſplendore, quem fides præſtat, multa tamen cognitione, & ea nō vulgari Dei noſtri vnitatem, bonitatem, infinitatem, in conſeruandis rebus diuinam prouidentiam, non olfecerunt modò, ſed etiam optimis rationibus, iiſque certis, omnium mentibus hæc omnia impreſſa reliquêre. Naturalis hic piuinæ ſubſtantiæ odor, ſi ad fidei noſtræ illuſtrationem referatur, exiguus eſt (non negamus) æternæ illius maieſtatis guſtus, ſed eò ſanè pertingens, vt nec ignorationem impietati, teſte Paulo, obtendere vllam, nec excuſationem malè actæ vitæ prætexere poſſent, ſed vt ſe ipſos magis, atque alios in bonum hoc gnauiter animare valerent, talíque intuitu ad naturalem veritatem ſe totos componere, & dirigere deberent. Quare nō omnino, Caluine, probari nobis poteſt tua illa ſimilitudo de nocturni fulgetri coruſcatione, quam, qui in medio agro eſt viator, longè latéque ad momentum videt, ſed adeò euanido, inquis, aſpectu, vt ante noctis caligine reſorbeatur, quàm pedem ille queat mouere: tātum abeſt, vt in viam tali ſubſidio deducatur. nam ſi de naturali luce in rationis bonum hæc abs te dicta à nobis accipi vis, toto erras cęlo, quemadmodum ſuprà nos non ineptè omnino probauimus. neque ſic veritatis illæ guttulæ, quibus libros ſuos non fortuitò, vt tu dicis, ſed magno conſilio aſpergunt, tot ac tam portentoſis mendaciis ſunt inquinatæ, quàm tu eos nunc inſimulas. ſi verò ad illa diuinæ erga nos beneuolentiæ ſigna magnificentiam, benignitatem, paternam dilectionem, dona cæleſtia, æternæ & nunquam intermorituræ in nobis beatitudinis præmia, ac demum media in eum finem nos ducentia, ſi, inquam, ad hæc omnia orationem, tuam accōmodes, à nobis es, qui ingenuè fatemur, quòd ad tantam & talem hanc veritatem nec appropinquat, nec contendit, nec (vt tu loqueris) collimat humana ratio. non ſumus ô Caluine, falſa perſpicaciæ noſtræ opinione ebrij: at vix tamen tu nobis perſuadere poteris, ſic eam in diuinis rebus alucinari, aut prorſus cæcutire, vt vel cæleſtis fulgôris non ſit capaciſsima.

Rom.1.

Notantur Caluini maledicta in naturam noſtram aſperè & liberè dicta. CAP. XX.

VNde corrigendus eſt Caluinus, eiúſque maledicentia in naturam noſtram freno & chamo conſtringenda, cùm ait, quòd humanæ mentis acumen, quantùm ad Dei notitiam, mera eſt caligo. & rurſum, quòd cùm ſpiritus, homines appellat tenebras, eos ſemel ſpoliat omnis ſpiritualis intelligentiæ facultate. ad hæc cùm verſat illud ex Deuteronomio, Viderunt oculi tui ſigna illa, & portenta ingentia, & non dedit tibi dominus cor ad intelligendum, nec aures ad audiendum, nec oculos ad videndum: (qui locus ad ſpecialem illam illuſtrationem, quæ amicorum eſt, & peccatis ſubtrahitur, à ſanctis communi conſenſu refertur) quot, Deum immortalem, oportunam nactus occaſionem, nullis eloquẽtiæ ſuæ viribus parcens, aduerſus miſeram naturã malè meritam de eo tragœdias mouet? quot ab eo motus hîc concitantur? *Quid*, inquit importunus homo, *plus exprimeret, ſi nos vocaſſet ſtipites in Dei operibus conſiderandis? an non illud apud omnes conſtitutiſſimum eſſe debet, ideo in terras Dei filium deſcendiſſe, vt patris voluntatem hominibus patefaceret? an ignoramus legatione ſua eum fideliter functum? videmus ſimiliter parum effici eius prædicatione, niſi interior magiſter ſpiritus vias ad animos patefaciat*: quid nos premis, quid in re nota, cõmuníque nobis omnibus, & tibi pluribus probanda tempus abſumis? neceſſe eſt, neceſſe maximè aures noſtras ad audiendum, ad intelligendũ mentes ſpiritus mira ac ſingulari virtute reformet. faceſſat, faceſſat à nobis iſta pluſquàm Pelagiana phreneneſis, à qua ſanè tantùm abeſt Chriſti ſponſa, quantùm tu à ſincera, veréque apoſtolica fide receſsiſti. vt enim omnes iuſtitiæ noſtræ partes ſine fide, velut pannus mulieris menſtruo fluxu pollutæ, apud Deum appenduntur, ſic vniuerſa mortalium ſapientia ſine diuiniori lumine, ſi conferatur cum cæleſti, quæ nulla vnquam cogitatione percipitur, meritò ac iure ſtultitia dici poteſt. Scriptum eſt enim, dicebat Paulus, Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. ſtultam fecit dominus mundi huius ſapientiam, quæ nullum penitus odorem profundiſsimi illius concilij Dei noſtri

Ioan.1. *Deut.4.* *1.Cor.1.* *Ieſ.33.*

de incarnatione, mundi contemptu, crucis prædicatione præſenſit. quod enim ſæculi huius prudentiores imbecillum, & infirmum, atque deriſui patens æſtimabant, fortius & ſapientius eſt, quàm homines ſint, aut intelligant. illis crucifixio, ſtulta & infirma eſt viſa, at hæc mūdo vniuerſo nunquam perituram ſalutem peperit: illis exigua atque impotens Dei hominis infirmitas, & humanitas eſt habita, at hæc mortem morti addixit, dæmonem victum & coercitum potentiſsimè compeſcuit. ſtultam fecit Deus huius mundi ſapientiam, dum ſæculi ſapientes, cùm in foro opificem aliquem longè meliùs, quàm ſe ipſos philoſophari ſpectarent, ſtupebant, &, tanquam ad noua quædam, prodigioſaque miracula, vt attoniti & ſtulti, demirabantur, acerbè & iniquè ferentes, per imbecillum & abiectum hominum genus, per pannoſos & malè veſtitos viros, per ſordidatos ac miſeros humiliari ſeſe, abiectos manſuetóſque reddi, qui & potentia, & diuitiis præſtabant. Per hanc prædicationis ſtultitiam, id eſt, per eam prædicationem, quæ ſæculi huius amatoribus ſtulta & fatua, nulliúſque conſilij habebatur, voluit ſaluos facere credentes, & hoc, poſtquam per Dei ſapientiam, quę in creaturis perlucebat, & oſtendebatur, mundus Deum non cognouit. Id ſanè fecit Deus optimo conſilio, quo oſtenderet, nihil eſſe in nobis, quo intumeſcamus, ſed in Deo magis gloriemur.

1.Cor.1. hoc eſt, quod Paulus vult, dum ait, Vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. idem etiam Paulus, Deus,

Epheſ.1. inquit, & pater gloriæ det nobis ſpiritum ſapientiæ, & reuelationis, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis veſtræ. Non vides Caluine, quanto nos Dei gloria amore affecerit? nónne vides nihil nos laudis, aut gloriæ præter ius & æquum ingenij noſtri acumini tribuiſſe? ſed hoc diſcriminis inter nos & te perpetuò verſabitur, quòd nos quidem etſi fatemur tecum à natura inditum intellectui lumen, non poſſe eam nobis præſtare cognitionem de Deo, quam catholica fides exigit: attamen non ſic cæcam æſtimamus noſtram naturam, quin ea luce, quæ ſibi propria eſt, non mirè negotiari poſsit, vt optimo nixa principio, cæleſtíque perfuſa ſplendore nimiùm illuſtretur.

Quomodo ſe habeat humana ratio in cognoſcenda vitæ noſtræ probè inſtituendæ regula.

CAP. XXI.

SImiliter cenſeo de cognoſcenda vitæ noſtræ probè inſtituendæ regula. quod ſanè tertium in partitione noſtra membrũ erat. nam vt hîc ſit mens humana, quàm in ſuperioribus, acutior: multa tamen habet fides ſibi propria, quæ humanam indaginem fugiunt, qualia illa ſunt, quæ de ſpiritus paupertate, de animi mãſuetudine, de oculorum lacrymis dicuntur, de eſurie & ſiti iuſtitiæ, de condonandis vltro injurijs, déque multis aliis, euangelio propriis. iam verò, quòd legis obſeruatione diſponatur, ac præparetur homo ad gratiam, & quòd operibus noſtris ex Chriſti fide, & Dei gratia procedentibus, merces illa nimia, multa, & magna nimis æterno Dei pacto & fœdere debeatur, ac denique quòd iis greſsibus rectà in cælum contendamus, vbi ſanctorum ſit futura æterna cum Deo quies & gloria, quotus quiſque magnorum etiam philoſophorum, qui orbi miraculo fuerunt, harum rerum vel exiguum odorem habuit? nullus ſanè. quare Dei donum agnoſcamus, cunctáque illi per Chriſtum accepta referamus. Illud verò, quod ais, *bono noſtro ægrè pati nos ſpoliari, durúmque id nobis videri, cùm & ſpiritui ſancto æquiſsimum videatur, qui nouit omnes cogitationes ſapientum vanas eſſe, & qui planè pronuntiat omne figmentum humani cordis malum*, explicabo paucis, ne verborum multitudine veritatem tibi obnubilaſſe videaris. Velle, nos rationis noſtræ acumine, fidei luce illuſtrato, & ad intelligentiam & fidem diuino præſidio ſubleuato, (quod nunquam deeſt, ſed ſemper ad fores pulſat Chriſti IESV beneficio, & merito) velle, inquam, bono tanto, tot donis cumulato nos ſpoliare, vt nullam intelligẽtiæ ſcintillam in nobis reliquam facias, (quod oportuit contigiſſe libero hominis arbitrio, vt cęcum omnino iure abs te haberetur) & ęgre ferimus, & tecum expoſtulamus. oratio tua multò quidem durior, atque inexorabilior graſſatoribus illis eſt, in quorũ manus Samaritano miſero, lugendo caſu, contigit incidiſſe. illi ſanè ſauciam & inclinatam, & quæ recta perſiſtere non poſſet, naturam reliquerunt: tu verò ſic humanam

Matt.5.

Luc.10.

conditionem exuiſti,ſic humanitatem omnem abiecisti, vt non niſi priùs eam animam iam iam agere videas, diſcedere velis.mirum,quòd oculos non confodiſti, non præcidiſti aures, ceteróſque ſenſus non abſtuliſti, vt non iam homo,ſed ſtipes, aut fungus, & truncus tibi eſſe videatur. Ecce tua conſecutio, *Si quidquid ingenium noſtrũ concipit, agitat,inſtituit,molitur, ſemper malum eſt, qui in mentem nobis veniat inſtituere,quod Deo placeat,cui ſola ſanctitas & iuſtitia accepta eſt?* quoquò ſe vertat ratio vt plurimùm

*Pſal.*118. vanitati obnoxia,& ſupplex eſt, Caluine. at Dauid ſanctiſsmus, cùm intellectum ſibi dari ad perdiſcenda Dei mandata poſtulat, non ſolùm innuit hac ſua precatione, quid ingenium noſtrum ſuapte fortitudine non poſsit, ſed innuit etiam,quantum poſsit,ſi diuina luce illuminetur, vt propè iam nouum haberi,& videri poſsit. & quod rex ſanctus pro ſe poſtulat, Paulus omnibus eccleſiis

*Col.*1. precatur. Non ceſſamus, inquit,orare pro vobis,& obſecrare, vt impleamini cognitione Dei in omni prudentia, & intelligentia ſpirituali, vt ambuletis dignè

Auguſt.li. 2.*de peccat. merit.remiſ. cap.*5. Deo. Auguſtinus, ac nos etiam hunc rationis defectũ agnoſcimus, vt niſi in excellentiori ſpeculo, magíſque expolito & deterſo, quàm ſit noſtrum naturale,quæ Dei ſunt, videre nos non poſsimus. vt verum ſit omni-

Aug.ibid. no, quod idem doctor Auguſtinus religioſè ſatis, nec minùs eleganter ibidem obſeruat,cùm ait, Oculos noſtros ipſi aperimus ad cernendam lucem, mentis autem oculi niſi à Deo per excitantẽ ſpiritum aperiantur, clauſi manent. quemadmodum ſanctiſsimus Dauid verbis

*Pſal.*118. illis, In toto corde meo quæſiui te,ne errare me facias à mandatis tuis,cùm iã regeneratus eſſet,adeóq; nõ vulgariter in vera pietate profeciſſet, fatetur tamẽ ſe opus habere aſsidua directione in ſingula mométa,ne à ſcientia, qua præditus eſt, declinet. Ad extremum,quo pacto tu cæcum id lumen appellabis, quod in naturæ myſteriis perueſtigandis tantùm enituit,in ſtudioſè inſtituẽda vita ſic claruit? ac demum cæleſtibus ſacramentis ſic ſeſe aptandum diuino lumini accomodat, vt quæ ſua virtute aſſequi non poteſt,ea maiori irradiatum fulgôre optimè contempletur? vtrunque porrò catholicæ confeſsionis, quæ Tridenti à patribus eſt habita,membrum eſt nobi-

liſſimum, Si quis dixerit, ſine præueniente ſpiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. Iam verò, quibus præceptis circa liberã hominis facultatem Chriſtianum imbuat, & inſtituat Caluinus, audiamus.

Patres in ſeſ. 6. de iuſtificatione can. 3.

De libero noſtro arbitrio etiam poſt peccatum.

CAP. XXII.

PRimum omnium liberam illam tuam admonitionem, Caluine, ne ſcilicet cum ſacrilegio ruinam populi coniungamus, dum aliquid vltra verum humanæ menti largimur, neque neceſſariam, neque oportunam, ſed penitus ſuperfluam exiſtimamus: téque ſi tibi mens omnino ad malum procliuis non fuiſſet, ſæpe vano iſto tuo metu Chriſti eccleſia catholica ſua confeſsione liberauiſſet, nóſque etiam explicatè iam liberabimus. magis tu nobis es monendus, ne, cùm omni rectitudine per te abdicatur homo ſtatim ex eo, diſsidij occaſionem vulgus accipiat: & quia nihil ad iuſtitiæ ſtudium valere dicitur, illud totum, quaſi iam nihil ad ſe pertineat, ſúſque déque habeat. quemadmodum præclarè Cicero Epicurum vrget, qui Deum nihil habere negotij, immo feriatum ceſſatione, quaſi torpere volebat. Vereríſne, inquit Cotta apud Ciceronem, ſi iſte Deus tuus ſe quoquam commouerit, beatus eſſe deſinat? hæc oratio non modò, ô Vellei, deos ſpoliat motu, & actione diuina, ſed etiam homines inertes efficit: ſiquidẽ agens aliquid, nec Deus eſſe beatus poteſt. Quoſdã nimia volũtatis ſuæ fiducia extulit in ſuperbiã, dicebat magnus Auguſt. quoſdã verò nimia volũtatis ſuæ diffidẽtia in negligentiã torpentes deiecit. iſti dicunt, Vt quid conamur bene viuere, quod in vnius Dei poteſtate eſt? iſti dicũt, Vt quid rogamus Deũ, ne vincamur tentatione, quod in noſtra eſt poteſtate? O domine, inclamat ſanctus, ô pater, qui es in cęlis, ne nos inferas in alterã iſtarum tentationũ, ſed libera nos à malo. Hactenus Auguſtinus. Sic igitur nobis curſus tenetur, Caluine, inter iſta duo præcipitia, vt regis & mediæ viæ tutiſsimò nos committamus, cauentes cum primis, in Caluinianas Charybdes, vel Pelagianas Scyllas incidamus, quando dextrum Scyllæ latus, læuum implicata Charybdis ob-

Cal. lib. 2. c. 2. ſect. 1.

De nat. Deor. 2.

Aug. homil. 53. ſuper Io. c. 12 & epiſt. 47

ſidet. Illud verò, quod initio capitis aduerſus liberũ noſtrum arbitrium vſurpas, tam longè à vero eſt poſitum, quàm à recta fide ipſe abes. *Quidpiam*, inquis, *vel minutum liberæ hominis facultati arrogari non poteſt, quin & Deo ipſi ſuus honor præripiatur, & hominum mens temeraria confidentia labefactetur.* O hominem difficilem, qui cùm aliàs oculatiſsimus ſit, nunc vel medio ipſo die aut cæcutit, aut nihil videre ſe omnino ſimulat. quotus quiſque, rogo te per Deũ immortalem, inter orthodoxos viros, quorum fidem imitari debueras, noſtram naturam, quam ex Adam habemus, ſic extulit vnquam, vt diuinæ opis auxilio, quod primas habet in cauſſa, præcipuum locum lubens non tribuerit? quotus quiſq; ſic vires humanas attollere ſtuduit, quin diuini fauoris non meminerit? quotus quiſque nõ læſam eſſe noſtram facultatem pro cæleſtibus comparandis non agnoſcit? Pelagianum hoc eſt, non piarum mentium ſupercilium, Caluine. nunquam homini cõceſſum fuit, vt in ſe ipſo gloriaretur, ne tunc quidem, cùm Dei beneficentia ſummis ornamentis eſſet inſignitus. quantò igitur magis nunc humiliari eum conuenit, vbi ob ſuam ingratitudinem ab eximia gloria in tantam, quam experti videmus, ignominiam eſt deturbatus? pro eo etiam tempore, quo in ſummi honoris faſtigium euectus erat, ſcriptura nihil ei ſic tribuit, quàm quòd creatus eſſet ad imaginẽ Dei. quod ſcilicet inſinuat potiſsimùm, nõ virtute propria, ſed Dei participatione fuiſſe beatum.

Cal. c. 2. lib. 2. ſect. 1.

Agnoſcat ergo, agnoſcat tanta gloria nudatus homo, ac deſtitutus, omnium auctorem, bonorúmque datorem Deum, vt cuius beneficentiæ gratus eſſe noluit, cùm diuitiis gratiæ eius afflueret, ipſius (qui ad oſtium eſt, & clamat, qui ianuas ſibi reſerari obnixè precatur) præſidio nixus, vltro & liberè voluntatem in æternam ſalutem exequatur. non arundineo baculo, vt tu quidem Caluine calumniaris, hic nos confidimus, nec ſuperbia in ſublime euehimur. nunquam à Chriſti ſpõſa edocti ſumus Marte noſtro contendere, ſed magis eo, qui in Deo ſemper facit virtutem. hi in curribus, & hi in equis, nos autem nomen domini inuocemus. ipſi obligati ſunt, & ceciderũt, nos verò ipſo nobis manus ſuas admouente, ſurreximus, & erecti ſumus. Dominus illuminatio mea, quem time-

Cal. lib. 2. c. 2. ſect. 2.

Pſal. 19.

Pſal. 26.

bo? dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? ſi cõſiſtant aduerſum me caſtra, non mihi cõfidam, ſed in hoc feliciſsimè ſperabo. in nomine tuo ſpernemus inſurgentes nobis: nõ enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me. in Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in ſæculum. Quæro abs te, Caluine, num aliquando, cùm melior tibi mens erat, hæ voces ex cariſsimæ ſponſæ ore profectæ ad aures tuas, dum Dei templum ingredereris, acceſſerint? puto, non negabis, eiſdem ipſis eccleſiæ clamoribus te intellexiſſe, matrem tuam, quam nunc Satanicæ arrogantiæ inſimulas, in cæleſtibus & auxiliaribus copiis ſponſi ſui ſpem omnem collocare, quibus circumſepta, vallata, & cincta hoſtiles acies, quarum dæmon malus ſit anteſignanus, non aſsis faciat. Humanæ noſtræ vires nudæ, fumus, at Dei donis ſuffultæ, quid non poſſunt in eo, qui ipſas fortunatiſsimè vegetat, & corroborat? Non liberum arbitrium præcipitamus nos, non extinguimus & funditus delemus, Caluine, ſed magis defendimus, augemus & ſtabilimus: neque abs te tantopere celebrata illa magni Auguſtini præclara ſententia, præcipitari, atque euerti magis à ſuis defenſoribus, quàm ſtabiliri liberum arbitriũ, nobis aduerſatur, qui Dei gratiam illi adiungimus. non nos, mihi crede, non nos, ſed Pelagiũ Auguſtini gladius petebat. nemo igitur tibi negat, nemo, qui nõ agnoſcat, & ſanitatem rationis grauiter vulneratam ex peccato, & ſic illam noſtram primam voluntatem prauis cupiditatibus eſſe implicatam: vt ad ea, quæ ad Dei regnum ſpectant, addo etiam lubens, ad magnas vincendas tentationes, atque heroicas exercendas virtutes, Dei motione, vt aduertat, fauore, vt operetur, gratia verò, vt mereatur, homini ſit opus. Quò verò hæc explicatiùs à nobis tractentur, teneamus, ſi placet, eundem ipſum ordinem in libertate voluntatis noſtræ inueſtiganda, quem, dum de lumine intellectus ageremus, inſecuti ſumus, vt primo loco de actione morali, & philoſophica tractemus, altero loco de operatione, quæ in Deum eſt, ſcilicet credere, pænitere, diligere.

Philoſophorum omnium conſenſus pro libero arbitrio ad ſtudioſè agendum. CAP. XXIII.

Caluin.li.2 ſect.2.c.2. PHiloſophi(vt bene nouit Caluinus)conſenſu magno rationem in mente conſidere volunt,quæ inſtar lampadis conſiliis omnibus præluceat, atque inſtar moderatoris cuiuſdam nobiliſsimi ac prudentiſsimi voluntatem gubernet, & regat: & ſic diuina luce perfundatur, vt optimè conſulere valeat,eo etiam vigore præſtet,vt optimè moderari,& regere queat.ſenſum contrà torpere dicunt, ac lippitudine laborare,vt ſemper humi ſerpat, atque in craſsioribus obiectis volutetur, nec vnquam ſe attollat ad veram perſpicaciam.appetitum, ſi rationi parêre ſuſtineat,neque ſenſui ſubigendum ſe permittat, ad ſtudium virtutum ferri,rectam viam tenere,& in voluntatem formari:quòd ſi in ſeruitutem ſenſus ſe addicat,ab eo corrũpi,& deprauari, vt in libidinẽ degeneret. atque omnino, cùm ex philoſophorum opinione illæ animæ facultates ipſi inſideant, intellectus, ſenſus, & appetitus, ſeu voluntas intellectum ratione præditum aſſerũt,optima ad bene,beatéque viuendum moderatrice, ipſe modò ſe in ſua præſtantia contineat,ac ſuſtineat, & vim ſibi naturaliter inditam exerat. inferiorem autem eius motionem,(quæ ſenſus dicitur) qua ad errorem, atque alucinationem abſtrahitur,talem eſſe,vt rationis ferula paulatim corrigi poſsit. voluntatem porrò inter rationem & ſenſum mediam locant, ſui ſcilicet iuris & libertatis compotem,ſiue rationi obtemperare, ſiue ſenſui in quãuis partem rapiendam ſe proſtituere libeat. *Cal.ſect.3.* Vides ergo, quo pacto extra controuerſiam ponant philoſophi virtutes & vitia in noſtra eſſe poteſtate. Nam ſi noſtræ, inquiunt,electionis eſt hoc,aut illud agere:ergo & nõ agere:rurſum ſi non agere.& agere etiam. libera igitur electione nos agere experimur,quæ agimus,& ab his abſtinere,à quibus abſtinemus.ergo ſi quid boni agimus,vbi libeat,poſſumus illud omittere: ſi quid etiam mali perpetramus, poſſumus id quoque fugere. nec inficiantur, ipſa nimirum experientia conuicti,quanta cum difficultate rationi apud ſe regnum homo ſtabiliat: dum nunc titillatur voluptatum illecebris, nũc falſa bonorum imagine deluditur,nunc impudenter percutitur immodera-

tis affectibus,&,tanquam funibus,vel neruis,(vt ait Plato)in diuerſum abripitur. qua etiam ratione Cicero ſæpe vſurpare ſolebat,eos à natura datos igniculos prauis opinionibus,maliſque moribus mox extingui. vbi verò ſemel occuparunt in animis hominum eiuſmodi morbi, impotentiùs graſſari fatentur philoſophi, quàm vt facilè coercere eos liceat:neque dubitant ferocibus equis comparare,qui exturbata ratione,ceu auriga excuſſo,intemperanter,ac ſine modo laſciuiāt. Age iam Caluine,quid hîc legis, quod recipere non poſsis illæſa omnino Dei noſtri,& Chriſti Ieſu fide? ſemper excipio, quòd illi animi morbi, & ſenſuum motus ex peccato ſunt ſuborti, quos ſanè non niſi ex naturali partium hominis connexione natos,philoſophus naturalis neſcius antiquæ illius primæ nobilitatis,ignarúſq; lapſus noſtri in Adam falsò ſuſpicabitur.quid,rogo te, verius dici,aut excogitari vnquam potuit, quàm affirmare, rationem noſtram ſenſui copulatam,infinitis paſsionibus miſerandum in modum torqueri,quæ aliquando ſeruire cogunt eam vim, quam dominari oportuiſſet,liberum tamen & integrum rationi aut vincere,aut vinci?

Antiqui philoſophi à Caluinianis conuiciis vindicantur, & à criminibus,quibus ij ab eo notantur, CAP. XXIIII.

SEd amat rixari Caluinus,amat & cum mortuis luctari. Sed deſino mirari,cùm conſidero, qualem te præbeas in extraneos, poſtquam & in tuos nocentiſsimus fuiſti. *Quinetiam*, inquit, *eò licentiæ quidam eorum proruperunt, vt iactarint, deorum eſſe munus, quod viuimus, noſtrum verò, quòd bene & ſanctè viuimus:* Senecæ verba ſunt iſta, quæ ſi incorruptè accipiantur, vt par eſt, nihil habebit Caluinus, quod nomine licentiæ infamet, exagitet, & culpet. ſanè Dei munus id vocant philoſophi, ad quod quidem opitulari Deo non potuit homo,cùm non dum eſſet: hoc verò noſtrum reputat Seneca, porrò quòd ipſum præſtamus ex accepto, patrocinante nobis Deo, qui dedit & poſſe, & agere. Sed pergit ampliùs antiquitati inſidiari. *Vnde illud Ciceronis*, inquit, *in perſona Cottæ minimè ferendum eſt, Sibi quiſque virtutem acquirit: cuius certè rei nemo ex ſapientibus vnquam de ea Deo gratias egit. Propter virtutem, ait, laudamur, & in virtute glo-* Cice. de nat. deor. lib. 3.

riamur: quod non fieret, ſi donum Dei eſſet, non à nobis. *At paulò mox idem Cotta, Iudicium hoc omnium mortalium eſt, fortunam à Deo petendam, à ſeipſo ſumendam eſſe ſapientiam:* non poſſum non mirari iſtius ingenium tam natum, & tam oportunum calumniis omnibus. verba ſunt hæc, quę retulit, ipſius Cottæ apud Ciceronem, non negamus: ſed quorſum ea dixerit Cotta, cur cedò non expendebat noſter Cato? mox quæ liceret ſibi iudicium ſuum ferre aduerſum eos viros, quibuſcum non ſit ipſe comparandus. dixerat nimirum libro proximè ſuperiori Velleius Stoicus, cùm diuinam prouidentiam contra Epicureos modis omnibus aſtrueret, nihil in nobis eſſe boni, quod illud non ſolùm Deus non habeat, verùm quod non inde ad nos deriuatum totum ſit. quem cùm diſputationis gratia Cotta oppugnaret obiiciens illi, multa nos virtute noſtra efficere, quæ non ſic oporteat in Deũ tranſcribere, ſicut victoriam, felicitatem, & alia id genus plurima illi accepta ferimus. hæc, quæ commemorauit Caluinus, Cotta ſubiecit: at cùm dicendi finis inſtaret, ne quiſquam ſimilis calumniæ eum inſimularet, atque fecit Caluinus, huiuſmodi fine vniuerſam diſputationis ſuæ periodum abſoluit. Hæc ferè dicere habui de hac re, nõ vt ſic ſentiam, ſed vt omnes intelligerent, quàm eſſet obſcurum, & quã difficiles explicatus haberet. iam audiamus, quale de ea re iudicium ferat eius operis auctor Cicero: Hæc cùm eſſent dicta, ita diſceſsimus, vt Velleio Cottæ diſputatio verior, mihi verò Balbi ad veritatis ſimilitudinem videretur eſſe propenſior. quid igitur liuidam ſic in eos cenſuram exerces magne Cato, qui tanta diligentia & ſtudio, quoad potuerunt, nobis vigilauere, & laborauere? ſit itaque philoſophorum ſententiæ ſumma hæc, Humani intellectus ratio gubernationi morali rectę & ſtudioſæ ſatis ſufficit: voluntas verò illi ſubiacens à ſenſu quidẽ ad mala ſolicitatur: ſed vt liberam electionem habet, impediri nequaquam poteſt, quin rationem ducem per omnia ſequatur, ſi velit.

Quorundam antiquorum philoſophorum incredibilis probitas. CAP. XXV.

ID verò nos manifeſtò docet multorum, qui illo ſæculo vixerũt, & ſub illa luce innocente & honeſtè tranſacta

vita. omnibus ſanè ſæculis extiterunt, qui natura duce ad virtutem intenti tota penè vita fuerunt. in quorum moribus dum iſte cenſor tot lapſus notat, quid aliud agit, quàm ſummo illo ſuo iure ſuam iniuſtitiam, qui ſic in alios inuehitur, orbi vniuerſo prodere? neque te magiſtro indigemus, vt nos denuò doceas, multùm illis hac parte Deum (qua benignitate eſt) fauiſſe, mirabiléſque & incredibiles in bonum animos adieciſſe. tu magis docendus es nobis, nihil ſcilicet neceſsitatis liberæ eorum facultati, & voluntati his dotibus obueniſſe. Hic certè (vt ſæpe dicam) noſtræ cauſſæ ſtatus eſt. iam audiamus, quo pacto Dei dona in malum detorqueat Caluinus. *Si ſingulorum laxis habenis dominus in libidines quaslibet exultare permitteret, nemo haud dubiè eſſet, qui non re ipſa fidem faceret, veriſsimè in ſe competere omnia mala, quibus vniuerſam noſtram naturam damnat Paulus. quid enim te, ne eorum numero eximas, quorum pedes ad ſanguinem effundendum veloces, manus rapinis & homicidiis fœdatæ, guttura?* perge, perge tuarum amarulentiarum pharetram exhaurire. quid iterum naturam noſtram, nihil de te malè commeritam, crudeli in eã genuino tuo infixo luxare, lacerare, diſcerpere niteris? Paulus ſanctiſsimus non naturam damnat, quanuis & ad malum procliuem, & ad bonum imbecillam, atque demum ad cæleſtia omnino de ſe inefficacem, & impotentem vbique prædicet, vt nos commonefaciat omnium auctorem bonorum Chriſtum percupere, ſitire, & amare: ſed magis in corruptos hominum mores apoſtolica grauitate inuehitur. vtinam tam tu diligens eſſes in recenſendis multorum hominum benefactis, quæ ſanè plurima ſunt, quàm curas nihil omittere eorum, quæ bonam opinionem naturæ noſtræ abrogare poſſunt. idem argumentum, quod tu modò, pertractat Paulus non ſemel: at certè non ea, qua tu, intentione, neque eò ipſe dirigit orationis ſuæ filum. Euanuerunt, inquit, in cogitationibus ſuis, obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. quod vt oſtenderet non vlla præfixa neceſsitate illis contigiſſe, ſed propria magis ſua ipſorum mala mente eos peccauiſſe, ſtatim ſubiungit, ita vt ſint inexcuſabiles: quia, cùm cognouiſſent Deum, non ſicuti cognouerunt, glorificauerunt. non ergo defuit illis, vel Apoſto-

Rom. 1.

Rom. 3.

lo teſte, ad cognoſcendum facultas, neque ad obſequendum libertas, poſtquam & cognouerunt, & intelligentes, quòd qui talia agunt, digni ſunt morte, & fecerunt ipſi, & alios ab iniquitate non dehortabantur.

Vel natura duce ſemper probi improbis præſtiterunt. à qua obiectione malè ſe Caluinus explicat.

CAP. XXVI.

HIc abs te quæro, Caluine, qui ſic aliorum bene actis inuides, num tu Camillum parem Catilinæ facies? ſanè in Camillo lucidiſsimi ſpeculi exemplum mirabile habemus naturam, ſi ſtudio excolatur, nimiùm bonitate præſtare. Iam audiamus, quæ cauillo huic cenſor iſte & ſimiliter Oedipus in ſua inſtitutione reſpondeat. *Ego verò fateor, quæ in Camillo fuerunt ſpecioſæ dotes, Dei fuiſſe dona*: expecta parum: verum hoc eſt ac certum, & nos quando vnquam iſtud negauimus? modò iure ſuo non priuetur Camillus, neque ab eo profecta opera omni laude digna nolis negare. Perge nunc. *Fateor etiam Camilli dotes iure commendabiles videri, ſi in ſe æſtimentur*: quid nouum iſtud, ſi in ſe æſtimentur, Caluine? quæ vulpium latibula hæc? etſi te in vtrunque latus verſes, fateberis tandem, poſtquam homo tali virtute præſtat, non deeſſe vtique naturæ huic, cui tu vſqueadeo detrahis, ad virtutis ſtudium non paruam, liberámque facultatem. Sed tu perge.

Caluin. lib. 2. c. 3. ſect. 4

Quã tu mihi in hac parte humanæ naturæ prædicabis potentiam, ſi in ſummæ integritatis ſpecie ſemper ad corruptionem ferri deprehenditur? quoniam interrogatione tua nimiùm tibi videris nos commouiſſe, reſpondebo paucis: magnam ſanè prædicabo ſemper humanæ naturę ad bonum potentiam, eò præſertim, quòd perturbatis animi & rationi non obtemperantibus motibus imperans, nihil magis, quàm virtutem ſectari amet, ſi ſemel diuinum fauorem maximè ſibi adeſſe præſenſerit. Iam expendamus nos concluſionem Caluinianam, quam eo loco habet.

Ergo vti hominem à virtute non commendaueris, cuius vitia ſub virtutis imagine imponunt, ita humanæ voluntati recti expetendi facultatem non tribuo, quantiſper ipſa in ſua peruerſitate defixa eſt: ſic habet Caluinianum ſophiſma. ô theologorum, & quidem ad pręclaram illam & rectam, quam

dicitis,normam reformatorum regeneratorùmque princeps,quis hic arguendi modus? quæ argumenti ſedes? quis locus?non eſt quòd à virtute commendetur, cuius vitia ſub recti ſpecie fallunt,& imponunt. quis philoſophorum ſimpliciſſimus antecedens iſtud libentiſſimè non daret?quid habes inde importune ſophiſta?Ergo,inquis,voluntati non tribuenda eſt facultas recti expetendi. Quid ita?Quantiſper ipſa in ſua peruerſitate defixa eſt. Hoc ſanè eſt,vt video, quod validam facit conſecutionem:ſed dic, amabò, quid eſt illud, quod nunquam non inculcas, In ſua peruerſitate defixa? eſt ne actu hærere malo?ſi hoc eſt,extra chorum ſaltas. quis enim hominem commendet à virtute,quàm diu ſub actuali peccato eſt?Sed tu,vt alibi explicatiùs diſſeris,fixam eſſe voluntatem noſtram in peruerſitate ex eo æſtimas, quòd ſemper pura Dei bona,cordis ſui pollutione contaminet: vt,etſi Dei inſtrumenta ſunt ad conſeruandam hominum ſocietatem iuſtitia,continentia,amicitia,temperantia,fortitudo,prudentia,bona tamen hæc Dei opera peſsimè eos executos affirmas: quia non ſincero boni ſtudio,ſed vel ſola ambitione,vel amore ſui,vel alio quouis obliquo affectu continebantur à malè agendo, ac proinde cùm ab ipſa cordis impuritate,velut à ſua origine,corrupta tibi habeantur,non magis cenſes inter virtutes ponenda,quàm vitia,quę ob affinitatem, ac ſimilitudinem virtutis imponere ſolent. denique inquis, quòd cùm perpetuum eſſe recti finem conſtet, vt Deo ſeruiatur,quidquid certè aliò contendit, iam meritò amittit recti nomen. quia ergo ad ſcopum non reſpiciebant, etátque illorum finis longè poſitus ab eo, quem Dei ſapientia præſcribit,tametſi officio bonum videtur, quod agebant,cum hoc quidem recti nomen non merebatur. conſtat igitur,addis, omnes Fabricios, Scipiones,& Catones in illis ſuis præclaris facinoribus hoc peccaſſe, quod cùm fidei luce carerent, non ad eum finem ipſa retulerunt,ad quẽ referre debuerunt. Pro qua euangelica doctrina tua teſtem profers omni exceptione maiorem S. Auguſtinum:& certè,vt hinc exordiar,S.hic pater, & eccleſię doctor, quemadmodum eum interpretatur diuus Thomas,multò te in perueſtiganda excellentiſsimi do-

Caluin.lib. 3.c.14.ſect. 2.3.

Lib.4.contra Iulian. 1.2.q.65. ar.2.

ctoris mente exercitatior, atque expeditior, tibi negat, veras eſſe virtutes extra caritatem & fidem,& vbi eas vocat falſas & inanes,non id ſentit,quòd ſint iccirco peccata,ſed eo tantùm, quod excellentiſsimo gradu virtutis ſint priuata,vt & merito,& iure bona ſecundum quid,ad modum loquendi angelici doctoris habeantur, inducto exemplo de orichalco,quod cùm veri auri naturam non attingat,eſt tamen in ſuo genere res bona.quod vero de malo ſemper præfixo fine,quem ſapientes illos ſuis facinoribus pręclaris prætendiſſe cauſſaris, paulò inferiùs à nobis diſcutietur. At ſi opponere nobis velis, ꝙ mens noſtra habeat multa,quæ ipſam ad bonum impediant,& quæ ad malum impellant: (habet enim languidam naturam,habet ſenſus in bonum, quod delectationem affert,maximè propenſos,miram voluntatis cum inferiori appetitu propinquitatem,vt vel funibus & neruis attracta in peruerſitate videatur defixa,paruis igniculis rationis noſtræ propè extinctis,vt dicebant Plato, & Cicero) ſi hoc,inquam,eſt, quod obiicis, optimè inde colligeres, difficile admodum eſſe flexibili & vulneratæ naturę tot hoſtibus non cedere,difficile admodum eſſe,& propè ſupra hominum vires,id aut ſæpe, aut in negotiis arduis præſtitiſſe,non tamen omnino neceſſarium perturbationibus vinci. ꝙ ſi Dei dono rectum ſequi naturæ noſtræ aliquando contingat, (quod factum & legimus,& audiuimus,& Auguſtinus docet non ſemel) non tibi extollenda natura cum Dei donis videbitur,& eo magis, quãto plures fuerunt hoſtes,de quibus victrix virtus in natura magnificos fert triumphos?res ſanè tantò plauſibilior,& commendatior haberi ſolet, quantò minus,vnde, qui vicit,ſuperaret,habuit. Vides,in quas te coniecerimus anguſtias,vt aut certè tibi ſit fatendum,extra rem te eſſe locutum,aut vel tuo exemplo & argumento non ſolùm nobis non detraxiſſe,ſed potiùs fauiſſe. tanta eſt quidem veritatis vis, vt etiam per hoſtium iugulum ſe ſępe prodat.

Et bona natura,& bona ſimiliter actio Dei donum eſt.

CAP. XXVII.

VNde iſtemet Caluinus intelligens (eſt, proh dolor, callidiſsimus) nihil promouiſſe ſe omnino illa ſua ratio-

ratiocinatione, quaſi alteram apponens diſſolutionem ſubiungit, *Quanquã hæc certiſsima & facillima huius quæſtionis ſolutio eſt, non eſſe iſtas* (loquitur de Titi & Traiani iuſtitia, moderatione, æquitate, atque Veſpaſiani continentia) *communis naturæ dotes, ſed & ſpeciales Dei gratias, quas varie & ad certum modum profanis alioqui hominibus diſpenſat. Qua ratione, ait, non formidamus in vulgari ſermone, hunc bene natum, illum prauæ naturæ dicere, neque tamen vtrunque deſinimus includere ſub vniuerſali humanæ prauitatis conditione: ſed indicamus quid ſpecialis gratiæ in alterum dominus cõtulerit, quo alterum non ſit dignatus:* ô quàm ſemper æquiuocatione peſsima laboras? quid toties in eundẽ lapidem colliderís miſer homo? hoc primùm catholica confeſsio libenter concedit, Dei ſcilicet beneficium non vulgare eſſe, animam ſortiri bonam in corpore à recto minimè deficienti, naturámque agilem, docilem, atque optimæ indolis (qualem omnibus ſæpe precabatur Cicero) habere, quòd non tam crebrò indomitæ & effrenatę libidines rationem opprimant, quodve, ſi ſurrexerint, non tam citò mens præpedita in ima, vt tu loqueris, delabatur. Veritatem quidem hanc non nos diuina eloquia docent ſolũ, verùm rei huius & naturale lumen guſtum delibauit aliquantulum, diuinúmque odorem olfecit. hinc illud Homericum, pollere dicuntur homines, prout cuique diſtribuit Iupiter. hinc ad Homericam alludens fabulã Plato (vt legere eſt apud Ciceronem) regum filios creari dicit aliqua ſingulari nota inſignes: quia Deus humano generi conſulere volens, ſæpe quos ad imperiũ deſtinat, à quibus non niſi heroicæ virtutes expectantur, heroica & principe natura inſtruit. ex hac nihilominus officina ꝓdiit, quidquid magnorum ducum hiſtoriæ celebrãt. Nec minùs de priuatis hominibus cenſendum eſt. hoc ſit primum, quod ingenuè Caluino concedimus: ecce iam alterum, quod ſimiliter citra omnem puluerem & arenã illi damus. Non natura in bonum propenſa tantũ, & iuſto obediens Dei donum eſt, verùm ipſa etiam operatio (loquor de heroica, ne bellum per me ſuſceptum aduerſum Ariminenſem hic quiſquã ſuſpicetur) ex diuinæ magnificentiæ theſauris dimanat, & proficiſcitur, humanæ facultatis illæſa libertate omnino. Hæc eſt illa Dei no-

Caluin. lib. 4. c. 3. ſect. 4.

Lib. de legibus.

ſtri nunquam pro dignitate laudata prouidentia,quæ attingit à fine vſque ad finem,& vniuerſa ſuaui ſua diſpoſitione metitur. hinc naſcitur tertium,& eſt quod in omni opere morali,quod nulla labes fœdat,& deturpat,& Dei gloria illuſtratur,& liberi arbitrij legibus ſeſe diuina maieſtas vnicè attemperat. Quid habet Caluinus, quod cenſura ſua poſsit hîc notare?quid habet,quòd nos læſæ diuinæ maieſtatis,aut æternæ eius gloriæ poſthabitæ iure & merito accuſare poſsit?immo magis nos violatæ Dei prouidentiæ eum inſimulare poſſemus. igitur quòd habeat noſtra natura ad bonum,rationis virtutem & robur, (ſiquidem nunc hac de re ſermo eſt) doti cæleſti aſcribendum videtur,quam non nos noſtra operatione fecimus:quod verò fas & iuſtum operemur, Dei eſt, & noſtrum:non minùs quàm oculo conuenit videre externo hoc,& alieno lumine perfuſo, præter id, quod illi naturalis,& neceſſaria eſt ſua operatio,nobis verò voluntaria & libera. ecce enim perperam ſemper iſte naturam cum operatione confundit,ſolitus aliàs nobiſcum expoſtulare,quòd coactionem cum neceſsitate inuertamus.

Sicut indecorum eſt antiquorum philoſophorum opera omnia obelo notare,ſic temerarium eſt de eorum ſalute certi quidquam affirmare.

CAP. XXVIII.

POſteaquam hac non perinde,vt ipſe volebat,Caluino ſucceſsit,alia aggreditur via,vt ſi quoquo pacto virtuti,cuius ſe defenſorem eſſe verum & firmum non ſolùm oratione,ſed multò magis vita & factis & moribus, ſæpe dicit,negotium poſsit faceſſere,antiquorùmque benefactis innumerabilibus viis detrahere. *Sanè*, inquit, *vt præſtantiſsimus quiſque fuit,eum ſemper impulit ſua ambitio: nullúmque illis erat illuſtrandæ Dei gloriæ ſtudium. Ad hæc, Dei timore carebant,qui ſapientiæ initium eſt. I nunc, & ſi potes,eas virtutes plurimi facito,quæ inani ſcilicet ſpecie operatores ſuos decipiebant. At habent ſuam laudem illæ. In foro quidem politico,& in communi hominum fama, ita ſanè eſt: apud cæleſte verò tribunal nullius erunt pretij ad iuſtitiam promerendam:* hactenus porrò in bene actis & geſtis per antiquos ſapientes, quidquid laudis & gloriæ euangelicus

Caluin. ibidem.

hic inquiſitor,& Dei ſui ærarij defenſor inueniſſe poterat,in diuina vectigalia reiiciebat:at nunc expilator omnium bonorum repentè prodiens, cæleſti etiam honori inuidens,ſic omnia corrumpit,vitiat,deturpat,vt nihil faciàt reliquum, quod in diuinum cenſum venire poſsit. ego ſanè etſi,vt in proximis ſuperioribus capitibus id firmiſsimè aſſeueraui, non fuiſſe perfectas virtutes, quas non informauerit caritas, (quæ vnicum eſt perfectionis vinculum) neque quidquam eas valuiſſe ad gloriam cõparandam ſine caritate,cum Auguſtino vbique pronuntio:multùm tamẽ huiuſmodi actibus naturam noſtram excelluiſſe,nimiúmque ad bonum valere,ſiquidem excolatur,intrepidè cum eodem Auguſtino dicere audeo.

De philoſophorum ſalute æterna neqne rei cauſſa, neque tempus agere permittunt. ſecretiora ſunt iſta, & maiora,quàm quæ breui ac ſimplici ſermone nunc ego perſequar. tantùm id dicam, neque pigebit meminiſſe toties,crimen eſſe & ſcelus,quod ſolùm longa pœnitentia expiari poſsit,ſic in vniuerſum tantorum ſapientum, & ſapienter enuntiata,& religiosè, ſummàque cum virtute geſta, bilioſo ſtomacho, tanquam peccata, & quaſi ſcelera, reprehendere. & certè infinita penè ſunt, quæ iſtum de errore conuincere manifeſtò poſsint. multa legimus de Socrate,Platone,Seneca, déque aliis,quæ antiquorum ſapientum cauſſam iuuare,& iſtius rabidum liuorem, dicendíque libidinem ſedare & reuincere valerent:verùm non ad hæc recenſenda me dabo:ſatis ſit mihi vel obiter lectorem admonuiſſe. Sed quia Senecæ epiſtolam ad Neronem Cæſarem in manibus habemus: iccirco libet ipſam hîc referre. intelliget iſte, quantum Ethnicus Seneca Caluino,regeneratorum magiſtrorum principi, præſtet.

Ennius Seneca Neroni Cæſari ſalutem.

QVartuſdecimus annus eſt, Cæſar, ex quo ſpei tuæ admotus ſum,octauus vt imperium obtines. medio temporis tãtum honorum,atque opum in me cumulaſti, vt nihil felicitati meę deſit, niſi moderatio eius. quod iuuentutis tuæ rudimentis affuiſſe video, grande *Seneca epiſtola ad Neronem Cæſarem.*

huius rei pretium. at tu gratiam immenſam, innumerã pecuniam dediſti, adeò vt plerunque intra me ipſe voluam, egóne equeſtri & prouinciali loco ortus proceribus ciuitatis annumeror? inter nobiles & longa decôra præferentes nouitas mea enituit? vbi eſt animus ille modicis contentus? tales hortos inſtruit, & per ſuburbana incedit, & tantis agrorum ſpatiis, tam lato fenore exuberat? Vna defenſio occurrit, quòd muneribus tuis obniti non debui. ſed vterque iam menſuram implebimus: & tu, quantum princeps amico tribuere poſsit, & accepi ego, quantum amicus à principe. Cetera inuidiam augent, quæ quidem, vt omnia mortalia, infra tui magnitudinem iacent, ſed mihi incumbunt. mihi vni ſubueniẽdum eſt, quomodo in militia, aut via feſſus adminiculum orarẽ. ita in hoc itinere vitæ ſenex & leuiſsimus quoque viribus impar, cùm opes meas vltrà ſuſtinere non poſsim, præſidium peto. iubeas, precor, per procuratores tuos adminiſtrari, in tuam fortunam recipi. nec me in paupertatem ipſe detrudam, ſed traditis, quorum fulgôre præſtringor, quod temporis hortorum, aut villarum curæ ſeponitur, in animum reuocabo. ſupereſt tibi robur, & per tot annos nixum faſtigij regimen: poſſumus ſeniores amici quiete reſpondere. hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad ſumma vexiſſe, qui & modica tolerarunt. Vale.

Vtinam talem nos habuiſſemus Chriſtianum Caluinum, quales habuit antiquitas Platones ſuos, Ariſtoteles, Socrates, Zenones, Senecas, & ceteros huiuſmodi notæ viros: non ſic, mediusfidius, de nouo pontificatu maximo ſæpe cogitaret: nõ ſic ex eccleſiaſticis opibus illi ſui mirmilliones (quos honeſtiore nomine noui euangelij diſcipulos vocari facit, vt vel hoc prætextu impunè magis graſſentur) tantũ delibaſſent: non ſic miſeræ gẽtis, viduarum, pupillorũ, ceteríque vulgi multo fundo inhiaſſent. Vt igitur eò, vnde ſumus digreſsi, reuertamur, orationíſque noſtræ vela hac parte complicemus, firma animi noſtri ſtabit cõfeſsio, liberam fuiſſe, eſſéque omnium ſæculorum hominibus ad ſtudioſam operationem exequendam, facultatem: etſi damus pro magnis illis virtutum actibus à Deo adiutos fuiſſe, vt ſemper mirabiles in iuſti-

tia progreſſus & facerent & haberent. & ne nos ampliùs incuſet, quòd, cùm Chriſti diſcipulos nos eſſe profiteamur, in homine perdito, & in ſpirituale exitium demerſo liberum arbitriũ adhuc quæramus, vt inter philoſophorum placita, & cæleſtem doctrinam partiendo, planè deſipiamus, neque cælum, neque terram attingentes, vt ergo aliquando maledicendi finem faciat, philoſophicis & moralibus actionibus omiſsis, ad Chriſtianos actus, quibus promeremur, vt Deus nos vnicè amet, noſtræ orationis ſtylum paululùm accommodabimus. quo loco hæc erit confeſsionis noſtræ conſtans ratio, quam ad ſanctarum ſcripturarum amuſsim componere, excogitatę Caluinianæ euaſiones minimè impedient. ea verò eſt, quòd ad illa omnia, quæ diuiniora ſunt, ſine Dei gratia præueniente & adiuuante, nihil poteſt homo promouere, at cũ ipſa (quæ omnibus paratiſsima eſt) omnia abſque vlla neceſsitate, & liberè præſtare poteſt: vt ſit de quo Deus in nobis glorietur, & rurſum ſint in nobis opera, quibus præmia liberaliter tribuat.

Diuina geatia cum primis neceſſaria eſt ad diuiniora illa, nempe credere, Deum diligere, pœnitere &c. in quibus ſanè actibus noſtri arbitrij libertas ſe prodit. & primò quia peccatum non eſſet niſi liberum. CAP. XXIX.

NEceſſariam eſſe nobis Chriſti gratiam, præterquã quòd ſcriptura nihil magis replicat, eccleſia nihil magis credit, præter id ſanè mecum in hac parte conſentit aduerſarius. de libera ſolùm poteſtate noſtra, nunc inter nos quæſtio eſt: quam qui neget, abſurda multa concedere cogitur, quæ etiam à communi ſenſu abhorrent: ea verò non nos denuò confingimus, Caluine, ſed ſanctiſsimi Auguſtini, cuius tu eximius ſectator à nobis ardenter cupis haberi, veſtigiis hærentes, fidelisſimè collegimus, vt ſcripturæ ſanctæ teſtimoniis tecum poſtea congrediamur. fiet, ſpero, vt non tam leuiter, ſicut intoleranti ùs te iactas, vtrâſque machinas retundas. *Cal. lib. 2. c 5. ſect. 1.*

Principiò quomodo peccatum eſt, (memineris nos agere de actuali defectione, non de peccato originali) ſi idem mihi voluntarium & liberum non fuit, ſed omnino neceſſarium? *At hæc Pelagij quoque arma erant ad impetendum Auguſtinum.* falleris Caluine, ne turpiori vo-

ri vocabulo pro dignitate & merito tuo vti me cogas. quamuis enim pro Pelagianis aduerſum veritatem nihil valerent hæc arma, aduerſum tamen mendacium pro nobis nimiûm proderunt. potuit quidem contractum peccatum mihi neque liberum, neque voluntarium imputari: at verò actu meo commiſſum nunquam mihi Deus aſcribet, niſi quia mihi voluntarium fuit, & in me quidem voluntarium nulla neceſsitate commiſſum, quam aut ratio originis, aut naturæ corruptio perſcribat.

Quod verò in diabolo ipſo exemplum proponis, vnde patet non minùs voluntariè peccare, qui neceſſariò peccat, nempe ſi tu talem paſsim ducem ſequaris, nihil mirandum videri debet, quòd ab eo arma, quibus in veritatem acerbiùs inueharis, mutueris. ſed tuis armis diuina virtus tecum congredietur. Sit ita, perſtemus in exemplo: num diabolo, qui neceſſariò malus eſt, & voluntariè malus, cui nec peccandi finis eſt, num peccata illa omnia illi denuò imputantur? abſit, vt aut eam fingas diuinam iuſtitiam, aut nobis viatoribus diaboli leges præſcribere velis. Quod verò de ſanctis angelis ex Bernardo citas, ſic ſe habet, quemadmodum ille ſanctus ſcitè docet, vt in illis beatiſsimis ſpiritibus ſumma in bonum neceſsitas cum ſumma libertate mirè quadret. ſed iſta omnia feliciſsimo illi ſtatui debentur, à quo quidem omnis ratio meriti & nouæ culpæ eſt excluſa. ſine nos viatorum legibus viuere, quę nec ſic neceſſariò miſeræ damnatorum ſorti nos implicant, neque mentem noſtram tanta neceſſitate malo hærere cogunt. eſt ergo in viatoribus vltro peccantibus idem voluntarium, quod liberum, nec niſi quod liberæ electioni ſubiacet, (ſi originalem excludas maculam) nobis imputari quidpiam ſolet.

Bernar. ſer. 81. in canticis.

Pro libero arbitrio ſecundum argumentum ex Hieronymo, à pœna peccato debita, aſſumptum.

CAP. XXX.

Caluin. lib. 2. c. 5. ſect. 2

HVic proximum illud eſt, quod noſtram veritatem plane confirmat, non eſſe conſentaneum, vt homo abſque libera arbitrij ſui electione vel pœna, vel pręmio afficiatur. quod ſanè argumentum non Ariſtotelicum tantùm eſt, aut Pelagianum, ſed à Chryſoſtomo, & Hieronymo, atque Auguſtino ſæpe vſurpatum. nec mul-

tùm vrget, quòd de pœnis reſpondes, ſatis nos eas commereri voluntate noſtra, quæ ſeruili, modò voluntaria cupiditate peccat, præſertim cùm inde peccator arguatur homo, quia eſt ſub virtute peccati: hoc, inquam, nihil valet, Caluine. nam, vt originis peccatum omittamus, cui pœna, in priuatione poſita eſt, debetur, quamuis in mea libera nunquam fuerit poteſtate, æternis tamen flammis denuò hominem addicere, quòd ea admiſerit, quæ fugere non fuit ſibi integrum, non diuinæ miſericordiæ opus eſt, quæ punit (vt dicitur) citra condignum, præmia tribuens vltra condigna. Quis theologorum vnquam affirmauit damnatorum pœnas plus plúſque in dies augeri, ſecundum eſſentiam ſuam, quòd in dies magis magíſque in mala perſtant voluntate, neceſſariò quidem, non vlla libertate? & quantum ex Caluiniana mente intelligere potui, quod fuit angelis caſus, eſt nobis non mors, (vt dicebat Auguſtinus) ſed magis in Adam lapſus: vt quemadmodum lapſus angelus, cui adhæſit ſemel, perpetuò adhærebit, non ſecus, cui libidini in primo parente ſe natura proſtituendam tradidit, eidem perpetuò neceſſariò pareat. præmia verò etſi fateamur ex Dei benignitate potiùs, quàm ex propriis meritis dependêre, quòd à Chriſti gratia dimanent: eſt tamen aliquid in eis, quod apud Deum mercedis locum habere poſsit. Quid nos vrges obiectans ſæpius, non animaduerti à nobis, nullum iam ſupereſſe locum meritis, vbi totum, quod euenit, à gratuita eſt gratia? bene ſanè cohærent (vt ſuo loco dicemus) gratia & præmium, vt etiam merces non perdat gratiæ nomen.

Hieron. epi. ad Cteſiphõtem.
Cal. ſect. 2.

Tertium argumentum pro libero arbitrio ex Chryſoſtomo ſumptum, quòd aliter aut omnes neceſſeriò eſſemus boni, aut omnes mali. CAP. XXXI.

TErtio loco pro libertate liberi arbitrij nimiùm facit quod apud Chryſoſtomum legimus, ſcilicet ſi non ſit facultatis noſtræ, bonum aut malum eligere, aut omnes eiuſdē naturę participes, malos eſſe oporteret, aut omnes bonos. à qua certè ratione auctor operis de Vocatione gentium, non longè abeſt, dum ſic ratiocinatur, Nemo vnquam à fide fuiſſet receſſurus, niſi mutabilitatis conditionem Dei gratia nobis relinqueręt. Iam hic

Hom. 2. in Gen.
Lib. 2. c. 4.

calentiſsimus corrector Caluinus cum admiratione reſpondet, *In re hac mirum eſt, tantos viros ſibi excidiſſe*. & quaſi longè ſuperior Chryſoſtomo veteranus magiſter tyroni diſcipulo indignatus obiicit, *Quomodo Chryſoſtomo in mentem hic non venit, electionem Dei eſſe, quæ inter homines ſic diſcernat?* ſummopere profectò cuperem, vt multis te retrò ſæculis haberemus, vt dicenti domino, Perditio tua ex te eſt Iſrael, ſuggereres illi, electionem ſuam eſſe, non Iſraelitica peccata, quæ malos à bonis ſecerneret: eidémque domino per Eſaiam populo ſuo obiicienti, Peccata tua diuiſerunt inter me & vos, prædeſtinationem iſtam obiiceres. Reſponde, te precor, non antè, quàm contingeret primum parẽtem noſtrum miſerè labi, perfecta liberi arbitrij ad vtrumlibet ratio illi conueniebat? non me præterit te reſponſurum, ita rem ſe habere. ergo Adamum iuſtum & bonum ab Adamo peccatore liberæ electionis facultas ſola ſecernit. erat quippe (vt tu bene noſti) relictus ſui compos, & in manu conſilij ſui, vt ſiue ad bonum, ſiue ad malum pro libertate ſua manum protenderet. Iam vltrà inquiro, non factum Adæ diuina præceſſerat ſaluandorum omnium ac pariter damnandorum præſcientia? nempe præceſſerat, quæ ante mundi cõſtitutionem fuit. ſi igitur diuina electio optimè ſtabat cum libertate hominis non lapſi, quid nunc noui ſubortum eſt, quò minùs non tam ad Dei propoſitum, quàm ad liberam hominis facultatem pro tanto diſcrimine inter bonos & malos cum Chryſoſtomo, & cum vniuerſa Chriſti eccleſia reccurramus? Quare pro libero arbitrio firma Chriſoſtomi ſtat hæc ratio: cùm pari morbo laboremus naturaliter omnes, vniuerſi illi conualeſcunt, qui domino medicam manum admouenti, viciſsim, quò ſubleuentur, & ipſi ſuas porrigunt. alij, qui ſuas aures verbo Dei ſapienter cantanti turpiter obturant, hi ſunt, qui in ſua putredine tabeſcunt, donec iuſto Dei iudicio infeliciter abſumantur. Eſt ſanè & ipſa perſeuerantia Dei donum, ſed quam cum omnibus altiſsimus, cuius prompta & parata eſt, in largiendo celeritas, communicare eſt expeditiſsimus. nec aliunde proficiſcitur, quòd alij ad finem perſeuerant, alij incepto curſu prolabuntur, quàm quòd extenſæ cæleſtis manus beneficio vltro

Oſeæ 13. *Eſa. 57.* *Optima ratio pro libertate noſtra.* *Eccleſia. 7.* *Epheſ. 1.*

renuntiant, apertóque Dei latere omnino ſe priuant. Si igitur differentiæ cauſſa requiritur præſentis iuſtitiæ & iniuſtitiæ, & cur alij conſtanter perſeuerent, alij in ſtabilitate deficiant, vt ea omittamus, quæ æternam prædeſtinationem ſpectant, hæc potiſsima eſt, quòd quamuis omnes ſua virtute roboratos ſuſtinere dominus cupiat, & velit ſaluos facere vniuerſos, ne pereant: peruerſa tamen eorum conſcientia diuinam præſentiam in ſe illapſam haudquaquam ſuſtinet. fidelis eſt Deus, vt pactis & promiſis ſtare velit. ſiquidem ait, Qui venerit ad me, non eiiciam foras. tametſi ex electorum numero non fuerũt qui ſic pereunt. Quoniam ſi ex nobis eſſent, inquit dilectus, nunquam ſic à nobis in perpetuum receſsiſſent. 1.Tim.2. Ioan.6. 1.Ioan.2.

Quartum argumentum ex admonitionibus, atque exhortationibus depromptum, à quibus optimè licebit libertatem noſtram aucupari. CAP. XXXII.

INſtamus præterea, & non ab re omnino, fruſtra exhortationes ſuſcipi, ſuperuacuum eſſe admonitionũ vſum, obiurgationéſque ridiculas, niſi ſit penes peccatorem parêre. Hîc libet Dei fidem implorare, atque eorum vitam deplorare, qui Caluino magiſtro ſeſe ad cæleſtem amuſsim cõponendos tradiderunt, ac manus eius ferulę ſubiicere non dubitarũt. quouſque, ô nullius conſilij homines, ſic libebit vobis inſanire? quouſque Satanę dolis & multiplicibus artibus impliciti, vinctíque tenebimini? hîc vos conuenio, hîc vos rogo, expendamus parum, quãtas habeat vires, quod ſupra nos obiecimus, ſintque Caluino veſtro ad reſpondendum ſuæ vices: intelligetis ſanè magis verborum lenocinio niti eum, quàm quòd poſtquam veræ fidei renuntiauit ſemel, veritati obtemperaturus ſit aliquando. vt ex hac vna hominis verſutia, qua vos circumſcriptos, illuſóſque tenet, poſtquam ea patêre cœperit, diſcatis omnes. iam loquatur magiſter veſter, & doceat nos, quem locum relinquat exhortationibus ſanctis, qui liberam hominis facultatem à nobis ablegat: niſi velitis dicere, parum referre, pereat vniuerſa rectè viuendi diſciplina, dummodo Caluiniana maieſtas ſarta & tecta maneat, neque multùm facere ad rem, ſi vniuerſa, quæ quaſi cum lacte ſuximus, peſſum ire videatis, Cal. ſect. 3.

modò tanti magiſtri doctrina ſupra omnem mundi gloriam ſublimis, ſupra omnem poteſtatẽ inuicta maneat. Sed ad propoſitum reuertamur. pro Caluino non niſi Caluinus reſpondeat. *Similia*, inquit, *olim cùm obiectarentur Auguſtino, libellum de correctione & gratia ſcribere coactus fuit:* ne vltrà progrediare: nónne uidetis ô miſeri tyrones manifeſtiſsimum in ipſo orationis Caluinianæ principio lapſum? num ea ratio S. Auguſtinum impulit ad libellum de correctione & gratia ſcribendum, ſcilicet, vt importunis argumentationibus eorum, qui cum gratia liberum quoque arbitrium concordant, obuiam iretur? ſic certas miſeris illudere captis? res notiſsima eſt. Verùm libet in præſentia Auguſtini operum, quæ huc ſpectant, breuem epitomen in medium afferre. Manichæi nullam ponebant in homine potentiam liberam ad vtrumlibet, ſed duas eſſe in homine animas: alteram rationalem à bono conditam principio, quæ ex neceſsitate bona & honeſta efficit, alteram malam, ſenſualem à malo altero principio primo profectam, quæ neceſsitate mala perpetraret. atque ita turpiſsimo mendacio nos fallere nitebantur. Aduerſum huiuſmodi Manichæorum phreneſim inter antiquiſsimorũ patrum volumina, tam Græcorum, quàm Latinorum pro veritate accuratiſſimè exarata extat in primis Auguſtini liber, quem huius cauſſa præcipuè edidit de libero arbitrio: vbi affatim & copioſè ſatis diſſerit, delinquendi cauſſam non ab aliquo alio principio proficiſci, quàm à propria voluntate, quæ liberam habet electionem in bonum & malum. Hęc theſis, hic ſcopus, hic ſtatus, in quem oculos vniuerſáque ſua coniicit, obuertítque ibidẽ Auguſtinus. Perierat Manichęus felici Auguſtini gladio confoſſus, & ecce ſubortus eſt Bardeſanes, qui dicebat, humana omnia fato adſcribenda eſſe, de qua re multa legimus apud hũc patrem libro de hæreſibus. Neque hîc blaſphemiarum finis fuit. ſurrexit Pelagius, qui liberum noſtrum arbitrium ſupra iuſtas lineas extulit, patrióſque fines extendit, aſſeuerans ſufficere nobis naturá liberi arbitrij, vt omne malum euitare, bonúmque operari, quod dignũ eſſet amicitia Dei, atq; hæreditate æterna, homo poſſet. quam impietatem toto libro ad Timaſium de natura &

Cal. li. 2. c. 5 ſect. 4.

Epitome operum.

Auguſt. de lib. arbitr.

gratia acutiſsimis iaculis inſequitur, docẽs ita ſtatuendũ eſſe liberum arbitrium, vt tamen gratiam Dei adiutricem neceſſariam non negemus. Deerat adhuc, qui adeò deferret gratiæ, vt liberum arbitrium prorſus deleret: ſed Auguſtini ætate exorti quidam ſunt aduerſus quos ipſe librum de gratia & libero arbitrio miſit ad Valentinum & ſuos monachos, cum duabus præterea epiſtolis. quo quidem in opere ſic gratiam Dei certam conſtituit, vt tamen oſtendat, libertatem nihilominus ineſſe nobis, qua nutui Dei liberè aſſentiri, & cum ipſo noſtras partes agere, ſuáque gratia & fauore vti poſsimus. Vt autem ad librum de correctione & gratia propiùs accedam, cõſiderandum nobis eſt, ac maximè obſeruandum, ſubortum fuiſſe eodem tempore, atque inter eoſdem monachos errorem longè à ſuperiori diſtantem. is erat, quòd cùm ſola ſit gratia Dei, qua nobis ſit integrum deuitare peccata, quaſi vi quadam collabimur, & delinquimus: & ideo non ſunt peccatores corripiendi, ſed Deus pro eis orandus. ad quem errorem profligandum atque exturbandum adiecit idem doctor librum de correctione & gratia. vbi etſi copioſè ſatis pro libertate eo loco agit: ad hanc tamen ſummam aduerſarios reuocat, O homo in præceptione cognoſce quid debeas & poſsis agere, in correctione cognoſce id tuo te vitio non habere, in oratione cognoſce, vnde accipias quod vis habere. Vbi ab Auguſtino nomen vitij non vſurpatur pro natura iam corrupta, ſed pro vitio, quod nobis ipſis noſtra mala electione peperimus. quando verò à Deo nos vult in oratione petere, quod habere volumus, non id, quò liberũ arbitriũ excludat doctor Auguſtinus, docet, ſed magis quò nobis oſtendat, nihil nos boni habere, prętèr id, quod à diuina dimanat liberalitate, cuius argumenti eſt liber de ſpiritu & littera: vbi Auguſtinus docet, ita Deum legis ſuæ nobis præcepta tradidiſſe, vt diuinæ cum primis gratiæ nobiſcum communicandę ratio ſibi haberetur, & ad hominum facultates ſeſe liberaliter accommodaret, atque humana mediocritate cuncta, quæ præcepiſſet, moderaretur. Hæc tã vera ſunt, quàm vulgaria: magnoperéque miror hominem, qui tot annos in vno perluſtrãdo, penitúſque excutiendo Auguſtino æta-

tem conſumpſerit,in ipſis argumentis operum Auguſtini recenſendis tam inconſideratè lapſum eſſe, vt vel primo verbo,viri canitie error indignus ſe prodat.

Perpenditur,quàm malè ſe expediat Caluinus à propoſita ratione pro libero noſtro arbitrio, ex admonitionibus, atque exhortationibus ducta.

CAP. XXXIII.

AGè iam,ne ſuſpenſos nos diu Caluini oratio teneat, reſpondeat,quo pacto cum exhortationibus, & admonitionibus neceſsitas in malum quadret.fortè tu oculatior es,fingere qui non viſa potes,commiſſa qui tacere
Cal.ſect. 4. nequis. *Nec verò hæc res longæ diſceptationis eſt:* cur ita? *Primùm non ſoli ſumus in hac cauſſa:* quis ergo tecum Caluine? latet ne hîc, vt iam olim ſub Troiano equo, quem non videmus,fugiendus hoſtis? *Sed Chriſtus,& omnes Apoſtoli:* Deum immortalem,quid nunc audio? nunc video, quò aduerſarij eximia & laudabilis omnino calliditas nos inſcios coniecerit. bellúmne nobis eſt non tecum modò,
Rom.8. Caluine,ſed cum Chriſto,& Apoſtolis ſuſceptum?ecquis ſtabit? ô Caluinianæ ſapientiæ amplitudo, qui ſuppetias non à Carolo,aut Philippo,aut Franciſco, ſed à Chriſto, & ab Apoſtolis ſibi ſuffectas,ac ſubminiſtratas domi ſuę ſemper habet. *Viderint iſti,quomodo ſuperiores euadent in certamine,quod cum talibus antagoniſtis ſuſcipiunt:* immo videris tu magis,& memineris,quomodo ſuperior euades in reddenda ratione tot animarum, quas circumuenire, in fraudem impellere,& in errorem inducere nũquam deſinis, eáſque ſemel captas, & per te deceptas nouis ſemper imaginibus fallis,vt à cæca illa tui admiratione nunquam deſciſcant,ne aliquando videre poſsint,quòd clam alitur monſtrum,tam deforme, vt eius conſpectus cogat idôlum repudiare,quod imprudentes nunc miſeri colunt ac venerãtur. Sed quæ ſunt iſtæ auxiliares copiæ à Chri-
Ioan.6. ſto tibi & ab Apoſtolis miſſæ? *Chriſtus,qui teſtatur, nos ſine ſe nihil poſſe,an ideo minùs reprehendit,& caſtigat eos, qui extra ſe ipſum malè agebant? an ideo minùs exhortatur, vt quiſque bonis operibus incumbat? Paulus quàm ſeuerè in Corinthios inuehitur ob caritatis neglectum? iiſdem tamen caritatem à domino dari flagitat.teſtatur in epiſtola ad Rom.non eſſe volentis, neque*
Rom.9. *currentis,ſed miſerentis Dei. non deſinit tamen poſtea & admone-*

re, & hortari, & corripere. Cur ergo non dominum interpellant, ne ita ludat operam, ab omnibus ea exigendo: expecta Caluine: ego breuiter & verè dicam. quamuis gratiam, dominus ſolus ſit, qui elargitur, & abſque ea quidpiam æterna mercede dignum præſtare neutiquam poſsimus: hæc tamen veluti cæleſtis quædam mercatura, nunquam ſine noſtra voluntate exercetur. ſit inde, vt ea in nobis caſtiget Deus, quæ non ob gratiæ ſuæ defectionem, quæ nulla exiſtit, ſed mala noſtra electione committuntur. Nunquam tu ſic euangelicas adhortationes cum tua neceſsitate compones, ſicut nos arbitrij libertatem cum Dei gratia tanta connexione & pace concordamus: qui dicimus, nihil ſine gratia Dei poſſe non magis, quàm abſq; luce videre: & hanc gratiam nullam nobis legem neceſſitatis præſcribere, vbique docemus: ſemper nobis conſtamus, ſiue ſermo fiat de Dei gratia, ſiue de ſanctis adhortationibus: tu verò, cùm neſcias vtrunque componere, (diſtant enim iſta duo, neceſſitas, & adhortatio) ad Chriſtum, & ad Apoſtolos nos mittis. pudebat fortaſſe te dicere, qua apud tuos auctoritate polleres: ſolutionem quære. Hinc etiam proficiſcitur, Caluine, quòd Paulum non admonemus, vt parcat iis, quorum in manu licèt nõ ſit velle, aut currere, niſi præeat liberalis Dei miſericordia, ea tamen nunquam nos deſtituit: vt magis tu tibi defueris, quàm illa tibi. *Quaſi verò*, inquis, *non optima ſuæ doctrinæ ratio domino conſtet*: quis noſtrûm vel minimum quidem Chriſti doctrinæ detraxit, vt neget, optimam domino ſuæ doctrinæ rationem conſtare? quid? conaríſne impietatem tuam cum Chriſti cauſſa coniungere? id ſolùm inquirimus, in hoc vno laboramus, Dei verbum nõ eſſe, liberos non ad bonum non eſſe, poſtquam tot adhortatiõnibus ex euangelio per Chriſtũ in bonũ excitamur, quarũ quidẽ perexiguus eſſet, aut nullus vſus ſine libera noſtræ volũtatis facultate: haud ſecus quã ſi ſurdo narretur hiſtoria, aut cæco pulchra imago obiiciatur. *At hæc ratio doctrinæ in promptu ſe offert religioſiùs quærentibus*: ergo, Caluine, aut illa non eſt, aut tu nunquam religioſiùs quęſiuiſti, poſtquam hactenus nunquam oſtendiſti, quis ab exhortatione fructus habeatur, ſi nihil in mea ſit poteſtate. bella res, ſcriptura exhortatur ſæpe, quẽadmodum

negare neque poſſum, neque debeo, & ludi magiſter Caluinus, cuius ſenſui illuxit dominus, vt ſcripturas interpretaretur in medio eccleſiæ ſuæ, nec minimam mihi Deum ad exequendum facultatem dediſſe, ſed ſibi rem totam reſeruaſſe affirmat. Vtri aſſentiendum magis, Caluino, an ſcripturæ? nam, vt video, parum inter eos conuenit.

Quò ſe magis expedire molitur Caluinus, eò ſtrictiùs irretitur, neſciens neceſſitatem arbitrij humani cum diuinis adhortationibus concordare.

CAP. XXXIIII.

Calui. ibid. SEd audiamus: fortè modum reperit nouũ, quo litem tantam componat. *Doctrina certè, & exhortatio, & obiurgatio quantum per ſe efficiant ad animum immutandum, indicat Paulus, dum ſcribit, neque qui plantat eſſe aliquid, neque qui rigat, ſed dominum, qui incrementum dat ſolum efficaciter agere. Sic Moyſem videmus ſeuerè legis præcepta ſancire, & prophetas acriter inſtare, & minari tranſgreſſoribus: cùm tamen fateantur tunc ſapere demum homines, vbi cor illis datur ad intelligendum: proprium Dei eſſe corda circumcidere, & pro lapideis dare carnea, legem ſuam inſcribere viſceribus, denique animas innouando facere, vt efficax ſit doctrina:* itáne nullius apud te penſi eſt tam diu nihil agere? ô miſeri diſcipuli, quouſque Dei veſtri maieſtatem ſperni, diuini ſpiritus ſenſus violari, veritatem contemni, ac demum voſmetipſos deludi patiemini? qui porrò ſit ſenſus Chriſti, apoſtolorum, ac prophetarũ in his locis, planè nouimus, te verò omnino ignoramus. quin tu vno verbo dic, Si Deus eſt, qui currit, qui vult, qui miſeretur, qui legem inſcribit viſcerbus hominum, qui ſolus in nobis abſque nobis omnia efficit, neque in noſtra eſt poteſtate noſtras malas vias efficere bonas, quid aures noſtras tot comminationibus complet? quid animos noſtros tot minis territat, vt niſi pedẽ referamus, niſi à noſtris viis malis deſiſtamus, niſi priſtinam peccandi conſuetudinem intermittamus, venire iam ſe ſimulat, vt tanti periculi futuri denuntiatione terreat? Hucuſque Caluinianam theologiam cum veritatis ignoratione cõiunctam vidimus. eundem nunc ſuſtineamus, dum ipſi
Sect. 5. crudelitatem ſociam copulat. ipſe ſibi obiicit, (animus ſiquidem ſibi malè conſcius ſic flagellatur à reatu, in quo

eſt, vt irrequietus continenter æſtuet, propriis furiis agitatus) & quærit, *Quorſum ergo exhortationes?* id eſt, quod multùm & diu ex te accipere deſideramus, Caluine, vt iam expectando defeſsi ſimus. *Nempe, ſi ab impiis obſtinato corde ſpernuntur, in teſtimonium illis futuræ ſunt, vbi ad domini tribunal ventum fuerit. quinetiam iam nunc illorum conſcientiam verberant, ac feriunt: quia vtcunque irrideat proteruiſsimus quiſque improbare tamen non poteſt:* ô pater clementiſsime quò miſericordiæ illæ tuæ antiquæ receſſerunt? vbi ſunt viſcera illa tua omni dulcitudine, ac pietate commoueri ſolita? quid nos vrges? quid nos vocas, domine, ſi totum non niſi in noſtram condemnationem eſt ceſſurũ? vocaſti me domine, atque, vt tibi reſponderem, facultatẽ meam ipſe tecum omnem tuleras. ideo vocaſti, non quòd tibi reſpõderem, poſtquam nihil tale à me ipſo poteram, ſed vt magis iuſtitia tua in meo peccato, cui, velim nolim, ſeruio, abundaret. abſit, à tua miſericordia tantum crudelitatis, & impietatis: abſit, talem te animo noſtro fingamus, vt velis cæco exprobrare, quòd oblata luce ad viſionem minimè vtatur, qua ipſum abdito illo tuo conſilio priuaſti. Igitur nunquam cordis mollities, quæ ad obedientiam neceſſaria eſt, ac ſatis eſt, (ſemper excellentiſsima illa dona, quæ ſibi amiciſsimis impertit Deus, excipio) vlli denegatur: ſed magis eam omnibus Dei ſpiritus per prophetam precatur, cùm ait, Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſsima prouiderent. Huc recidũt, *Deut. 32.* Caluine, cæleſtes, apoſtolicæ, atque piarum mentium admonitiones, & exhortationes, vt ſcilicet ſecum reputet *Apoc. 2.* peccator, vnde exciderit, & quanta eum tot miſeriarum abyſſus maneat, quò vel pauliſper de ſomno excitatus duritiem exuat, & pænitentiam agat. hic certus & ſperatus fructus eſt earum admonitionum, quę crebrò in ſcripturis obuiæ legentibus erunt. ad hæc quaſi quadam neceſſaria cõſecutione fit, vt vbi ad Dei tribunal nobis omnibus ventum fuerit, nihil tergiuerſari miſer homuncio poſsit, nulli niſi ſibi ipſi duritiem aſcribens, qui cùm ad bonum animaretur, ne dum inuitaretur, liberè domini diſciplinam execratus eſt. Sed cupio verbũ vnum, quod de impiis hoc loco Caluinus habet, audiatur. *Itaque impij libenter eas illudere parati, ſi liceat, velint nolint, earum vir-* *Cal. ſect. 41 cap. 5.*

tute proſternuntur: hîc ab ipſo quæro,quid velit ſibi, Si liceat? vt opinor, planus horum verborum ſenſus hic eſt, Ex eo peccatores impij non ſatis amplexæ exhortationis apud Deum rei agentur,non quòd non ſuſceperint,cùm id in eorum non fuerit poteſtate,ſed quòd etiam ſi libera eſſet eis poteſtas, talibus nihilominus adhortationibus liberè renuntiaſſent. O hominem diuinum, ô prophetam nouum,niſi locus nihil ſibi minùs; quàm riſum postularet, (neque enim in re ſeria iocis agendum cenſco)dicerem,Num Saul inter prophetas? ſed venio ad te.

1.*Reg*.10. quis,cedò,iſtud tibi reuelauit? quis ſpiritus te ad aurem admonuit? multò porrò meliora de exhortationibus, & diuinis afflatibus, quos peccatorum mentibus inſtillat Deus,immo de ipſis peccatoribus ſancti prophetæ, piæ-

Ioan.1. que mentes ſperare ſolent. Quis ſcit, ſi conuertatur dominus,vt ignoſcat populo ſuo? dicebat rex ille, vnus prophetæ verbis maximè perculſus. ſic dicam ego Caluino, Quis ſcit,ſi liber homo manſiſſet,tot terroribus exagitatus,futuræ pœnæ timore in meliorem vitam ſe transferret aliquando? Sat habeo, Caluine, quòd ſi tantam tu triumphandi de nobis occaſionem nactus eſſes,quantam vel hic vnus inſtitutionis tuæ locus nobis ſubminiſtrat, ac ſuppetit,priùs te tempus defeciſſet, quàm riſus & oratio multo cachinno plena:nos verò Chriſtianę modeſtię more tecum agentes,ad pios ſermonem conuertimus,vt etiam,quantum eis fructus huiuſmodi adhortationes af-

Sect.4. ferant,explicemus. Sed præſtat te audire. *Pracipua autem vtilitas erga fideles conſideranda eſt:in quibus vt omnia per ſpiritum ſuum agit dominus,* (heu quàm ſemper eodem hæres luto) *ita verbi ſui inſtrumentum non prætermittit:* hoc proximum veriſsimum eſt,Caluine,immo omnium potiſsimum inſtrumentum eſt,poſt Dei gratiam,diuina exhortatio & admonitio. *Et illud ipſum non ſine efficacia vſurpat:* ſi id ad omnes Dei vocationes referas,Chriſti & prophetarum voci apertè cõtradicis. Quoties, inquit Chriſtus, volui congregare vos ad eum modum, ad quem gallina

Matth.23. pullos ſuos congregat,& renuiſtis?Tota die extendebam

Luca 13. manus meas,conqueritur dominus,ad populum contra-

Eſaia 65. dicentem mihi. atque id genus pænè infinita. *Stet ergo quod verum eſt,totam piorum virtutem in Dei gratia ſitam eſſe,*

ſecundum

ſecundum illud prophetæ dictum, Dabo illis cor nouum, vt in illis ambulent: totam non, potiſsimam virtutem piorum, in Dei gratia ſitam eſſe fatebimur: neque ampliùs aut ex propheta, aut ex quopiam alio quidquam extorquere poteris. quid igitur non reſpondes? ecce iam iterùm atque iterum obiicio, cur iam admonentur pij officij ſui, & nõ potiùs relinquuntur ſpiritus directioni? cur hortationibus ſolicitamur, quãdo feſtinare magis nequimus, quàm fert ſpiritus incitatio? cur caſtigantur iuſti, ſiquando à via deflexerunt, poſtquam neceſſaria (vt tu vocas) carnis infirmitate lapſi ſunt? Hîc iam fortiter inclamat, *O homo quis es, qui legem imponas Deo?* nullam ſanè ego illi impono, ſed eam, quam, dum intellectiuam naturam condidit, creatæ voluntati libertatis legem indidit, vbique veneror, atque obſeruo. vt ſi à me quæras, Cur Deus liberam fecerit voluntatem, cùm ignis in ſuam operationem neceſſariò feratur? reſpondebo profectò, Quis es homo, qui legem imponas Deo? ſi verò quæras, Cur iſte admonitioni paret, cùm ille alius ea diſcutiendum torporem non vtatur? non ego exclamabo, ſed liberum arbitrium in cauſſa fuiſſe cum Auguſtino, Hieronymo, Chryſoſtomo, & cum vniuerſa eccleſia dicam. *Si ad recipiendam*, inquit, *hanc ipſam gratiam, qua fit, vt hortationi pareatur, per hortationẽ vult nos præparari, quid habes, quod in ea œconomia mordeas vel ſuggilles?* ego nihil ſanè habeo, modò ipſe nolis libertatem noſtram mordere, vel ſuggillare. *Si nil exhortationes, reprehenſionéſque apud pios aliud proficerent, niſi vt peccati redarguerent, eſſent eo ipſo reputandæ non prorſus inutiles*: quantum hoc valeat, Caluine, ſuprà me oſtendiſſe memini. *Nunc agente intus ſpiritu ad inflammandum boni deſiderium, ac diſcutiendum torporem, ad eximendam iniquitatis voluptatem, & venenatam dulcedinem, contra autem ad odium, tædiúmque generandum plurimùm valeant: quis audeat ſuperfluas cauillari?* abſit, ſuperfluas ego cauiller, dum tamen liberas negare ipſe nolis. quòd ſi ſecus, nihil hactenus reſpondendo egiſti. nam quomodo inſtrumenta eſſe poſſunt diuinæ gratiæ, niſi iuxta eas voluntas noſtra operetur. non enim eſt exhortatio, neque nos admonemur eorum, quæ Deus facturus eſt, ſed magis eorum, quæ nos facere vult, & niſi fecerimus pœnam comminatur. Quære, ſi alio

Ezech. 11.
Iere. 24.
Cal. ſect. 5.

ab hoc labyrintho te explicare poſsis: tandem demõſtra. etenim, vt patet veritatis funibus arctiùs conſtringeris: neque tibi ipſi hac parte ſatisfacere potes. tantum abeſt, de nobis antiqua tua erigas trophæa. Sed iã te ipſum lo-

Cal. ſect. 5. quentem audiamus. *Si quis clariorem deſiderat reſponſionem,* (ego ſanè) *ſic habeat. Bifariam Deus in electis ſuis operatur, intus per ſpiritum, extrà per verbum*: perge, quoniam hactenus ferendus es. *Spiritu mentes illuminando, corda in iuſtitiæ amorem cultúmque formando, quaſi nouam eos creaturam facit. Verbo, ad eandem renouationem expetendam, quærendam, aſſequendam excitat:* concedo iſti, quæ pro veritate eccleſiaſtica dicit, nego autem quæ illi contraria eſſe videntur. quid tum poſtea? *Vtroque manus ſuæ efficaciam pro diſpenſationis ſuæ modo exerit*: expectamus, quò ſe iſte proripiat, & quis tam arcanæ theologiæ finis ſit. *Verbum idem dum reprobis deſtinat, etſi non in eorum correctionem, in alium tamen vſum valere facit: quò & in præſens conſcientiæ teſtimonio vrgeantur, & in iudicij diem magis reddantur inexcuſabiles*: quare, te rogo, correctionis finem primum in-

Ezech. 18. & 33. tentum ad diuina prouidentia prudens omiſiſti? Nolo mortem peccatoris, dicit dominus per prophetam, ſed magis vt corrigatur, & viuat. quòd ſanè verbum etſi in electis ſolùm efficaciam habet, quemadmodum & Chriſti ſanguis: ſecundum tamen ſufficientiam ad impios etiam extenditur, ne ſuæ obdurationis culpã Deo præſcri-

Sect. 5. Ioan. 6. bere audeant. *Sic Chriſtus quamuis pronuntiet neminem ad ſe venire, niſi quem pater traxerit, & electos venire, poſtquam à patre audierint, & didicerint: non tamen ipſe doctoris munus negligit, ſed voce ſua ſedulò inuitat, quos intus à ſpiritu ſancto doceri neceſſe eſt, vt aliquid proficiant*: quid tergiuerſaris? quid nouas ſimilitudines comminiſceris, Pater trahit, quem filius docet, neminem ipſe docere negligit? vera ſunt iſta, Caluine: & ſi quid iudicio meo aſſequi poſſum, hæc eſt ſimilitudinis tuæ, & conſecutionis ratio tota & efficacia, Neceſſarius eſt tractus patris, vt ad filium quis veniat: cũ hoc tamen non ſunt ſuperflui generales clamores, quibus ad ſe omnes inuitat, & prouocat. ergo à ſimili, non eſt quòd pias exhortationes quaſi ſuperfluas cauilleris, etiã

Auguſt. ſuper Io. 6. ſi renouationem omnem per Dei ſpiritum neceſſariò futuram eſſe dicamus. Credo, non ignoras Caluine, quàm

egregiè locum illũ Ioannis per te citatum verſet ſanctus Auguſtinus,& quàm eleganter & doctè plurimum eruditionis congerat,vt oſtendat hoc ipſum dictum à ſaluatore, non vt libertatem tollat arbitrij, ſed vt oſtendatur multis indigere, multàque cooperatione opus eſſe iis, qui crediturι ſunt. quare ſi tantam libertatem tu mihi dares in conſequenti tuo, quantam ſancti in antecedenti ſemper intellexerunt, nimiùm ego cõtentus diſcederem. Si eadem quoque ſpes me conſolaretur in iſto tuo conſequenti, quæ me conſolatur in attractu illo patris, non eſſet quòd aperto Marte nos duo congrederemur. ea ſanè eſt, Qui petit,accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti, aperietur. ex tali quidem promiſsione homo animum magis ac magis erigit, & ſubinde maiorem fiduciam erga Deum concipit. vt non trahi à patre, ſit non petiiſſe,non quæſiuiſſe,non pulſaſſe: at verò non acquieuiſſe exhortanti,etſi ſaluare potes,ex voluntate eſſe,nunquam tamen ex electione: ac proinde quomodo ſuperfluæ non ſint, & vanæ, tu videris. Quòd ſi Paulus apud reprobos non otioſam eſſe doctrinam admonet, non eſt, (vt tu interpreteris)quò illis odor mortis ſit in mortem, ſuauis tamen odor Deo. non hic intentus finis apoſtolicæ doctrinæ, ſed magis, vt credentes homines vitam habeant,& abundantiùs habeant:ipſi verò ſua mala voluntate odorem mortis in mortem eſſe Chriſti euangelium effecerunt.

Luca 11.

2.Corint.2.

Ioan. 10. & vlt.

Epitome locorum pro libero arbitrio, quos ſuprà recenſuimus: & de tribus ordinibus locorum ſcripturæ ſanctæ pro catholica eadem ipſa veritate.

CAP. XXXV.

IGitur hæc mea ratio,hęc mea fides eſt,ſi peccatum eſt, cui æternum ſupplicium iuſta Dei lege debetur, & quod eſt fugiendum quaſi à facie collubri,ſic toties conſiliis, exhortationibus, terroribus, ac vitæ æternæ præmio propoſito, multis denique viis admoneor, omni dubio procul idem mihi non voluntarium tantùm, ſed & liberum eſt. neque video hactenus, qua ratione Caluinus ex his carceribus ſe expediat. Venio iam ad ſcripturas, in quibus congerendis valde laborioſos nos vocat: ídque ſedulò nos facere dicit, vt quoniam pondere

Cal. ſect.6.

nequimus, numero ſaltem eum obruamus. atque vt vniuerſi illi loci, quibus aduerſum eum abutimur, in perpaucutos ſcopos coeant, multo ſtudio, nimióque labore ipſe nititur, vt vbi in ſuas claſſes diſtributi fuerint, illis pluribus vna reſponſione ſatisfaciat. éſtque primus arguendi locus ex ſcripturæ in præceptis locatus: formabimúſque ſic noſtram ratiocinationem, Ab omnibus illa exiguntur, ergo omnibus liberum eſt ea præſtare. nō hîc gratiam diuini fauoris ſecludimus, ſed noſtri arbitrij libertatem ſimul cum ea conuenire, oſtendere molimur. aut certè illudit nos Deus, cùm ſanctitatem, pietatē, obedientiam, caſtitatem, dilectionem, manſuetudinem imperat, cùm immunditiam, idololatriam, impudicitiā, iram, rapinam, ſuperbiam, & ſimilia interdicit: aut ea tantùm requirit, quæ in noſtra ſunt poteſtate. &, vt clariùs ſingula perquiramus, libet vniuerſa præcepta in tres ſpecies diſtinguere: alia primam ad Deum conuerſionem exigūt, alia ſimpliciter de legis obſeruatione loquūtur, alia perſeuerare in recepto Dei beneficio iubent. Hæc recenſui, quò commodiùs vniuerſa Caluini verba ad veræ fidei gnomonem fideliter exigam. Ait, *Cùm primùm hominis facultates ad diuinæ legis præcepta extendere, vulgare id quidem iam diu eſſe cœpit, & non nullam ſpeciem habet, ſed à rudiſſima legis ignorantia prodiit:* vulgare id tu vocas, & à rudiſſima legis ignorantia profectū Caluine, quod ſcripturæ vbiq; loquuntur, prophetæ clamant, ſancti omnes docent, eccleſia ſemper credidit? *Nam qui pro ingenti piaculo ducunt, legis obſeruationem impoſſibilem dici, validiſſimo ſcilicet argumento inſiſtunt, fruſtra aliàs datam eſſe legem:* ánnon tu vides Caluine, quanta cum prudentia vniuerſa iſta coniuncta ſint? ánnon temeraria vox, diuináque prudentia indigna foret, affirmare impoſſibilia nobis pręcepiſſe Deum, cuius mandata grauia non ſunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue? Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. dixit iam olim fidei noſtræ auctor & conſummator Chriſtus Ieſus. vtriuſque tuæ eſt facultatis & velle vitam ingredi, & mandata ſeruaſſe. Sed audiamus quid aduerſus hãc veritatem tot ſæculorum ſerie confirmatam nouus hic exactor ſcripturarum afferat. *Perinde enim loquuntur, ac ſi nuſquam Paulus de lege locutus eſſet:* verum eſt eum de lege

Primus locus catholicorū ex ſcripturis in præceptis collocatus.

Tres præceptorum ordines.

Agit primo loco Cal. de obſeruatione præceptorum in genere, deinde eos tres ordines ſingillatim inſequitur.

Cal. ſect. 6. cap. 5.

Matth. 19.

ſæpe locutum. quid tum poſtea? *Quid enim, quæſo, iſta ſibi volunt, legem propter tranſgreſsionem poſitam eſſe, per legem eſſe cognitionem peccati, legem peccatum efficere, ſubingreſſam eſſe, vt abundaret delictum? an ad noſtras vires limitandum fuiſſe ne fruſtra daretur? quin potiùs longè ſupra nos poſitam, quò impotentiam noſtram conuinceret? certè ex eiuſdem definitione, finis legis ac complementum eſt caritas: atqui dum ea Theſſalonicenſium animos repleri optat, ſatis fatetur, ſine profectu in auribus noſtris ſonare legem, niſi totam eius ſummam cordibus noſtris Deus inſpiret.* Rom. 3. ibid. 7. Galat. 3. Rom. 5. 1. Tim. 3. 1. Theſſ. 3.

Obſeruatio diuinæ legis cum ipſius fauore conuenire nobis poteſt in hac vita mortali: & quomodo in hac etiam vita ſatisfacere poſsimus illi præcepto omnium & primo, & maximo, Diliges dominum ex toto corde, &c.

CAP. XXXVI.

MIrabilis homo aduerſarius iſte meus ſatis ſe viciſſe arbitratur, ſi hinc inde conquiſitis collectíſque ex ſcriptura locis veritatem adobruat, vt bellè illi quadret, Addunt, & adimunt, & nihil ad textum. Legem eſſe poſſibilem obſeruatu, concordi voce omnes ſancti à Chriſto paſſo tenuerũt, & docuerunt, vt per gratiã & auxiliũ Dei ſingula poſsint iuſti & omnia obſeruare mandata. ita vt coram Deo violatæ legis rei non habeãtur, ſed magis coram eo verè iuſti ſint. De dilectione Dei etiam omnes pronuntiant, quòd cùm hoc præceptũ de diligendo Deo ex toto corde, & tota mente ita ſit rationi conforme, atque adeò homini à natura intimè inſitum, vt nihil naturale magis eſſe contingat, iuuari poſſunt ſic vires noſtræ, vt neque in corde ſit præcepto huic quidquam contrarium, neque in dilectione, vlla culpæ ratio. etenim diligere ex toto corde, ex tota mente, ſi ſic intelligamus, vt non ſolùm nihil repugnans caritati, verùm nihil de ea diminuens, vel ad ipſam minimè pertinens, ſit in corde, ſed totum, quod eſt in noſtra mente, actu quàm maximè intento in Deum propẽdeat, hoc proculdubio erit in patria: at verò ex toto corde Deũ diligere, ſic ſcilicet, vt nihil neq; opere, neque verbo, neq; ipſa cogitatione quidẽ admittamus contra eius volũtatem. tali certè modo viatores adhuc Deum diligere tenemur, qui ſi ſic diligamus, præcepto diuino ſatisfecerimus. eam ob rem Dauid

Explicatur ſatis dilucidè, qualis ſit, præcepti illius omniũ maximi ratio, & natura.

Pſal.118. ſępe dicebat, Confitebor tibi domine in toto corde meo.
Pſal.110. &, In toto corde meo exquiſiui te. &, In toto corde
Pſal.98. meo ſcrutabor legem tuam. atque, vt verbo vno legem à Deo datam ſeruatu poſsibilem oſtendamus, vnus locus ex Deuteronomio nobis proferendus erit, qui quàm pugnet ex diametro cum his, quæ de virtute legis, ac de noſtra impotentia Caluinus aſſerebat, tuum lector eſto iudi-
Deut.30. cium. Lætabitur ſuper te bono tuo, ſicut lætatus eſt ſuper patres tuos, ſi modò audieris vocem domini Dei tui, vt cuſtodias præcepta eius, & ſtatuta eius, quæ ſcripta ſunt in libro legis huius: & ſi conuerſus fueris ad dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. etenim præceptum iſtud, quod ego tibi præcipio hodie, non eſt abſconditum à te, nec tam remotum, non eſt in cælis, vt dicas, Quis aſcendet ex nobis in cælos, vt ipſum nobis afferat, annuntiétque nobis illud, vt faciamus ipſum? nec eſt vltra mare, vt dicas, Quis ex nobis traiiciat mare, & afferat nobis, & annuntiet nobis, vt ipſum faciamus? ſed valde propinquum eſt tibi verbũ in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud. Ecce poſui hodie ante te vitam atque bonum, mortem denique & malũ. nam ego præcipio tibi, vt diligas dominum Deum tuum, & incedas in viis eius, atq; cuſtodias præcepta eius. ſtatuta eius, atq; iudicia eius, vt viuas, & multipliceris, fortunétque te dominus Deus tuus in terra, ad quam tu iam venis, vt eam poſsideas. Sin retroſpexerit cor tuum, & nõ obedieris, ſed impulſus adoraueris deos alios, ſeruieríſque eis, denũtio vobis hodie, quòd certiſsimè peribitis, nec prorogabitis dies ſuper terram, ad quam tu trãſmiſſo Iordane iam venis, vt eam poſsideas. Obteſtor hodie, &c. Vtinam Caluino ad tantam lucem oculi aperirẽtur, vt intelligere incipiat, nihil nobis Deũ præcipere, quod aut præſtare non poſsimus, aut ſi quid eſt, non ipſe ad preces inuitet, quibus id nobis certiſsimò datum iri ſperemus. quò pertinent illæ ſolennes Auguſtini ſententiæ, Iubet Deus quæ non poſſumus per nos ipſos præſtare, niſi diuinus adſit fauor, vt nouerimus quid ab ipſo petere debeamus. Magna eſt præceptorum vtilitas, ſi tamen libero arbitrio detur, vt gratia Dei ampliùs per ipſum honoretur. Fides impetrat, quę lex imperat, vt impetret fides quod im-

Aug. Domine da quod iubes, & iube quod vis. Aug. in Ench. ad Lauren. de gratia & lib. arbitrio cap.16. Idẽ hom.29. in Ioan. & epiſt.24.

peratum erat per legem. item, Det Deus quod iubet, & iubeat quod velit. quod explicatiùs ſancta ſynodus dicebat, Impoſsibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adiuuat vt poſsis. cuius mandata grauia non ſunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue. Cùm igitur hæc ſit potiſsima legis virtus, nec vlla eſt potior, quàm eam eſſe vitæ regulam, ad quam ſtudia noſtra dirigamus, ac conuertamus, (nam quæ de lege ex Paulo iſte recenſuit, ex occaſione, & accidenti ipſi conuenire doctores omnes tam Græci, quàm Latini ſuper iiſdem Pauli locis conſtantiſsimè aſſeuerãt) quid dubitat Caluinus citra morã in catholicorum ſententiam deſcendere, quæ ex diuina, naturali, atque poſitiua lege facultatem liberæ noſtræ voluntatis egregiè colligit?

Concilium Triden. ſub Paulo III. ſect. 6. c. 11.

Explicatio locorũ Pauli, quos Caluinus malè produxit.

Chryſoſt. Theophilactus. Ambroſ. Hierony. Theodorit⁹. Oecumeni⁹, atque alij.

Primus ordo præceptorum iam eſplicatur, quæ primam ad Deum conuerſionem exigunt. CAP. XXXVII.

ID, recenſendis tribus præceptorum formis, quas ſuperiùs attigimus, clarius cernetur. hîc tamen volo mecũ obſeruet Caluinus, ſic nos in diuina ſcriptura noſtræ libertatis & facultatis admoneri, vt eueſtigio Dei gratia, ad ea opera præſtanda omnino neceſſaria ſemper occurrat. quò ſic ex præceptis colligamus, ecquid homo valeat ad obedientiam, vt tamen Dei gratiam regnare patiamur, per quam à nobis ipſa præcepta implentur. ſibi ſiquidem gratia ac libera hominis facultas mutuas operas præſtant. Iubet ſæpius dominus tum in lege, tum in prophetis, vt ad ſe conuertamur. mox inclamat propheta, Conuerte me domine, & conuertar: poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam. iubet rurſum, vt præputia cordis noſtri circũcidamus: quam ſanè circũciſionem alibi ſuæ gratiæ, neque ab re fuiſſe dicit. cordis noſtri nouitatem paſsim requirit, quam alio loco à ſe dari, non iniuria teſtatur. hoc eſt, quod Auguſtinus ſubobſcurè dicebat, Deus promittit, quæ non facimus nos ſolùm per naturam, vel liberum arbitrium, ſed facit ipſe per gratiam, dum iuxta prophetæ verbum, omnia opera noſtra operatur in nobis dominus. hoc eſt, quod obſeruari à nobis vult idem doctor Auguſtinus, vt bene diſtinguamus inter legem & promiſsionem, inter naturam & gratiam,

In ſcriptura ſancta ſimul & noſtræ facultatis, & diuinæ gratiæ admonemur.

Ioel. 2.

Ierem. 31. Deuter. 10. & 30. Ezech. 36. Augu. homil. 29. in Ioan. Idẽ epiſto. 24. Iſ. 26.

Aug. li. de doctr. Chri. cap. 3. ne alterum à nobis aut perimi penitus, aut per nos cum altero confundi contingat. quam ſanè obſeruationem & nos etiã, Caluine, inter Ticoni regulas quinto loco enumeratam iam olim & reperimus, & legimus. hoc demũ Seſſ. 6. cap. 5. ſub Pau. III. eſt, quod explicatè S. ſynodus Tridentina vno verbo cõplexa eſt, dum ait, Cùm in ſacris litteris dicitur, Conuertimini ad me, & horum ſimillima, libertatis noſtræ admonemur: cùm reſpondemus, Conuerte nos domine ad te, & conuertemur, Dei gratia nos præueniri cõfitemur. Hæc catholica, & œcumenica ſynodus. Zach. 1.

Alterum præceptorum genus proponitur ſimul cum tertio, ex quibus libertas noſtra mirum in modum illuſtratur.

CAP. XXXVIII.

Nihilominus in ſecundi generis præceptis, quibus Deum colere, eius voluntati ſeruire atque hærere, eius placita ſeruare, eius doctrinam ſequi iubemur, in his etiam præceptis ſic noſtræ libertatis admonemur, vt Dei etiam donum agnoſcamus, quidquid inde iuſtitiæ, ſanctitatis, pietatis, puritatis haberi poteſt. Ex tertio genere erat illa, quæ à Luca refertur, Pauli & Barnabæ exhortatio ad fideles, vt in gratia Dei permanerent. & illa, Nolite contriſtari domini ſpiritum, quo obſignati ſumus in diem redemptionis noſtræ. & illa, Qui ſtat, videat ne cadat. & illa, Cum tremore & timore ſalutem veſtram operamini. Verùm quòd hæc ipſa perſeuerantia Dei donum ſit, & à Deo petenda conſtantia, idem alibi Paulus ſæpe inculcat: Quod ſupereſt, fratres (Ephesios monebat) ſitis fortes per dominum. & alibi Theſſalocenſibus eam in bono perſeuerantiam à domino deprecatur, dicens, Ipſe Deus dignos vos habeat vocatione ſua ſancta, & impleat bonum omne propoſitum voluntatis veſtræ, opúſque fidei in vobis. eodem modo in ſecunda ad Corinthios epiſtola de eleemoſynis tractans, bonam & piam eorum voluntatem ſæpius commendat. paulò pòſt gratias agens Deo, qui pòſuit in corde Titi, vt exhortationem ſuſciperet, quod oris quidem officium ad alios hortandos præſtare Titus non potuit, niſi dominus ſuggeſsiſſet; quomodo alij ad agendum ſola ſua voluntate potentes fuiſſent, niſi & Deus ipſe corda dirigeret? Hoc ipſum accuratiſsimè docet nos patrum di-

Ex tertio genere. Actor. 13. Epheſ. 6. & 4. 2. Theſſ. 1. 2. Corin. 8.

ſciplina in eodem concilio in hunc modum tradita, Similiter de perſeuerantiæ munere, de quo ſcriptum eſt, Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. (quod quidem haberi aliunde non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, vt perſeueranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere) nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmiſsimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus, enim, niſi ipſius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet opus velle & perficere, &c. Quid hîc legimus, quod antiquam patrum noſtrorum grauitatem non redoleat? non præſeferat? grauiſsimorúmque conciliorum memoriam non refricet? quid hîc reperire eſt, quod diuini ſpiritus maieſtate indignum ſit? ad hanc antiquam veræ fidei confeſsionem omnia exigenda ſunt, non ad eam, quę recèns nata tecum & oriri, & adoleſcere inchoauit. neque fruſtra obſeruandę legis facultas in nobis requiritur, dum ſibi obediri nobis dominus imperat. quoniam quamuis ad Dei præcepta præſtanda ſit nobis ipſius gratia neceſſaria: ea tamen Chriſti ſanguine ſuis fidelibus eſt parta, vt non plus à nobis exigat altiſsimus, quàm nos ſimus ſoluendo. fuit enim apud Chriſtũ copioſa redemptio.

Concil. Triden. ſeſſ. 6. ſub Paulo III. ca. 13.

Matt. 24.

Quòd fides vetus, nec nos partimur redemptionem, ſed integram vni Chriſto, noſtræ ſalutis primo ſonti, tribuimus. CAP. XXXIX.

QVòd verò tam liberè obiicis, omnes ſcripturæ ſanctæ locos perperam à nobis detorqueri, dum eò trahimus, vt opus conuerſionis videantur inter Deum & hominem partiri, (bona venia dixerim) à veritate quàm longiſsimè ſecedit. nam præterquam quòd non verſamur per aſtutiam, neque dolo tractamus adulterantes Dei verbum, ſed magis commendare ſtudemus nos ab apertiſsima veritatis manifeſtatione coram Deo, præter id ſanè, nullus eſt ſic rudis, qui aut cùm noſtris conatibus Deum ſuppetias ferre, aut voluntatem noſtram Dei fauori & gratiæ cooperari audit, ſic intelligat, quaſi nos velimus dicere, bonam & meritoriam operationem pro dimidia ſui parte à voluntate noſtra eſſe, à gratia verò, quod inde ſupereſt. immo verò argumen-

Calui. ſect. 9. in fine.

2. ad Cor. 4

tum ex ordine cauſſarum in naturalibus actionibus depromptum ab ſtulta hac conſideratione aduerſarium noſtrum auocare poſſet, ſi vel tantillum illi licuiſſet rem conſiderare. cauſsis ſiquidem vniuerſalioribus particuliores & inferiores accommodantur: qui tamen inde naſcitur effectus, illis omnibus progenitricibus cauſſis communis eſt, ac, ita dixerim, totalis. non ne operatio tuorum oculorum & à viſu eſt, & à luce, non ab altero pars, ſed ab vtroque tota? perquire vniuerſos cauſſarum ordines ô interpres atque internuncius rerum abſtruſarum, & id ipſum in cunctis obſeruabis. Chriſtúm dominum ſummum ac perfectiſsimum redemptorem, abſolutúmque reparatorem plenis buccis vbique proclamamus, vbique omnium aures huiuſmodi vocibus perſonant. Sed quò magis iſte à nobis irretitus eſt, eò magis noſtræ iuſtiſsimæ cauſſæ ſtatum conuiciis ſe dignis perturbare, & permiſcere non deſinit. iam audiatur à nobis S. Bernardus, cuius fidei non nihil tribuit aduerſarius: Tolle liberum arbitrium, & non erit quod ſaluetur, tolle gratiam, & non erit vnde ſaluetur. opus hoc ſine duobus effici non poteſt: vno, à quo fit, altero, cui, vel in quo fit. Deus auctor eſt ſalutis, liberum arbitrium tantùm capax. & ne iſte his verbis putet dici, liberum arbitrium in noſtra iuſtificatione paſsiuè tantùm ſe habere, auſcultet priùs, quid ſanctus continuò ſubiiciat, ac mox ſuos cadat pæanas, ſi libuerit: Quod ergo à ſolo Deo, & ſoli datur libero arbitrio, tam abſque conſenſu eſſe non poteſt accipientis, quàm abſque gratia dantis. & ita gratiæ operanti ſalutem, liberum arbitrium cooperari dicitur, dum conſentit, hoc eſt, dum ſaluatur. proinde irrationalis ſpiritus ſalutē minimè capit, eò ꝙ illi voluntarius conſenſus deſit, quo Deo ſaluanti liberè & placidè obtemperet, ſiue iubenti acquieſcendo, ſiue pollicenti credendo, ſiue reddenti gratias agendo.

Bernar. lib. de lib. arbit.

Opus noſtrum ab vtroque eſt totum & à Deo, & à libero noſtro arbitrio.

Hactenus Bernardus. Sed quia ſcriptores omnes eccleſiaſticos, excepto Auguſtino, à ſuffragij iure in cauſſa liberi arbitrij iſte depellit, obiiciamus ei Auguſtinū, qui ſæpe ex obligatione, qua diuinis præceptis illigamur, libertatem noſtræ electionis optimè elicit, ad Valentinum epiſtola priori, Nulla, inquit, obedientia hîc eſſe

Aug. 46.

poteſt ſine libero arbitrio. idem ad eundem epiſtola poſteriori, exponens illud, Rectos curſus fac pedibus tuis: ipſe enim rectos faciet curſus tuos, optimè meditatus eſt, rectos nos facere curſus pedibus noſtris, propter propriæ libertatis voluntatem: Deus tamen eoſdem rectos facit gratia ſua. Quid tam diu lectorem detineo? an negare poterit iſte Auguſtini magni verba, quibus fusè latéque hoc noſtrum verſans argumentum pro libero arbitrio ait, Potiſsimum argumentum ad liberum arbitrium obfirmandum inde ſumitur, quia ipſa diuina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberũ voluntatis arbitrium, quò ea faciens ad promiſſa præmia perueniret. & infrà, Quomodo iubet, ſi non eſt liberũ arbitrium? quid eſt, quòd beatus ille dicit, In lege domini fuit voluntas eius? nonne ſatis indicat voluntate ſua hominem in lege Dei conſiſtere? Hactenus Auguſtinus, & nos de diuinis præceptis, quæ noſtram ſcilicet libertatem ſtabiliunt.

Aug. 49. *Auguſt. epiſt. 47.* *Prouerb. 4.* *Aug. de gratia, & libero arbit. cap. 2.* *Pſal. 1.*

Pro libero arbitrio alter locus, ex promiſsionibus depromptus expenditur. CAP. XL.

IAm hinc rurſum alter argumentorum ordo dimanat, qui promiſsiones cõtinet, quibus dominus aut ſæculare præmiũ, aut infinita & æterna dona cũ voluntate noſtra paciſcitur. quales ſunt, Quærite bonitatem & non malitiam, vt viuatis. Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis: quòd ſi nolueritis, gladius deuorabit vos: quia os domini locutum eſt. item, Si abſtuleris abominationes tuas à facie mea, non expellêris: ſi audieris vocem Iehouæ Dei tui, & facias, & cuſtodias omnia mandata eius, faciet te dominus excelſiorẽ cunctis gentibus terræ. item, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. rurſum, Si quis audierit vocem meam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipſe mecum. & illud, Qui perdiderit animam ſuam propter me, &c. immo totum illud caput, & his promiſsionibus innumeræ ſimiles, quæ nunquam non in ſcripturas nobis obuiam venient. Proh, Chriſte, quanta ſe multitudine verborum diffunderet iſte, ſi vel multò minorem aduerſum nos occaſionem ad irridendum nactus fuiſſet?

Amos. 5. *Ierem. 4.* *Deuter. 28.* *Leuit. 26.* *Matth. 19.* *Apocal. 3.* *Lucæ. 9.*

quàm ſibi non parceret, dum nobis illuderet, aduncóque naſo nos ſuſpenderet? quàm tunc importunè, & per ludibrium voluntati noſtræ delegata putaret, quæ dominus in promiſsionibus beneficia offert, poſtquam non noſtrũ eſt illa vel ſtabilire, vel irrita facere? ô quam fecundis querimoniis rem amplificaret querens & dolens grauiter, nos crudeliter à domino illudi, cùm ſuam benignitatem à voluntate noſtra pendêre denuntiat, ſi voluntas ipſa noſtri iuris non eſt? quàm diceret egregiam verò Dei noſtri liberalitatem, ſi beneficia ſua ita nobis exponat, ne fruendi ulla ſit facultas? O miram, aperto ore proclamaret raucus, promiſsionum certitudinem, quę vt nunquam impleantur, à re impoſsibili dependeant. nos verò nullas hîc mouebimus tragœdias: tantùm ſciſcitabimur ab eo, quomodo ſtare poſsit, vt, cùm hæ in noſtra poteſtate non ſint, nec libertate, nihil hîc nos offendat? dicat, ſi ſcit, quomodo negare ipſe poterit, inhumaniter Deum nos illudere, cum ad beneficia ſua demerenda inuitat, quos nouit eſſe prorſus; impotentes? explicet, ſi valet ſi quidem fidelibus iuxtà & impiis offerantur promiſsiones iſtæ, quem apud vtroſque libertate priuatos vſum habeant? Sed audiamus eum id ipſum, quod petimus, molientem, ſed reuera infeliciter conantem. *Præceptis impiorum conſcientias pungit Deus, ne ſuauiter nimiùm in peccatis delicientur, nulla iudiciorum ſuorum memoria*: ô bella theologia. igitur impiis eò ſolùm præceptum datur, non quòd faciant, ſed quò eorum conſcientiæ pũgantur, ne ſic in peccatis delicientur? quãtum ergo proderunt illi, de quo legimus, Peccator, cùm in profundum venerit, contemnit? Exultat in rebus peſsimis, & lætatur, cùm malefecerit? Sed nolo tibi moleſtus eſſe: perge, *In promiſsionibus quodammodo eos atteſtatur, quàm indigni ſint ſua benignitate*: ſic eſt, vt tu aſſeris: ſed iſne ſolus eſt vſus diuinarum promiſsionum? bene tu dicis. quis enim æquiſſimũ atque optimè conueniens eſſe neget, dominum his benefacere, à quibus colitur, maieſtatis autem ſuæ contẽptores pro ſua ſeueritate vlciſci: ſiquidẽ vtrunq; vtriſque liberũ & integrũ eſſet? at nunc, quomodo ritè & ordine Deus dicitur agere, dum impiis peccati compedi-

Cal. ſect. 10

Prouer. 18.

Prouerb. 2.

bus neceſſariò deuinctis, hanc legem in promiſsionibus dicit, tum demum ſua beneficia percepturos, ſi à prauitate diſceſſerint, à qua diſcedendi liberam poteſtatem non habent? dicis tu, *Ritè ſanè, & ordine Deus agit, vel ob hoc ſolùm, vt intelligant ſe ab his meritò excludi, quæ veris Dei cultoribus debentur*: vt video, Caluine, parum te expedis: intellige mecum, & cogita, quis vſus ſit iſte pro impiis & peccatoribus diuinarum promiſsionum, quæ magis peccatorum ſupplicia & tormenta, quàm promiſsiones, & id quidem ſine libero actu eorum dicendæ ſunt. non tam liberalis tibi Deus videtur, vt animo dandi polliceatur, ſed magis vt peccatorem cruciet, & torqueat? ſi quid ego hic ſapio, promiſsiones Dei nõ à ſua illa inexhauſta ſuarum diuitiarum abyſſo profluunt, ſed à tremenda Dei iuſtitia proficiſcuntur. O theologorum anteſignane quid nos doces, quod Chriſtus, & apoſtoli nõ docuerint? bonos ſimiliter ac impios homines & ſceleratos currere ad propoſitum vocationis ſuæ brauium impenſè hortabatur Paulus, non vt ſic terreret diuinis promiſsionibus, ſed magis, inquit, Sic currite, vt apprehendatis: corona vos expectat, ſiquidem viceritis. agonothera noſter, ô Caluine, inuidus, aut illiberalis non eſt: omnibus ſuis athletis, quos certare iubet, cæleſtia præmia adiudicare deſiderat: neminem in arenam coniicit, quem modis omnibus de hoſte triumphare, ampláque de eo referre ſpolia non percupiat, neque aliorum nos prẹmiis allicit, niſi quia dare ſe nobis, pro deliciis habet. dat ergo, vnde ad Deum veniamus: & poſtquam venerimus, glorioſi apud eum quieſcamus, vt non accepiſſe ab eo, non veniſſe ad eum ſit. rurſum non veniſſe, noluiſſe ſit. Hanc ergo, Caluine, vſque ad ſenectam, atque extremum vitæ ſpiritum retinebo fidem, in qua natus ſum puer. etſi enim modis omnibus ad implorandam ſuam gratiam fideles ſtimulare ſtudet Deus præceptis, & promiſsionibus: tamen neque his Deus hoc facere tentaret, neq; his homo ſtimularetur, niſi in ſua eſſet poteſtate, & ea prẹcepta prẹſtare, & his ſe promiſsionibus accommodare. quæ poſtquam ſemel cogitans cognouerit, Dei lege mirè ex ſomno excitatus, cæleſtibus donis ſuauiter attractus, legis obſeruationem pretium numerat, pro his promiſsioni-

Efficax argumentum.

Hieron. ad Damaſ.

2. Corin. 9.

2. Tim. 4.

Iſaie 56.

Sap. 1.

bus aſſequendis, quas ex domini ore accepit. Sicut ergo nobis quidpiam præcipere Deum, non eſt admonere nos tantùm miſeriæ noſtræ, ſed ſuam nobis voluntatem patefacere, quam implere modis omnibus procuremus: ſic eius cæleſtibus promiſsionibus non inſtigamur tantùm, ſed monemur, quid ſimus accepturi, dum illi paruerimus, & morem geſſerimus. immo nunquam promiſsiones ſua dulcedine nos allicerent ad diuina mandata exequenda, niſi & operum & præmiorum facultatem haberemus. Adhæc, quæro, an liberè ignauia noſtra acuatur diuinis præceptis, & ſimiliter liberè eo maiori teneamur iuſtitiæ deſiderio, quò cæleſtibus promiſsionibus ſimus ad quærendam Dei gratiam feruentiores, an magis omnia hæc ex nunquam deficienti neceſsitate nobis obueniant? quòd ſi hoc concedis, ſemper eadem ſtabit difficultas, quæ initio, quomodo illis obteſtationibus, Si volueritis, Si audieritis, neq; volendi, neq; audiēdi liberā facultatem nobis dominus tribuat, neq; tamen ob impotentiam nos ludibrio habeat? ſi verò illud alterum cōcedas, iam locum aliquem libertati noſtræ feciſti. Reſponde Caluine, vno verbo te conuenio: ſi in mea poteſtate libera non eſt in præceptam ferri bonitatem, inſuper ſi neque in mea eſt libertate tanto vel tanto affectu in eum propendêre, quid Deus vel prçmia offert, vel promiſsis excitat? nunquam diuinis pollicitationibus locus eſſet, (vt & ipſe fateris) ſi feruida excitatio è medio tollatur: at nihilo magis excitari feruentiùs in noſtra eſt poteſtate, quàm ipſum excitari, quando id totum à Deo ſolo eſt. quis igitur locus aut præcepto, aut promiſsioni relinquitur? Patere vehementiùs à diſcipulo te vrgeri: tu dicis, Promiſsiones tantùm excitant feruentiùs ſine vlla libertate eius, qui excitatur: iam ego percunctor, num promiſsionibus illis neceſſariò afficimur, an liberè? ſi liberè, quid tam diu digladiamur? ſi neceſſariò, quare illudens dicit, Si vis, Si quis vult, & id genus ſimilia? ergo quamuis omnem lapidem moueas, quamuis cælum terræ miſceas, nunquam compones voluntatis noſtræ neceſsitatem cum diuinis & liberalibus Dei noſtri promiſsionibus. Sed ad extremum legatur Auguſtinus, vbi ſuprà capite illo ſecundo de gratia & li-

Egregia ratio pro libero arbitrio.

Deut.30. et alibi ſæpe

Matt.19. Luc.18. Mar.10.

Aug. ex diuinis promiſſionibus li-

bero arbitrio ipſa diuina præcepta homini non prodeſ- *bertatem*
ſent, niſi haberet liberum libertatis arbitrium, quo ea *colligit.*
faciens, ad promiſſa præmia perueniret.

*Tertius locus ſcripturæ ſanctæ pro libero arbitrio è commi-
nationibus, atque exprobrationibus diuinis
depromptus.* CAP. XLI.

TErtio loco ea ſcripturarum teſtimonia producamus, quibus ingrato populo Deus exprobrat, per eum duntaxat ſtetiſſe, quò minùs ab indulgentia omne genus bonorum receperit: cuius generis loci ſunt iſti, *Num.14.* Amalec & Cananæus ante vos ſunt, quorum gladio corrueris, eò quòd nolueritis acquieſcere domino. item, *Ierem.7.* Quia induraſtis cor veſtrum, & noluiſtis obedire domino, hæc omnia mala euenerunt vobis. percurramus diuinarum ſcripturarum volumina, numeroſa nobis occurrent teſtimonia, in quibus duritiam cordis, impatientiã ſceleratis & peccatoribus hominibus obiectat altiſsimus. tales quidem exprobrationes quomodo aduerſus eos congruerent, quibus extemplo reſpondere liceat, Nobis verò proſperitas cordi erat, aduerſa timebamus? quòd autem, vt æternam beatitudinem adipiſceremur, atque vt ſupplicia fugeremus, domino non paruimus, nec vocem eius auſcultauimus, eò factum eſt, quia peccati dominationi obnoxiis liberum non fuit? fruſtra igitur mala nobis exprobrantur, quæ fugere nõ fuit noſtræ poteſtatis. Hîc iam vult Caluinus vt omittamus neceſ- *Cal.ſect.11.* ſitatis obtentum, in quo futile & infirmum eſſe noſtrum patrocinium ipſe arbitratur, nos verò, forte & firmum, quemadmodum ſuperiori loco oſtendimus. quòd verò ad antiquam noſtram peruerſitatem recurrit iſte, in quo ſanè luto hærentes perpetuò facit, nos ſuprà copioſè ſatis profligauimus. Non inficiamur nos, Caluine, cauſſam contumaciæ, prauam hominum voluntatem eſſe, non eam tantùm, quæ in Adamo malè tractata eſt, ſed quæ libera electione mala, ſe in peccati miſerias præcipitem dedit. hic omnis mali fons. tu tu, non nos, veſtigandis extraneis cauſsis inhias, ne tibi ipſi fuiſſe exitij auctor videaris, qui aut in diuinam omnia reiicis prædeſtinationem, aut ex impura radice infecta omnia, & deturpata, lutulentáque neceſſariò prodire dicis. Quod ſi

verum eſt, ſuo vitio liberè perpetrato, & diuinis beneficiis priuari peccatores, & vltionibus caſtigari, magna profectò ratio eſt, cur iſtas exprobationes ex ore Dei audiant, vt ſi obſtinatè in vitiis pergant, diſcant in calamitatibus ſuam potiùs nequitiam accuſare, & deteſtari, quàm Deum, qui eos reliquit in manu conſilij ſui, iniquæ ſæuitiæ inſimulare. ſi docilitatem non exercent, peccatorum tædio capti, in viam redeant, atque idipſum ſeria & libera confeſsione hic agnoſcant, cauentes ea, quæ obiurgãdo dominus cõmemorat. in quẽ quidem vſum eas, quæ citantur, prophetarũ obiurgationes piis animis multùm profeciſſe, ex ſolenni Danielis oratione conſtat. neq; Iudæi ipſi prophetico aliquo vaticinio libertate ſua ſpoliati ſunt aliquando: quãuis non aliter caſurum eſſet, q̃ dominus prędixiſſet. Loquêris, inquit Deus, ô Ieremia ad eos omnia verba hæc, & non audiẽt te: vocabis eos, & nõ reſpondebũt tibi. Dei noſtri præſciẽtia, Caluine, quẽadmodum Aurelius tuus, meúſque præclarè obſeruat, quamuis quos ſanaturus ſit peccatores, prænoſcat, non tamen eos facit: nec quos in æternũ præſciuit damnandos, ſua ſcientia miſeros facit Deus. tenenda nobis eſt hæc ſemper conſtans hypotheſis, Deum ſcilicet nec peccati cauſſam eſſe, nec peccatum velle: quo fit, vt omnem infirmitatis noſtræ contingentiam in noſtram facultatem reiiciamus, vt voluntate noſtra vltro & liberè ruamus. ſuccenſeamus ipſi noſtræ voluntati, cùm labimur, nec quæramus Dei conſilij cauſſam: contrà, cùm nos erigimus, ſciamus Deum & velle opitulari, & nobis luctãtibus adeſſe. ſic excitabitur cura in nobis, & Dei noſtri immenſa bonitas laudabitur: qui & promiſit auxilium, & præſtat, ſed petentibus, inquit Chryſoſtomus.

Eccleſiaſt. 7. *Dan. 9.* *Ierem. 7.* *Auguſt. de prædeſti. & gratia, cap. 14. & 15.*

Quàm frigidè omnibus his locis vnica reſponſione contra liberum arbitrium reſpondeat Caluinus.

CAP. XLII.

HActenus lentus, frigidus liberi arbitrij oppugnator videri Caluinus poterat, hactenus vtcunque ferendus videbatur, tardigradus, modò hanc ſcripturæ partem ſua litura tollens, modò illam ſuis ſcholiis aptans: at nunc tantæ ſuæ cunctationis pertæſus moram rumpit, celeri citatóque curſu tarditatem corrigere feſtinat.

Paucis,

Paucis, ait, *his ſolutionibus expedire te facillimè poſsis ab immenſa teſtimoniorum congerie, quam ex obteſtationibus aduerſus legis transgreſſores, ad erigendum liberi arbitrij ſimulacrum, hoſtes gratiæ Dei ſtruere ſolent:* delebis ne omnia tam facili opera, quæ pro libertate noſtra ſunt, & euertes, vt ponas, & conſtruas iſtam ſeruitutem? adimèſne, atque extingues quodcunque tibi nō arridet, quamlibet ipſum antiquitas longo tempore obſeruarit? Sit ita: omnes ſcripturæ locos diligenter euolue, breuiſque eos nunc percurre, vt habeant, qui iſtius ſunt factionis, vnde expedire ſe à noſtris facillimè poſsint. *Probroſè de Iudæis in pſalmo refertur, Generatio praua, quæ non direxit cor ſuum. alio etiam pſalmo hortatur propheta ſuæ ætatis homines, ne obdurent corda ſua:* quid ad hęc? *Sed ſtultè inde colligitur cor noſtrum in vtranque partem eſſe flexibile. Cur ita? Annon eius præparatio à Deo eſt?* ô pulchram conſecutionem, Deus humanum cor emollit, ergo ſe ipſum flectere non poteſt. libet ridere: ſed cùm quot tu homines tua dialectica fefelleris, mente contemplor, vix à lacrymis tempero. quaſi verò non magis quadrent cæleſtis fauor, & noſtræ vires, quàm quicunque alius concurſus ſuperioris cauſſæ cum inferiori. propheta dicit, Inclinaui cor meum ad obſeruanda pręcepta tua. cuius etiam inclinationis Deum eſſe auctorem eo ipſo loco idem propheta non reticuit. Tu ais, *Tenenda eſt Pauli admonitio, dum fideles iubet operari ſalutem ſuam cum tremore & timore. Petri etiam exhortatio mente concipienda, quæ, vt ſubminiſtremus in fide virtutem, nos commonefacit: Apoſtolus nihilominus audiendus eſt, cùm ait, Spiritum ne extinguatis:* vtinam Caluine ſic ſemper ſaperes, & tuis ſcholiis aliquando parceres. ſed ecce iam ſubitò vniuerſa denigras, & perturbas dicens, *Si quis inde inferat, noſtro eſſe arbitrio oblatam lucem fouere, virtutem ſubminiſtrare, aut ſpiritum retinere, facilè refutabitur eius inſcitia: quia hæc omnia à Deo ſunt, vt meminerimus hoc ipſum, quod agere iubemur, proprium eſſe Dei opus, quò diſertè exprimat paßiuè (vt ita loquar) ſe habere fideles, quatenus è cælo ſibi facultas ſuggeritur:* hoc poſtremum, Caluine, tuum eſt, & Lutheranorum inuentum, non apoſtolorum inſtitutum. reſponde, quid eſt, quod verbis actionem exprimentibus apoſtoli vſi ſunt, Subminiſtrate, Nolite extinguere, Operamini, ſi

Cal. ſect. 11. *Pſal. 78.* *Pſal. 95.* *Pſal. 119.* *Philip. 4.* *2. Pet. 1.* *Theſſal. 5.* *Sect. 11.*

paſsiuè (vt ita loquaris) ad hęc omnia mens noſtra ſolùm ſe habet? ô Caluine Caluine quàm video, & voces, & ſcripturæ tibi ſeruiunt: quàm video, vteris & Deo, & ſanctis, & humanis ac diuinis etiam locutionibus.

Proponitur altera Caluini reſponſio æquè inefficax, atque prior: & locus Ioannis, Semen Dei manet in illo, illuſtratur.

CAP. XLIII.

SEd altera Caluiniana diſſolutio non eſt hîc mihi prætermittenda, qui cùm Dei verbo concatenatus nobis teneatur, vt quoquam pedem referre non poſsit, quò vincula diſcerpat & luxet, hæc ait, *Meminerimus oportet, per cõceſsionem ad nos transferri ſæpe, quod in Deum competit, quemadmodum ex verbis Ioannis palam eſt, Quiſquis ex Deo eſt, ſeruat ſeipſum:* tam præclarum teſtimonium pro libero arbitrio ſic corrumpis? noli, obſecro te per Deum immortalem, & per IESV Chriſti vnigeniti filij Dei viſcera, noli pacem ſcripturarum lacerare, noli diuinorum eloquiorum concordiam inſectari, noli iurgia & diſsidia alere, ſed magis pacem ſpiritus ama. Sancti, non qui ſub poſteriori teſtamento nati ſunt modò, verùm & qui ſub ſuperioribus repromiſsionibus vixerunt, immo Chriſtus IESVS etiam, ſic medium tenuerunt, vt noſtri cuſtodiã è cœlo pendêre clarè & eleganter traderent, & cum hoc quoque nos aduerſum Satanam noſtra adiungere arma hortarentur. ſic Petrus dominici gregis poſt Chriſtum coryphæus & anteſignanus, poſtquã animas nos purificare iuſsit in obedientia veritatis, mox non correctionis vice, ſed vt fontẽ omnis boni nobis indicaret, nóſque illi copularet, addit, per ſpiritũ. Habet, vt video, hîc Caluinus nonnihil ex ſanctiſsimo Ioãne: vnde, vt ſibi videtur, noſtrorum operum imbecillitas ſatis ſupérque omnibus patêre poſsit. *Denique quàm nihili ſint,* inquit, *omnes humanæ vires in certamine ſpirituali, breuiter oſtendit Ioannes: cùm tradit non poſſe peccare, qui ex Deo nati ſunt, ac rationem reddit ibidem Ioannes, quia ſemen Dei in illis manet. Et alibi, quòd fides noſtra ſit victoria, quæ vincit mundum:* cum primis non vides quanta hîc à Ioanne habeantur, quæ tuam phreneſim elidant & frangant, non tantùm non illi faueant? Qui facit, inquit, iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille

1.Ioan.5. 1.Pet.1. Sect.11. 1.Ioan.3. 1.Ioan.5. 1.Ioan.3.

iuſtus eſt. rurſum, Qui facit peccatum, ex diabolo eſt. Hîc abs te quæro, quid nos pro libero arbitrio conſtruendo ad tuas technas & fucos expellendos, ad tuas artes & dolos abigendos, eleganti hac antitheſi ab effectu & operibus hypocritarum ſumpta, aut oportuniùs, aut fortiùs pro veris operibus ex Dei gratia procedentibus ſtabiliendis, & confirmandis excogitaſſe aliquando potuiſſemus? ac ſi diceret Chriſti apoſtolus, quæ vera iuſtitia apud Deum eſt, non verbis, non humano garritu commendanda & oſtentanda, ſed opere probanda eſt: ſtatímque ea verba ſubiungit, quæ tu retuliſti, Omnis, qui natus ex Deo, &c. vbi ſanè Deo dilectiſsimus Ioannes generationem generationi, ſemen ſemini, verbum verbo, ac tandem opera operibus opponit, quò commodiùs doceat, quibus notis filij regni à filiis perditionis diſcreti ſint. Malum & nocentiſsimum ſemen diabolus ſeuit, quo nati ſumus peccatores: at à Deo patre filius exiit, qui ſeminaret bonum ſemen, quo renaſceremur, vt, qui ex Dei ſemine nati ſunt, id eſt, qui diuinum illud pignus hæreditatis æternæ, gratiam ſcilicet, in ſe habent, quàm diu ſemen tale in illis eſt, peccare non poſſunt. ſemen diaboli peccatum eſt, mors, caro, & concupiſcentia. quàm diu hæc ſemina in nobis vigent, quod inde naſcitur, peccatum neceſſariò erit: Dei verò ſemen, gratia, vita, ſpiritus, & iuſtitia eſt: quo ſanè ſemine regnante, non magis dominari peccatum poteſt, quàm quòd in media luce tenebræ regnent, aut quòd ex frumenti ſemine oliua naſcatur. Quid igitur ex his verbis eſt, quod contra humanas vires & liberi arbitrij facultatem tu iure & merito obiectare nobis poſsis? ſiue ſemen illud Dei verbum ſit, ſiue euangelica fides, aut tandem Chriſti gratia, quæ potiſsimum locum tenent in noſtra iuſtificatione.

Explicatio loci.

Ioan. 1. c. 3.

Ponderantur particulares aliquot loci ſanctarum ſcripturarum pro libero arbitrio. CAP. XLIIII.

NEque locus ille Oſeæ prophetæ, qui te ſic cruciat, & vrget Caluine, tam elumbis eſt, ſi ſobriè penſitare velis, ad eam ipſam liberi arbitrij facultatem aſtruendam: dicit enim, Vadam ad locum meum, ait dominus, donec ponãt in corde ſuo, & quærant faciem meam. quo

Oſee 5.

certè teſtimonio ſicut verbo illo, quærant, cordis noſtri flexus admonemur, ſic etiam vox illa, ponant, quàm voluntati noſtræ dominemur, abũdè patefacit. vt hinc illud Auguſtini videatur ſumptum, Nil magis eſſe in noſtra voluntate & poteſtate, quàm ſit voluntas ipſa. non quòd velimus affirmare, neque per ſomnium quidem, populũ à Deo derelictum conuerſionem ſuam à ſe ipſo ſine Deo vel meditari poſſe. abſit, ſit procul à nobis Pelagij furor: tota ſiquidem ſcriptura reclamat: ſed magis dicere intendimus, quòd minis & afflictionibus mirè è ſomno excitatus à domino populus ſua facultate ad paratiſsimum ſibi Deum, qui expergefacit, vocat, & amoris funibus quaſi trahit, venire, illi approximare, illum quærere, modò totum hoc in animum inducat ſuum, eodem domino ſuppetias ferente, optimè poteſt. Locus etiam Geneſeos, vbi dominus ſententiã illam pronuntiat, Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illi, quàm egregiè noſtræ parti faueat, inſignis illa tua argutiola ſuper iſto loco ſatis indicat, *Magis congruit orationis ordini, vt de Abele accipiatur hoc dictum:* certè antiquiores omnes, (non catholicos recenſendo ſolùm auctores, Græcos, & Latinos, ſed etiam Hebræorum Rabbinos ab hoc numero non excludendo) omnes, inquam, locum hunc de peccato interpretantur: ac ſi Caino dominus promitteret, non fore in animo eius vim peccati ſuperiorem, ſi in eo perdomando laborare velit. Quòd verò toties iſte inſcitè obiectat, quærens à nobis, an hîc Deus promittat, aut iubeat, parum nos vrgebit, quando facili opera reſpondebimus, vtrunque feciſſe dominum hac vna denuntiatione. qui enim iubet, ſe nobis affuturum pollicetur, quò præſtemus iuſſa, vt non reportaſſe victoriam de appetitu & deſiderio noſtro, non legitimè certaſſe ſit. quod & ipſi Caino contigit: non quia nõ potuit, ſed quia & propria facultate, & Dei pollicitationibus malè vſus eſt. Neq; nimium negotij iſtæ ambages Caluino faceſſebant, quem magis & furor, & libido torquebant. ait enim, *Sed quis recipiet iſtas ambages?* quaſi nihil haberet faſtidioſus homo, quod veritati obiectaret, præter vnum ipſius veritatis faſtidium, quo aſsiduè tenetur. poſſemus & hîc Eccleſiaſticum producere, quem indubiæ auctoritatis ſcri-

Cõmune dictũ Augu. — *Geneſ. 4.* — *Cal. ſect. 16* — *Eccleſia. 7.*

ptorem eſſe, poſt tot patrum decreta, nemo orthodoxus, ſed vnus Caluinus ignorat. Is ergo palam dicit, hominem, ſtatim atque creatus fuit, relictum eſſe in manu conſilij ſui, dat àque illi eſſe præcepta, quæ ſi ſeruaret, ab vicisſim ſeruaretur. ante hominem poſitam eſſe vitam & mortem, bonum & malum: quodcunque voluerit, ei datum iri. iam video quid dicere velis, totúmque hoc in primo homine fuiſſe completum, exclamabis. *Eſto acceperit homo à ſua creatione facultatem adipiſcendæ vitæ aut mortis: quid ſi ex aduerſo reſpondeamus perdidiſſe?* ſed quàm ad mentem Auguſtini iſta ſis locutus Caluine, paulò pòſt approbante Deo indicabimus: vbi manifeſtis ſanctorum teſtimoniis eandem ipſam libertatem, viribus tamen attenuatam, in homine relictam eſſe comprobabimus, vt non ſic hominem inſtituamus, nec ſic inſtituere velit Eccleſiaſticus, vt apud ſe ipſum tantùm acquirendæ ſatis facultatem quærat, quò magis in memoriam illi reuocemus, quid poſsit, ſi Dei fauori manus & ipſe admoueat. quę veritas ſic catholica eſt, vt nec minimi præiudicij aduerſus indubitatam Dei noſtri gloriam vicem obtineat. *Cal. ſect. 18.* *Sect. 18.*

Parabola de homine illo, Qui in latrones incidit, expenditur.

CAP. XLXV.

PArabola nihilominus Chriſti de viatore illo, quē ſemiuiuū latrones in via ſtrauerunt, non ita peccati, ac diaboli latrocinio mutilatum eſſe hominem repræſenſentat, quin ſuperſtites retineat bonorum priorum reliliquias: quandoquidem relictus eſſe ſemiuiuus dicitur, & vulneratus. Vbi, rogo te, illud vitæ dimidium eſt, niſi rectæ & rationis, & voluntatis portio aliqua maneret? iam hîc reſpondet Caluinus, *Primùm, ſi nolim locum dare ipſorum allegoriæ, quid, obſecro, facturi ſunt?* ſcis, quid ſimus facturi, Caluine? profectò quòd toties facimus, quoties lapſus tuos nos legimus & audimus, ſcilicet aut te corrigere nitimur, aut quia res hæc difficilis eſt, nimiúmque prudētiæ tuæ confidis, alios quoad poſſumus, à tāto ſcelere dehortamur. *Nam præter germanum orationis domini ſenſum à patribus excogitatum fuiſſe nil dubium eſt:* ô mirabilis Ioſeph, ſomniorum interpres atque enodator, ô Daniel, ſenſuum domini indagator & explicator, tu ne *Lucæ 10.* *Cal. ſect. 19.* *Cal. ibid.*

ſolus retinuiſti germanum orationis domini ſenſum? omnéſne patres, qui te præceſſere, eum tenere non potuerunt? *Allegoriæ vltrà procedere non debent, quàm præeuntem habent ſcripturæ regulam: tantum abeſt, vt fundandis vllis dogmatis per ſe ſufficiant*: ecce tu, vt video, mirabilis es in promulgandis legibus,& in ſcripturæ regulis tradendis. rectè dixeris aduerſum Auguſtinũ, Hieronymũ, immenſúmq; ſanctorũ omniũ catalogũ, Super ſenes ego intellexi, ego ſapiẽtiæ dux,& ſapientum emendator ſum. tandem, non mecum hac parte ſolùm pugnare, ſed doctorum omnium torrenti te opponere vides. ſed perge vltrà. *Neque deſunt rationes, quibus poſſim, ſi lubeat, totum hoc commentum conuellere. neque enim dimidiam homini vitam Dei verbum relinquit, ſed penitus interiiſſe docet quantum ad beatæ vitæ rationem. Non ſemiuiuos dicit ſanatos Paulus, dum loquitur de noſtra redemptione, ſed, cùm mortui eſſemus, reſuſcitatos, non ſemiuiuos inclamat ad recipiendam Chriſti illuminationem, ſed dormientes, & ſepultos: nec ſecus dominus ipſe dum horam veniſſe ait, qua mortui ad vocem ſuam reſurgant. Qua fronte leuem alluſionem tot claris ſententiis opponerent?* ſemper peſsima æquiuocatione laboras. vt ergo ſemel ſemiuiui hominis vulnera detegamus, eſt in primis aduertendum, eos nos effectus & defectus originalis peccati dicere, qui ex natura rei ſecundum diuinam legem ex eo ſubſequuntur, nulla intercedente noua voluntate. porrò qui in pœnam originalis culpæ omnibus communes ſunt, & paruulis ante vſum rationis, & adultis, aliàs omnia humana peccata, quemadmodum ſuprà cum iſto expoſtulabam, peccati originalis effectus dicerentur, qui profectò manifeſtus eſſet loquendi abuſus, niſi de defectibus remotis hoc ipſum intelligerimus, quòd per concupiſcentiam originali iuſtitia deſtitutam, in conſenſum eorum voluntas pellicitur. hoc ſit primum. deinde inter effectus, ſeu defectus originalis peccati, nempe qui lege diuina naturali conſecutione in pœnam peccati ſubſecuti ſunt, primus fuit priuatio diuinæ gratiæ, cui cõiuncta eſt exhęredatio & excluſio à cæleſtibus bonis: alter affectus eſt priuatio illius excellentiſsimæ cognitionis Dei, ſpoliatio iuſtitiæ originalis, puta rectitudinis inferiorũ partiũ animæ ad rationem, & corporis

Epheſ.2.
Ibid. cap. 5.
Ioan.5.

Mala, quæ originalem culpã conſequuntur.
Primus effectus illius peccati fuit diuinæ gratiæ ſpoliatio

ad animam.nam priuatio rectitudinis rationis ad Deum & diuinam regulam, non effectus, ſed ipſum peccatum ſuo modo in nobis perdurans fuit:ad quem modum vniuerſa Christi & apoſtoli verba,quæ iſte huc coaceruauit, intelligenda planè ſunt.eſt tertius effectus,noſtérque defectus,& vulneratio,effrenatio concupiſcentiæ,quæ à ratione exinde,legéque diuina relegata incredibili impetu,quæ eius natura eſt,ad ſenſibilia fertur. Hæc non eſt qualitas morbida in anima,hæc non eſt amiſsio alicuius principij naturalis,quo ſimus minùs liberi, quàm homo creatus in puris naturalibus:(dicente Dionyſio, bona naturalia etiam in dæmonibus integra manſiſſe poſt peccatum)multò ergo minùs aliquod nobis principium extritum eſt. hæc vulneratio imminutio quædam eſt naturæ,vt ſimus minùs propenſi in bonum, magíſue in malum procliues ,quàm eſſemus in puris naturalibus. imminutæ ſunt vires noſtræ non per ingeneratum nobis habitum eneruantem eas vires, (nullum enim originale peccatum talem habitum ingenerat)ſed magis illius excellentiſsimi doni ſupernaturalis iuſtitiæ ſpoliatio,& priuatio fuit(vt ſupra meminimus)gratuiti doni, & plaga ſimul,ac vulnus in naturalibus,quatenus homo inde mãcus relictus eſt diaboli,mundi,& carnis incurſionibus patens,vt non poſsit iuxta naturam ſuam perpetuò operari. in quem ſanè ſenſum canon primus ſanctæ noſtræ ſynodi accipiendus eſt,cùm ait,Propter originalem maculam captiuitatem ſub poteſtate diaboli incurriſſe nos, totúmque Adam,atque adeò nos totos ſecundum corpus & animam in deterius fuiſſe commutatos. id quod altiſſimè menti noſtræ infigendum eſt ad intelligendum diſſcrimen inter liberum noſtrum arbitrium iuſtitia originali præditum, eadémque id ipſum multarũ. cùm enim libertas duabus partibus conſtet, ſcilicet id poſſe, quod velis,per peccatum perdidimus poſſibilitatem(ait Auguſtinus)faciendi quidquid volumus, non ſimpliciter, ſed in his,quę ad Deum pertinent,videlicet ne valeamus per nos gratiam Dei promereri. Et hoc eſt, inquit Auguſtinus,vulnus,quo claudicamus libero arbitrio, quod ſine vulnere Christi ſanari non poteſt. Hæc Auguſtinus. Mãſit tamen poſsibilitas ad naturalia : atque hæc præterea

Secundus effectus peccati fuit iuſtitiæ originalis ſpoliatio.

Tertius effectus peccati primi hominis, vulneratio & effrenatio naturæ noſtræ.

Qualis ſit iſta vulneratio, oſtenditur.

Concil.Tridẽ.ſub Paulo III.ſeſſ.5 de peccato originali. can.1.

Aug.contra Pelag. Hyp.lib.3.

libertas in ſupernaturalibus ad vtrũlibet, vt ſcilicet quoties cooperari velimus Deo, præſtò ſit ad opitulandum nobis: quòd ſi nolimus, neminem eſſe vi ſua permoueat, ſed iuxta noſtram naturam omnino liberè nos agere ſinat. omitto huius peccati reliquos effectus percurrere, qui ad corpus pertinent, maláque omnia, quę nos ad mortem ob id ipſum peccatum debitam in dies magis pertrahunt. Vides igitur, quo pacto in illis prioribus effectibus omnino mortuus homo ſit, niſi Chriſti Ieſu gratia & merito reuiuiſcat: in his verò poſterioribus ſemiuiuus eſt homo, habens aliquid ſaluum. habet nempe mentem intelligẽtiæ capacem, etiamſi ſuopte acumine ad cæleſtem illam ſpiritualémque ſapientiam non penetret: habet magnum honeſtatis iudicium: habet aliquẽ diuinitatis ſenſum, quamuis perfectam Dei rationem abſque nobiliori luce, quàm ſit illa, ſuæ naturæ non aſſequatur. Adempta ſunt igitur homini poſt lapſum gratuita bona, vnde ſalus habebatur æterna: naturalia verò ad modum, quem explicuimus, polluta & plagis cæſa.

Epitome veræ & catholicæ confeſsionis de libero arbitrio, & diuina gratia. CAP. XLVI.

SIt ergo nobis indubia iſta veritas, quæ nullis humanis machinamentis quati poteſt: nõ ſic hominis mentem alienatam prorſus eſſe à Dei iuſtitia, vt nihil non impium, contortum, fœdum, impurum, flagitioſum concipiat, cõcupiſcat, moliatur: non ſic cor noſtrum peccati veneno penitus eſſe delibutum, quin ſæpe bonum odorem reſpiret. quòd verò in nonnullis nihil, niſi corruptum fœtorem efflat corruptiſsima eorum vita, corruptiſsimíque illorum mores, non vulnerata, quam ex Adamo contraxerunt, natura in cauſſa eſt. quòd ſi quidpiam boni interdum in ſpeciem humanus dolus oſtentat: mẽtem tamen ſemper hypocriſi, & fallaci obliquitate inuolutam, mox miſer homo patefacit, animúmque ſuum, interiori non tam naturæ propriæ, quàm vitæ peruerſitate, illigatum manere declarat. at contrà ex perpetua loquendi ratione, quæ tum in ſcriptuis, tum in hominum ſermonibus obſeruatur, bona opera, & noſtra, quæ à nobis fiunt, nuncupantur, & quod ſanctum, gratúmque domino eſt, non minùs facere, quàm peccata perpetrare dicimur. quòd ſi

peccata iure nobis aſcribuntur, veluti à nobis profecta: certè & in iuſtitiis aliquid nobis aſsignandum eadem ratione erit. neque enim (vt ſemel finiam) conſentaneum eſſet rationi, vt ea diceremur facere, ad quæ agenda non proprio noſtro & libero motu, ſed inſtar lapidum, aut pecudum à Deo moueremur. Vt ergo iuxta ſcripturas ſanctas Dei gratiæ primas demus, noſtram tamen operam vel ſecundarias tenere partes ipſæmet ſcripturæ indicãt, dum, non modò nos poſſeſsionis titulo muniunt, vt noſtra opera ea eſſe dicant, quæ cælitus adiuti in æternam ſalutem operamur, verùm quòd nos ea efficere, Deum colere, ſeruare iuſtitiam, obedire legi, bonis operibus ſtudere, eadem ſcriptura ſæpè affirmat. & cùm ſint propria mentis & voluntatis noſtræ officia, quomodo conueniret ad ſpiritum ea referri, & ſimul nobis tribui, niſi quædam eſſet ſtudij noſtri cum cæleſti virtute communicatio? nec inter naturales hominis facultates referendæ ſolùm ſunt iſtæ, approbare vanitatem, reſpuere ſolidum bonum, velle malum, nolle bonum, eniti omni ſtudio, vt nequiter agat, reſiſtere iuſtitiæ, ſed etiam in his inimica contrariáque incumbere, cum Dei auxilio vires noſtræ poſſunt: vt ſemper cum Auguſtino ipſo vno omnium doctiſsimo & ſanctiſsimo ex nomine auxilij poſſe nos etiam aliquid agere colligamus. ſic Dei actionem, cum noſtra is doctor conciliat, vt quamuis velle & bene velle vtrunque à natura ſit & à Deo, verùm velle, naturæ opus habeatur, & bene velle gratiæ. hoc eſt, quod paulò antè idem dixerat, niſi Deus non adiuuet, non modò vincere, ſed neque pugnare poterimus. Hactenus de ſcripturis.

2.Cor.7. 1.Pet.2. Rom.12. Epheſ.6. Coloſ.3. Tit,2.

Aug. de corrup. & grat. c.11.

Aug. ibid. cap.7.

Quàm ſit impudens Caluinus in eccleſiaſticos auctores. CAP. XLVII.

VEniamus ad ſanctos, & qualem erga patres ſe præbeat Caluinus, expendamus. *Inter ſcriptores eccleſiaſticos tametſi nemo extitit, qui non agnoſceret, & ſanitatem rationis in homine grauiter vulneratam, & voluntatem prauis cupiditatibus valde implicitam eſſe: multi tamen eorum longè plus æquo philoſophis acceſſerunt:* ô mentem difficilem, lógéque ab illo alienam, qui dixit, Hoc vnum ſcio, quòd nihil ſcio: cùm intelligas omnes ferè eccleſiaſticos viros pro libertate li-

Cal. lib.2. c.2 ſect. 4.

beri arbitrij vſque ad ſanguinem ſuis etiam voluminibus,nō paruo pondere editis,legitimè certauiſſe,tu vnus cornicum oculos, vt vulgò iactatur, configere moliêris. quale igitur de ſanctis habes iudicium? *Longè plus æquo philoſophis acceſſerūt*:ac ſi id expeditiùs dicas, fateor illos à vobis fuiſſe in hac parte,ſed valde decepti ſunt, niſi & ſui erroris aliquot occaſiones prætexamus. Nō poſſum non affirmare me omnibus lætitiis lætum eſſe,quòd & te omnes nouerunt,& ſanctos,quos erroris inſimulas,nō ignorant. *Ex quibus veteres videntur hoc conſilio vires humanas ſic extuliſſe,ne ſi impotentiam diſertè eſſent confeſſi,primùm, philoſophorum ipſorum cachinnos, quibuſcum certamen tunc habebant, deinde carni ſuapte ſponte nimis ad bonam torpenti nouam deſidiæ occaſionem præberēt. Ergo,ne quid communi hominum iudicio abſurdum traderēt, ſcripturæ doctrinam cum philoſophorum dogmatibus dimidia ex parte conciliare ſtudium illis fuit,præcipuè ſecundum illud ſpectaſſe,ne deſidiæ locum facerent, ex eorum verbis apparet:* cogis me modeſtiæ terminos præterire, ſed, quantum potero, Chriſtianè linguam cohibebo. obſecro per Deum immortalem,num ea eſt, aut fuit aliquando ſanctorum prophetarum phraſis? num Chriſtus ipſe Ieſus mendacio ceſsit vnquam, quòd mundi verſutiam timeret? quòd ſuam doctrinam ſentiret carni & ſanguini inimicam,orbíque vniuerſo contrariam? rogo te,quem apoſtolorum imitati fuiſſent ſanctiſsimi ij viri, iidémque in diuinis eloquiis exercitatiſsimi, ſi tantum ſacrilegium, de quo nos nunquam non accuſas, quòd ipſum cum populi ruina cōiungamus,diſsimulaſſent, ne à philoſophiæ diſciplina hac in parte diſceſsiſſe omnino viderētur? quotus quiſque eorum, qui veram fidem docuerunt nos, & per quos vitæ æternæ præcepta cœpimus, veritatem, & primam certè,præteriri paterentur, quòd timeret philoſophos offendere? Conſueuerunt,fateor Caluine, principes illi noſtri diuiníque verbi duces pro loco & tempore cauſſæ ſtatui inſeruiuiſſe ſæpe. habet ſiquidem cæleſtis hæc dicendi facultas cæleſtia ſua ſchemata. ſolent, non inficior,multa ſilentio præterire,non quòd vera non ſint, ſed quæ minùs opportunè tunc effunderentur, ſi dicere
Actorū 2. vellent. ſic eccleſiæ princeps altero poſt Chriſtum gradu Petrus,prima illa ſua atque altera cōcionibus Dei filium

vnicum dominum noſtrum,& verum ex patre Deum,ſolùm virum iuſtum, & prophetam promiſſum nominat, cùm de diuinitate eius neque verbum vnum feciſſet. id ſanè cauſſæ,quam pertractabat Petrus, ſtatus efflagitabat. nimiùm ſiquidem à ſe audientium animos ipſo ſuæ orationis ingreſſu abalienaſſet,ſi eum, quem viuere grauiter ferrent audire, Deum etiam, per quem & ipſi viuerent,eis proponeret. At dicat nobis Caluinus, multiiugæ lectionis vir, legerítne aliquando ſanctum Chriſti apoſtolum vel verbum vnum protuliſſe, quo ad ſpeciem deitati eius detraxiſſe ſit viſus,vt vel ſic furentes auditorum animos nimiúmque exaſperatos aliquantulum ſedaret,blandéque leniret?ſic etiam primores illi noſtri,nõ quòd inſanos,ac deliros cachinnos timerent, non quòd ſtultos riſus curarent, ſed magis ſe opponentes quorundam ſeditioni,ne ſimpliciores turbarentur, coacta ſynodo ea præceperunt, quæ tempori viſa ſunt illis oportuniora, multa & perſonis, & temporibus condonantes. *Act.15.* hinc etiam exortum eſt illud, quod de manducatione, & abſtinentia ab immolatis ſimulacrorum apud Paulum legimus.quæ omnia optima hac cõcluſione claudit,Omnia licent mihi,ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent,ſed non omnia ædificant.ſic denique primis illis tẽporibus naſcentis eccleſiæ,quibus de ſynagoga honorificè ſepélienda cum immẽſo ſuo onere per apoſtolos agebatur,duces noſtri in multis conniuebant, nonnulla diſſimulabãt,& mirabili quodã & pęnè diuino aſtu de ſummo iure multum remittentes,hominum imbecillitati & infirmitati conſulebant. at verò neque philoſophorum cachinni, neque Iudæorum importuna conuicia prohibere potuerunt, quin per apoſtolos noſtros Dei maieſtas,Chriſti veritas,& demum euãgelica fides nobis clareſceret. Longè diuerſa ratio eſt, Caluine, verum diſsimulaſſe,quòd oportunius expectetur tẽpus,ab eo, quod eſt falſum docuiſſe in re, in qua nos errare magni referat.illud enimuero licuit aliquando,hoc verò nunquam, nec apud gentes quidem. *At nimium conducebat mundi ſapientes habere propitios:* ſi quidem verè de religione ſentirent. Amicus vſque ad aras,amicitiórque præ Platone veritas. quaſi verò, Caluine amice, non aniles fabulas, & *1.Cor.1.*

1.Cor.10. (margin, beside "legimus.quæ omnia … Om-")

ſtultas fictáſque comœdias iudicabunt ſæculi huius ſapientes audire, crucem mundo peperiſſe ſalutem? ſuſpenſionem in ligno noſtram omnium mortem deſtruxiſſe? vnius hominis flagellis & fune dæmonem vinctum, & coercitum fuiſſe? quibus nominibus, rogo te, ſi audiſti vnquã, ſancti Chriſti apoſtoli honorabautur, quibúſque titulis inſigniebantur, dũ hæc prædicarent? quid? nũ vocabant ſtultos? parum erat. blaſphemos, ſeductores, nouorum dæmoniorum annuntiatores. libeat, doctiſsime
Act.21. Ioannes, beatiſsimi Pauli pulchram illam & immortalitate dignam hiſtoriam, quæ ſibi Athenis contigit, in memoriam reuocare. diſces denuò, quantum ſoleat Chriſtiana virtus, & apoſtolica veritas, mortalium ſtultis & importunis cachinnis tribuere, & quãti conſueuerint viri illi cæleſtes facere philoſophorum magnificas academias, ſi vel latum vnguem à Chriſti magiſterio diſceſſerint. Paulus igitur, cùm Athenis verſaretur, diſputabat in ſynagoga cum Iudæis & gentibus, & in foro per omnes
Act.17. dies. quidam autem Epicurei, & Stoici philoſophi diſſerebant cum eo: & quidã dicebant, Quid vult ſeminiuerbius hic dicere? alij verò, Videtur nouorum dæmoniorũ annuntiator eſſe. quia IESVM, & reſurrectionem annuntiabat eis. & apprehẽſum eum ad Areopagum duxerunt dicentes, Poſſumus ſcire, quæ eſt hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina? noua enim quædam infers auribus noſtris. volumus ergo ſcire, quídnã velint hæc eſſe. (Athenienſes autem omnes, & aduenæ hoſpites ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid noui.) Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait, Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. & his plura, quę præclara ſua oratione pſecutus eſt, vniuerſaq́; reſurrectionis noſtræ, & vltimi iudicij ſacramento ignoto illis quidem finit, ac terminat. cuius orationis finem ingens ſubſecuta eſt aſtantis coronæ admiratio. Cùm audiſſent, ait glorioſus euangeliſta Lucas, reſurrectionem mortuorum, alij quidem irridebant, alij verò dixerũt, Audiemus te de hoc iterum. O tubam cæleſtem cachinnorũ ſtrepitu nunquam obrutam, ô mentem verè apoſtolicã, nulli præter veritatem ſeruire ſolitam, ô magnificum pectus nullis illuſionibus cedens. Hîc iam tecum cominus pe-

dem conferre, ô Caluine libet. quî fieri poteſt, vt in re graui, vbi de Chriſti gloria ſic agebatur, vt ſic tu nunquam nobis non obiectas, non abſolutam & puram fidei apoſtolicæ confeſsionem de libero hominis arbitrio maiores noſtri tradere nobis non curarent? quî fieri poteſt, vt pluris facerent philoſophorum amicitiam, quàm inuictam Chriſti IESV veritatem, vt vel ea contempta & poſthabita, ſcripturæ doctrinam ſumma cum laudis diuinæ & fidei noſtræ iactura cum philoſophorum dogmatibus dimidia ex parte conciliare ſtuderent?

Concors ſanctorum patrum ſententia de libero hominis arbitrio etiam poſt Adami culpam.

CAP. XLVIIJ.

AGè iam, legantur ſanctiſsimi Chryſoſtomi verba, quæ tu profers, audiatur Origenes, prodeat Hieronymus, magni Auguſtini mens expendatur: licebit mox intelligere, quæ fuerit horum magiſtrorum perſpicua intentio in ea doctrina tradenda. Chryſoſtomus, Quoniam bona & mala in noſtra Deus poteſtate poſuit, electionis liberum donauit arbitrium: & inuitos non retinet, ſed volentes amplectitur. idem, Sæpe qui malus eſt, ſi voluerit, in bonum mutatur: & qui bonus, per ignauiam excidit, & fit malus. quia liberi arbitrij eſſe noſtrã naturam fecit dominus: nec imponit neceſsitatem, ſed congruis remediis appoſitis totam iacêre in ægrotantis ſententia ſinit. Dicito, ſi ſapis, quæ hîc pugna cum gentibus? quibuſcum pugnaturus in arenam deſcenderat Chryſoſtomus, quem philoſophorum timebat? miſeret me iam tui magis, quàm pudet & piget. conſidera, precor, paululùm conſidera, quàm ſit graue apud Deum ſcelus iſtud, & quàm incredibilis arrogantia piis animis habeatur iſta tua, qui temerè tantos viros ſimul damnare es auſus. Verùm audiatur iam tertiò Chryſoſtomus: Sicut niſi gratia Dei adiuti nihil poſſumus vnquam rectè agere, ita niſi quod noſtrum eſt, attulerimus, non poterimus ſupernum acquirere fauorem. afferamus quod eſt noſtrum, reliqua Deus ſupplebit. Origenes, Liberum arbitrium facultas eſt rationis ad bonum malúmve diſcernendum, voluntatis ad vtrumuis eligendum. Hieronymus, Noſtrum eſt incipere, Dei verò perficere, no-

Chryſoſt. homil. de proditione Iudæ.

Idem hom. 18. in Geneſim.

Idem hom. 52.

Hier. dial. 3. cõtra Pelag.

ſtrum afferre quod poſſumus, illius implere quod non poſſumus. Quid tu ex tam euidenti luce ad tenebras, ex tam catholica fide ad figmenta nos auocas & trahis? hîc nulla legitur neceſsitas, nulla coactio: hîc propriæ facultatis, quæ poſsit & Deo ipſi cooperari, admonemur. Ad hæc cùm videat Caluinus, antiquos patres frequentes in eam ſententiam ire, quæ de libero arbitrio eſt, tria dicit, quæ cùm ego fideliter retulero, animi elationem, mentíſque arrogantiam iam ſatis oſtendero. *Non multa dexteritate hoc ab illis factum eſt, immo vides certè his ſententiis homini pluſquam par erat ad virtutis ſtudium illis eſſe largitos, quia putabant, ſe non aliter torporem in nobis ingenitum poſſe expergefacere, quàm ſi ſolo ipſo nos peccare arguerent. Id autem quanta dexteritate ab his factum ſit, poſtea videbimus*: hoc primum. *Non ſolùm hoc, ſed certè quas retulimus ſententias eſſe falsiſsimas, paulò pòſt conſtabit*: hoc ſecundũ. *Porrò tametſi Græci præ aliis atque inter eos ſingulariter Chryſoſtomus in extollenda humanæ voluntatis facultate modum exceſſerunt: veteres tamen omnes, excepto Auguſtino, ſic in hac re aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, vt certi ferè nihil ex eorum ſcriptis referre liceat, nimiſque philoſophicè hac de re locuti ſunt, qui ſe Chriſti iactabant eſſe diſcipulos. nam quaſi adhuc integer ſtaret homo, ſemper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit, Græcos verò non puduit multò arrogantius vſurpare vocabulum: ſiquidem αὐτεξούσιαν dixerunt, ac ſi poteſtas ſui ipſius penes hominem fuiſſet*: hoc tertium. Euangelice magiſter, nec contentus fuiſti inter non ſatis prudentes primo gradu magiſtros noſtros & præceptores collocauiſſe, niſi etiam mendaces eos appellaſſes, dum eorum ſententias nõ modò dexteritate nulla ab eis latas, ſed falciſsimas eſſe, Chriſtianum ſcilicet iſtud os effutire eſt auſum. non ſatis erat falſas eas dixiſſe, niſi modeſtiſsimus homo, qua pollet magiſterij ſui grauitate, falſiſsimas cenſeret? *Paulò pòſt*, inquis, *falſiſsimas eſſe conſtabit*, nunquam id, Caluine, & ſi mundo coæuus fias, tuis, aut alienis argumentis conſtabit, ſed magis veraces fuiſſe, non calamus tantùm, ſed vita & ſanguis comprobabunt. in eo verò, quod perplexitatis ac variationis (quod ſanè vitium mendacibus familiare eſt) eos inſimulas, tuæ immoderationi corollarium, & cumulum non vulgarem re ipſa appoſuiſti.

Caluin. lib. 2. c. 2. ſect. 4.

Multa ſe hîc nobis offerebant, quæ pro Hieromyniana, & Chryſoſtomiana conſtantia dicere poſſemus: latiſsimus mihi patebat campus pro ſanctorum gloria: ſed quia id ſuperuacaneum eſſe intelligo, tantùm dicam, eam animo meo ſententiam inſediſſe, non alia ratione adduci potuiſſe Caluinum, vt ſanctis detraheret, niſi furiæ, quibus exagitatur, ei adfuiſſent, ad aurémque ſuggeſsiſſent, ad tantum ſplendoris faſtigium, quod omni ſtudio affectat, peruenire non poſſe ſaluis eccleſiæ Chriſti columnis & doctoribus. Sed de hoc ſatis. Non ignoramus, Caluine, tuos actus, & quas peruersè cogitationes moliris. eccleſiæ Chriſti doctores varios fingis, quò eos ſuſpectos, fluxæque fidei nobis omnibus reddas: ſed fruſtra conaris. verùm interim non aduertis, quàm aliunde ſe exerat apertum iſtud commentum. non perſpicis, quàm à primordiis naſcentis orbis ſibi conſtans, firma, ac perpetua vox de libero hominis arbitrio perſeueret? vbi, rogo te, antiquorum ſæculorum cenſor acerrime, concordes magis vtriuſque teſtamenti patres, quàm hîc? vbi minus diſsidij inter Græcos & Latinos, quàm in cauſſa liberi arbitrii? vbi denique magis ſibi doctores omni ſæculo nati conſtant, quàm cùm liberam hominis facultatem abſque neceſsitate vlla ad peccandum eſſe vbique prædicant, & quaſi ſublimioris ſtructuræ fundamento immobili iacto nos cùm à vitiis dehortantur, tum ad cæleſtia præmia erigunt, vtriuſque nobis & vitæ & mortis copiam facientes? vbi dilucidiùs, vbi clariùs, vbi certiùs clamant? vbi minùs aut variant, aut vacillant? Ego ſtatui initio cauſſæ non tam noſtra confirmare, quàm iſtius calumniis me opponere. quare, poſtquam glorioſiſsimè alij ſuper hac re multis ſcripturarum locis, multis ſanctorum ſententiis, omnium animorum conceptione, & ſenſu communi armati, cum ſanguine etiam de vniuerſis Antichriſti membris triumpharunt, ſolùm ego iſtius argutiis occurram, quibus per iſtos ſatagit Satanas, eam doctrinam, quæ de libera hominis facultate eſt, à ꝓphetis habitã, à Chriſto domino confirmatam, ab apoſtolis traditam, ab eccleſiaſticæ ſcholæ magiſtris ſcholiis, & ſententiis auctam, ac demũ totius vniuerſalis eccleſiæ conſenſu ſuſce-

ptam, nunc denuò in ius vocare, & à Chriſti eccleſia in longè remotiſsimas orbis partes profugam ablegare.

Eſt in nobis libertas, teſte Auguſtino, non quæ coactionem modò, verùm etiam neceſsitatem ad malum excludit. CAP. XLIX.

QVòd verò ex tam magna ſanctorum turba vnum excipis Auguſtinum, callidè facis. mihi quidē Caluine videris, hoc vno magiſtro velle tibi coronam attexere: ſed toto erras cælo. ſcimus eum pro hac ipſa veritate. multis voluminibus feliciſsimè cum antiquis hæreticis congreſſum, Verùm, quoniam non verbis, ſed legitimis eiuſdem Auguſtini ſenſibus res nobis duobus eſt peragenda, (non enim centonibus aliquot, ſed magis integra ſententia nunc certamus) age porrò, & tria illa, quæ Auguſtini eſſe prorſus hîc negas, ea ipſa ex Auguſtiniana profecta officina, velis nolis, confitebere. Primum, quod ferre nulla ratione poteſt Caluinus eſt, quòd ſic nos cum coactione neceſsitatem confundamus. *Obtinuit in ſcholiis diſtinctio, quæ triplicem libertatem numerat, à neceſsitate primam, alteram à peccato, tertiam à miſeria:* ita eſt, perge. *Quarum prima ſic homini naturaliter hæreat, vt nequeat vllo modo eripi, duæ alteræ per peccatum amiſſæ ſint.* *Ego*, inquit Caluinus, *hanc diſtinctionem libenter recipio:* Deo gratias ago, Caluine, quòd vel ex parte noſtra tu probas: ſed vereor, ne momentanea iſta concordia tibi nobiſcum futura ſit. Ecce, quod timebamus, ecce, quod nos diuinabamus. ſubiungis enim, *Niſi quòd illic neceſsitas cum coactione perperam confunditur. inter quas quantum ſit diſcriminis, & quàm neceſſariò conſiderandum, alibi apparebit:* fatetur Caluinus voluntatem non cogi, ac proinde ſæpe ab Auguſtino dictum, voluntariè agere nos, vt vel ſic bonos præmia, malos verò pœnæ diuina lege inſequantur, vtrūque tamen non electione ad vtrumlibet libera, ſed neceſsitate quadam hominem præſtare. Hoc eſt primum Caluinianum aſſertum, cuius auctorem eſſe diuum Auguſtinum, omni aſſeueratione affirmat. Quid, ſi oſtendero ex Auguſtino, ita ad vtrunque libera in nos nulla neceſsitate complicatam, ad bonum ſeu ad malum habere voluntatem, ſalua ſemper Dei noſtri gratia, quæ præuenit, & operantes iuuat? quid, ſi verba Auguſtini induxero

Caluin. ca. 2. ſect. 5.

Libertas in nobis coactionem & ſimul neceſſitatem excludit.

duxero

duxero nulli calumniæ patentia, quæ non voluntariè tantùm, hoc eſt, abſque vlla coactione, verùm voluntariè, abſque vlla neceſsitate, ſed magis libera poteſtate bonum & malum operari nos palàm doceant? Auguſtinus, cùm præmiſiſſet malefacta, Dei iuſtitia vindicari, addidit, Non enim iuſtè vindicarentur, niſi libera fierent voluntate. Ne tamen hîc Caluinus ad liberum primi hominis arbitrium recurrat, quemadmodum, dum eccleſiaſtici locum pro libero arbitrio interpretatur, facit, & his verbis coactionem à voluntate noſtra excludi, non neceſsitatem garriat, aut certè ſermonem ibi fieri ab Auguſtino calumnietur de ea libertate, quæ ſit ſufficiens, vt in nobis ſcelera noſtra, & peccata æterno ſupplicio penſet Deus, (quæ ſanè Caluiniana diuerticula, callidæque eius inflexiones omnes ſunt) audiat, quid inferat Auguſtinus eo ipſo loco. Vides igitur, inquit, iam, vt exiſtimo, in voluntate noſtra conſtitutum, vt hoc tanto vero bono fruamur, vel careamus. (ſermo re vera erat de bona voluntate, quam bonis omnibus corporeis & externis meritò anteponere ibi docebat) quid enim tam in noſtra poteſtate, quàm noſtra voluntas? & alio in loco, Quid ergo cauſſæ eſt, cur dubitandum putemus, etiam ſi nunquam antea ſapientes fuimus, voluntate tamen nos laudabilem & beatam vitam, volũtate turpem, ac miſeram mereri & degere? ex quo conficitur, vt quiſquis rectè honeſtéque viuere vult, ſi id ſe velle præ fugacibus bonis velit, aſſequatur tantam rem tanta facilitate, vt nihil aliud ei, quàm ipſum velle, ſit habere quod voluit. Num nos, cùm Auguſtinum legimus, Caluine, neceſsitatem cum coactione perperam confundimus? an non magis vtrunque nobis dat Auguſtinus, & ſine coactione nos agere, & ſine neceſsitate, quod eſt dicere, voluntariè & liberè? item alibi dixit, Hæc enim æterna lex, ad cuius conſiderationem redire iam tempus eſt, incommutabili ſtabilitate firmauit, vt in voluntate meritum ſit, in beatitudine autem miſeria atque ſupplicium. cui proximum illud eſt, quod non longè pòſt apud eundem auctorem legimus: Quid, inquam, ſectandum quiſque & amplectendum eligat, in voluntate eſſe poſitum conſtat. rurſum alio in loco, Homo enim ipſe, in

Lib. 1. de libero arbitr. cap. 12.

Augu. pro libertate ſine coactione & neceſsitate pugnat.

Augu. de lib. arb. cap. 13.

Augu. de lib. arb. cap. 14.

cap. 16.

Lib. 2. cap. 18.

quantum homo eſt, aliquod bonum eſt: quia rectè viuere cùm vult, poteſt. rurſum, Quid opus eſt quæri, vnde iſte motus exiſtat, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono, cùm eum non niſi animi, & voluntarium, & ob hoc culpabilem eſſe fateamur? quare omnis de hac re diſciplina vtilis ad id valeat, vt eo motu improbato atque cohibito, voluntatem noſtram ad perfruendum ſempiternis bonis à lapſu temporalium cõuertamus. Quid hîc habet Auguſtinus, quod nos ſuprà noſtrum non fecerimus? eodem etiam libro ſic legimus, Quapropter nil tam in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt: ea enim prorſus nullo interuallo mox, vt volumus, præſtò eſt. Num iſta, Caluine, cum neceſsitate illa tua cohærent? Si enim, inquit Auguſtinus, hoc debet quiſque, quod accepit, & ſic homo factus eſt, vt neceſſariò peccet, hoc debet, vt peccet: quis peccat in eo, quod nullo modo caueri poteſt? peccatur autem: caueri igitur poteſt. Ad hunc modum, fateor, lectori (ne multitudine locorum eius ego memoriam onerem) non ſic malè affecto multò plura Auguſtini loca paſsim occurrent, quæ ante nos diligentiſsimè obſeruarunt plerique aduerſum Lutherum: mihi verò, qui non id ago, vt noſtra denuò confirmem, hæc fuerint ſatis ad oſtendendum, ſanctiſsimum Auguſtinum hanc de libero arbitrio veritatem & ſemper tenuiſſe, & ſæpe docuiſſe. I nunc, & cælum clamoribus reple, ſi, quòd libertate abdicatam voluntatem dicas, & neceſsitate in malum vel trahi, vel duci, aſpera nobis loquendi phraſis videatur, & vſque adeò à ſanctorum vſu aliena.

Lib.3.ca.1.

Cap. 16.

Cap.17.

Cap.18.

Reſpondetur Caluini cauillis, quibus arbitrij neceſsitatem probare nititur. CAP. L.

HAud equidem ferre poſſum tuum pluſquam difficile ingenium, qui nos ſic intra neſcio quos cancellos retinere conaris. inquis enim, *At ſi quis eos interroget, an non Deus neceſſariò bonus ſit, an non diabolus neceſſariò malus, quid reſpondeant?* reſpondemus, quòd ſic connexa eſt Dei bonitas cum diuinitate, vt non magis neceſſarium ſit ipſum eſſe Deum, quàm bonum: diabolus autem ſic à boni cõmunione abalienatus eſt, vt nihil, niſi malè age-

Caluin. lib. 2.c.3.ſec.3.

re poſsit. nec tamen in eo extinctum eſt liberum arbitrium, ſed iuxta diuinas leges eo, quod viatoribus nunquam denegatur, Dei auxilio perpetuò carebit. Quid ergo ex tua collectione habebis? conſidera pauliſper mecum poſt ſanctum Auguſtinum multiplicem rationem voluntatis in genere: primo loco occurret tibi diuina, & æterna voluntas, quæ immenſa ſuæ naturæ bonitate, non violenta impulſione, ſed ſumma neceſsitate, in bonum ſe ipſam ſtabili curſu, perpetuóque tenore ducit & fert, vt quemadmodum ſe ipſum ignorare non poteſt, ſic nec ſe non amaſſe. altero poſt hanc gradu, ſuperiori proxima occurret ea voluntatis ratio, quæ in beatis perlucebit: qua fit, vt homo peccare non poſsit: & illa erit nobis in patria communis cum angelis, quemadmodum Auguſtinus docet. eſt tertia voluntatis ratio, quã primus homo in ſtatu innocentiæ habuit: ea fuit, qua poterat non peccaſſe, ſi ſtare voluiſſet. huius etiam meminit idem doctor Auguſtinus. huiuſmodi libertatem per peccatum amiſit homo. Quare vltimo gradu locanda eſt voluntas humana in viatoribus, vt ſic philoſophemur cum eodem patre Auguſtino: primo homini data ſudt auxila per modum habitus hærentis illi, ſic quòd ex lege & conditione eius ſtatus, in quo Deus eum creauerat, ſubuentum eſſet ei, vt ſufficere poſſet abſque hoc, quòd nouas ſuppetias expectaſſet, ad omne bonum, quod voluiſſet. verba ſunt veriſsima Auguſtini. hoc eſt illud liberum arbitrium, quod ſæpe dicit in nobis per peccatum amiſſum idem Auguſtinus: hæc eſt illa magna libertas, quam non potuit homo amittere abſque eo, quòd ſe ipſum perderet: hæc eſt illa poſsibilitas ad non peccandum, ſeu, vt ſuprà ex mente Auguſtini dicebamus, poſſe omne quod velis. & quia ad complendum omne bonum morale neceſſaria erat ſanitas à morbo ſenſualitatis, ad complendum autem meritoriè, neceſſaria erat gratia: vtráque recepit Adam, vt nullius extrinſeci egens eſſet: per peccatum verò omnem iſtam poſsibilitatem perdidit, dum hæc dona amiſit, vt ſine nouo auxilio ad Deum ſe conuertere, neque Deo reconciliari poſsit. meminerimus tamen ea omnia, quæ in nobis perdidimus, in Chriſto recuperare poſſe, qui ſemper ad opẽ, auxiliúmque ferendũ nobis pa-

Multiplex eſt ratio voluntatis in genere, vt Augu. docet.

De correct. & gratia. c.10. Ibidẽ.

Aug. li.3. ad Bonif. c. 8.

Lib.3. c. 7. de libero arbit.

Lib.1.7. ad Bonif.

Lib. de ver. apoſt. ſer. 3.

Lib. de ſpir. & lit. c.30.

ratiſsimus eſt. Quamobrem, Caluine, ſicut ſacrilegum eſſet, & blaſphemum, velle cum diuina voluntate creatam conferre, & ſicut contra Dei leges eſſet, eadem te velle viuere, viator cùm ſis, libertate, qua gaudent cæleſtes ſpiritus: (ſemper excipio quos & hîc etiam viatores diuinum priuilegium in bonum ſua gratia, illæſo adhuc libero ipſorum arbitrio, confirmauit, atque fixit) ſic ſanè durum eſſet, damnatorum neceſsitatem, à quouis principio ea dimanet, transferre ad nos, quibus alea non dum iacta eſt, ſed adhuc negotiamur. & ſicut Pelagianicum eſſet, eam libertatem homini lapſo tribuere, qua integer creatus habuit: ſic omni libertate ſpoliare eum, extrinſeco Dei ſubſidio ſeruatum, quod ſemper ad oſtium eſt, & pulſat, hæreticum eſt, Lutheranum eſt, Caluinianum eſt, ne dicam, Manichæum. Hæc erat illa neceſsitas, quam Auguſtinus, dum inuidioſo Cæleſtij cauillo vrgeretur, illi obiecit. Per libertatem, inquit, factum eſt, vt eſſet homo cum peccato, ſed iam pœnalis vitioſitas ſubſecuta, ex libertate fecit neceſsitatem. quam neceſsitatem, Caluine? non quidem profectò tuam, ſed quam Auguſtinus intelligebat, nempe, quòd niſi altiſsimus manũ ſuã mittat ex alto nouo & ſpeciali ſuo auxilio, quantumcunque miſer homo annitatur, priuatus gratia, priuatus originali iuſtitia, quantumlibet laboret, operam perdat. quod multò certius illi obueniret, ſiquidem in ſtatu ſuo permanſiſſet. Hæc igitur diſtinctionis ſumma obſeruetur, hominem, vt ſauciatus eſt in lapſu, volentem quidẽ peccare, non inuitũ, nec coactũ, non affectione animi ꝓpenſiori modo, nõ ſine violẽta coactione ſolũ, ſed libero ꝓpriæ libidinis motu ſeipſum in malũ agit, qui poſſet Dei adminiculo nixus non propriis viribus tantùm, in id peccatum non incidiſſe. hoc eſt, quod verborum multitudine diuus Bernardus Auguſtino ſubſcribẽs poſt multa dicebat, Anima noſtra miro quodam & malo modo ſub hac voluntaria quadam, ac malè libera neceſsitate & ancilla tenetur, & libera: ancilla, propter neceſsitatem, libera, propter voluntatem: & quòd magis mirum, magiſque miſerũ eſt, ideo rea, quòd libera, eóque ancilla, quò rea: ac per hoc eò ancilla, quò libera.

Aug. libr. de perf. iuſtitia.

Bernard. ſuper cantic. ſerm. 81.

Nullibi diuus Auguſtinus aſſerit neceſſariò quenquam peccare, ſed magis liberè, vt ex multis locis doctrinæ ſuæ patet. CAP. LI.

HInc prodiit, quàm malè meritus ſit de Augu. Caluinus, qui modis omnibus curat & laborat, huius eũ ſeruitutis miſeræ auctorem facere. obiicit, quòd dixerit, Nullam eſſe hominis libertatem, cùm cupiditatibus vincentibus ac vincientibus ſubdita ſit: item, Iuncta vitio, in quod cecidit voluntate, cœpit carere libertate naturæ, item, Hominem libero arbitrio malè vſum, & ſe & arbitrium ſuum perdidiſſe: item, Liberum arbitrium captiuatum, ne quid poſsit ad iuſtitiam: item, Liberum non fore, quòd Dei gratia non liberauerit: item, Iuſtitia Dei non impletur, cùm lex iubet, & homo quaſi ſuis viribus facit, ſed cùm ſpiritus adiuuat, & hominis non libera, ſed à Deo liberata voluntas obſequitur. Vt quid ergo miſeri homines aut de libero arbitrio ſuperbire audent antè, quàm liberentur, aut de ſuis viribus, ſi iam liberati ſunt? Vt demus gratis nihil hìc immutaſſe, corrupiſſe, addidiſſe de ſuo Caluinum, vt demus, nihil in ſuas tabulas tranſcriptum ſignis adulterinis eum obſignaſſe, nihil à Caluino interlitum, nihil conciſum, extortum, nihil ſit horum, nihil, ſint quæ iſte retulit vera Auguſtini verba: non videt homo alioqui oculatiſsimus, quorſum ea Auguſtinus dixerit? num ignorat hiſce verbis Pelagianis iraſci eum? Sed præſtat, vt pro ſanctiſsimo ſene explicando, legitimóque eius ſenſu eruendo, eũdem ipſum pro ſe loquentem audiamus: Noui hæretici Pelagiani, qui liberum ſic aſſerunt voluntatis arbitrium, vt gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidẽ eam ſecundum noſtra merita dari aſſerunt, non ſe extollant, quaſi eorum egerim ego cauſſam. multa in his libris meis dixi pro libero arbitrio, quæ diſputationis cauſſa poſcebat. paulò pòſt, multis locis è ſua doctrina depromptis pro libera electione arbitrij noſtri mox ſubnectit, In his atque huiuſmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare poſſunt, ſuam nos tenuiſſe ſententiam: ſed fruſtra hoc putant. voluntas quippe eſt, qua liberè peccatur, & rectè (ô Caluine) viuitur: at vo-

Caluin. lib. 2. c. 5. ſect. 8.
Aug. libr. 1. cõtra Iulian.
Homil. 53. in Ioan.
Ad Anaſtaſ. epiſt. 44.
De perf. iuſt.
Enchirid. ad Laur. c. 30. libr. 3. cap. 7.
Libr. de verb. apoſt. ſerm. 3.
Lib. de ſpiritu & lit. cap. 30.
Augu. lib. 1. ret act. cap. 9.
Vide Auguſt. de natura & gratia, cap. 67.
De libero arb. c. 20.

luntas ipſa, niſi Dei gratia liberetur à ſeruitute, qua facta eſt peccati ſerua, &, vt vitia ſuperet, adiuuetur, rectè piéque viui à mortalibus non poteſt. & hoc diuinum beneficium, quo à peccati ſeruitute liberamur, niſi voluntatem præueniſſet, iam meritis eius daretur, & non eſſet gratia, quæ non vtique gratis daretur. Hæc longè omnium in perluſtrandis fidei noſtræ ſacramentis princeps Auguſtinus. Quam quidem doctrinam, tanquam è cælo delapſam, ſuſpicimus, vt ſanctam, veneramur, vt fidei noſtræ regulæ conformem, amplexamur, & vt antiquæ patrum traditioni ſatis conſtantem, modíſque omnibus veritati conſentaneam & conuenientem, retinemus. ſi verò adhuc media luce cæcutire te ſimulas, ac ſanctiſsimi doctoris mentem nondum aſſecutus es, loquatur nunc etiam ipſe pater Auguſtinus: Non ſicut ſponte homo cecidit, ita etiam ſponte ſurgere poteſt: porrectam nobis deſuper dexteram Dei. id eſt, dominum noſtrum IESVM Chriſtum, firma fide teneamus. Ecce Auguſtini ſenſum, ecce mentem, non quaſi liberam electionem, neget, qui inter media bona liberum voluntatis arbitrium annumerat, quòd & malè eo vti poſsimus, & ſine quo rectè viuere nequeamus, ſed quòd Dei gratiam nobis omnibus eſſe neceſſariam aſtruat. & hoc quidem multò ſecius, quàm ea nos indiguerimus primo illo creati hominis tempore, quemadmodum abundè iam explicauiſſe me ſatis arbitror. Hæc noſtra regia via eſt, cui committere tutò nos poſsimus, hæc euangelica lux, hæc denique Chriſtianæ obſeruantiæ vera parænesis, & ad fidei regulam exacta prophetia, vt ſcilicet Dei gratia (qua vocamur ad ipſum, & à noſtris malis meritis liberamur, & per quam bona merita comparamus, quibus ad vitam peruenimus æternam) non negetur cum Pelagio, aut minùs neceſſaria nobis iudicetur. rurſum ne ſic eam defendamus, vt cum Caluino liberũ hominis arbitrium extinctum putetur. de qua re Auguſtinus libro ſuo de gratia & libero arbitrio per vigintiquinque capita digeſto, & diſtributo, locupletiſsimè dixerit. idémque capite quarto eiuſdem libri verbis ſic apertis loquitur, vt vna ſua doctrina & Pelagianas phalanges,

Aug. li. 2. de lib. arbi. cap. 19.

Augu. de gratia & libero arb.

& Lutheranas machinas feliciſsimè proſternat. Quare ad eos vniuerſos locos Auguſtini perlegendos libenter lectorem mittimus, vt interim hoc in omnium animis planè conſtitutum relinquatur, neque apud nos cum coactione neceſsitatem male confundi, neque apud Auguſtinum neceſsitatem liberi arbitrij ad ſenſum Caluinianum Chriſti fideles vnquam doceri. id erat primum, quod in doctrina theologorum parum Caluino probabatur.

Secundum, quod Caluinus in doctrina illa minùs probat, eſt, quòd diuina gratia omnibus ſit expoſita. quæ res ex Auguſtino apertè vera eſſe conuincitur.

CAP. LII.

SVpereſt igitur, vt veniamus ad ſecundum, & oſtendamus iuxta Auguſtini mentem Dei gratiam, quæ ſufficiens & neceſſaria ſit, omnibus paratam eſſe non minùs, quàm ſit peruia oculis noſtris lux hæc materialis: immo nolentes & reluctantes humaniſsimè prouocat, atque inexcogitabili arte impiorum etiàm pectoribus (quæ noſtri ſaluatoris benignitas eſt & humanitas) ſeſe inſinuat, vt vndique miſerentis Dei diuitiæ prodeuntes ſeſe nobis oſtentent, etiam peccatoribus & malis. Sed audiatur Caluinus. *Phreneticos nihil moror, qui gratiam pariter & promiſcuè expoſitam eſſe garriunt*: ſit, vt lubet: ſimus nos phrenetici, ſimus garruli, ſimus diuinæ gratiæ expoſitores, modò id crimē nobis commune ſit cum antiquis prophetis, cum apoſtolica maieſtate, cum vniuerſa ſanctorum multitudine, vtriuſque eccleſiæ veteris ſcilicet, ac nouæ, Græcæ & Latinæ. vtrùm magis præoptandum nobis cum his recenſitis, nos malè audire à Caluino, an bene nobis eſſe cum iſta ſua maledicentia? Sed ego ad Auguſtinum redeo: ſi tamen antè teſtatum reliquero, nihil me hîc agere de ſingulari quadam gratia, quam altiſsimus nonnullis electis ſic impartitus eſt, vt orbi vniuerſo fuerint miraculo, quemadmodum in Dauide, latrone, Maria Magdalena, Paulo, & eius claſsis nonnullis aliis, ſacra referente hiſtoria didicimus. ſed tantùm hîc nobis ſermo eſt de ea gratia, ſine qua liberum arbitrium infirmum eſſet omnino, cum ea verò ad omnia potens. & quamuis de ea re innumera ſint teſtimonia, quibus ſua volumina inſperſerit Auguſtinus: tamen, cùm eis

Cal. lib. 2. c. 2. ſect. 6.

Diuinæ opes tam ſunt parata omnibus, quàm neceſſariæ, etiam peccatoribus.

Auguſt. in pſal, 149. multorum libri refertiſsimi ſint, vnum ego in præſentia proferam locum, qui mihi præ millibus & infinitis eſſe poſsit. enarrans ſiquidem Auguſtinus pſal. 149. ſic ait, Qui creauit te ſine te, nō iuſtificabit te ſine te. &, ne tam illuſtris ſententia quoquam detorqueri per immaniſſimos tortores poſſet, ſubiungit, A creandis enim hominibus nihil exegit Deus. quid enim exigeret ab his, qui qui nondum era nt? à reformandis autem & iuſtificandis hominibus paſsim in ſcripturis exigit, vt credant, reſipiſcant, pænitentiam agant, ad cor redeant, orent, vt remiſsionem peccatorum & gratiam accipiant. à qua re non longè illud abeſt, quod in fine tertij libri de libero arbitrio idem pronuntiat, Quid quiſque vel ſumat, vel reſpuat, in ſua eſt poteſtate: ſed quòd viſo tangatur, nulla poteſtas eſt. fatendum eſt & ex ſuperioribus, & ex inferiobus vitiis animū tāgi, vt rationali ſubſtātia ex vtroque ſumat quod voluerit, & ex merito ſumēdi vel miſeria, vel beatitas ſubſequatur. Sed quid in re nota teſtibus *Ioan. 6.* minimè neceſſariis vtimur? Nónne duodecim ego elegi vos, dicebat veritas in euangelio, & vnus veſtrum diabolus eſt? Stat ergo, ô Caluine, vocare Deum ſæpe eum hominem, qui ſua culpa & vitio in teterrimum Satanam euaſurus ſit: & proditorem ſanguinis filij Dei, parum dixi vocare, cùm & apoſtolica celſitudine cum innumeris donis coniuncta, liberè idem ipſe proditor abuſus fuerit: quem neque viſa miracula, neque tot ſermones habiti, neque cum Chriſto conſuetudo, neque ſanctorum apoſtolorum, quibuſcum familiariſsimè atque amiciſsimè viuebat, à tanto ſcelere auocare & deterrere potuerunt. conſultò omitto innumera ſigna pietatis ſuæ, quæ cæleſtis paſtor, ne ouem perderet, & domi & ruri, priuatè, & publicè miſeræ illi animæ dedit. Verum eſt ergo, diuinam ſæpe gratiam, cæleſtiáque præſidia in ingratum etiam populum ſe extendere, vt nemo ſit auſus culpam ſuam in non vocantem Deum, aut in non trahentem patrem tranſcribere. Sed de hoc ſatis.

VENIO ad tertiū, quod non probat Caluinus ex noſtra theologia ſumptū, nempe diuinæ gratiæ cooperari *Cal. ſe 7. 6.* nos. ait enim, *Sed non dum iſtud liquet, ſitne in totum priuatus bene agendi facultate homo, an habeat adhuc nonnullam, ſed*

puſillam, & infirmam: quæ per ſe quidem nihil poſſit: opitulante verò gratia, ſuas ipſe quoque partes agat. Id dum vult expedire magiſter ſententiarum, duplicem gratiam neceſſariam eſſe nobis docet, quo reddamur ad bonum opus idonei: alteram vocat operantem, qua fit, vt efficaciter velimus bonum: cooperantem alteram, quæ bonam voluntatem ſequitur adiuuando. In qua partitione hoc mihi diſplicet, quòd dum gratiæ Dei tribuit efficacem boni appetitum, innuit hominem iam ſuapte natura, bonum quodammodo, licèt inefficaciter, appetere. Sicut Bernardus, bonam quidem voluntatem, opus Dei eſſe aſſerens, homini tamen hoc concedit, vt motu proprio bonam eiuſmodi voluntatẽ appetat. ô Caluine, quàm hoc diuerſum eſt à Bernardi mente, iuxta tuam ipſius interpretationẽ. *Sed iſtud ab Auguſtini mẽte procul abeſt, à quo tamen ſumpſiſſe partitionem videri vult Lombardus. In ſecundo membro ambiguitas me offendit, quæ peruerſam genuit interpretationem. Ideo enim putarunt nos ſecundæ Dei gratiæ cooperari, quòd noſtri iuris ſit primam gratiam, vel reſpuẽdo irritam facere, vel obedienter ſequendo confirmare. quod auctor de vocatione gentium ſic exprimit, liberum eſſe his, qui rationis iudicio vtuntur, à gratia diſcedere, vt non diſceßiſſe ſit præmium, & vt quòd non poteſt, niſi ſpiritu cooperante, fieri eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri, & vt fieret, voluntas cum gratia operata eſt:* principiò diſtinctionem hãc theologis celeberrimam, inter gratiam operantem & cooperantem, non primus Petrus Lombardus, tanquam domi ſuæ primùm natã, reperit, ſed eam vniuerſa ſchola ab Auguſtino mutuata eſt. ait enim, Deus quod operando incipit, cooperando perficit. & paulò inferiùs, Vt ergo velimus, ſine nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur. ex qua ſanè diſtinctione, velit nolit Caluinus, licebit nobis colligere, Deum ſine nobis cooperantibus ſe ſolùm exordiri beneficium ſalutis noſtræ. Hoc primum. Deinde hac diſtinctione, ſine gratia Dei, vllum appetitum, niſi inefficacem quidem, & qui ad operandum non ſufficiat, voluntati noſtræ tribuere, neque Auguſtini eſt, neque Bernardus cogitauit aliquando, neque Lombardus, & theologorum ſchola commenti ſunt vnquam. quod verò putant theologi, ideo nos ſecundæ Dei gratiæ cooperari, quòd noſtri ſit iuris, primam gratiam vel re-

Cal. de Ber. ſect. 4. c. 3. l. 2.

Li. 2. c. 4.

Li. de grat. & lib. arb. & li. de natura & gratia.

ſpuendo, irritam facere, vel obedienter ſequendo, confirmare, non ex ſuo ipſorum cerebro, qnaſi diuinantes, fingunt, ſed præter ea, quæ nos articulo proximè præcedenti retuiimus, ab Auguſtino non procul abeſt, vt deceptum fuiſſe Caluinum Auguſtinus ipſe conuincat: qui cùm egregiè commendaſſet verbum illud Pauli ad Timotheum, Noli negligere gratiam, quæ in te eſt: quaſi & illa neglectui pateret: & rurſum illud eiuſdem Pauli ad Philemonem, Ne bonum tuum, velut ex neceſsitate eſſet, ſed ex voluntate: tandem ſic concludit, Liberum hominis arbitrium exhortatur Paulus in Timotheo, in Philemone, in Corinthiis, dum eos rogat, ne in vacuum Dei gratiam recipiant. Vt quid (arguit Auguſtinus) eos rogat, ſi gratiam ſic ſuſceperunt, vt propriam perderent libertatem & voluntatem? Quare non eſt, quòd hîc nos doceas Caluine, quærens à nobis, quorſum attineat rem, quam tu tantulam per contemptum appellas, adeò ſuperbo titulo liberum arbitrium iactantes inſignire. Liberi arbitrij homo dicitur, non quòd peræquè polleamus poſt lapſum ad bonum & ad malum vel agendum, vel cogitãdum, ſed duntaxat quòd ad malum noſtra ſola libertate, ad bonũ verò, non niſi Dei gratia omni ſemper coactione ſoluti efficaces ſimus. Nónne egregia libertas hæc tibi videtur Caluine? equidem non tanta, quanta primi illius hominis, quàm diu in iuſtitia ſtetit, fuit: cui nihil deerat, quod penes ſe non haberet, & intra ſe, ſed tanta qnidem, quæ pro ableganda procul omni coactione ſufficiẽs ſit, quamuis extrinſeci auxilij egens, cuius nimirũ ſignificationis diligenter Chriſtiana plebs eſt admonita, & ad quem certè ſenſum vir pius & doctus Petrus Lombardus, benemeritus de ecclesia Chriſti magis, quàm vniuerſæ Caluinianæ acies, intelligẽdus eſſet. Ad ſummam in homine poſt lapſum, & in bonum, & in malum eam agnoſcamus libertatem oportet, non quam illi dant Lutherus, Melanchthon, Caluinus, Muſculus, & ceteri, ſcilicet, quòd quanuis ſeruus ſit peccati, non tamẽ coactione, aut repugnantia, ſed ſumma voluntate ſponte ſua in malum maximè eſt propenſus, vt hoc ipſum, quòd peccati lege tenetur captiuus, pulchrum ei ac iucundum videatur: non, inquam, tantùm hanc reliquit Deus ho-

Aug. li. de nat. & gratia, cap. 3.

Eiuſdẽ operis cap. 5.

Li. 2. diſt. 25

mini libertatem in malum,ſed vt liberè,id eſt,voluntaria electione,cùm nihil eum malè eligere cogeret, in quodcunque feratur. poſtquam verò peccati iugo ſe ſubdidit,inde eximi,niſi Chriſti gratia liberetur, integrum ſibi non eſt, cum illa verò, omnino liberum Vt igitur reuertamur,vnde digreſſa eſt oratio,quã à veritate deflexeris, negans nonnullam bene agendi facultatem in nobis eſſe, quæ per ſe quidem nihil poſsit,opitulante verò gratia, ſuas ipſa quoque partes agat, in ſequentibus oſtendam: atque hoc ipſum,cùm tua confutauero, ex Auguſtino, quod tu maximè negas, non ex Thoma,Scoto,aut Ocham, aut recentioribus ſophiſtis (vt vocas, puto per deriſum ac contemptum, ſolitus in optimum quemque inſolentiùs ludere)profecta oſtendemus.

Reſpondetur ſcripturæ locis, quibus Caluinus ſe munit ad oppugnandam arbitrij noſtri libertatem.

CAP. LIII.

DE humani arbitrij libertate ſatis quidem videri poſſet, niſi qui ipſum expoliare antiqua poſſeſsione,& in miſeram ſeruitutem detrudere conantur, ſuas ex aduerſo quaſdam rationes obtenderent ad noſtram orthodoxorum omnium ſententiam oppugnandam. & ſanè in congerendis ſcripturæ teſtimoniis nimiùm laborant, idque ſedulò faciunt: vt quoniam pondere nequeunt, numero ſaltem nos tumultuoſiſsimè adoriantur. cum primis Caluinus pro immenſa teſtimoniorum congerie,ad erigendum ſeruitutis ſuæ titulum ſtruenda, laborioſiſsimus eſt. vbi primo loco ſcripturæ teſtimoniis cum facultate voluntatis noſtræ congreditur: deinde nonnullos Auguſtini locos tractat,quibus credit,ſufficiẽter oſtẽſum iri,ſic voluntatẽ à bono auerſam ſuopte ingenio eſſe, vt quãuis à domino præparata ſit,nullas tamen in agẽdo & diuinæ gratiæ cooperando libertatis partes ipſa habeat. Vt ergo minùs hîc tanto ſcripturarum numero nos obſepire,& quaſi oppilare Caluinus poſsit,in tres ordines eos locos diſtribuamus: in primo ſtatuamus oportet eos,qui ſic Deum erga nos agere volunt, vt nos diuinæ opi cooperari,negare videantur.vt, Non eſt volentis. &, Quoties volui congregare. & id genus innumerum.in altero gradu is locorum ordo eſt,quibus licèt non ſic expreſsè

Triplex locorum ordo.

Rom.9.
Mat.23.

Ezech. 36. operatio noſtra excludi videatur, eius tamen operis ſolus
Pſal. 50. Deus auctor inducitur. vt, Ego auferam cor lapideum.
Ibidem. &, Cor mundum crea in me Deus. &, Domine labia mea
Oſeæ 13. aperies. &, Perditio tua Iſrael, tantùm ex me auxilium
Epheſ. 2. tuum. &, Ipſius ſumus factura in Chriſto Ieſu. &, Deus
Philip. 1. eſt, qui operatur in nobis. &, Ego ſum vitis vera. &, Nos
& 2. lutum, Deus ipſe figulus. ſit iam tertius locorum ordo,
Ioan. 15. vbi nomen ipſum beneficij collati explicat, nihil nos fuiſ-
Rom. 9. ſe cooperatos ipſius productioni: vt eſt, Gratiam & glo-
Pſal. 83. riam dabit dominus. &, Gratia enim eſtis ſalui per fidẽ.
Rom. 6. & hoc, Non ex vobis: Dei enim donum eſt: non ex operi-
Epheſ. 2. bus, ne quis glorietur. &, Quid habes, quod non accepi-
Tit. 3. ſti? Creberrima ſunt huiuſmodi teſtimonia, quibus nos
1. *Cor.* 4. operum noſtrorum gloria interdicimur, eò quòd nõ nos ipſi (vt blaſphemi Pelagiani garriebant) virtute noſtra, ſed Dei gratia iuſtos facit. Hæc ſunt excellentiſsima illa munera, atque illæ ſupercæleſtes qualitates, quas dicebat Auguſtinus operari Deum in nobis ſine nobis. Hoc ſit primum, quod ab omnibus cogitari hîc poſtulamus. iam parte altera iuxta hos tres commemoratos ordines, tria nihilominus operum genera, quæ in iuſtificatione noſtra extant, compendiario curſu percurramus. In primo operum genere nullam penitus voluntas noſtra partem habet, nec conſenſum, nec cooperationem. ea ſunt prædeſtinatio, vocatio, admonitio, pulſatio, aſpiratio, atque illuminatio. hæc potiò ſic iuſtificationẽ noſtram præeunt, vt tẽpore etiã quandoq; conſenſum noſtrũ præcedant. Si enim (vt rectè dicebat Auguſt.) nõ eſt in volũtate noſtra poſitũ, non ſæpe viſis tãgi, cur hæc non idem in bonũ ipſi volũtati eueniet? Secũdi generis opera ſic in nobis Deus exercet, vt & nos noſtrũ etiã aſſenſum illis prębeamus. ea ſunt omnia, quæ motum quẽpiam liberum animi noſtri deſignant. hæc nõ priùs tempore à Deo, quã liberè à nobis, ſed ſimul à Deo, & à nobis fiunt: à Deo tamen priùs natura. Prioris generis beneficia aſpernari, & repudiare cùm priora ſint noſtris actibus liberè poſſumus: poſterioris verò generis donis etſi liberè vtatur voluntas. cùm ſimul ſint cum operatione noſtra, intelligi non poteſt, Deum operari, quin & nos operemur. multò minùs noſtra operatio ſine diuina vel intelligi poteſt, veluti nos

Tria operũ genera eis tribus locorum ordinibus reſpõdent.

trahere, conuertere, noſtrum cor aperire, & alia pænè innumerabilia. Videat mecum, & pauliſper cōſideret Chriſtianus lector, quàm ad harmoniam cæleſtem, ſcripturæ diuinæ canant? Nemo poteſt venire ad me, (dixerat veritas) niſi pater meus traxerit eum. at idem ipſe alibi, Venite ad me. &, Si quis vult venire. Dauid precatur, Domine labia mea aperies. qui alio in pſalmo ait, Aperi os tuum. Clamamus nos, Domine Deus virtutum conuerte nos. contrà clamat & ipſe, Cōuertimini ad me. Concentus hic mirificus & diuinæ miſericordiæ nos admonet, qua Deus promptiſsimus eſt ad oſtium pulſans, & ſimul noſtræ inopiæ imbecillitatis & impoſsibilitatis admonet. prioris quidem, dum nos ad ſe conuerti vult, non quòd à nobis ſit principium, (abſit: eſt enim Pelagiana hæc blaſphemia) ſed vt qui diues eſt, in miſericordia paratiſsimum ſe oſtendat, vt per ipſum non ſtet quò minùs aut trahamus, aut trahamur, & vt noſtra corda adaperiantur: poſterioris verò, cùm omnia hæc nobis à Deo donari flagitamus. Reſtant tertij ordinis opera, quæ licèt Dei ſolius munera ſint, non tamen infunduntur, niſi ſemel homo rationis particeps ope diuina per liberi arbitrij proprium motum ſit diſpoſitus. Ad hunc ordinem quadrant gratiæ & virtutes illæ, quibus, ceu cæleſtibus habitibus, à Dei magnificentia veſtimur. itaque fit, vt & gratis iuſtificemur, & non merè paſsiuè, ſed per conſenſum noſtrum iuſtitiam diſpoſiti recipiamus. Duplici igitur hac diſtinctione quis non intelligat, quàm facilè expedire nos poſsimus ab immenſa teſtimoniorũ Caluini congerie? hoc eſt profectò, quod Auguſt. docebat dicens, Omne bonum opus gratia Dei præcedit, & id comitante, non ducente pediſſequa, non præuia voluntate. quod non malè à ſancto viro dictum, nec perperam à Petro Lombardo intellectum, præpoſterè neſcio quò Caluinus detorquet, inquiens, *Ego autem tam in propheta verbis, quàm in alijs locis clarè duo ſignari contendo: quòd & prauam noſtram voluntatem corrigat dominus, vel potiùs aboleat, & à ſe ipſo bonam ſubmittat. Quatenus à gratia præuenitur in eo, vt pediſſequam appelles, tibi permitto: ſed quia reformata, opus eſt domini, hoc perperam homini tribuitur, quòd gratiæ præuenienti pediſſequa voluntate obſequatur.* Quid igitur reſpondebis Chry-

Ioan. 6. *Matth.* 11. *Luc.* 9. *Pſal.* 50. *Pſal.* 80. *Pſal.* 79. & 84. *Ieſ.* 45. & *Iere.* 3. & *Ezech.* 18. & *Oſea* 5. *Ephes.* 2.

Ad Bonifac. epiſt. 106. *Caluin. lib.* 2. *c.* 3. *ſect.* 7.

ſoſtomo aſſerenti, nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quidquam poſſe operari? quid? *Reſpondebo ſanè non rectè à Chryſoſtomo ſcriptum eſſe. Quaſi verò non ipſam voluntatem quoque gratia operitur, ſicut ex Paulo nuper vidimus*. Quid etiam reſpondebis Auguſtino? *Neque verò Auguſtini conſilium fuit, dum pediſſequam gratiæ vocat humanam voluntatem, ſecundas quaſdam à gratia partes illi aſsignare in bono opere:* at idipſum videtur ibidem contendere reſſpondet, *Nihil minus: ſed quia hoc illi tantùm propoſitum erat, refellere peßimum Pelagij dogma, quod primam ſalutis cauſſam in hominis merito ponebat: quod ſatis erat præſenti cauſſæ, contendit gratiam omni merito eſſe priorē: altera interim quæstione omiſſa, de perpetuo gratiæ effectu, quam tamen alibi egregiè tractat.* Quid legis in Auguſtino, qui vna porrò ſententia & Pelagium, & te petit? ſicut enim priori parte pro gratia pugnat aduerſum Pelagium, ſic poſteriori aduerſum Caluinum gratiam ducere, non ſolam operari, voluntatem noſtram comitari, & illius pediſſequā eſſe, & gratiæ obſequentem affirmat. quod & alio loco perperam à te detorto in tuam inconſiderantiam idem Auguſtinus certò confirmat, dum dicit, Præuenit gratia nolentem, vt velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. & alio loco, Laborant, inquit, homines inuenire in noſtra voluntate, quod noſtrum ſit, & non ex Deo: & quomodo inueniri poſsit, ignoro. O quātum inſultat hîc Caluinus, opinatus, quòd Auguſtinus ipſum boni operis auctorem ſolum Deum fecerit, cùm tamen Auguſtinus tantùm loquatur contra eos, qui ipſam voluntatem ſolam alicuius boni operis operatricem eſſe affirmabant. quam rem optimè explicat Auguſtinus, dum inquit, Arbitrium ſic adiuuatur, vt non ſolùm quid faciendum ſit, ſciat, ſed quod ſciuerit, etiam faciat. atque ita, cùm Deus docet non per legis litteram ſolùm, ſed per ſpiritus gratiam: ita docet, vt quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed mirè adiutus, etiam volendo appetat, agendóque perficiat. Tribuuntur igitur ab Auguſt. voluntati noſtræ in agēdo cum gratia partes ſuæ, cùm eam adiuuari per gratiam dicit, & adiutam cum gratia perficere, quod abſque ea non poterat. Hoc ipſum etiam eſt, quod idem pater Auguſtinus alibi dicit, non tolli gratia voluntatem, ſed

Lib. 2. de remiſ. peccat. c. 18.

Auguſt. lib. 1. contra Pelag. & Celeſt.

ex mala mutari in bonam:& cùm bona fuerit, adiuuari. Nec iſtius gloſſa quenquam mouere debet,verba Auguſtini in hunc modum corrũpentis, *Tantum ſignificat Auguſtinus,hominem non ita trahi,vt ſine motu cordis, quaſi extraneo impulſu, feratur,ſed intus ſic affici, vt ex corde obſequatur:* ſi iſtud verũ,Caluine,ſi iſta Auguſtini eſt mens,quid oportebat huiuſmodi propenſionem tanto titulo inſigniret Auguſtinus eo verbo,quod oculatiſsimum quẽque falleret,dicens, Cùm bona fuerit, adiuuari? quis non ſtatim concipiat eam rem adiuuari,quę ſine ope quidem parum promoueret: at cùm optimo adminiculo vtcunque roborata,ſuas deinde in agendo partes habeat? Hoc etiam ab eodem auctore alibi euidẽter habemus: vbi primùm docet,quòd humana voluntas non libertate gratiam,ſed gratia conſequatur libertatem, quòd per eandem gratiã impreſſo non modò delectationis affectu, verùm etiam cæleſtis auxilij vigore ad perpetuitatem conformetur, quòd inuicta fortitudine (dummodo ipſa conſtare ſibi velit) roboretur,quòd ſi gratiam gubernare, & regnare patiatur,nunquam ipſa excidat, quòd ſi qua libertate adhuc pollet,gratiam deſerat,ipſa corruat, nec ampliùs bona voluntas habeatur, quòd gratuita domini miſericordia & ad bonũ conuertatur,& cõuerſa, quàm diu voluerit,per diuinum fauorem non ſtet quin in bono perſeueret,quòd voluntatis humanæ directio in bonum, & poſt directionem conſtantia ex Deo vtraque pendeat: ita homini tale relinquetur liberum arbitrium,quale alibi ſcribit idem Auguſtinus:quòd poſtremò,cùm nec ad Deum conuerti, nec in Deo perſiſtere niſi per gratiam poſsit, vtrunque cum gratia valeat.

Aug.epiſt. 105.Calui. lib.2.c.3. ſect.14.

Aug. ad Valen. de correct. & gr.cap.8.

Epiſtol.46.

Nuſquam negauit Auguſtinus,diuinam opem paratiſsimam eſſe ad excitandos homines, etiam peccatores. CAP. LIIII.

VEnio nunc ad eos locos, quos iſte ex Auguſtino in promptu habet,quibus probet Dei gratiam, quam dicimus neceſſariam omnibus, non cunctis expoſitam, ſed cum ſuis electis communicatam: in quibus ſic regnare gratiam aſſerit,vt ipſa ſola agat,volũtas verò quadam propẽſione,& ſumma obedientia ei obſecundet. vbi magna conſideratione obſeruandum eſt, de qua gratia,

& de quibus operibus, & aduerſum quos Auguſtinus lo-
quitur. nã, vt ſuprà retulimus, primi generis opera à ſola
gratia dimanant: in ſecundi verò generis operibus, mul-
tùm habet voluntas, non tamen ſine gratia, quemadmo-
dum inſaniebant Pelagiani. rurſum ſi ſermo ſit de eis pri
mi ordinis auxiliis & gratiis, quas Deus in nobis, ſine no
bis, liberè aſſentientibus repentè operatur, proculdubio
maiora ac plura ſubſidia pro ſua miſericordia cõfert ele-
ctis, quàm reprobis. adeſt enim, omnium corda pulſans,
Apocal.3. impariter tamen. quinimmo ſæpenumero in ſcripturis
legimus, è duobus eaſdem audientibus exhortationes
atque admonitiones, alterum animo perculſum, in viam
rediiſſe, alterum verò minimè: quemadmodum videre
Exod.14. eſt in Pharaone, & Nabuchodonoſore. Ad hoc pertinet,
Dan.4. quod Chriſtus ait, Væ tibi Corozáim, væ tibi Beth-ſaida:
Matth.11. quia ſi in Tyro & Sidône factæ eſſent virtutes, &c. &
Matth.12. Scribis ac Phariſæis, Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio,
&c. vnde collige, ſegniùs aliquando profeciſſe eos, qui
cumulatiora huiuſmodi munera receperunt, quàm qui
exiliora, propter maiorem duritiem, obſtinati pectoris
libertatem comprimentem. In ſecundi verò generis au-
xiliis, quantò Deus feruentiùs excitat, tantò volũtas ipſa
meliùs agit, & magis mouetur. eſt tamen in vtroque ge
nere mirabilis diuina prouidentia erga ſuos electos, vt
Pſal.35. eos ex vltimo orbe ad ſe vocet. Hæc eſt illa diuinæ volun
Eccleſia.24 tatis abyſſus, hæc illa altitudo ſapientiæ & ſcientia Dei:
Rom.11. cuius conſilia incomprehenſibilia, viæ inueſtigabiles, cu-
ius ſenſus cognoſci non poteſt, cuius demum cõſiliarius
nemo fuit. qua de re ſcholia præcipuè extant præclara
multa ſanctiſsimi Ioannis Chryſoſtomi in acta apoſtoli-
Actio.16. ca ad eum locum, Non permiſit ſpiritus Paulum loqui.
& ad eum quoque, Et prohibuit eum ſpiritus IESV. Iam
audiatur Auguſtinus ſuis verbis loquens, vt quid iure
inde aduerſum nos colligere poſsit Caluinus, animus ve-
rè pius ac ſincerè Chriſtianus ad iuſtam libram æquis
Lib. de præ- ponderibus penſet. *Auguſtinus, Communis, inquit, omnibus*
deſt. ſancto- *eſt natura, non gratia*: at, quid reſpondebit iſte, ſi dicamus
rum. nos, Auguſtinum nihil obtẽdiſſe magis, quàm diſcrimen
Calui. li.2. ponere inter naturam & gratiam, quòd illa ex propriis
c.3. ſect. 11. principiis innata per naturæ vires, & non ex Chriſti me-

merito omnibus debeatur? longè ſecus de gratia, quæ nihil habet meriti noſtri, ſed ex diuina ſola magnificentia ad eos ſe extendit, quibus conferre vult ipſe Deus. cupit autem omnibus, qui ſe illi præparatos exhibent. Quòd ſi locum hunc de primi ordinis gratiis intelligamus, quas conſtat pro ſua ſapientia & prouidentia diſpẽſare Deum, minus habebit aduerſum eos Caluinus. quod conforme eſt verbis eiuſdem Auguſtini dicentis alibi, Quomodo veniſti? Credendo. Time, ne dum tibi arrogas, quòd inuenta ſit à te via iuſta, pereas de via iuſta. Veni, inquis, libero arbitrio: voluntate propria veni. Quid turgeſcis? vis noſſe, quòd & præſtitum tibi eſt? ipſum audi vocantem, Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Quid, obſecro, hinc colligere poterit Caluinus, aut non expoſitam eſſe Dei benignitatẽ omnibus ſine exceptione, non electis tantùm, (etſi hæc eſt eorum prærogatiua, vt quidam certè æternam ſalutem ſint conſecuturi) aut ſic Deum nos mouere, vt ipſi obſequi, vel ipſum repellere liberum non ſit, quantumuis ipſa ad perſeuerandum conſtantia ſit à Deo, non voluntatem noſtram vllis neceſſitatis legibus coercente, ſed incredibili bonitatẽ ſua eam aſſectuante.

Auguſt. in Ioan. 6. *Idem in li. de prædeſt. ſanct.* *Ioan. 6.*

Locus diui Auguſtini explicatur, quem contra libertatem noſtram Caluinus inducit.

CAP. LV.

RVrſum inducitur Auguſtinus, quaſi contra nos pugnet. ſed libet hîc Caluini verba referre, quò hominis reformatiſſimi manſuetudo, atque animi candor vbique omnibus pateat. *Audiamus nunc Auguſtinum ſuis verbis loquentem, ne ætatis noſtræ Pelagiani, hoc eſt, Sorbonici ſophiſtæ, totam vetuſtatem nobis aduerſam pro ſuo more criminentur. in quo ſcilicet patrem ſuum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenã ipſe Auguſtinus protractus eſt:* non te furiis exagitatum dicam, non te impudentem & maledicũ nominabo, non iſtud os tuum, patens ſepulcrum appellabo: quippe qui in Chriſtianam modeſtiam retinendam toto animo & ſtudio incumbo: ſed de vno te percunctari libet. reliquiſtíne vel verbum vnum obſcœnum ac turpe, quod in alios, ſi neceſſe fuerit, (non dubito, quin tibi ſit opus, vtpote qui hiſce maledictis paſceris, his delectaris,

Calui. li. 2. c. 3. ſect. 13. *Aug. li. de correp. & gratia, ad Valentinum c. 2.*

his perfrueris)euomas,foráſque proiicias? ô quàm bene in te quadrat, quod nunquam de miſera tua natura non iactas,ex corrupto principio nihil,niſi dânabile, prodire. Pariſienſes patres,Chriſtiani orbis lumina,bene de eccleſia Chriſti meritos,ſtudio,doctrina, grauitate & prudentia longè omnibus præſtantes,virtute ornatiſsimos, animi candore atque modeſtia inſignes,diuinis litteris pariter & humanis inſtructiſsimos,& cum fidei hoſtibus pugnare exercitatiſsimos,hos, inquam, viros,cum quibus longo interuallo non ſis conferendus, ſophiſtas,&(quod omnium moleſtiſsimè ferẽdum eſt)Pelagianos,nouámque Pelagij fœturam appellare es auſus? tam præclari nominis academiam,& tam Chriſtiani ſenatus gloriam, multo labore, vigiliis, lucubrationibus editis partam, hac infeliciſsima nota,hæreſis ſcilicet, nunc tu ferox homo dehoneſtabis,& interturbabis? conſueuerũt illi quidem pro Chriſtiana fide, & pro Auguſtino, erga quem incredibilis illis religio eſt, contra fraudis cultores, ac veritatis inimicos ingenia ſua acuere, & multa, quibus noſtra alantur ſtudia, edere ſæpe & fortunatiſsimè, ipſum tamen Auguſtinum aut criminari, aut in Pelagianam arenam protrahere, nunquam. ſolent veri magiſtri orthodoxorum patrum ſententias memoria retinere,quorum fidem totos dies ſeruant: tantùm abſunt, vt imitentur Pelagium,aut Lutherum,aut Caluinum. Verùm his contentus,pluribus ſuperſedebo. nam, vt vides, non mediocrem ad dicendum nobis occaſionem præbuiſti,ſi ad turpiſsimè maledicendum natus eſſem.quare reuertamur ad Auguſtinum. *Libro de correctione, & gratia ad Valentinum fuſiùs exequitur,quod breuiter, eius tamen verba, referam: Gratiam perſiſtendi in bono, Adæ fuiſſe datam ſi vellet: nobis dari vt velimus,ac voluntate concupiſcentiam ſuperemus:* hucuſque Caluine nihil habes,vt video, ex Auguſtino contra nouos ętatis tuæ Pelagianos,hoc eſt,Sorbonicos ſophiſtas. *Habuiſſe ergo illum poſſe,ſi vellet, ſed non velle vt poſſet: nobis & velle dari & poſſe. Primam fuiſſe libertatem poſſe non peccare:noſtram multò maiorem non poſſe peccare*: hinc colligit Caluinus ſtultum & friuolum eſſe aſſerere,in noſtra eſſe poteſtate Dei gratiam irritam facere. *Ac ne de futura poſt immortalitatem perfectione loqui putetur Auguſti-*

nus, ſicuti perperam Lombardus eò trahit, ſcrupulùm hunc paulò pòſt ipſemet Auguſtinus eximit: quantas habet vires inuicta & conſtans veritas. nec poteras mentem Auguſtini paululùm diſſimulaſſe, quò nos aliquantulum ſuſpenſos teneres, & iudices tuos non nihil morareris? bellus oppugnator: idem ipſe, qui obiicit, diluit. Notiſsima res eſt, non Petri Lombardi commentum, aut ſomnium, diuum Auguſtinum ſtatum hunc noſtrum cum eo ſtatu conferre, quem in gratia creatus habuit Adam: vultque libertatem illam integram huic noſtræ ſauciæ præſtare, quòd illa nullius extrinſeci egens fuiſſet, noſtra verò maximè. rurſum primam illam libertatem, quæ in iuſtitia originali fuit, quam poſsibilitatem non peccandi, & non moriendi vocat, cum ea libertate comparat, quæ nobis in patria cum angelis erit communis. de qua tot elogia, quæ hîc ex Auguſtino recenſuit Caluinus, dicta vult idem auctor Auguſtinus. Hæc eſt præclara illa libertas, quæ ſecundum ſtatus noſtri leges non niſi comprehenſoribus & confirmatis debetur qua ſcilicet, à bono decidere voluntas non poteſt. cùm interim, quòd hîc verſamur, flexibilis ſit in malum ipſa voluntas: cur non antè, quàm hæreſis tot viros inſimulaſſet Caluinus, ipſe domi ſuæ Auguſtinum legit? quòd ſi legit, cur non aduertit, oportuiſſe eum res & multùm, & diu cogitatas afferre, vt & plurima lectione, & legitimo ſententiarum ſenſu armatus, contra eos, qui nihil præter litteras, & togatam religionem nouerunt, pacíſque plenam, in arenam pugnaturus deſcenderet? Auguſtinus in Enchiridio, ac fuſiùs libro de correctione & gratia nihil magis, quàm hoc explicat. idẽ etiam contra Pelagium, vbi potiſsimùm in libro de correctione & gratia pares reddere intendit in cœleſti patria hominem & angelum, pro ſua vtriuſque natura: ibíque duplicem mortalitatem, & immortalitatem cum poſsibilitate peccandi, & poſsibilitate non peccandi, & cum impoſsibilitate etiã doctiſsimè componit, vt tamen neque impoſsibilitatem peccandi, neque immortalitatem, aut in ſtatu naturæ integræ, aut eiuſdem corruptæ, ſed tantùm in patria nobis conuenire dicat.

Cap. 104.
Cap. 10. 11. 12. *lib.* 3.

Non nulli loci Auguſtini explicantur, quos pro ſe Caluinus hic ſatis contortè & obliquè coaceruat.

CAP. LVI.

SEd nos, quo pacto hunc noſtrum ſcrupulum excutere poſsit & eximere Caluinus, iuxta mentem Auguſtini videamus. *Tantum quippe, inquit Auguſtinus, ſpiritu ſancto accenditur voluntas ſanctorum, vt ideo poſsint, quia ſic volunt: ideo velint, quia Deus operatur, vt ſic velint*: hoc, Caluine, libertatis cæleſtis facultati tribuit Auguſtinus: quàm clariùs, non poſſe peccare, eo libro appellat, nobis verò & velle, & poſſe velle à gratia dimanat abſque vlla præfixa nobis neceſsitate. Addit, *Nam ſi in tanta infirmitate, in qua tamen ad reprimendam elationẽ perfici virtutem decet, ipſis relinquatur voluntas ſua, vt adiutorio Dei poſsint, ſi velint, nec Deus operetur in illis, vt velint: inter tot tentationes infirmitate voluntas ipſa ſuccumberet. ideóque perſeuerare non poſſent*: an non hîc etiam magiſter oculatiſsime de æterna felicitate loquitur Auguſtinus, & de ſanctorum, qui Deo fruuntur ſpiritu ſancto, accenſa voluntate, quam omni virtute perfici decet, nullis tentationibus ſuccumbere, nulla infirmitate flecti, ſempérque perſeuerare? Quòd verò Auguſtinum inducis cap. 14. eiuſdem operis de correctione & gratia dicẽtem, quòd dominus ſuis voluntatibus homines trahit quidẽ, ſed quas ipſe operatus eſt, vt inde tu colligas, corda noſtra neceſſariò Dei afficientis motum ſequi, inconſultò facis. illuſtrata enim diuino fulgôre voluntas, cæleſtíque calore nimiùm liquefacta, & cor nouum, & creatura noua, Dei opus, demum bona voluntas à ſanctis (ſecundum ſcripturas) dicitur, ſine vlla noſtræ facultatis & libertatis læſione, aut imminutione. Iam libeat, omnes precor, expendere, quanto iure ſuos pæanas, epiniciáque canat, & de Sorbonicis ſophiſtis oportunè triumphet. *Habemus* (feliciſsima coronide omnia finiens) *nunc Auguſtini ore teſtatum, quod in primis obtinere volumus, non offerri tantùm à domino gratiam, quæ libera cuiuſque electione aut recipiatur, aut reſpuatur, ſed ipſam eſſe, quæ in corde & electionem, & voluntatem formet: vt quidquid deinde ſequitur boni operis, fructus ſit ipſius ac effectus: nec aliam habeat ſibi obſequentem voluntatem, niſi quam fecit. ſunt enim eius quoque verba ex alio loco, omne bonum in nobis opus non niſi gratiam facere*: ô homo

Aug. lib. de corrept. & gratia ad Valentinum.

Sect. 13.

ſuauiſsime quando id, quod in primis obtinere niteris ac moliris, ex Auguſtini ore teſtatum oſtendiſti? quis per Deum immortalem in Auguſtino iſte locus eſt, vbi omni facultate & libertate ad obediẽdum & cooperandum gratiæ voluntas noſtra priuata intelligitur? aliis aliis, qui te non norunt intus & in cute, Caluine, hæc tu narrato, non nobis, qui & Auguſtinum legimus, & eius mentem Dei dono hac in parte aſſecuti ſumus, tuámque ſingularem inſolentiam, ſuperbiam, contumaciam in ſententiis dicendis ſatis ſupérque perſpeximus.

QVÒD vèrò per inſcitiam falsò nos torquere illud apoſtoli, Plus omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecũ, criminaris, facis vt te decet, hominem ſcilicet piũ, modeſtum, reformatúmque theologum. *Ad hanc feſtucam,* inquis, *mirum eſt tot non malos alioqui homines impegiſſe:* bene ſanè, Caluine, ſi lapſi ſumus, noli mirari, quando nõ malos alioqui homines noſtri lapſus auctores habemus. agendum, ecquis hic lapſus eſt? *Non enim gratiam domini ſecum laboraſſe ſcribit apoſtolus, vt ſe conſortem laboris faciat:* qui ſic per Deum immortalem te rogo? *Quia potiùs totam laboris laudem vni gratiæ tranſcribit iſta correctione, non ego, ſed gratia Dei, quæ mihi aderat:* at, mecum, legit Auguſtinus in infinitis locis: mecum, legunt Hieronymus, Haymo, Beda, Anſelmus, Bernardus, Thomas: omnes hi, mecum, legunt: inter quos Bernardus ſic ait, Poterat dicere, per me: ſed quia minus, inquit, erat, maluit dicere, mecum, præſumens, ſe non ſolùm operis eſſe miniſtrum per effectum, ſed operantis quodammodo ſocium per conſenſum: ac ſi diceret, Abundantiùs laboraui non ego, ſed & ego. in eo enim, quòd ſolo Dei dono præuentus ſum, non ego: in eo autem, quòd donum voluntate ſubſecutus ſum, & ego. *Verum eſt, fefellit autem eos homines locutionis ambiguitas: ſed magis præpoſtera verſio, in qua vis Græci articuli prætermiſſa eſt:* bona verba quæſo magne Cato. quid eſt, fefellit eos omnes? quid ſi magis tu propria confidentia es deceptus? quid ſi animi tui elatione, audacia, & ſuperbia iſta tua magis es circumuentus? quid? quòd inter Græcos Athanaſius ſic legit, & interpretatur? ſic Oecumenius, ſic Theodoretus, ſic Chryſoſtomus? hi omnes Paulum ſanctiſsimũ Dei gratiam hoc ipſo loco ſuorum

Locus ille apoſt. Non ego, ſed gratia Dei mecum, expenditur.

1.Cor.15.

Bernard. de lib. arbitr.

laborum cooperatricem,ſibíque adiutricem , non ſolam operatricem,vocauiſſe interpretantur , atque exponunt. Agedum demus tibi legitimam eſſe loci verſionem iſtá tuam, quid inde haberes , præterquàm quòd apoſtolica mens ſua omnia,ingentéſq; illos labores, & euangelicas preſſuras præ Chriſti gratia nihili faciebat : cui vni omnia illa ſua,quaſi vero principio,& omnis boni fonti accepta, vir ſumma pietate ferebat?ergo, quãtum nos à Pelagiana hæreſi diſtemus,accipe paucis . Finge gratiam nõ eſſe,finge Dei auxilium nobis non expeditiſsimum,fidei ſplendorem,diuinum fauorem,cæleſtem vocationem,ceteráque diuina dona,quæ abſque nullo noſtro merito, & cũ infinitis malis meritis noſtris ſanguis Chriſti nobis peperit,finge,inquã,animo tuo omnia hæc nõ eſſe, finge rurſum ex parte altera,omnia,quę miſer homo ſpoliatus, & ſaucius ſua virtute poteſt:quid, per immortalẽ Deum, tibi videbitur homo?quale in eo, quàm & potens liberũ arbitrium erit? quæ vires ? quæ facultas? quid, niſi ſeruitus?quid,niſi peccatum?quid,niſi cæcitas? ignoratio?craſſitudo ? libido ad malum longè propenſior , ad bonum verò incredibilis difficultas? Nunquã tot elogiis pollens
Roman. homo à diaboli ſeruitute ſe explicare,Deo placere,illi o-
Ephef.2. bedire, aũt ſatisfacere poſſet hic iræ filius , cuius omnes
Pſal.89. dies defecerũt,& ipſe in ira Dei defecit,cuius anni inſtar
Ibidem. aranei meditantur,cuius vita breuis, & ſi quid miſerabi-
Iob. 13. & 14. lius tu cogitare poſsis . at ſi illi mediatorem adiungas , ſi reconciliatorẽ Chriſtũ illi addas,reconciliatus Deo patri
Rom.5. per filij ſanguinem,de redemptoris ſui plenitudine acci-
Ioan.1. piẽs gratiã pro gratia,omnia poteſt imbecillus hic & infirmus:ſic tamen,quòd ad Deum ſe cõuertere,malè actæ vitæ pænitere, Deum quærere , cæleſti ac paterno ardore inflammatus incipiat,religioſéque ad gratiam diuinitùs
Rom.8. infundendã ſe præparet. qua ſemel ornatus Dei iam hæ-
Matt.5. res,& Chriſti IESV glorioſiſſimi fratris cohæres eandẽ ſemper ſitiens iuſtitiam,æternámque vitam affectans, & gratiæ augmentum,& ipſius conſtantem perſeuerãtiam, ſupremámque beatitudinem mereri in dies horáſque magis potens ſit. Hæc,inquam, vera & legitima eſt catholicæ fidei confeſsio, de libero hominis arbitrio, de eius facultate,de modo, quo ſe diuina gratia liberæ noſtræ fa-

cultati attemperat, demum de ratione, qua operatur Deus in cordibus hominum, ipſorum libertate illæſa omnino. Hæc pro virili parte ſint dicta ad aſſerendam noſtri arbitrij libertatem, penitúſque à ſuis hoſtibus vindicandam: quod tertio loco à Caluino poſitum erat. ſi verò Chriſtiane lector, ea, quæ tibi explicatu digna videbantur, præteriuimus ac reliquimus, nobis ignoſcere nō grauare. Sed in comprobandas præparationes ad iuſtitiam, quas inanes iſte vocat, omnem noſtrum conatum paremus.

Quòd bona noſtra voluntate, Dei fauore roborata, & operibus ex fide profectis, ad diuinam gratiam legitimè præparemur.

CAP. LVII.

POſt naturæ noſtræ malè ſauciæ conſiderationem veram & catholicam, poſt luminis intellectus noſtri inquiſitionem certam, poſt noſtri arbitrij libertatem ſatis oſtenſam, iam præparationes illæ, quas inanes Caluinus eſſe apud regem Chriſtianiſsimum teſtatus eſt, nobis proponendæ ac diſcutiendæ eſſe videntur. Catholica & regia inſtitutio habet, fide, quæ omnium in noſtra iuſtificatione prima eſt, atque pœnitentia, & bonis aliis operibus ad iuſtitiam nos præparari: non quòd illis Dei gratiam promereamur: (abſit hæc enim ſolius Dei beneficio, & Chriſti IESV merito nobis datur) ſed quòd eis præparemur, & modo debito diſponamur. ſicut enim intellectiua anima, quæ à Deo ſolo creatur, ſoliúſque ipſius donum eſt, nunquam humanum corpus formaret atque aleret, niſi certè in materia diſpoſitiones à natura præfixæ præcederent: ita profectò nunquam cæleſtis hæc vita vllis continget, niſi quibus viam ad iuſtitiam præparationes à diuina lege præſcriptæ fecerint. ſic Ezechiæ regi perterrito mortis nuntio contigit: ſic conturbatis Niniuitis horribili denuntiatione excidij: ſic Dauid ſanctiſsimo, vt à ſuis peccatis expediretur, tum quòd Dei populum recenſuiſſet, tum quòd homicidium cum adulterio inhumaniter coniunxiſſet: ſic eis, qui prędicatione Petri compuncti ſunt corde: ſic Petro ipſi, dum amarè fleuit. Hanc pœnitentiā fidei adiūgere nos apoſtoli do-

Fides omniū prima in noſtra iuſtitia habenda.

Aptū & congruens exemplum ad probandum operibus pœnitētiæ ex fide factis ad iuſtitiam præparari.

4. Reg. 20.
Ionæ 3.
2. Reg. 24.
2. Reg. 12.
Act. 2.

euerunt, cùm Iudæis ac gentibus teſtificabantur, in Deũ quidem pœnitentiam, & in IESVM Chriſtum fidem: cũ
Luc.22. dicebant, Triſtitiam, quæ ex Deo eſt, operari pœnitentiã
Act.20. in ſalutem ſtabilem: cùm poſt Chriſti reſurrectionem
2.Corin.7. prædicabant, Excitatum à Deo ad dandam pœnitentiam
Act.5. Iſraeli in remiſsionem peccatorum: cùm aiebant, Con-
Act.2. uertimini & pœnitentiam agite, vt deleantur peccata veſtra: cùm nihil tam pro concionibus in ore habebant, quàm annuntiare ſe hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agerent, eò quòd ſtatuiſſet Deus diẽ, in quo iu-
Act.17. dicaturus eſſet orbem in æquitate: cùm Simonẽ ad pœ-
Act.8. nitentiam omnibus modis adhortabantur, ſi fortè remitteretur ſibi iniqua illa cogitatio cordis ſui: exiſtimauerat quidem Dei donum pecunia poſsideri. Hanc fidẽ nos &
Ezech.18. prophetæ docuerunt, cũ per eos dominus populis iubet, vt cor nouum ſibi faciant, pœnitentiã agẽtes à malis viis ſuis, cor ſcindãt, præputia ſuorũ cordium auferãt, ne fortè
Ierem.4. egrediatur, vt ignis, domini furor, & non ſit qui extinguat, propter malitiam operum ſuorum: cũ per eos pollicetur diſsimulaturum ſe peccata hominũ propter pœ-
Sapien.10. nitentiam, ſe noſtrorum ſcelerum non ampliùs recorda-
Ezech.18. turũ, ſe in eiuſmodi dolore affectos hilari animo & prõ-
Eſa.96.& Pſal.50. pto ad condonanda crimina futurũ: cùm ad ſe conuerti toto corde in fletu, ieiunio, planctu, per ipſos prophetas
Ioel.2. toties poſtulat, quò nobis ſcelera remittat. ſic Ioãnes ſuas
Mat.3.& Mar.1.& conciones auſpicatus eſt, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnũ cælorum. ſic Chriſtus ipſe, qui præ-
Lucæ 3. dicari pœnitentiam in remiſsionem peccatorum in no-
Lucæ 24. mine ſuo præcepit, qui Petri lacrymas intuitus eſt, qui
Lucæ 22. Magdalenæ planctum, ex nimia dilectione natum, pro-
Lucæ 7. bauit, laudauit, & in pœnitentiæ perpetuam laudem pro remiſsione noſtrorum ſcelerum aſſequenda ampliſsimè commendauit. &, ne quod teſtimonium deeſſet in cælis & in terra, angelus, qui loquebatur cum ſanctiſsimo Io-
Apocal.2. anne, Deum pœnitentia placari præclarè teſtatus eſt, cũ
Quid ſit pœnitentia. ait, Memor eſto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Eſſe porrò pœnitentiam, deſiſtere à peccatis præteritis, conuertendo ſe ad Deum, & ea agnoſcere cum luctu, & fixo propoſito deinceps rectè operan-
Eſa.1. di, intelligi poteſt ex Eſaia, qui, cũ excitaret ad pœniten-

giam Iſraelitas, inquit, Si conuerſus ingemueris, ſaluus eris,& agnoſces, vbi fuiſti, cùm cõfiſus es in vanis. item ex Paulo, dum ait, Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam operatur ſtabilem in ſalutem. ita diffiniunt ſancti, à diuinis ſcripturis edocti, Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, & alij. Neceſſe eſt igitur corda noſtra præparari pœnitentia, quæ à fide proficiſcatur, vt condonata nobis diuinitus culpa, & gratis, iuſti ſimus apud eum, qui iuſtificat impium. Dicamus itaque, quò nihil relinquamus de recta paræneſi, vtraque ſanè noſtræ iuſtificationi opus eſt, fide ſcilicet, & pœnitentia, vtraque nos præparat: illa, in quem reſpicere, ad quem confugere, cuius meriti virtute iuſtificandi ſimus, optimè docet, hæc verò in oſtenſum nititur, in iuſſa incumbit, & culpæ pertæſa eum quærit, ad eum conuertitur, à quo ſe receſſiſſe dolet. ſic tamen vera hæc eſſe ſemper credidit eccleſia, vt in noſtra iuſtitia, Dei ſolius gratiam, & vnigeniti ſui Chriſti IESV meritum regnare cum Paulo, & tota ſcriptura, vbique agnoſcat, & doceat. Gratis iuſtificamur, non ex operibus, quæ ex fide Chriſti non procedunt, immo neque ex eis, in ratione meriti, aut iuſtitiæ: quantumlibet operibus cum fide IESV Chriſti diſponamur & præparemur ad illud donum optimum & perfectum, quod, dum remittitur culpa, amicis confertur. Iuſtitia noſtra à Deo ſolo eſt, qui creat, qui confert, qui iuſtificat, à Chriſto redemptore etiam, quippe quæ merito ſui ſanctiſsimi ac diuini ſanguinis nobis parta fuerit. Nihil nihil eſt hic, vnde gloriari poſsit homo, cùm nihil habeat, quod non acceperit. ſi gloriari oporteat, in domino gloriabimur, non in nobis. vſque eò verum id eſt, quod diximus, vt nuſquam in ſcripturis ſanctis legamus ſcribi litteris mercedis aut præmij, ipſam iuſtitiam & fidem. cùm tamen beatitudo noſtra, felicitas, vita æterna, quæ proculdubio Dei donum eſt, aliquando merces, aliquando iuſtitiæ corona, aliquando brauiũ (et ſi quod aliud id genus nomen eſt) appellata in diuinis libris paſsim videatur. tantum refert, aut præcedant noſtra opera gratiam diuinam, aut ſequantur. Verùm de hoc iam mox redibit ſermo: nunc quo conſilio, quáve ratione inanes eiuſmodi præparationes Caluinus vocet,

2.Cor.7.

Vide mag. lib. 4. ſent. d.14.c.1.

Quo pacto ſe habeant pænitentia & iuſtitia in iuſtificatione impij.

Iuſtificatio noſtra eſt gratuita.

Iuſtitia & fides nunquã mercedis nomen habent in ſcripturis ſanctis.

Rom.7. & 8.

Matth. 5.

1.Tim.4.

1.Corint.9.

quibus item ſcripturæ locis ſe muniat, breuiter, dilucidè, veréque exponam.

Reſpondetur quinque Caluini rationibus, quibus præparationes noſtras inanes reddi putat. CAP. LVIII.

*Cal.ca.*10. *Loci quinque, ex quibus inanes eſſe noſtras præparationes Caluinus oſtēdit.* VT colligere potui ex immenſo Caluini tractatu, ſatíſque implicato, de iuſtificatione fidei, & meritis operum, hęc quinque ſunt, quæ ad negandam harum pręparationum neceſsitatem ipſum compulerunt: quòd ſcilicet fide, non operibus iuſtificemur, quòd ſola Chriſti iuſtitiæ imputatione, non noſtris lacrymis, & illius ſolius iuſtitia, nos obtinemus, vt coram Deo iuſti dicamur, quòd non de humani fori iuſtitia nunc agimus, ſed cæleſtis tribunalis, quò accedere hominum opera nequeunt, quòd tunc nihil firmi haberemus, in quo miſeræ conſcientiæ quieſcerent, quòd nihil pręſtare poſſumus, quod impurum, Deo execrabile, ac demum peccatum non ſit. Hæc nobis explicatiùs tractanda, atque preſsiùs explicanda eſſe videntur. ſed malo tuis verbis agere, *Vbi Paulus ait ſcripturam præuidiſſe, quòd ex fide iuſtificet gentes Deus, quid aliud intelligas, quàm Deum iuſtitiam ex fide imputare? Item, cùm dicit, Deum iuſtificare impium, qui eſt ex fide Chriſti, quis ſenſus eſſe poteſt, niſi fidei beneficio à damnatione liberare, quam ipſorum impietas merebatur?* Sic *Actorum* 13. *in concione Pauli: Omnis, qui credit in eum, iuſtificatur. Sic cùm Publicanus dicitur iuſtificatus è templo deſcendiſſe, non poſſumus dicere, aliquo operum merito conſecutum. Iuſtus ergo fuit, non operum approbatione, ſed gratuita Dei abſolutione:* profectò quidem, Caluine, cogor tui ingenij vim & acrimoniam, quam tui tibi tribuunt, hîc deſiderare, libet ab vltimo teſtimonio exordiri: non iſtud modò tractabo, an iuſtificatio ſit, formaliter loquendo, ipſa ſola peccati remiſsio, & pro ſola abſolutione ſumatur. id tamen mirari non ſatis poſſum, non vidiſſe te, quantùm illius Publicani, quem tu produxiſti, humilitas, animi abiectio, geſtus, vultus, pectoris repercuſsio Deo noſtro placuerit, quantúmque iuſtificationis ſuæ cauſſæ profuerit, cùm vel hac ratione intulerit Chriſtus dicens, Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus. Quare ſi id, quod in eo loco affirmas, iuſtum eum fuiſſe non operum ſuorum approbatione, ſed gratuita Dei abſolu-

Primū & ſecundum argumētum de fide, & Chriſti merito.
*Galat.*3.
*Rom.*3.
*Act.*13.
Lucæ 18.
Deum pænitētia placari, ex hiſtoria Publicani cōſtat.
Lucæ 18.

tione, de efficiente, aut meritoria cauſſa intelligi à nobis poſtulares, rectè tu quidem. diximus ſanè ſæpe, atque etiam ſæpius dicemus, Dei eſſe beneficium, quòd impius & publicanus iuſtificetur: at verò, quia aſſeris, nullam omnino rationem, vt iuſtificaretur, fuiſſe habitam eorum, quæ Publicanus ille fide geſsit, nec ad diſponendum quidem & præparandum, non ſolùm nihil contra nos ex ſcripturis affers, ſed contra eas, quas profers, te fuiſſe locutum ipſe, nemine extorquente, palàm oſtendiſti. Ceteros etiam ſcripturæ locos, qui fide Chriſti, ſuáque iuſtitia, & merito nos iuſtos eſſe volunt, facilè interpretabimur, ſi vnum illud animaduerterimus, quod ab antiquis ſanctis ſcimus diligenti conſideratione obſeruatum, ab Auguſtino potiſsimùm: vt quoties à iuſtificatione noſtra Paulus opera humana excluſit, quaſi ea nihil ad iuſtitiam prorſus faciant, ſemper intelligendus ſit apoſtolus, ſe oppoſuiſſe non abſolutè ac ſimpliciter fidei iuſtitiam operum iuſtitię, ſed eorum tantùm, quę à fide non procederent. cuiuſmodi ſunt quę à libero noſtro arbitrio, & à cognitione legis, ſiue ſcriptę, ſiue etiam naturalis, aut cuiuſuis moralis dimanant. Huius certè argumenti vtraque epiſtola & ad Romanos, & ad Galatas eſt. quę, ſi quis conſiderauerit, & Chriſto ſuum meritum, & Deo ſuam gloriam, & fidei ſuum elogium, atque adeò operibus ſuum locum omni dubio procul obſeruauerit. nam ſi quęras, Cuius merito iuſtificamur? reſpondeo, Chriſti ſolius. ſi interroges, Cuius beneficio in diuinam gratiam, cũ nihil tale promeremur, aſciſcimur? reſpondeo, Dei ſolius. ſi rurſus me de hoc percuncteris, Quæ noſtrarũ actionum eſt omnium prima, qua cęleſte donum ad nos applicamus, & qua nos diuino muneri ſuſcipiendo parare incipimus? reſpondeo, fides hęc dirigit, hęc illuminat, hęc, qua eatur, & quò ſit eundum, certò pręmonſtrat. hinc iuſtificatio noſtra inchoatur, hinc incipimus rectà in cęlum ire, quemadmodum patres concilii Tridentini diffinierunt, & longè antè diuus Auguſtinus docuerat. Cyrillus itẽ vocat fidem ianuam & viam in vitam. Si tamen vltimò à me petas, Quid illud eſt, quo vltimata quaſi diſpoſitione, iuſtificamur? reſpondeo, operibus pœnitentię ex fide fa-

Paulus iuſtitiã fidei nõ oppoſuit niſi iuſtitiæ operum, quæ ex fide non fiunt.

Augu. 83. q.q. 76. idẽ in præfa. pſal. 31. Idẽ de ſpir. & lit. c. 17.

Cõcil. Trid in ſeſ. de iuſtific. impij. Augu. de prædeſtin. ſanct. ca. 7.

Pœnitentia ex fide informi, ſed non otioſa diſpoſitio eſt, non meritum pro aſſequenda iuſtitia.

ctis, quam adhuc caritas non animauit. loquor enim de actionibus præcedentibus noſtram iuſtificationem. nam eius fidei, quæ per caritatem, quaſi per diuinam quãdam animam operatur, multò diuiniores ſunt affectus, de quibus pòſt agendum erit. in peccatoribus vera fides eſt, quamuis non viua, neque formata, ſicut paulò mox oſtẽſuri ſumus. hæc aliquando otioſa eſt, cùm videlicet voluntas fidelis peccatoris malo hæret: aliquando verò negotioſa exiſtit, dum quod credit homo, iam exequi molitur, & quod fecit, deteſtari incipit, eius implorans fauorem, quem fide nouit pro ſe paſſum fuiſſe, quem etiam offendiſſe impensè dolet. Iámne vides Caluine, quàm egregiè conueniant nobiſcum omnia, quæ in nos ex Paulo obiicis, Deſtinati ſumus in adoptionem per Chriſtum, ſecundum beneplacitum Dei, in laudem glorioſæ
Ephes.1. gratiæ ſuæ: item, Non habens iuſtitiam, quæ eſt ex le-
Philip.3. ge, ſed, quæ eſt ex fide IESV Chriſti, iuſtitiam, quæ eſt
Rom.10. ex Deo per fidem: item, Suam volentes ſtatuere iuſti-
Rom.3. tiam, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti: item, Excluſa eſt
Rom.4. gloriatio tua. per quam legem? factorum? non, ſed per legem fidei: item, Si ex operibus Abraham iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Iuſtitia ex Deo, iuſtitia ex fide, iuſtitia Chriſti, apud Paulum non diuerſam, ſed vnam atque eandem iuſtitiam exprimunt, quamuis nomina non eſſe eadem videantur: ita etiam, Caluine, iuſtitia operum, iuſtitia legis, iuſtitia factorum, iuſtitia moralis apud eundem idem ſonant. Cùm igitur iuſtitiam cum iuſtitia conferri audis, opus eſt, vt fidem à iuſtitia factorum excipias: nam aliter, vt vides, fidei iuſtitia non legis eſſet. Apoſtolus igitur, vt fidem neceſſa-
Heb.11. riam oſtendat, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, noſtri arbitrij opera, ac naturæ noſtræ, & legis, iuſtitiam hominis vocat: quæ ſi à fide caritate informata procedant, iuſtitiam ex Deo, & ex fide nimirum apellabit. nos verò de operibus ex fide factis loquimur, quæ etiam iuſtitiæ nomen non merentur, donec caritas eis vitam tribuat. Sed nolo meis verbis loqui, ecce Paulus breui periodo totũ negotiũ expedit, Si ex lege hæreditas, iam nõ
Galat.3. ex promiſsione. Abrahæ autẽ per repromiſsionẽ donauit Deus. Quid igitur lex? reſpondet, Propter tranſgreſ

ſores poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat: ordinata per angelos in manu mediatoris. mediator autem, vnius non eſt: Deus verò vnus eſt. lex ergo aduerſus promiſſa Dei? abſit. ſi enim data eſſet lex, quæ poſsit viuificare, verè ex lege eſſet iuſtititia. Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſsio IESV Chriſti daretur credentibus. Priùs autem, quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur incluſi, in eam fidem, quæ reuelanda erat. itaque lex pædagogus fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. omnes enim filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto IESV. Vides legis tantùm inefficaciam, niſi fidem haberet incluſam, optimè hîc põderari: vides apertè non omnia opera iuſtitiæ fidei opponi, ſed ea ſolùm, quę euacuare videntur promiſsionem, & quæ probarent ex lege, non ex promiſsione Abrahæ hæreditatem eſſe: vides ſic Chriſti beneficium dici, vt ſemper ſuus locus relinquatur piis operibus ex Chriſti fide profectis, ſuóque ſanguine delinitis: vides omnes, quotquot iuſtificati ſunt ſub lege non habuiſſe, iuſtitiam ex lege, quaſi virtute ſua eos lex iuſtificaſſet, ſed quæ illi agerent, ſiue ad legem ſcriptam pertineret, ſiue ad naturalem, nullo pacto ſine fide Chriſti Deo fuiſſe grata & accepta. vis ſcire vno verbo, quæ opera cum fide comparationem contrariorum habeant? profectò, quæ promiſsionem extinguerent, non quæ illi ſoli nitebantur, quæ exinanirent ſpem de Chriſto, non quæ virtute illius roborabantur, & ſtabiliebãtur quotidie, quę poſtremò Chriſtũ gratis fuiſſe mortuum inferre poterant, ſi ſine fide Deo placuiſſe dicerentur, non quæ illius paſsionis fructus ſunt. circumcurſa hâc atque illac, nihil reperies, quod veritati tam euidenti, tam conſtanti iure ac merito tu poſsis obiicere. *Valeat*, inquis, *eorum ſomnium, qui iuſtitiam ex fide & operibus conflatam comminiſcuntur*: eorum ſomnium, Caluine, qui iuſtitiam primam ex fidei & operum merito conflatam eſſe volunt, valeat vtique: quoniam ea Dei donum eſt, & Chriſti meritum, & non operum, aut fidei merces, quæ, vt vides, eſt hominis actus. at catholica veritas, quæ dicit ad iuſtitiam acquirendam operibus fidei nos præparari, nõ magis abiiſſe poterit, quàm quòd Dei verbum in æter-

Rom. 3.

Philip. 3.

Fides et opus non habent inter ſe contrariorũ cõparationẽ.

Rom. 10.

Cal. cap. 10 ſect. 5.

num permanens pereat. Sed iã ex alio ſcripturę loco probat Caluinus, in calculũ fidei non venire opera: *Iuſtus ex fide viuit: lex autem non eſt ex fide: ſed qui fecerit ea, viuet in ipſis.* iam ſenſum Pauli interpretari iſte incipit. *Lex, inquit, eſt à fide diuerſa. quare? propterea quòd ad illius iuſtitiam opera requiruntur.* infert iam, *Ergo ad huius iuſtitiam ſequitur non requiri. Ex iſta relatione apparet, citra operũ meritum, immo extra operum meritum iuſtificari qui fide iuſtificantur. & in hoc differt euangelium à lege, quòd operibus non alligat iuſtitiam, ſed in ſola Dei miſericordia collocat:* hoc non eſt, Caluine, ſcripturam corrumpere? hoc non eſt ſcripturę ſenſus detorquere, & quò velis, trahere? vt in multis euangelium à lege differat, quemadmodum ſuo loco audies, & vt ſimiliter ſit verum, non alligari iuſtitiã operibus, ſed in Deo collocari, non tamen mox conſequens ſit, nullam haberi in euangelio operum rationem pro noſtra iuſtitia à Deo obtinenda: cùm Paulus dicat, prædicari ibi gratiã & pacem homini operanti bonũ. itaque ratio differentiæ in hac parte, ſicut ex præfato Pauli loco colligimus inter iuſtitiam ex fide, & eam, quæ eſt ex lege, in hoc ſita eſt, quòd hęc includit opera, quorum merces ſit ipſa iuſtitia, dum homo habet propriam innocentiam, ſuæ iuſtitiæ teſtem & aſſertorẽ, & nullius aut iudicis, aut aduocati patrocinio eget: illa verò, quę ex fide eſt, & qua coram Deo viuitur, mediatoris meritum & iuſtificantis bonitas omnes partes complent, quando ſemper gratis iuſtificamur, quamuis operibus ad ipſam diſponamur, fide ſcilicet & pænitentia. paucis me expediam: ecce huius & illius iuſtitiæ notum diſcrimen, quoniam iuſtitia, quæ eſt ex lege, nihil requirit extrinſecum, ſed bonis propriis nititur, iuſtitia, quæ ex fide eſt, nihil habet, quod alieno munere & merito non habeat, ſiue illud ſit ipſa iuſtificatio, ſiue præparatio & diſpoſitio ad eam. Quòd verò Pauli ſanctiſsimi ea fuerit mens, vbi legem opponit gratiæ, atque opera ipſi fidei, tantùm proferam aliquot patres ex antiquis, ne ſomnium ſophiſtarum, vt ipſe ſoles, appelles. diuus Hieronymus ſuper eiſdem Pauli verbis, quæ tu retuliſti, ita loquitur, Conſideremus autem diligẽter, quia non dixerit, Volo à vobis diſcere, vtrùm ex operibus ſpiritum accepiſtis: ſed adiecerit, ex operibus legis. ſciebat

Cal. ſect. 9. *Galat. 3.*

Euãgelium operum rationẽ habet.

Rom. 2.

Hierony in epiſt. ad Galat. 3.

enim Cornelium Centurionem ſpiritum ex operibus accepiſſe, ſed non ex operibus legis, quam neſciebat. Si *Act.10.* autem econtrario dicitur, Ergo & ſine auditione fidei accipi ſpiritus ſanctus poteſt: nos reſpondebimus, accepiſſe quidem eum ſpiritum, ſed ex auditu fidei, & naturali lege, quæ loquitur in cordibus noſtris, bona quæque facienda, & vitanda mala: per quam dudũ quoque Abraham, Moſen, & ceteros ſanctos iuſtificatos retulimus: quam augere deinceps poteſt operum obſeruatio, & legis iuſtitia: non tamen carnalis legis, quæ præteriit, ſed ſpiritualis, quia lex fidei, & ſpiritualis eſt. Neque verò quia fidem præferimus, legis opera deſtruimus: ſcimus vtique ea ei placere, in quem credimus. Hactenus Hieronymus non minùs eleganter, quàm verè. Auguſtinus etiam diſertis verbis dicit, Nõ iuſtificatur homo ex operibus legis, non quia opera bona pro iuſtificatione fruſtrantur, cùm Deus reddat vnicuique ſecundum opera ſua: ſed quia opera ſunt ex gratia, nõ ex operibus gratia. quoniam fides, quæ per dilectionem operatur, niſi ipſa dilectio Dei diffunderetur in cordibus noſtris per ſpiritũ ſanctum, qui datus eſt nobis, nec ipſa fides eſſet in nobis, niſi vnicuique Deus partiretur menſuram fidei. & poſt pauca, ex fide dicit nos, & non ex operibus iuſtificari: quia ipſa prima eſt, à qua cetera ſequantur. et paulò mox obſeruat, hæc omnia dicta fuiſſe ab apoſtolo tum contra iudæos, qui legalem iuſtitiam iactabant ſine fide, tum contra Pelagianos, qui dicebant gratiam eſſe naturam. Quoties ergo audiuero, aut legero, neminem operibus iuſtificari coram Deo, mox intelligã, quid virtute ſua, hæc natura non poſsit: ac rurſum, cùm videro ſcriptũ Deum pœnitentia, & aliis ſtudioſis actionibus placari, cognoſcam, quantum virtutis & roboris Chriſti ſanguine, & cæleſti munere, naturæ noſtræ acceſſerit.

Auguſt in epiſt. ad Galat. c. 2.
In epiſt. ad Pauli. epiſc. ad Proſp. et Hilarium.
Rom. 5.
Rom. 12.

Eas nunc, & pluſquam inteſtinum bellum, inter iuſtitiam & opera eſſe clama. omitto plures pro hac noſtræ fidei confeſsione auctores recenſere, quando omnes pænè antiquiores patres, Latini & Græci, communi & vno ore, dum Paulum interpretantur, ita, vt dixi, loquuntur. Chryſoſtomus, Theophilactus, Athanaſius, Oecumenius & quis non? Sicut igitur fide iuſtificamur,

ſic pænitentia: & ſicut gratis iuſtificantur, qui per fidem iuſtificantur, ita & qui per pænitentiam. ſi fides noſtra non diminuit de gratuito Dei dono, nec impedit, quò minùs gratuita ſit gratia Dei in nobis, plena & abſoluta. porrò hac noſtra pænitentia neque quidquam gloriæ de Dei gratia, & ſaluatoris noſtri merito decidet: vt iure ac merito dicamus non fide ſola iuſtificari nos. Et hoc de prima ratione Caluini contra præparationes noſtras.

Fidei iuſtitia non peccatorum remiſſione tantùm conſtat: neque ſolùm interceſſione, aut imputatione iuſtitiæ Chriſti coram Deo iuſti ſumus.

CAP. LIX.

Cal.c.10. ſect.13. IAm ſecũdò arguit Caluinus, vt colligat ex definitione iuſtificationis, nihil facere opera noſtra ad iuſtitiam habendam. *Fidei iuſtitia, nõ niſi reconciliatio cum Deo, & abſolutio à reatu eſt intercedente pro nobis Chriſti iuſtitia, cuius ſolius interceſſione iuſtificamur: igitur nihil magis noſtris actibus hæc iuſtitia conſtat, quàm illa Chriſti:* dũ huic ratiocinationi reſpondeo, hunc ordinem tenebo. primò veram iuſtificationis impij definitionem paucis tradam: deinde teſtimoniis à Caluino congeſtis breui ſatisfaciam: demũ habere & hîc ſuum locum peccatoris opera conſtabit.

Iuſtificari dupliciter dicitur. Ne ergo impingamus in ipſo limine, quod fieret, ſi de re incognita diſputationem ingrederemur, nomen ipſum, quod multiplex eſt, & ipſa rei eſſentia nobis eſt perueſtiganda. *Auguſt.de ſpir. & lit. c.25.* Iuſtificari, vt ex diuo Auguſtino didicimus, ſolet aliquando in arcanis etiam litteris iudicium tantùm exprimere, quo reus quiſquam iuſtus, innocens, indemnatus pronuntiatur, declaratur, iudicatur, & comprobatur. *Rom.2.* ſic ipſe ſentit eſſe interpretandum locum Pauli, Non auditores legis tantùm iuſti ſunt apud Deum, ſed factores iuſtificabuntur. *Luc.10.* ſic & Chriſtus vſus eſt, cùm de Phariſæo diceret, Volebat iuſtificare ſe. *Deut.25.* ſic in Deuteronomio legimus, Illi iuſtitiæ palmam dabunt. *Matt.22.* quod Hebræi legunt, iuſtificabunt. ſic Chriſtus, cùm Scribis & Phariſæis animi tumorem obiectaret, eo verbo eſt vſus: Iuſtificatis vos coram hominibus. ſic poſtremò, ne longiùs ab inſtituto recedamus, David dicebat, *Pſal.50.* Iuſtificeris in ſermonibus tuis. *Luc.7.* Chriſtus item, Iuſtificata eſt in illa die

ſapientia

ſapientia ab hominibus. Sed longè diuerſus eius nominis in propoſito eſt vſus. iuſtificare igitur hîc idem eſt, quod imbui, donari iuſtitia. vbi parui refert, præceſſerit iniuſtitia, vt in impiis videre eſt, an non, ſicut in iuſtificatione Adami, ac ſanctorum angelorum, & virginis beatiſſimæ: immo qui iuſti ſunt, adhuc iuſtificantur. Eſt itaque hæc iuſtificationis ratio tranſitus quidam ad formam pænè diuinam, ac ſimilem illi, quam Chriſtus habet, è cuius præſtantia & merito hæc eſt orta.

Quid ſit iuſtificatio in propoſito noſtro.

QVÒD ſi explicatiùs rem tractari deſideras lector Chriſtiane, & in quo tota ratio pugnæ cum hæreticis ſit poſita, intelligere, concipe animo tuo corpoream vnam permutationem virtute naturæ factam. ſit, ſi libet, calefactio: in qua quidem, vt vides, proceditur à termino, qui præextiterat, nẽpe à priuatione, & rectà itur ad formam, id eſt, ad calorem, in quem vi ſua tota collineat natura. ſimiliter conſiderabis in diuina hac & ſupercæleſti tranſmutatione, in qua à carentia gratiæ, aut ab iniuſtitia procedimus ad gratiam & iuſtitiam: nec quieſcimus, donec tota mente noſtra recreati per ſpiritum ſanctum, qui in noſtros animos infunditur, recti, Deo cari, mundi, abluti, ſanctificati, & inſtar cæleſtis tabernaculi, apud quod Deus manere poſsit, erecti, in modum ſedis fabrefacti, quam non horreat diuina ſapientia, hæredes Dei, ac cohæredes Chriſti, &, quòd omnia comprehendit, donec iuſti Dei teſtimonio vera iuſtitia coram ipſo effecti fuerimus, nullius ſceleris iam rei. Inſuper ſi dubites, quæ ſit hæc, & quanta rectitudo, quam nobiſcum Deus, dum nos iuſtificat, tam magnificè communicat: reſpondebo, Eſt ordinatiſsima quædam hominis interioris potiſsimùm diſpoſitio ac rectitudo, qua regnãte, principes partes animi noſtri fide, ſpe, atque caritate, dulci profectò nexu, cum Deo colligantur. vbi & inferiores animæ virtutes, ne quid rectitudini deſit, rationi, & mẽti obtẽperare atque inſeruire docentur. hæc eſt iuſtitia ex Deo, quia ab ipſo eſt: hæc iuſtitia fidei, quia illius initiũ eſt: hæc noſtra iuſtitia eſt, non quam nobis ipſi fecimus, ſed quæ vſque ad intimos noſtri animi receſſus ingreſſa, omniũ iam noſtrarum virium, ac perinde hominis to-

Tota ratio diſcriminis in cauſſa iuſtificationis, inter catholicos & hæreticos exponitur.

Rom. 8.

1. Cor. 3.
1. Cor. 6.
Ioan. 14.
Prouerb. 13.
Roman. 8.
Galat. 3.
Rom. 3.
Heb. 11.

Quæ, et quãta ſit iſta rectitudo.

2.Pet.1. tius rectitudinem, quaſi ſubſtantialem & diuinā, imprimit, præbens participes eſſe diuinæ naturę. hæc, ſi quanta ſit, adhuc non es aſſecutus, explicabo latiùs. Comitem ha-
Galat.5. bet, quæ à ſe nunquā recedat, caritatem: cuius fructus ſi referre vellem, Pauli & ſapientia, & ſermone mihi opus foret. ſatis ſit, hoc vnum ex tam multis caritatis elogiis recenſuiſſe, quòd ſcilicet nūquam eſt otioſa, ſed in ea incumbit, quibus æternā vitam, & Deū ipſum nobis cōci-
Terminus hui⁹ cæleſtis motus iuſtitia eſt. liamus. Duo tibi, lector, ex his, quę diximus, aut certè tria conſideranda cenſeo, in quibus lis, quæ cum noſtris eſt aduerſariis, tota conſiſtit. Primùm, licèt in peccatoris iuſtificatione mox ſe offerat, & quaſi in limine liberaliter facta peccati remiſsio, atque abſolutio à reatu, & pœnæ ſatis commeritæ condonatio: non tamen hęc tota ac perfecta iuſtificationis eſt ratio, donec ei adiunxerimus filiorum Dei iuſtitiam, rectitudinē, & ius ad æternum patris ſui regnum. O diuitias glorioſæ gratiæ Dei, ô amplitudinem redemptionis Chriſti, cui parū eſſe videtur,
Epheſ.1. peccata remittere, niſi impreſſam & obſignatā hanc pacem relinquat: parum eſt velle, ne peccata nobis ampliùs
Michææ 1. imputentur, eorum non recordari, ea contegere, ea con-
Rom.5. donare, niſi etiam ea funditus perdat, omnino deleat, in
2.Cor.5. profundum maris proiiciens immergat: parum eſt, non
Pſal.129. iam nos vltrà inter peccatores cenſere, non reos agere, niſi verè iuſtos faciat, ablutos, ſanctificatos, & in Dei obedientiam mirabiliter reformatos. hæc eſt perfecta Chriſti noſtri reconciliatio, hæc integra pacificatio, hæc denique copioſa redemptio, vt non modò amici dicamur, & filij Dei nominemur, ſed vt reipſa ſimus. & hoc quidem quàm diu diuinum illud Dei donum & iuſtitia, quæ ex Deo eſt, nobis hærebit. Altero loco obſeruabis lector, quòd ſecundum hanc ſincerè piam de Dei & Chriſti donis conſiderationem, formaliter iuſti ſumus ea iuſtitia, quæ Chriſti iuſtitiæ fontibus in nos deriuata & diducta illi maximè eſt ſimilis, non tamen ipſa eadem: ſicut primi hominis peccatum, quod nos ab origine trahimus, non eſt idem numero cum eo, quod ipſe perpetrauit. creatura item Dei bona eſt, bonitate quidem propria diuino munere ſecum communicata: linea etiam (vt ex paruis maiora componamus) recta dicitur, non aliena,

ſed intrinſeca rectitudine: homo ſapiens, probus, non ſapientia, aut probitate, quæ in alio exiſtat, ſed ſibi propria, ſit quamlibet ea aliunde mendicata, aut labore parta, aut certè cælitus infuſa. Paulus aiebat, Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam, in omnes homines in iuſtificationem vitæ. ſicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi. ſed non ſicut delictum, ita & donum. ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis IESV Chriſti, in plures abundauit. & non ſicut per vnum peccatum, ita & donum. nam iudicium quidem ex vno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. ſi enim vnius delicto, mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum IESVM Chriſtum. Vides lector, quod ablatum fuit in Adamo terreno, (vt idem Paulus loquitur) reſtitutum eſſe nobis in Adamo cæleſti. iuſtitiam amiſimus ſingulis propriam, qua iuſti eſſemus, non qua tantùm abſolueremur à reatu: eam igitur nobis Chriſtus ſuo bono merito acquiſiuit. vides ita antiquæ iuſtitiæ reddi nos per iuſtitiam Chriſti, ſicut per vnius hominis peccatum vitæ ſanctimoniam perdidimus: at peccatum omnes & ſingulos poſſidebat, & peccatores formaliter efficiebat: ergo Dei gratia formam nobis hęrentem impertitur, qua tales ſimus. vides planiorem eſſe hunc ſcripturæ locum, quàm quòd liceat ad tropum & figuram cōfugere. Scriptura ſancta, dicebat Auguſtinus, non iuxta tropum eſt intelligenda, niſi vbi ſermonis proprietas indecorum ſenſum facit. Conſidera etiam Chriſtiane lector, per quos progreſſus noſtra aurora (ea eſt Chriſti eccleſia) in hanc tam ſplendidam lucem venerit. in concilio quidem Vienenſi doctrina de forma hærenti, patribus veritati plauſibilior eſſe videbatur, nihil verò certitudine fidei ibi ab ipſis firmatum eſt. pòſt autem vniuerſa eccleſia oblatam lucem gratè eſt amplexata, magiſtríque omnes in eam ſententiā cōmuni conſenſu ire cœperunt, donec vltimas lineas ſancta ſynodus

Rom. 5.

1. Cor. 15.

Quando ſit cōfugiēdum ad tropū pro intelligētia ſcripturæ.

Aug. li. 1. de doct. chriſt. cap. 1.

Cant. 2.

Cōc. Vienẽſ. c. maiores, de bap. & eius eff.

Cõcil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7 ſub Paulo 3. Tridentina perduxit. Porrò circa augmẽtum, atque perfectionem ſpiritalis huius qualitatis mihi non licet referre multa, quæ apud Auguſtinũ plurimis in locis legimus, quibus q̃, ſit nõ recẽs nata, ſed cum ipſa eccleſia ſimul orta, hæc de iuſtificatione doctrina ſatis benè comprobatur. videas cum in libro de ſpiritu & littera, & in libro de natura & gratia: vbi præclara illa eiuſdem patris ſententia legitur, Caritas inchoata, inchoata iuſtitia eſt: caritas perfecta, perfecta iuſtitia eſt: caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tum maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa vita contemnitur. Huc ſpectant quæ in libro de remiſsione peccatorum, & in explicatione pſalmorum de vita & augmento caritatis idem habet. ac ne hoc quidem mihi videtur ſilentio prçtereundum, quod quodam in loco de nutrienda iuſtitia egregiè docet, etſi video, quàm me oporteat verborum multitudine ſuperſedere. igitur in libro 83. quæſtionum, ſic ait, Iuſtitiæ noſtræ venenum eſt cupiditas, nutrimentum, cupiditatis imminutio, perfectio verò, nulla cupiditas. De perfectione iuſtitiæ agit idem auctor in opere de ſpiritu & littera capite 26. Nunquam finirem, ſi quæ dicit de noſtra iuſtitia, de illius ortu, progreſſu, & perfectione, ſcribens ad diuum Hieronymum, huc ego transferrem. Sed quò feror? Bernardi diſtinctio omniũ ordinum calculis confirmata non mediocrem fidem adhibet rei, de qua agimus. Iuſtitia, inquit, quædam eſt innata ſublimis, infinitis numeris abſoluta, qualis eſt diuina. huic proxima collocatur beatorum rectitudo, firma, pura, perfectáque iuſtitia. poſt hanc tertia ſequitur, pura quidem illa & perfecta, non tamen ſtabilis ac perpetua, qualis profectò fuit Adæ & angelorum, qui in rectitudine non ſteterunt. poſtrema ac vltima ſedet iuſtitia noſtra, non pura, non perfecta, non conſtans, vera tamen animæ noſtræ rectitudo & iuſtitia. hæc ſpem, fidem, caritatem comites habet: neque vlla earum abeſſe poteſt, quin ipſa iuſtitia infuſa pereat. hæc eandem habet ſubſtantiæ ſpeciem (vt logici loquuntur) cum Chriſti & beatorum iuſtitia, & cum ea, in qua à Deo homo creatus eſt, quamuis in accidentibus differat. Hæc magis nos tetigimus, quàm quòd de eis agere videremur. Vnum por-

Iuſtitia noſtra augetur & vna eſt alia perfectior.

Auguſt. de ſpir. & lit. c. 17.

Idẽ de nat. & grat. c. 38. 48. 63. & vlt. c. 1. & ſuper pſal. 10. 83. q. q. 36.

Augu. ad Hier. ep. 29

Bernar. ſer. 5. de verbis Ie.

Quadruplex iuſtitia Dei, beatorum, Adæ, & noſtra.

rò tractandum videbatur adhuc ſupereſſe:(nondũ enim oſtendimus, quo pacto iuſtitia hæc noſtra poſsit horrendam Dei iudicium perferre, & in eo intrepidè ſtare) ſed quia hoc ad tertiam iſtius rationem, & ad meritum operum magis pertinet, de quo parum eſt, quin agamus, peracto priùs & compoſito iuſtificationis negotio, his omiſsis, ad exactiorem iuſtificationis explanationem plurimum ſtudij ac diligentiæ conferamus. *Hactenus catholica fides.*

Caluini ſententia de iuſtificatione explicatur, atque ſcripituris oppugnatur. CAP. LX.

VEnio ergo, vt quàm longè ab hac veritate Caluinus ſit, ipſe fateatur. *Cùm ſcriptura aſſerat, in remiſsione peccatorum conſiſtere, & ea ſola conſtare, non eſt, quòd aliter ipſam definiamus*: quòd iuſtificatio hominis peccatoris in remiſsione conſiſtat, Caluine, ſcriptura euidenter aſſerit: quòd verò ſola remiſsione ea conſtet, non ſcriptura, ſed tu es, qui aſſeris. Verùm quæ iſta ſcriptura? *Paulus ait, Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. ſicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum. Eſt ergo iuſtificari impium, nihil aliud, quàm non imputari ſibi peccata, ſiue condonari*: quo pacto Paulus ſit mihi interpretandus & intelligendus hoc in loco, Caluine, ac Dauid ſimiliter, iam pridem me docuerunt Chryſoſtomus, Theophilactus, & Oecumenius. dicam vno verbo, quæ ij fuſiùs tradunt. Non hîc à diuo Paulo iuſtitia noſtra diffinitur, quaſi ea in ſola iſta tua nom imputatione, ſeu remiſsione conſiſtat, ſed quòd iuſtitiam liberaliter ac gratis Deus largiatur credentibus, qua peccata non iam imputantur, ſed ſic ſunt remiſſa gratis per fidem, vt per eam conſequatur & apprehendat iuſtitiam, & amicitiam. ergo de perfecta remiſsione loquitur Paulus, & de perfecta non imputatione. ſeu occultatione, quæ tunc quidem habetur, quando Abſalon filio, Dauid, ad paternam faciem videndã, & alloquendum regem, & familiariter cum eo tractandum, non minùs quàm antea licebat, integra facultas conceditur. diuina itaque liberalitas donũ ſuum nobiſcum com-

Rom. 4. *Pſal. 31.* *Chryſ. Theophyl. Oecũ. in epiſt. Pauli ad Ro. 4.*

Remiſsio peccati initium doni Dei.

municare incipit, cũ noſtra peccata nobis remittit. felix eſt hoc ſuæ magnificẽtiæ principiũ, nõ finis neq; ęſtimat feciſſe ſatis ſuę bonitati infinitæ, & vnigẽiti ſui glorioſæ gratię, ſi debita cõdonet, niſi diuites ſimul nos in filio ſuo & amicos verè efficiat. & tunc nõ iniuſtè dicere licebit, remiſſa nobis eſſe peccata, & tantũ accepiſſe in Adamo, (loquor de gratia & amicitia cum Deo) quantum à nobis ſuo peccato ille abſtulit. *Paulus etiam idem, Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Vide quid ſit hoc, Non imputans hominibus peccata. Ac mox de imputatione iuſtitiæ Chriſti, Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur Dei iuſtitia in illo. Quid euidentius?* adduci non poſſum, Caluine, vt credam, te ita ſentire, vt loqueris. nónne vides, de initio, de fonte, de principio, & de merito, atque cauſſa, vnde ad nos omnis iuſtitia profluit, qui Chriſtus eſt, Paulum loqui? efficimur nos Dei iuſtitia in Chriſto, Caluine, dum participatione iuſtitiæ ſuæ non formaliter, ſed merito illius iuſtificamur. ipſe eſt factus nobis ſanctificatio & redemptio, dum ſuo ſanguine eam nobis iuſtitiam peperit, quæ verè nos redimeret à ſceleribus noſtris, & formaliter ſanctificaret. Quod verò dicit, Non imputans peccata eorum, eò ſpectat, quoniam nulla in nobis iuſtitia eſſe poteſt, quàm diu Deus peccata imputat, nec remittit. quæ enim conuentio peccati ad iuſtitiam? ab ea remiſsione neceſſe eſt Deũ exordiri, donec quod inceperit, in nobis ipſe perficiat. completur autẽ mutatio hæc dexteræ cæleſtis, infuſione iuſtitiæ, de qua toties ſcriptura agit, & quæ ſimilis eſt amicitiæ Chriſti, ab ea dimanans. Ad hanc reconciliationẽ, quæ per pænitẽtiã habetur, exhortabãtur nos Chriſti apoſtoli, legatorũ munere pro Chriſto fungentes. hęc eſt gratia (vt Paulus dicebat) pro gratia. in ipſo poſuit iniquitates omniũ noſtrûm, cuius liuore ſanati ſumus, aiebat Eſaias propheta, locutus de Chriſto. atque omni conſideratione dignum eſt, quòd non ita Chriſtus pro nobis factus eſt maledictum, vt ratio culpæ in eo eſſet: (abſit: id enim tã ſanctæ animæ, Deóq; vnitæ modis omnibus nõ cõueniebat) ſed ſatis fuit, quòd omniũ maledictiones, & omnium inimicitias in corpore ſuo pertulerit, gratiſsima hoſtia, quę pro noſtris ſceleribus expiandis Deo

1.Cor.1.
Secundus locus à Caluino product⁹
2.Corin. 5.

Chriſt⁹ quomodo dicatur iuſtitia noſtra, redemptio, & recõciliatio.

Rom. 5.

Ibidem.

Eſaiæ 53.

patri mactaretur. nos verò ſic iuſti facti ſumus in illo, vt hæc Dei iuſtitia nobis hæreat, intra nos ſit, & nos ſequatur, quocunque iuerimus. ita enim & gloriæ Dei, & honori Chriſti conueniens fuit, atque adeò nobis omnibus expediēs, & neceſſarium. *In actibus etiam apoſtolorum legimus, Per hunc vobis annuntiatur remiſsio peccatorum: & ab omnibus iis, à quibus non poteratis iuſtificari in lege Moſis, omnis, qui credit in eum iuſtificatur. Vides poſt remiſsionem peccatorum iuſtificationem hanc, velut interpretationis loco, poni: vides apertè pro abſolutione ſumi*: vides tu Caluine, perperam abs te detorqueri ſcripturam, vt quouis trahas? animaduertendū, quòd diuus Paulus magno cōſilio & diuino, dum noſtræ iuſtificationis conſiderationem ingreditur, ſemper eam deſcribit à termino (vt ſic dicam) à quo, nempe à peccato, quod ibi abſtergitur & deletur. non quòd in eo ſint omnia, atque ibi cōſiſtat tota ratio iuſtificationis noſtræ, ſed vt ipſam more ſuo mirificè attollit, docens longè præſtare donum Chriſti, quod nobis ſuus ſanguis peperit, illi, quod in Adam collatum eſt, immo quod angeli recepe runt, ſi in eos oculos coniiciamus, apud quos eiuſmodi beneficium eſt poſitum. illi quippe non erant inimici, quāuis Dei munere facti ſunt amici. commendat autem caritatem ſuam in nobis Deus: (inquit idem Paulus alibi) quoniam, cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Remiſsio igitur peccati, Caluine, non eſt tota noſtra iuſtificatio, ſed quæ mirum in modum diuinam clementiam, & Chriſti virtutem efferat, poſtquam à tam contrario termino, quale peccatum eſt, itur ad gratiam. *Iſti dicunt*, (nos intelligit) *Tunc iuſtificatur homo, cùm in Dei obedientia reformatur*: nos dicimus, quia ſcripturæ dicunt. *Pauli ſanè argumentū euertunt, Si ex lege eſt iuſtitia, exinanita eſt fides, abolita promiſsio. Quod ideo verum eſt, quia quàm diu reſpicimus, quales ſumus, neceſſe eſt, nos coram Deo trepidare. tantum abeſt, vt certa, & inconcuſſa vitæ æternæ fiducia nobis inde conſtare poſsit. de regeneratis loquor. Quantum abeſt à iuſtitia, illa, quæ in hac vita inchoatur, vitæ nouitas?* ex iſto principio, Caluine, quòd iuſtificatio ſola pecccatorum remiſsione conſtat, vide quàm egregij fructus percipiantur. primùm nullus eſt Chriſti gratia (quod dicere horreo) verè iuſtus, ac formaliter. maue-

Tertius locus à Caluino productus.

Act. 13.

Quare Paulus toties meminerit remiſsionis peccati in iuſtificatione impu.

Rom. 5.

Quartus locus ſcripturæ à Caluino inductus

Rom. 4.

mus adhuc omnes, iniuſti, Deo odioſi, addo etiam peccatores. quæ quàm ſint vera, quàm ſcripturæ ſanctæ conuenientia, viderit ille, qui non dubitat, nec erubeſcit dicere, quòd, quoties diuinum verbum nos iuſtos vocat, loquatur quidem, non vt ſic ſe res habeat, ſed iuxta neſcio quē tropum, aút figuram. item ſequitur, omnia iuſtorum opera peccata eſſe: quod concedere, multi ex iſtis aperto ore non ſunt veriti: item, quòd iuſti omnes æqualiter ſunt iuſti, æqualiter ſancti, æqualiter magni. omitto percurrere cetera id genus corollaria, quibus felix ſcilicet propoſitio, Sola remiſsione peccatorum iuſtificatio noſtra abſoluitur, ſcaturit. Rectè proinde eccleſia catholica cum Paulo reformationem nouam, & indumentum nouum nobis obuenire in iuſtificatione noſtra docet, & prædicat. neque Pauli argumentum euertimus, de fide & operibus. nam, quæſo, quæ ſedes huius conſequentiæ, In iuſtificatione reformamur in nouam vitam per iuſtitiam, quæ liberaliter confertur à Deo, & in Dei obedientiam erigimur: ergo iuſtitia eſt ex lege & ex operibus ipſius? O Caluine, quàm probè tu noſti, quæ ſint vires tui enthymematis, ſed (vt video) totum negotium diſsimulas: dicam ergo breuiſsimè. quia apud Deum ex lege, aut natura nemo iuſtificari poteſt, & quia obedientia legis & naturæ non habet, vnde Deo placere poſsit: ideo neceſſe eſt reformari nos diuinitus hac excellentiſsima iuſtitia, vt opera, quæ inde proceſſerint, iuſta ſint, ſancta, Deóque pergrata: quippe quæ iuſtitiæ Dei, ſiue iuſtitiæ fidei actiones ſunt. Si Pelagiani nos eſſemus, Caluine, quales nos eſſe tu ipſe vbique nominas, non tanto nimirum ſtudio in hanc vnam nouam vitam & iuſtitiam cōmendandam incumberemus. Sed prætereo. *Semper cohærēt iſtæ duæ res, iuſtificatio & ſanctificatio, non tamen ſunt vna: quemadmodū in Sole, calor & lumen. innouatio iuſtificationem inſequitur, non tamen ſunt vnum. vnde ſi quis iuſtitiam, quam fide aſſequimur, ſeparare velit à pœnitentia, lacerare eſt euangelium. Diſceptamus ergo de cauſſa iuſtificationis, quam iſti duplicem confingunt, ac ſi partim imputatione, partim illa qualitate iuſtitia noſtra conſtaret*: ſimile tuum, Caluine, vel ad rem parum facit, vel certè vnicè nobis fauet. ſicut enim idem Solis lumen & aerem ſplendidum facit, vt omnia ipſius vndique appareāt,

Quinta ratio Caluini contra qualitatē illam.

& ipſum ſplendere aliis tribuit, ita vna eadem iuſtitia & iuſtificat, & ſanctificat, qui effectus ipſius ſunt. Quod autem pœnitentiam ſanctificationem ſequi, non præire, dicis, ſacrarum veritati ſcripturarum perſpicuè aduerſatur. Prædicate pœnitentiam in remiſsionem peccatorũ. Agite pœnitentiam, & omnia munda erunt vobis. Age pœnitentiam, fortè remittet tibi peccatum tuum. Sed ſupervacaneum fore duximus, in ſingulis probandis, tot ſcripturas, auctores, teſtéſque producere. Vides pęnitentiam diſponere peccatores ad iuſtitiam, non ſequi, quamuis perpetuò eam ſeruare ſanctiſsimum ſit, iuxta illud propoſitum nunquam cõmittendi, quod neceſſariò ſibi vnitum habet. Vltimo Caluine, non nos ſic partimur iuſtificationem, vt tu fingis, ſed (ne longiùs oratio noſtra proueheatur) ipſa remiſsio, quaſi natura, præcedit, queadmodum tenebrarum expulſio: ac deinde habetur terminus poſitiuus & realis, quæ eſt qualitas diuina, lux cęleſtis, ſupernaturalis vita, qua viuimus cum eo, qui nos redemit à morte, facti conſortes diuinæ ſuæ naturæ. Nihil hîc diuidimus, nihil luxamus, Caluine, ſed tu magis, qui dimidiatam accipis iuſtificationem, non integrã, diſſoluis Ieſum. *Vnica eſt hæc iuſtificatio extra nos in ſola Dei acceptatione collocata. quam iſti fingunt, in ſcripturis fundamentum non habet. in euangelio, iuſtitia operum in legis obedientia collocatur. iuſtitia verò fidei in nullo apparet, vt vel ſic ad ſolum confugiamus Chriſtũ. neque de inchoata iuſtitia locum proferent ex ſcriptura. quare taceant de partiali iuſtitia figmenta confingere:* vnica eſt, Caluine, mutatio hęc in noſtris, diſtincta tamen ab acceptatione illa & fauore, qui in Deo eſt. precamur te, vt nolis cuncta miſcere, nolis turbare: omnia in pace ſunt, quid moliris? Sed de iuſtitia operum & de iuſtitia fidei iam ſatis diximus: & hæc inchoata iuſtitia, quàm ſit non in obſcuro, ſed in præclaro ſcripturæ loco collocata, adeò longo ſermone à nobis eſt oſtenſum, vt vereamur, ne quiſquam reperiatur, quin ſatietate iam ſit defeſſus. quòd ſi adhuc aliquis plura deſiderat & legere & audire, conſulat Auguſtinum ſcribentem contra Iulianum, & contra Pelagium, atque ad diuum Hieronymum. Hoc eſt mirabile, Caluine, quòd quam tu dicis, nullum habere locum in euangelio, inchoatam ſcilicet iuſtitiam, hanc negare, di-

Luc. 22. *Ezech. 15.* *Act. 8.* *2. Pet. 2.*

Sexta Caluini ratio contra inchoatã iuſtitiam.

Augu. agnouit ſæpe iuſtitiam hærentem filiis Dei & inchoatam li. 6. cõtra Iulian. c. 5. & lib. 3. contra 2. epiſt. Pelagij cap. 3. & li. 4. ca. 7. & 10. & ad Hiero. epiſt. 29.

cit Bucerus, contra euidentem ſcripturam eſſe. ſed nihil certitudinis fidei noſtræ accreſcit, quòd veritate conui-ctus Bucerus eam non negat: ſicut nihil omnino veritati detrahitur, quòd te habet oppugnatorem. Verùm, quoniam iſte Auguſtinum pro ſe inducendo obſcurat, non ego ipſum Auguſtini locum reticẽdo ſubterfugiam. itaque in medium affert contra hanc inhærẽtem iuſtitiam, & ad probandum, quòd ſola remiſsione conſtet, beatum Auguſtinum dicentem, Sanctorum iuſtitia in hac vita, potiùs peccatorum remiſsione, quàm perfectione virtutum conſtat. cur ſic dilaceras ſanctorum chartas? cur ſic perdis ſanctorum ſenſus? cur Chriſtianas patrum obſeruationes nimis callidis, ſed malitioſis interpretationibus eludis? diuus hic ita loquitur, Ipſa quoque noſtra iuſtitia, quamuis vera ſit propter veri boni finem, ad quem refertur: tamen tanta eſt in hac vita, vt potiùs peccatorum remiſsione, quàm perfectione virtutum conſtet. Vides agnoſcere Auguſt. iuſtitiam in hac vita hærẽtem, veram quidem illam, licèt non perfectam. Nec minùs iniurioſus eſt Caluinus in diuum Ambroſium: ait enim de eo, *Mihi elegãtiſsimè videtur Ambroſius, huius iuſtitiæ paradigma in benedictione Iacob ſtatuiſſe. Nempe quemadmodum ille primogenituram à ſe ipſo non meritus, habitu fratris occultatus, eiúſque veſte indutus, quæ optimum odorem ſpirabat, ſe ipſum inſinuauit patri, vt ſuo commodo ſub aliena perſona benedictionem acciperet: ita nos ſub Chriſti* IESV *primogeniti fratris noſtri pretioſa puritate deliteſcere, vt teſtimonium iuſtitiæ à cõſpectu Dei referamus:* paradigma hoc, Caluine, tuum eſt, & tuorum patrum, nõ glorioſi doctoris, qui neque Deum decipi poſſe ſenſit aliquando, vt pro iuſto habeat, qui non eſt, neque nos filij Dei iuſtitia iuſtos eſſe formaliter vnquã docuit: quamuis ſub Chriſti primogeniti noſtri fratris pretioſa puritate, velut ſub corona noſtra, theſauro, & redemptione deliteſcendum nobis eſſe idem eccleſiæ doctor plurima illa ſua oratione, atque iuſtiſsima vita docuerit. Sed age, quæ ſunt Ambroſij verba? verba Ambroſij ſunt, Quòd Iſaac odorem veſtium olfecerit, fortaſſe illud eſt, quia nõ operibus iuſtificamur, ſed fide. quoniam carnalis infirmitas operibus impedimẽto eſt: ſed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum.

Cal. c. 10. ſect. 14.

Augu. lib. de ciui. Dei c. 19. 27.

Cal. ibidem de Ambr.

Ambr. de Iacob & vita beata cap. 2.

Hactenus Ambroſius. Certè hîc, ſi quid ego ſapio, non iuſtitia noſtra deſtruitur, ſed magis corroboratur, modò ſit iuſtitia ex fide, & ex Deo.

Iuſtitia fidei, quamuis imperfecta, ferre poteſt ſeuerum Dei iudicium: iuſti tamen: quàm diu viuunt, timorem habent cum ſpe coniunctum.

CAP. LXI.

Tertiò etiam arguit Caluinus ex ſeueritate diuini iudicij. *Succurrere,* inquit, *nobis debet non de humani fori iuſtitia, ſed cæleſtis tribunalis ſermonem eſſe inſtitutum: ne ad modulum noſtrum metiamur, qua operum integritate diuino iudicio ſatisfiat. atque mirum eſt, quanta temeritate & audacia id vulgò diffiniatur. Quin etiam videre eſt, vt nulli confidentiùs de operum iuſtitia garriant, quàm qui vel palpabilibus morbis prodigioſè laborant, vel intercutibus crepant vitiis:* mox etiam immenſum ſcripturarum aceruum eructat, quò illud tribunal horrendum eſſe probet, difficiléque acceſſu. Sed, vt rei huius ſumma nobis teneatur, ne longiùs diuagemur, explicatis terminis, aliquot dictis, quæ ab arcanis litteris ſanctorum ſcholiis illuſtratis petemus, rem totam paucis complectemur. ſic diuino tribunali ſua maieſtas ſarta & tecta manebit, & Chriſti interceſsionibus, ſpei noſtræ vnicæ locus intactus illibatúſq; conſtabit, & conſcientiis noſtris de Dei iudicio, non magis, minúſue placida quies ac ſerena tranquillitas tribuetur, quàm quę ab ſcripturis & ſanctis nota eſt: partim timoris, partim ſpei plena. ſpei quidem, dum in iudicis bonitatem, æquitatẽ, ac promiſsionem oculos coniiciunt, dũ in aduocati præſtantiam & gratiam apud iudicem eriguntur, dum ad pignus conquieſcunt, quo hominibus iudex ipſe ſuam fidẽ dedit, ſumma pietate & miſericordia, non ad ſummum ius cuncta ſeſe exacturum: timoris verò, dum aduertunt, quoniam nec cæli mundi ſunt in conſpectu eius. atque ſic, ne ſuperbiãt, timore quatiuntur: ne deſperatione abſorbeantur, ſpes incredibilis futuræ clementiæ eos impensè conſolatur. Hæc me docuerunt ſancti per ſcripturas diuinas, inter omnes verò diuus Bernardus, quem pro ſuo commento producere veritus non eſt Caluinus. Sed ad rem. Cùm alia ſit iuſtitia operum, alia fidei, ſic aliis legibus viuitur in hac, & in illa: vt enim iuſtitia legalis

Tertia ratio Caluini contra noſtras præparationes. Sect. 15.

Ordo dicendorum.

Ber. ſuper cant. ſerm. 181.

Prima cõſideratio.

exactam relationem & perfectam ad ſuam regulam exigat, iuſtitia tamen fidei tales eos requirit eſſe, quales euãgelium gratiæ vult, nempe, qui Chriſti ſpiritum habeant ſe inhabitantem per fidem, ſpem, & caritatẽ. hoc ſit primum, quod ex ipſa ratione iuſtitiæ fidei facilè colligitur: habet enim fidem pro regula. Iam addo. in hac iuſtitia non tam conſiderandum eſt qualis in ſe ſit iudex, & quanta potuiſſet à nobis exigere, & quàm parum in nobis ſit, quo illi poſsimus reſpondere, ſed qualis ſe oſtenſurus iuſtis, & quanta per legem ſuam dulcoris plenã ab eis requirat, quàm ſuaue iugum impoſuerit, & quàm leue onus ſuis diſcipulis geſtandum reliquerit. hoc ſecũdum, quod ex primo neceſſaria conſecutione profluit. Adhuc etiam vltrà progredior, & in hac fidei iuſtitia id obſeruandum eſſe duco, quòd multa de illius perfectione, in iuſtis, quàm diu viuunt, deſiderantur, quæ vel hîc pater maximè pius ad preces ignoſcit, vel illic æquiſsimus iudex condonat. Hæc tria ſi quis à me ſciſcitetur, vnde habeam, quis ſuggeſſerit, quis auctor: vtique præter alios vnius Auguſtini in huius veritatis lucem ſexcentos licet proferre locos, præſertim contra Donatiſtas, contra Pelagianos, in libro retractationũ, ſuper pſalmos, atque ſæpe alibi. poſtremò animo percipienda & memoria cuſtodienda eſt conſideratio illa Pauli, Omnes ſtabimus ante tribunal iudicis, vt ferat vnuſquiſque propria corporis, prout geſsit ſiue bonum, ſiue malum. Iam omnia ſibi ſatis conſona fore, Caluine, qui ignoret, arbitror eſſe neminem. verum vero hîc conuenit, ſi vnquam alibi. Quoniam Deus non ſummo illo rigore, quo ipſe iuſtus eſt, neque ad ſuam iuſtitiam, exacturus eſt noſtram: ideo ſtabimus ante eum, cuius fulgore obtenebrantur ſtellæ, cuius robore liquefiunt montes, cuius ira terra concutitur, cuius ſapientia deprehenduntur in aſtutia ſua prudentes, cuius puritate inquinantur omnia, cuius ferendæ rigidiſsimæ ſuæ iuſtitiæ nec angeli pares ſunt, qui nocẽtem non facit innocentem, cuius vindicta, cũ ſemel accẽſa eſt, penetrat vſque ad inferni nouiſsima. Niſi manu ſua firmatum haberemus & obſignatũ, de quibus rationẽ & eam liberalem à nobis accepturus ſit, quis, quæſo, ſecurus ad eius thronum ſe ſiſteret? quis habitaret cum igne

Secũda cõſideratio.

Tertia conſideratio.

Aug. li. 6. c. 24. lib. 1. retract. cap. 19. li. 2. cõtra epiſt. Pelag. c. 7. & li. 3. cap. 7. Pſalm. 10. Epiſtol. ad Hiero. 29.

Tertia conſideratio.

1. Corin. 5.

Lege libr. Iob.

Eſaie 33.

deuorante? quis manere vellet cum ardoribus ſempiternis? at nunc reſpondere poſſumus cum propheta, Qui ambulat in iuſtitiis, quas redēptis ſanguine filij, ſcilicet tui, dediſti, & loquitur veritatem. ſi vel ad tuam puritatem domine, aut ad perfectam illam, quam nobis obſeruandam cōtuliſti, iniquitates obſeruaturus es, quis, proh dolor, ſuſtinebit? nunquid homo Dei comparatione iuſtificabitur? aut purior erit factore ſuo? ecce qui ſeruiunt tibi, non ſunt fideles: & in angelis tuis prauitatem repeꝛiſti, quantò magis qui habitamus domos luteas, qui terrenum habemus fūdamentum, conſumemur, donec erit? Ecce domine, cæli non ſunt mundi, ſi tecum conferātur: eorum ſplendor nimio iſto tuo fulgôre facilè perſtringitur, & obſcureſcit. ne intres domine in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur coram te omnis viuens perfecta iuſtitia. noli abiicere theſaurum pretioſum, quod iuſtis tradidiſti cuſtodiendum, propter nōnullam rubiginem à terra contractam: ſed tu pius, ſimiliter & iuſtus, purga, munda, & ſuper niuem dealba. non tecū æquali iure cōtēdere volumus, ſed eo iure, quod inter caros filios, & iuſtum patrem intercedere ſolet. non ſimili robore, neque pari amicorum virtute certamus, ſed ea ſolùm iuſtitia, quam nobis dediſti, vt tecum ea cōgrederemur, ea fortitudine, quam mors filij tui nobis peperit, eis operibus, quæ gratia tua, dum in nobis regnat ſimul cum libera facultate noſtra abs te creata, abs te illuminata, per te libera, in tuæ legis obſeruationem incumbente, geſsit. ſcimus ſcimus, quàm ſit verum, quod legimus. Non poterit homo iuſtus eſſe coram Deo: ſi voluerit cōtendere cum eo, non poterit reſpondere vnum pro mille. non nos iuſtificamus noſtra virtute coram te domine, vtcunque coram hominibus iuſti videamur: ſed quod nos iuſtificat coram te, eſt tua iuſtitia, quam in filiis tuis vides, tua dona, quæ in nos contuliſti. accedit tua benignitas, qua vinces, dum iudicaueris. Quid dicam de filio tuo vnico domino noſtro IESV Chriſto, omnium vtique piorum ſub hoc onere corruptibilis carnis, & in hac vitæ infirmitate gementium vna ſpe? ſanè quidem, cùm talem mediatorem habeamus, qui ſit exoratio pro peccatis noſtris, cum fiducia audebimus accedere ad

Pſal.130. *Iob 4.* *Iob 15.* *Ita exponitur ab Auguſt. & Hieron.* *Pſal.130.* *Vide Oecum. ſuper Paul.* *1.Corint.3.* *Iob 9.* *Pſal.50.* *Augu. ad Boniſac. III.c.6.*

thronum non minùs gratiæ, quàm iuſtitiæ. atqui certè, Caluine, vt ad te reuertar, ſancti quando ſpem ſuam collocant in Dei clementia, & in Chriſti vulneribus, vt facit Bernardus: quando ſua merita obliti Chriſti dona amplectuntur, vt facit Auguſtinus: quando in verbo domini, in promiſsione & iuramento ipſius, non in operibus noſtris fixos habere oculos videntur: ſicut idem pater Auguſtinus facit: quando denique totam fiduciam noſtram apud Deum reponunt, non eò hæc dicunt, quò mendacij illum arguant, qui dixit, Referet vnuſquiſque in corpore ſuo, prout geſsit. & qui dixit, Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta. ſed vt oſtenderent, totam fiduciam noſtram in Chriſto collocatum iri, quòd obedientiam Deo ſimus præſtituri, quòd ſoluendo erimus, cùm à nobis repoſcet iuſtitiam, quam, vt negotiaremur, dedit, quòd opera digna Deo & regno ipſius ſcimus habituri, cùm venerit orbem iudicare, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. & (vt vno verbo multa comprehendam) inde iure & merito tota noſtri fiducia pendet, vnde iuſtitiæ rationem noſtra omnia induunt. Hæc eſt Dei noſtra bonitas immenſa, & Chriſti redemptio copioſa. I tu, & quantum voles, oblatra, nihil laudis & iuſtitiæ operibus ex fide, ac merito Chriſti, & ex Dei ſpiritu factis tribui poſſe, quod non de vtriuſque gloria decidat. Verùm de operum merito paulò pòſt conſtabit, atque de fiducia non inani, ſed quam, dum viuimus, in hac mortali vita ſcripturæ ſanctæ noſtris concedunt.

Bernar. ſuper cantic. ſerm. 61. & ſuper Qui habitat, ſerm. 15. Auguſt. pſal. 88. tract. priori. 1. Corint. 5. Ioan. 6.

Cum Dei fauore meditari poſſumus noſtram iuſtificationem, ac bonis operibus ex fide factis ad ipſam cum ipſius auxilio præparari: & iſtorum error coarguitur aſſerentium omnia opera ante ſanctificationem noſtram peccata eſſe. CAP. LXII.

Quarta ratio Caluini contra noſtras præparationes. Sect. 28. & 29.

ARgumentatur quartò præcipuè Caluinus, quò probet, nullam omnino rationem habendam eſſe noſtrorum operum pro noſtra iuſtificatione acquirenda. idque facilè ſe aſſecuturum ſperat, ſi perſuadeat, ea omnia, etiam quæ ſpeciem virtutis & obedientiæ præſeferre videntur, execranda eſſe coram Deo, immunda, impu-

ra,ac demum peccata,donec acceſſerit regeneratio. tantum abeſt,vt ipſis coram Deo præparemur, aut diſponamur. Si autem ab eo quæras,qua ratione,quáve ſcriptura ſic ſentire cogatur,cũ videatur tota reclamare, & ſancti vnà contradicant:tunc ipſe mille ſcripturæ locorum in promptu habet,beatiſsimi Auguſtini teſtimonia plura profert,ac demum rationibus validis ſe armat. Nos hunc curſum poſt eum tenebimus. *In primis*, inquit, *quando naturalibus dotibus cenſendi ſunt, à vertice capitis ad plantam vſque pedis ſcintilla boni non reperietur. niſi fortè volumus inſimulare falſi ſcripturam, dum hiſce elogiis vniuerſos filios Adam commendat. Quòd prauo ſint,& præfracto corde,quod omne figmentum cordis eorum malum ſit*: precor Caluine, vt parcas chartis, labori, atque tempori:iam enim aliàs eadem teſtimonia tu obiecisti, & nos retudimus. accedit etiam,quòd nos non contemplamur ipſos peccatores cum naturalibus dotibus tantùm, quæ ſolent eſſe aliquando non mediocriter bonæ, ſed cum dotibus fidei & cæleſtis reuelationis, cum naturæ luce, quæ demonſtrat (vt ait Hieronymus)hoc bonum,illud verò malum eſſe cum diuino fauore, cum externis etiam ſæpe præſidiis:cum his bonis ac dotibus conſideramus peccatorem ad ſuam iuſtitiam toto pectore incumbentem. Sed iam alter error peior priore ſe hic retegit. non enim regeneratos fuiſſe credis neque fideles,immo neque fidem eos habuiſſe æſtimas,quam amittere potuerunt, aut quæ otioſa eſſe poſſet. ſed de hoc pòſt dicetur. iam diffinitiuè pronuntias, *Conſtituimus ergo extra dubium, quod vulgatiſſimum eſſe debet mediocriter in ſcripturis exercitato: quæ vel ſummo ſplendore conſpicua ſunt opera in hominibus nondum verè ſanctificatis,tam procul abeſſe à iuſtitia coram domino,vt peccata cenſeantur*: ſciunt mediocriter exercitati in ſcripturis,nec ignorant, Caluine, eiuſmodi opera æternæ vitæ meritoria non eſſe,vtpote quæ gratiam non habeant: at omnibus eſt perſpicuum & clarum, non modò ea non cenſeri peccata, verùm etiam mirum in modum nos eis coram Deo ad iuſtitiã præparari. ſicut annotarunt Auguſtinus, Ambroſius, Bernardus, Hilarius. Peccata ergo eſſe, quibus Deus redditur placatus, quibus noſtram ſalutem dicimur operari, quibus peccata noſtra

Ierem.17. Geneſ.8. Pſal.94. Geneſ.6. Galat.5.

Hier.ſuper Paul.ad Gal.3.ſect.30.

Quatenus peccatoris opera bona, mortua dicantur.

Aug.li.4. contra Iul. Idem lib.ad Bonif. III. c.5. Idẽ præf.in Pſal.31. Ambr. li. 2. de vocatione gẽtiũ. cap.2. Bernard.in canti.ſerm. 14.& 55. & 181. Hilarius in Pſal.192.

redimuntur, quibus ſcelera dealbantur, vt nix, profectò vos eſtis primi, qui hoc tam ſanctum theorema, vt vocatis, in orbem inuexiſtis. peream ego, ſi vel naturæ lumine id erroneum eſſe non conſtet. ſi attractus atque allectus tuis beneficiis in me collatis, Caluine, quem offendi grauiter, amicitiam noſtram meo ſcelere extinctã reſarcire ego moliar, quis non laudet? quis vituperet? quis flagitium & ſcelus nominet? Sic vocas ad pœnitentiam? ſic legatione fungẽs pro Chriſto exhortaris nos, vt Deo reconciliemur? ſic prædicas pœnitentiam, vt peccata remittantur? grauiora hæc ſunt certè, Caluine, & duriora, quã quæ pius animus ſuſtinere queat. an credit, ſi id omnibus tam conſtitutum foret, quàm ipſe fingis, ſic cuncti admirentur mediocriter erat in ſcripturis exercitatus diuus ille Hieronymus, qui pulchra allegoria vſus, peccatores omnes exhortatur, vt quàm diu eiectos à Dei gratia ſe ſentiunt, non otio torpẽtes ſalutem penitus deſperent, ſed domos ædificent, hortos plantent, vineas colant, vxores ducant, donec ad iuſtitiam perueniant. Num iſta cum tuo theoremate concordant, *Opera nondum ſanctificatorum, peccata coram Deo cenſentur?* mediocriter exercitatus in ſcripturis ſanctis erat, qui de operibus peccatorum dicebat, Melius quippe confligitur cum vitiis, quàm cũ ſine vlla conflictione dominẽtur. niſi velis dicere (vt ſoles) per abuſum fuiſſe locutum Auguſtinum. mediocriter exercitatus erat in ſcripturis ſanctis diuus Hilarius, qui etſi remiſsionem peccatorum diuinæ gratiæ acceptam refert, multum tamen valere ibi pœnitentis clamorem, & exultationem linguæ dicit. mediocriter erat exercitatus in ſcripturis ſanctis, qui rem præclaram æſtimabat euangelizare pœnitentiam, & animare peccatores ad virtutum opera. Et tempus, & vita priùs nõ deficient, quàm ſanctorum & quidem mirè exercitatorum teſtimonia in hanc hæreſim reuinciendam ego recenſere poſsim: ſed mihi benignitatis tuæ & patientiæ, lector Chriſtiane, habenda eſt ratio. iam probet Caluinus, quod conſtitutiſsimũ eſſe dicit. *Religioſè eſt obſeruandus hic ordo, ad quem ſcriptura nos manuducit. Reſpexiſſe dominum ad Abel, & ad munera eius, ſcribit Moſes:* ſi hic ordo obſeruandus eſt religioſè, Caluine, quod & nos cupimus, quare

Hier. ſuper Ierem. c. 29.

Augu. de ciuita. Dei li. 22. c. 15.

Hilarius in pſal. 192.

Ambroſ.

quare ille alius non ſeruabitur ſimiliter vbi dicitur, Diſſimulans propter pœnitentiam peccata eorum? quod ſi ſic, non tam temerè crederes, neque tam leui coniectura penderes, ac diceres, pœnitentiam non præcedere, ſed ſequi peccatorum remiſsionem. Verùm reuertamur ad Abel: nam, vt ſpero, iuſtus ille in cauſſa erit, quòd hodie triumphemus de te pro iuſtis. *Vides, vt dominum propitium deſignet, antè, quàm ad eorum opera reſpiciat? Quare purificationem cordis præcedere oportet, vt quæ à nobis prodeunt opera, benignè à Deo excipiantur*: vt alia diſsimulemus, iam tu nobis conuictus iſto teſtimonio dis, reſpicere Deum opera iuſtorum, eique placere. inde ego inferam, ſi grata Deo ſunt, ergo iuſta: Deo ſiquidem noſtro nihil, niſi iuſtitia & puritas, placere poteſt. Vides, te, etſi nolẽtem, cauſſæ iuſtorum dexteram porrexiſſe? quid mirum? Clamabat ſanguis Abel iuſti aduerſum te. neque volumus negare, oportere priùs gratam eſſe perſonam, vt, quæ ab ea proficiſcuntur, digna ſint, aut maioris gratiæ apud Deum, aut æterni præmij. diximus ſæpe gratis nos iuſtificari, addentes ſuo adminiculo ad tantum donum & noſtra libertate præparari. Sed iam res ipſa nos vocat, vt ad vltimum argumentum elidendum, quod contra fidem veterem, & contra patres, ad præparationes has omnino euertendas comminiſcitur, & animum & calamum applicemus. hoc certè argumentum totam rationem pugnæ inter catholicam eccleſiam, & nouos iſtos euangeliſtas continet. *Malach. vlt.*

Placida illa quies, & ſerena tranquillitas conſcientiæ, atque particularis illa certitudo remiſsionis peccatorum, quam iſti iactant, non vacat præſumptione, & in ſcripturis ſanctis nullum locum habet.

CAP. LXIIII.

OMnia verſat Caluinus, omnem lapidem mouet, cũcta euertit, omnia tentat, ſi quo pacto opera, etiam quæ ex fide Chriſti fiunt, à iuſtitia noſtra omnino ablegeт. primo loco (vt vidiſti Chriſtiane lector) à ſufficientia fidei bellum nobiſcum iniuit: cúmque intelligeret nullo labore noſtro poſſe hàc capi, quòd facile eſſet fidẽ cum pœnitentia componere, ſicut nos Deo auctore fecimus, alteras copias contra noſtras præparationes adiun- *Quinta ratio Caluini.*

xit, Remiſsionem nimirum peccatorum, & interceſsionem, atque iuſtitiam Chriſti. quòd illa eſſet tota ratio iuſtificationis, & quòd huic fieret iniuria, ſi aut opera noſtra ſibi adderentur, aut extra illam vlla alia exiſteret iuſtitia. verùm non deſiuit & hîc conſiderare prouidus imperator, poſſe citra multos ſudores præparationes noſtras, atque iuſtitiã & cum remiſsione, & cũ iuſtitia Chriſti per nos componi: vt ſi diceremus præire opera ex fide, vt ſequatur Dei gratia, ac ſimul iuſtitiam noſtrã acceptam ferremus ei, quæ eſt in Chriſto perfectiſsimo redẽptore noſtro. Quare tertias adiecit, nempe diuini tribunalis rigorem & ſeueritatem: viſúſque ſibi eſt. loca acceſſu difficilia nactus fuiſſe, quò noſtrorum operum copias non poſſe appropinquare crederet. ſed coniectans, & illò poſſe opera noſtra Dei gratia ſubleuata, & Chriſti ſanguine corroborata contendere, maximè ſi altiſsimus ipſe ac potentiſsimus iudex de rigore ſuo aliquid remittere ſe velle dicat, & nobiſcum gratis agere, ad maledicendum ſuis hoſtibus ſeſe totum dedit, vocans opera noſtra, impura, immunda, & peccata. nam quomodo præparationes eſſent ad iuſtitiam, ſi cum puritate & munditie pugnare ſemel æſtimarentur? Sed & ab hac ſtatione eſt reuulſus, quòd conſtiterit eas bonas eſſe, quippe quas iuſtificatio ſequitur, & quas ſcripturæ omnes commendãt, & ad quas ſancti nos adhortantur. Quamobrem vltimo loco poſtremas auxiliares copias producturus eſt, nempe placidam quietem, ac ſerenam tranquillitatem, atque particularem certitudinem remiſsionis peccatorum. quæ omnia corruant, neceſſe eſt, ſi ſemel locum ſuum in iuſtificatione noſtra ipſa opera tenuerint. Sed ipſe loquatur, *Atque omnino quidem duo hic præcipuè ſpectanda ſunt, vt domino illibata conſtet, ac veluti ſarta tecta, ſua gloria: conſcientiis verò noſtris coram ipſius iudicio, placida quies, ac ſerena tranquillitas. Iam ſi quærimus, qua ratione ſerenari queat coram Deo conſcientia, non aliam reperiemus, quã ſi gratuita nobis iuſtitia, Dei dono conferatur.* atque idem in epiſtola ad regem, *Ferre non poſſunt integram omnis boni, virtutis, iuſtitiæ, ſapientiæ laudem, ac gloriam apud Deum reſidere. At non legimus reprehenſos, qui nimium è fonte aqua viuæ hauſerint: contrà grauiter obiurgantur, qui foderunt ſibi pu-*

Caluin. in epiſt.

teos, puteos contritos, & qui continere aquam non valent. Rurſum quid fidei conuenientius, quàm Deum ſibi polliceri propitium patrem, vbi Chriſtus frater ac propitiator agnoſcitur? quàm omnia læta ac proſpera ſecurè ab eo expectare, cuius inenarrabilis erga nos dilectio eò progreſſa eſt, vt proprio filio non pepercerit, quin pro nobis ipſum traderet? quàm in certa expectatione ſalutis & vitæ æternæ acquieſcere, vbi Chriſtus à patre datus cogitatur, in quo tales theſauri ſunt abſconditi? Hic nobis manum iniiciunt, & illam fiduciæ certitudinem arrogantiæ & præſumptione non carere clamant. At vt nihil de nobis, ita omnia de Deo præſumenda ſunt. nec alia ratione vana gloria ſpoliamur, niſi vt in domino diſcamus gloriari. Quid vltrà? percurre ô fortiſſime rex omnes noſtræ cauſſæ partes, & quouis ſceleratorum hominum genere nequiores nos exiſtima, niſi planè comperias, in hoc nos laborare, & probris affici, quia ſpem reponimus in Deo viuo: quia hanc credimus eſſe vitam æternam, noſſe vnum verum Deum, & quem ille miſit IESVM *Chriſtum.* vt tamen oſtendam placidam iſtam quietem & ſerenam tranquillitatem, quam in hac vita tot bellis implicata iſti iactant, temeritate non vacare, atque eſſe & ab ſcripturis & à ſanctis procul poſitam, res mihi altè & longè, atque ab vltimo, vt dici ſolet, initio repetenda eſt, iſtiúſque erroris principia nobis ſunt aperienda. Hac in parte (ſic enim mihi exordiri hinc commodiùs viſus ſum) ſunt quædã, quæ nobiſcum Lutherana, Melanchthoniana, & Caluiniana ſchola communia habet. ſunt rurſum, in quibus vnanimiter à nobis diſcrepant & diſcordant. denique in pluribus ipſi ſibi non conſtant, neque ipſorum conuentibus ſatis conuenit, & in quibus ſunt impiorum ſectæ nimiùm diuulſæ, diſcordes, & laceratæ. Quæ illi nobiſcum communia habent, hæc ſunt, fides iuſtificationem noſtrã neceſſariò intrat: item abſque hac fide nullis operibus pœnitentiæ iuſtificatio noſtra haberi poteſt. in hoc iſti non ſibi ſatis cohærent, ſcilicet, quòd Bucerus & Philippus poſt Auguſtanam confeſsionem non credunt ſine præcedenti pœnitentia ſola fide nos iuſtificari, cuius oppoſitum veram fidem Caluinus autumat. Omnes iſti in hoc à nobis diſſentiunt, quòd vno conſenſu docent, fide ſola in poſſeſsionem hæreditatis æternæ nos mitti: atque ea eſt non fides vnius propitiatoris nobis propoſiti ſo-

lūm,ſed ea etiam,qua certò quaſi ex verbo Dei agnoſcimus & credimum Deum,nobis propitiū reconciliatione per Chriſtum facta,non in genere tantùm,ſed quæ mihi ipſi ſumma fidei certitudine omnem ſecuritatem pariat. in hac fide noſtræ vniuerſæ iuſtificationis nō modò initium,ſed totam rationem collocant. hæc eſt demum fides,quæ,vniuerſa Chriſti eccleſia reclamāte,diuinis ſcripturis occurrit,atque obſiſtit. tantum abeſt,vt,locum in illis habeat. Non verebor rei iſtius demonſtrandæ, altiùs,vti dixi,initium repetere, omnémque aduerſariorū ſtructuram à principiis imis indicare. complectemur rem totam aſſertionibus ſeptem abſolutam: è quibus ſex,quid non ſit fides iſta,declarant,ſeptima verò & vltima,quæ ea ſit,oſtendit. in quibus omnibus perluſtrandis ab inſtitutione Caluiniana tranſuerſum,vt aiunt, vnguem non diſcedemus. Quòd ſi ſuperiore toto noſtro ſermone perattentos piorum animos habuimus, ídque nobis admodum gratum fuit,multò ſanè gratius erit, ſi reliqua volent attendere.

Proponuntur aſſertiones Caluini ſex,quæ catholicè confutantur.

Eſt quidem Chriſtiana conſideratione,& animo verè catholico digniſsimum,in audiendo,diligentiam non minùs religioni (de qua nunc potiſsimū agimus) & pietati tribuere,quàm voluptati. mihi autem ſummæ curæ erit nullius benignitate & attētione abuti. ſit igitur prima Caluini aſſertio, *Hæc fides,quæ nos ſecuros reddit iuſtitiæ noſtræ,non eſt opinio quæuis,aut perſuaſio quælibet, non vulgaris euangelicæ hiſtoriæ ſenſus:* quis orthodoxorum fidem euangelicam,opinionem eſſe vnquam diffiniuit? quidā ſic ait, Fides eſt animi quædam certitudo de rebus abſentibus ſupra opinionem & infra ſciētiam,quantū ad euidentiā, nō firmitatem,conſtituta. item alius, Nihil conſtantius tenemus,quàm quod fide tenemus. & Paulus Theſſalonicenſes laudat,quod verbum Dei accepiſſent,non vt verbum hominum,ſed (vt eſt verè) tanquam Dei verbum. vnde alius ex catholicis auctoribus dicebat, Opinio, aut humana fides homini nititur: hæc verò,quæ diuina eſt,ſolius diuini verbi veracitate fulcitur. & tandem alius nō reputat Chriſtianam fidem etiā eam,qua ſic fidei noſtræ articulos credimus,quòd paſsim Chriſtiani homines eis aſſentiantur: non quòd peccatum ſit,ſic credere, quando

Prima Caluini aſſertio.
Confutatio aſſertionis.
Ricard à ſancto Victo.l.1.c.2.
Aug.li.8. de trin.c.5.
1.Theſſa.2.
S.Thom.2.2.q.4.arti. 8.
Ruard. Tapper. tom.2.

aduertere non iubemur, quod de eiſdem Dei verbum ſit: immo vt plurimũ benefacit, qui optimè affectus ad multitudinem fidelium firmiter cõſentit his, quæ fidei ſunt, perſuaſum habens apud ſe, falſum eſſe non poſſe, quod tanta communitas tam conſtanter retinet, & concordiſſimè obſeruat. at quàm diu non aſſentimur eis, quaſi ex Dei verbo, aut ex ſcriptura nobis notis, aut certè per vniuerſalem eccleſiam, tanquam Dei verbum, nobis propoſitis, Deo corda noſtra mouente, non habebitur nobis eius fidei actus, quam commendant ſcripturæ. ex quo fit, fidei huius aſſenſu, citra ſpecialem illuminationem, credere me non poſſe peccata remiſſa mihi eſſe, quantũuis mihi verè condonata ſint. ſemper ſiquidem error erit, ſeclu ſa omni aſpiratione, huic veritati tanta certitudine, ſicut Dei verbo, hærere. Idem dixerim de actibus ſpei & caritatis, qui, vt ſint Chriſtiani hominis, ſub formali obiecto ſuo exerceri debent, ſpes ſub gratiæ conſideratione, & liberalitatis, ac diuini fauoris ad obtinendam æternam felicitatem, vel aliud quodpiam ſpiritale donũ: caritatis verò actus ſub diuina bonitate, in quam, vt in finem nobis præfixum, cuncta referenda ſunt. quare rariſsimi ſunt huiuſmodi actus, & Chriſtiano homini non paſsim obuii. Laudatur Abraham, quòd contra ſpẽ crediderit. laudantur fideles, quòd ſenſus ſuos ſic Chriſti obſequio ſubmittant. caritatis etiam amplitudinem poſt tot ſcripturas quis ignorat? hæc, vt me ipſum abnegem, in cauſſa eſt, & quòd iam præter Chriſtum, nihil quæram: hæc meorum ſcelerum multitudinem cooperit. eleuant maximopere eiuſmodi actus, & attollunt craſsitudinem noſtram ſupra ſe ipſam, quamuis fidei & ſpei veri actus, & in ſuo genere perfecti in peccatore reperiantur: caritatis verò minimè, quæ cùm ſemel regnat, omnia mox peccata abſumit. *Rom. 4.* *Secũda aſſertio Caluini.* *Confutatio aſſertionis.*

VENIAMVS iam ad ſecũdam aſſertionem, quæ hæc eſt, *Ad hanc fidem ſecuritatis plenam dignoſcendam nihil facit illa antiqua diſtinctio in formatam, & informem, quæ ſcripturis aduerſatur. nã fides timore Dei, & pietate vacua, fidei ſublime nomen in ſcripturis non audit*: at diſtinctione hac, quam hìc ſubſannas, Auguſtinus tuus & meus vſus eſt aliquando, vt componeret Paulum cum Iacobo: eámque nõ pri- *Aug. libr. 15. de tri i. c. 18.* *Aug de fide & operibus. c. 14.*

Mag.d.25. 3.ſent. mus Petrus Lombardus (cui tu iniuria pertinacites es infenſus) in orbem inuexit , ſed iuxta verborum formam à Mediolanenſi Ambroſio mutuatus eſt . & certè hæc vna diſtinctio eſt , quæ nos facilè expedire poſsit ab illa tua immenſa teſtimoniorum congerie,qua fide ſola iuſtos nos eſſe ſemper latras , vt ſcilicet cum diuo Bernardo ea omnia de fide, quam caritas informat, & quæ per dilectionem operatur, (vt Paulus dicebat)dicta accipiantur,

Augu. de ſpir. & lit. c.32. Bernard.de miro Dei ſopore ſerm. 66.in paruis ſuper pſal.13. Luxit inſipiens &c.

V ERVM agedum accedamus ad reliquas tuas aſſertiones, quò propiùs nos ipſos noſtræ cauſſæ accommodemus: *Vnica eſt cum Paulo piorum fides,duæ tamen fidei formæ,dum oſtendere volumus , qualis in impiis ſit Dei notitia.* huic affinis eſt aſſertio quarta,quæ ſic habet, *Tantùm credere euangelicam hiſtoriam veram,Deum eſſe,neque pro Dei habere oraculo,quæ ibidem audiuntur & leguntur:etſi prorſus diuina non negligunt præcepta, minis ac promiſsionibus vtcunque cõmoti,non eſt adhuc vera in eis fides ac perfecta,neque fidem habere dicuntur,ſed ſolùm per abuſum , vt qui Dei verbum manifeſta impietate non impugnant . ſed magis hæc fides vmbra illius & imago eſt indigna tanti nominis appellatione,poſtquam à fide vera longè abeſt.* hinc dimanat quinta, *Credidit Simon magus Actor.octauo.idem ad tempus quidam in ſcriptura crediſſe referuntur,qui tamen omnes ad veram fidem non accedebant.* denique ſexta aſſertione,quid non ſit fides hæc Chriſtiana, ſic docet: *Hæc aſſenſio,quæ per abuſum in peccatoribus fides dicitur,ad cor minimè penetrat,vt illic fixa reſideat. Huius radices licèt appareant,viuæ tamen illæ non ſunt. Tot vanitatis receſſibus,Tot mendacij latebris cor humanum ſcaturit,tam fraudulẽti hypocriſi obiectum eſt,vt ſe ipſum ſæpe fallat.*

Tertia Caluini aſſertio. Quarta Caluini aſſertio. Quinta Caluini aſſertio. Sexta Caluini aſſertio.

Confutatio harum aſſertionum.

V NIVERSA ſcripturæ loca,quæ à peccatoribus fidem non adimunt,ſed eam verã illis reliquam faciunt,ſic vno iſto tuo gloſſemate corrũpes? ea omnia per abuſum locuta largiſsimè & abſolutiſsimè interpretaberis?fidem vocabat Paulus,qui non per abuſum loquebatur, quãdo à caritate ſeparatam eam contemplatus dicebat , Si habuero omnem fidem,& non caritatem, nihil ſum. alibi etiam,fidem,quæ per dilectionem operatur, quò eam ab otioſa fide diſtinguat , magnopere exaltat . magnus etiam Auguſtinus dicere ſolebat,Sine caritate fides eſſe

1.Corint. 3. Galat.5. Augu.lib. 15.de trini. c.18. Idem tractatu 10.in Ioan.

poteſt, non prodeſſe. & rurſum, Cum dilectione fides Chriſtiana eſt, ſine dilectione fides dæmonis. Vt igitur perfectiſsima ſit fides, nihil ſibi deeſt, vt ex fide dæmonis fiat Chriſti fides, niſi vt accedat dilectio. quare doctiſsimè obſeruat doctor ſanctus, eũdem eſſe numero actum informatæ fidei, atque informis. Multa lubens hîc prætereo, quoniam aliò me res vocat: vnum tamen non iam mihi tacere licet, nec præteriſſe integrum eſt, quòd profectò, iſta omnia antiqui illius nidoris fumum exhalant, quo liberam noſtram facultatem turpibus flammis tradere, ac perdere molimini. Sed hac de re ſatis.

S. Tho. 2. 2 q. 4. art. 3. & 4. Idem 22. q. 6. artic. 2.

IAM expecto auditurus libenter, quæ ſit illius Chriſtianæ fidei tantopere abs te commendatæ Paulina ſcilicet, aut Auguſtiniana noua quædam diffinitio. dicis primum omniũ, quòd fides correlatiuè ſe habet ad Dei verbum: & in hoc verum dicis, niſi quòd id Dei verbum appellas ſolùm, quod ſcriptum legis, cùm tamen multa nos teneamus, (vt aliàs copioſiùs docebimus) &, tanquã Dei verbum, ſuſcipiamus, quæ per ſponſam ſuam eccleſiam nobis loquitur. addis præterea, quòd fides iſta ſpecioſa & pulchra, per quam Deo iuſtificamur, illa, inquã, vera, ſolida & Chriſtiana voluntatem diuinam, infinitámque Dei erga nos miſericordiam, tantùm, vt ſcopum atque obiectum ſibi omnino adæquatum, reſpicit, non terrores, atque minas: cuius miſericordiæ conſideratione ad Deum quærendum & amandum allicimur, conſiderantes totum noſtrum bonum in eo ſitum eſſe. in hac gratiæ promiſsione, & bona Dei voluntate reclinat, ac tranquillum quieſcit cor noſtrum. Ecce ergo tota Caluini coagmentatio, quæ breui compendio ſic terminari poteſt, Fides eſt diuinæ beneuolẽtiæ firma certáq; cognitio, quę gratuitę in Chriſto promiſsionis veritate firmata, per ſpiritum ſanctum & noſtris mentibus reuelatur, & cordibus obſignatur. Procedamus paulatim, ne nos ingens hæc moles exterat: diſcutiamus ſingula: fortè iſte non tam glorioſè de Chriſti eccleſia triumphabit, quàm ſuis hominibus ſemper eſt viſus. Principiò veram fidem catholicã, & quæ non ſit fides, per abuſum nõ tu ipſe vis, vt correlatiuè ad Dei verbum ſe habeat, ſed ad hanc ſpecialem tantùm partem, quæ de Dei clementia eſt? quo-

Septima propoſitio Caluini ſanctarum ſcripturarum teſtimonijs eliditur.

Caluini ratiocinatio.

Minæ & terrores partes ſunt fidei noſtræ, & verbi Dei. tus quiſque ante te id cogitare, ne dicã affirmare, auſus fuerit, ipſe videris. nã, quòd voces illas ſcripturæ ſanctæ, Ecce vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra: item, Eris profugus: item, Delebo hominem, quem formaueram: item, Morte morièris: & infinitas, non quidem fidem ſtabilire, ſed potiùs quatefacere aſſeris, non mediocris eſt blaſphemia in Dei noſtri iuſtitiam, ac diuinarum ſcripturarum maieſtatẽ. In euangelio Chriſti, inquit Paulus, vtrunq; reuelatur ſimul & miſericordia Dei in omnem hominem facientem bonum, & ſimul ira & indignatio in eos, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Quis non grauiter & moleſtè ferat, cùm audiuerit, non vniuerſam euangelij hiſtoriam ab ſpiritu dictatam, per homines ſanctiſsimos, Deíque plenos prolatam, ad Chriſtianam fidem pertinere, & facere? loquatur ille, quidquid volet, nos verò vnam fidem ſimpliſsimam ad omnia, quæ Dei verbo comprehenduntur, agnoſcimus, haud ſecus, quàm baptiſmum vnum, mediatorémque vnum valde aſſeueranter affirmamus. ſiue cõminetur ſcriptura, ſiue promittat, ſiue prohibeat, ſiue narret, ſiue etiam præcipiat, Dei verbum eſt, ac proinde catholicæ fidei ex æquo obiectum. qua enim fide in amorem Dei prouocamur, eadem in odium peccati, in pœnæ timorem, in præmij ſpem & fiduciam, & nonnunquã in pudorem & ad pænitententiam excitamur. cuius ſanè quidem rei manifeſtiora ſunt & frequentiora in diuinis ſcripturis exempla, quàm quæ aut ipſe enumerare hîc queam, aut lectoribus legere libeat. Interim legatur Bernardus de miro Dei ſapore, dum illud pſalmi, Dixit inſipiens in corde ſuo, mirabiliter interpretatur. Ad hæc, rogo te per Deum immortalem Caluine, nónne affectus iſte ex Chriſtiana tua fide natus, certáque fiducia, quòd nobis propitius ſit, magis ex amore proprij commodi profectus, quàm ex Dei deſiderio tibi videbitur? quare qui in hac conſideratione quieſcit, in ſe ipſo vltimo amato, non in Deo, vt in ſe bono quieſcit. ô quantò melius ille, qui dicebat, Inquietum eſt cor noſtrum, donec in te domine requieſcat. non ergo Dei gloriæ, (quam iactans quotidie ſemper & vbique volitas) ſed proprio amore tangeris.

Geneſ. 5. *Ibidem.* *Geneſ.* 2. *Rom.* 1. *Epheſ.* 4. *D. Bernar.* *Aug.* 1. *li. conf. c.* 2.

Inanis iſta fiducia, inſanáque confidentia adhuc retunditur ſcripturis, & ſanctorum teſtimoniis.

CAP. LXIIII.

PErgit iſte inanem illam ſuam fiduciam, inſanámque confidentiam magis retegere, atque explicare. *Multi ſecum cogitant magnam eſſe quidem Dei clementiã effuſam in multos, obuiam omnibus & paratam, ſed incertum eſſe, an ad ſe quoque peruentura ſit, vel potiùs an ipſi ſint ad eam peruenturi:* hęc porrò cogitatio eos omnes, qui cum verę fidei ſigno nos præceſſerunt, quantumuis de diuina miſericordia firmiſsimè ſperarent, ſolicitos ſæpe reddebat. Sed non diſcedo a Caluino. *Hæc,* ait, *conſideratio dimidiata eſt, & imperfecta longè ab ea diſtans, quæ & in ſcriptura laudatur, & nos extra omnem aleam dubiam ponit. Fieri quippe nequit, ea fides regnet in nobis, & non ſimul incredibilẽ ſuauitatem verè ſentiamus, & in nobis ipſis pluſquam experiamur. Vnde apoſtolus ex fide deducit fiduciam, cùm dicit, per Chriſtum nos habere audaciam & aditum in fiducia, quæ eſt per fidem illius. Et hinc eſt profectum, quòd diuinæ ſcripturæ ſæpe pro fide fiduciam vſurpant. Fatemur tamen longè aliter aliquando euenire Chriſti fidelibus, qui non modò ſæpe inquietudine tentantur, ſed grauiſſimis etiam terroribus interdum quateſiant, non quòd fides in ipſis certa non ſit, quamuis nonnulla tangi poſſit dubitatione, quemadmodum ſecura eſſe non deſinit quòd aliquantula inquietudine nonnunquam ſolicitatur: qualecunque tamen in mediũ fideles affligentur, ab illa tamen decidere, ac deſciſcere poſſe negamus. Deinde à carnis corruptione eſt ſenſus calamitatis, propriæ iniquitatis teſtimonium, mortis meditatio, Dei irati indignantis conſideratio: quæ quidem omnia fidem noſtram quatefaciunt, non ſtabiliunt. Vt ergo rem hanc certa ſumma comprehendamus, certa fide tenendum eſt, vbi primùm vel minima fidei gutta mentibus noſtris inſtillata eſt, iam faciem Dei placidam & ſerenam nobiſque propitiam contemplari incipimus. Ergo quòd iam ſuperiùs dictum eſt, iterum aſſerimus, ſæpiſſiméque aſſeremus, fidei radicem nunquam è pio pectore auelli, quin ima in parte defixa hereat, vtcunque concuſſa huc atque illuc inclinare videatur, eius lumen nunquam ita extingui, ac præfocari, quin ſaltem, velut fauilla, deliteſcat.* Quo ordine malè iſti ædificant, eodem turrim, verè Babylonicam, in Dei blaſphemiam conſtructam, bellicis inſtrumentis diuinæ ſcilicet ſcriptu-

Nihil fide certius. ræ proſternere me debere ſatis intelligo. primùm, vt hinc exordiamur, nihil certius, quàm quod fide tenemus. An id negare audebis? plena eſt hac noſtra aſſertione tota diuina pagina: nihil frequentius in Auguſtini ore. Ricardus etiam à ſancto Victore, innumeríque alij, viri ingenio, litteris, doctrináque præſtantes, ex multis diuinarum ſcripturarum locis (præterquam quòd vel ipſa ratio nominis ad id probandum ſufficeret) copioſiſsimè colligunt.

Quid ſit fides. Est fides igitur (quamuis huc atque illuc tergiuerſetur Caluinus) firmitas intellectus noſtri, non excludendo bonam voluntatem Dei gratia paratam, (vt dicebat Auguſtinus) quæ ne minimùm quidem ſermonis Dei limites prætergreditur. hoc ſit primum. Deinde eſt obſeruandum, quòd quàm diu mihi non conſtat, aliunde mea peccata eſſe remiſſa, aut in Dei gratia me perſeueraturũ, fides hęc, in genere promittit credentibus, & perſeuerantibus, nunquam ea mihi ſpeciatim tribuet. ex quo colligo tertium, temerarium eſſe, hæc omnia fidei certitudine mihi promittere, quamuis ſpe certa firma, ea ipſa *Certitudo fidei à ſpei certitudine quãtũ differat.* me aſſecuturum ſperem. ſpes enim, quemadmodum à maioribus ſæpe accepimus, ad indiuiduum & ſingulare applicat, quod per fidem omnibus generaliter, ſub conditione certa per diuinos auctores expreſſa, proponitur, atque promittitur. alia ſiquidem ratio certitudinis in fide eſt, & alia in ſpe. quæ enim fidei firmitas eſt, deficere non magis poteſt, quàm Dei verbum in æternum manens, quo & ipſa nititur: quæ verò certitudo ſpei conuenit, etſi actum ipſum certum efficit, non tamen ita fore, quemadmodum ſperamus, ſtabili fimitate conſtituit. dicam clariùs: quod fide creditur (quoniam id à Deo ſolo pendet abſque vlla conditione, quæ noſtram operationem contingentem ſpectet) ſecus euenire, ne cogitari quidem poteſt: vt quod bonum hoc beatitudinis nobis ſit poſsibile, quod nunquam (qua Deus eſt benignitate nobis fauor diuinus deerit, modò nos nobis ipſis non defuerimus. hæc, inquam, eſt fidei firmiſsima certitudo: ſpes verò habet admiſtam probabilem tantùm præſumptionem, & opinionem non de diuina miſericordia, quam ſcimus omnibus etiã peccatoribus (quid-

quid obloquatur Caluinus) paratiſsimam, ſed magis de iuſtitia, & ſalute noſtra, de pænitentia, de obſeruatione mandatorum, déque aliis operibus: de quibus certam tam verbi Dei cognitionem præter paucos, quibus ſuam ſalutem dominus prænuntiat, (vt Magdalenæ contigit, Paralitico etiam, Petro, Paulo, ceteríſque aliis) & certum fidei aſſenſum expreſſum ſcripturis nemo habet. Noli altum ſapere, dicebat Paulus, ſed time. Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non iuſtificatus ſum. qui autem iudicat me, dominus eſt. Datus eſt mihi ſpiritus ſatanæ, qui me colaphizet, ne magnitudo reuelationũ me extollat. alius dicebat, De propitiatu peccati, & de remiſſa culpa noli eſſe ſecurus, ſed time. rurſum alibi, Ne dicas item, Quàm potens ſum, quis me propter facinora mea perdomabit? dominus enim vindex iniuriam abs te illatam vlciſcetur. ne dicas, Poſtquam peccaui, quid mihi triſte accidit? dominus enim patiens quidem eſt, ſed impunè te non dimittet. ſuper data venia ne ſis ſecurus, vt peccata peccatis ampliùs accumules. nec dicas, Miſericordia Dei plurima eſt, copiæ peccatorum meorum ignoſcet. tam enim ira, quàm miſericordia feſtinat ab eo, & in ſceleroſos furor eius incumbet. quem ſcripturæ locum Hieronymiana ſcholia in noſtrũ propoſitum ſummopere illuſtrant. qua cum re concinit præclarum patientiſsimi Iob teſtimonium, humilíſque que & Deo grata confeſsio, Si ſimplex fuero, id ipſum ignorabit anima mea. ſi venerit ad me dominus, non intelligam, neque videbo eum. quam verè Chriſtianã ſententiam plurimo ſermone diuus Gregorius ibidem ornat. & vt teſtimoniis trium Caluini os obſtruamus, proferatur hîc Auguſtinus libro de correctione & gratia, ac de ciuitate Dei: quibus ſanè locis longè diuerſam eſſe fidei & ſpei rationem ſaluatoris noſtri verbis, & Pauli ſententiis (qui omnia, quæ fide credimus, non niſi impleta conditione, Si manſerimus, Si vicerimus, Si perſeuerauerimus, & id genus aliis nos aſſecuturos commonefaciunt) manifeſtè probat, & confirmat.

Luc.7. Luc.5. Luc.22. Act.9. Rom.11. 1 Cor.4. Ibidem. 2.Cor.12. Eccleſiaſt.3. Eccleſiaſt.5. Hier.in Eccleſiaſticũ.5. Greg. ſuper Iob cap. 9. Cap.13. Lib. 11.c.12

QVANDO ergo à me quæris Caluine, quid ego credam, niſi mihi per filium dimiſſa peccata, & Deum mihi placatum credidero: reſpondeo, Credo omnia, quæ Deus

per filium mihi pollicitus eſt,omnia , quæ per cæleſtem medicum mihi obtulit, omnia demum , ad quæ non noſtris meritis,ſed per filij crucem aſciti nos ſumus,omnia, inquàm,hęc habituros nos:eſt enim fidelis Deus,qui nec mentiri,nec ſibi non conſtare poteſt,cuius etiam dona ſine pænitentia ſunt:ſiquidem conditionem, quā frequenter & aſsiduè cæleſtis hic teſtator ſuo toto teſtamento inculcat,& ſub qua ſumus ab eo hæredes inſtituti , eam nos re ipſa præſtiterimus. Si vis, inquit, ad vitam ingredi, ſerua mandata. In hoc, Caluine, ſtatus cauſſæ noſtræ conſiſtit:in hoc ſolùm totius negotij cardo vertitur.nam præterquam quòd fidei Chriſtianæ nunquam conuenire poteſt, vt vacillet,quantumuis ſolicitetur,præter id quidē neceſſariò dicere habes (quod & affirmare non vereris) ab actuali fide poſſe neminem excidere . quæ aſſertio, quàm ſit catholica , vtróque theologo digna , Philippus Melanchthon iudex eſto. is enim innumeris ſcripturæ locis confirmat accidere ſæpe , vt qui in Dei gratia & fide ſit,ea amiſſa, in peccatum prolabatur . Si ſecundum carnem vixeritis,moriemini,dicebat Paulus.&,Sunt qui abiiciunt,& conturbant ſpiritum ſanctum. &, Nolite errare:quoniam neque ſcortatores , neque adulteri regnum Dei poſsidebunt. hæc autem cum fidelibus locutus,ſicut & illud,Fidem abnegauit,& eſt infideli deterior . Omitto ſingula teſtimonia percurrere , quæ aduerſum Caluinum Philippus Melanchthon malè in eum hac in parte affectus,congerit,ne nimiùm ab inſtituto recedamus.Eſt etiam & aliud,quod mihi hîc ex Caluino non probatur. obſcurè ſiquidem loquitur de hac ſua fide Chriſtiana. nā, vbi eam à non vera fide diſtinguit , ſic ait, *Aſſenſio, qua tantùm credimus , euangelicam hiſtoriam veram eſſe: item qua pro Dei oraculo habemus,quæ in ſcripturis leguntur,modò non accedat certa illa fiducia de diuina bonitate, ad cor minimè penetrat,vt illic fixa reſideat,cuius radices licèt appareant,viuæ tamen illæ non ſunt:* hîc iam te percunctor,Caluine:dicito, obſecro,tu mihi,qua igitur nota fides hæc ab illa diſcreta dignoſcetur? id eſt,ſi tot vanitatis receſsibus, tot mendacij latebris cor humanum ſcatet,ſi tam fraudulēta hypocriſi eſt obtectum,vt ſe ipſum ſæpe fallat, quemadmodum tu exactiſsimus morborum , & miſeriarum naturæ noſtræ

Hebr.6. *Rom.11.* *Matth.19.* *Grtaia quā doque amittitur, manente fide.* *Rom.8.* *1.Cor.6.* *1.Tim.5.* *Quàm male inter ſe conueniant Philip.& Calui.*

indagator nunquam non nobis obiicis: quis hominum intelliget, an viuæ radices ſint, an potiùs vitę munere defunctæ? quis, rogo te, non hominum tantùm, ſed angelorum etiam non fallatur ſæpe in perſcrutandis multis illis conditionibus, quas niſi fides habeat, nunquam licet ſibi per te perfectæ fidei nomen accipere? quare quomodo conſtet cum hoc tua certitudo, ipſe videris. At dices, Magnum ſignum erit, quòd Dei verbum viuas radices habeat & firmas, ſi cor certè noſtrum in eam fiduciam, & conſolationem de Dei benignitate per fideī certitudinē prorumpat, & exeat. quòd ſi in terrorem, & conſternationē ea fide feratur humanus animus, nō fidei ſolidæ ratio habeatur, ſed eius potiùs ſimulacrū, & vmbra. ô præceptorem mirum, ecquod ſignum eſt iſtud, cùm hoc magis Dei gratiæ monentis, quàm noſtrum aut opus, aut munus ſit, cùm etiam vterque effectus ex æquo ab euangelica fide dimanet? quare fides, ſi ſanctis credatur, non per diuerſas fidei formas, non per fixas & viuaces radices, non per exitum in timorem, aut conſolationem diſtinguenda eſt, ſed potiùs, vt ſancti omnes volunt, per præſentiam & abſentiam caritatis in viuam, & mortuam, formatam, & informem diuidenda.

In quem ſenſum in ſcripturis, & apud ſanctos fides pro fiducia accipiatur. CAP. LXV.

QVòd autem fidem pro fiducia in ſcripruris ſæpe accipi dicis, quanquàm cum multis orthodoxę fidei cultoribus tibi dare poſſumus, tamen longè diuerſa eorum mens eſt, longèque abſunt à tua. Noſtri temporis hæretici in tot partes diſcindunt, diſtrahunt, ac dilaniant fidei acceptiones, & ſignificatus, vt vix poſsimus mente retinere multiiugam nominis æquiuocationem. quandam ſiquidem fidem hiſtoriæ accommodant de creatione mundi, de diluuij inundatione, & reliquis par[illegible] hiſtoriis, nouo verò teſtamento de natiuitate, vita, & Chriſti morte. aliam fidem dicunt ad promiſsiones pertinere, *Geneſ. 16. & 17.* vt, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. &, Non *Geneſ. 49.* auferetur ſceptrum de iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt. &, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. &, Accipite ſpiritū ſanctum. *Marc. vlt.* quaſi verò non eadem fidei firmitate & conſtantia aſſen- *Ioan. 20.*

tiri nos non conſueuimus narranti, quæ futura ſint, qua etiam illi credidimus aſſerenti, quæ præterita iam ſunt. Deinde fidem miraculorum quandam imaginantur, & fidem aliam pro iuſtificatione. mirè enim multiplicant vocabula, quatenus ſcripturam ſibi ſeruire cogant. Noſtri etiam catholici, vt dixi, fidem ad fiduciã, & conſcientiam extendunt: nobis verò ſemper viſa eſt ſufficiens Auguſtiniana diſtinctio, vt fides ſit, quam adhibemus, cùm aliquid credimus, & quam damus, cùm aliquid pollicemur. quod eſt dicere, Fides primùm omnium, conſtantiã & veritatem ſignificat, quæ in dictis aſſerentis quidpiã, aut promittentis ineſſe debet. et hæc moralis virtus eſt in volũtate reſidens, à fio, & dico, quaſi fiat quod dicitur. quemadmodum libro primo de officiis eſt à Cicerone obſeruatum. quam etiam nominis etymologiam poſtmodum Auguſtinus mutuatus eſt, vt recta iam ſit Ciceroniana de fide diffinitio, ſcilicet, Fides eſt dictorum & & conuentorum conſtantia & veritas, quæ quidem totius iuſtitiæ fundamentum eſt. & hæc fidelitas dicitur. hinc profectum eſt, fidẽ accipere, & fidem dare. nõ quòd fides promiſsio ſit, quam fides ipſa præſupponit. vnde etiam exortum videmus, vt ſi quis ab aliquo circumueniatur, deorum & hominum fidem imploret. neque opinor, quòd aliam fidem excogitare conueniat, aut fingere pro auctoritate illius, cui credendum eſt: quippe, cùm quæcunque illa ſit, in hanc ſemper, quam modò diximus, fidelitatem, conſtantiam, & veritatem recidat, vt qui eam non obſeruet, fide carere dicatur. Altero modo fides accipitur, vt eſt virtus intellectus pro aſſenſu, quem præbemus prænuntianti, aut promittenti nobis aliquid, qui ſanè aſſenſus fides dicitur πίστις, nempe Græcè ἀπὸ τοῦ ῥήματος πέπισμαι, perſuaſi & fidem feci: perſuaſio potiùs trãſferenda eſſet, quàm fides. immo Grammatici quidam dicunt, non poſſe reddi vna voce Latina. at verò tametſi Quintilianus perſuaſionem transferat: Latinorum nihilominus celebratiſſimi fidem appellant. & quidem certè meritò. nam, vt apud Latinos fides, ita & apud Græcos πίστις actiuè, & paſſiuè accipitur. eſt enim apud illos πίστιν διδοναι, πίστιν καὶ δέχεσθαι, hoc eſt, fidem dare & dari. inde fidẽ habere, credere eſt. & poeta dicebat, Credo equi-

Augu. epiſt. 19. ad Hieronym.

Cicero li. 1. officiorum.

dem,nec vana fides. Cicero etiam in topicis diffiniens argumentum, Eſt,inquit,rei dubiæ faciens fidem . & idem in officiis ait,His fidem habemus, quos plus intelligere, quàm nos arbitramur . Secundum hanc fidem , qua nos credimus,fideles ſumus Deo: ſecundum illam verò , qua fit quod promittitur, etiã Deus ipſe (vt dicebat Paulus) fidelis eſt nobis . Vtranque fidem complexus eſt Paulus, *2.Theſſ.3.* vbi ait ; Quid ſi quidam illorum non crediderunt , nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit? abſit. vbi accipitur fides primo modo pro fide,qua Deus eſt fidelis in ſuis promiſsionibus. paulò inferiùs ait, Iuſtitia autem Dei per fidem IESV Chriſti in omnes & ſuper omnes, *Rom.3.* qui credunt in eum.vbi nimirum loquitur de fide ſecundo modo ſumpta,qua nos credentes, fideles ſumus Deo. Colligo ex his,primò minimè neceſſarium eſſe , vt fides pro fiducia accipiatur,quæ magis fidei proles eſt,non virtus, ſed virtutis modus . & , vt vno verbo concludamus, eſt roborata ſpes,aut ſpei robur ad magnanimitatẽ pertinens:à fide nomen trahens,ſicuti effectus à cauſſa,à caritate verò augmentum & perfectionem . quamobrem firma certáque fides exprimitur aliquando nomine fiduciæ.Sed nihil in his moror , modò nullam eſſe in diuinis litteris fateamur talem fidem,aut fiduciam, qua quiſque in particulari tanta certitudine apud ſe ſtatuat remiſſa ſibì peccata eſſe , ſeque certiſsimò vitam æternam poſſeſſurum. quantumuis ſpe firma ſe id conſecuturum ſperet ac confidat,in hac quidem vita per ſacramentum baptiſmi ac pænitentiæ remiſsionem peccatorum , in ſæculo verò futuro æternam vitam. Tu dicis, *Quid fidei conuenientius,quàm Deum ſibi polliceri propitium patrem,vbi Chriſtus frater ac propitiator agnoſcitur?* *Reſpōdetur rationibus Cal.in epiſt. adductis.* at,Caluine,alibi ſcriptura dicit, Caueant inſerti rami,ne ipſi excidantur . *Rom.11.* Tu dicis, *Quid fidei conuenientius,quàm omnia læta ac proſpera ſecurè ab eo expectare,cuius inenarrabilis erga nos dilectio eò progreſſa eſt,vt proprio filio non pepercerit , quin pro vobis ipſum traderet ?* at idem apoſtolus terrorem incutit,dum ait, Irritam quis faciens legem Moſis,ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur. *Hebr.6.* quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia,qui Dei filium conculcauerit, qui teſtamenti ſanguinem pollutum duxerit,in quo ſanctificatus eſt, &

qui ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? ſcimus enim,
*Rom.*12. qui dixit, Mihi vindictam, & ego retribuam. & iterum,
Hebr. 10. Iudicauit dominus populum ſuum. Horrendum eſt in-
cidere in manus Dei viuentis. Tu dicis, *Quid fidei conue-
nientius, quàm incerta expectatione ſalutis, & vitæ æternæ ac-
quieſcere, vbi Chriſtus à patre datus cogitatur, in quo theſauri ta-*
*Hebr.*6. *les ſunt abſconditi?* at eadem ſcriptura hortatur nos, Vt ſic
ambulemus, quò digni habeamur, pro quo & patimur, ſi
tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere nobis requiẽ.
Hic non tibi manum inijcimus, Caluine, ſed cum diuo
Paulo illam tuam certitudinem, & audaciſsimæ fiduciæ
arrogantiam præſumptione non carere meritò clama-
*Rom.*11. mus. an nõ iure clamabat Paulus, Qui ſtat, videat ne ca-
2.*Cor.*6. dat? & idem, Alioquin & tu excidêris? & idem, Horta-
*Apoc.*1. mur vos, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis? Num
infideles illæ voces tibi habentur inclamãtis angeli, Te-
ne coronam tuam? &, Nemo accipiat coronam tuam?
Verùm, inquis, *vt nihil de nobis, ita omnia de Deo præſumenda
ſunt:* verum eſt, Caluine, ſi iuxta leges in euangelio præ-
ſcriptas nobis de Deo præſumamus. non legiſti antiquũ
prouerbiũ, multo vſu cõprobatum & firmatũ, Ne quid
Ierem. 2. nimis? *Non legimus reprehenſos, qui nimium è fonte aquæ viuæ
hauſerint: contrà grauiter obiurgãtur, qui foderunt ſibi puteos, pu-
teos contritos, & qui continere aquam non valent:* ſapere ad ſo-
*Rom.*12. brietatem præcepit apoſtolus, Caluine: cur nõ idem præ-
cipiat bibere ad ſobrietatem? damnatur apoſtolica ſen-
tentia qui aut vltrà, quàm quod nobis ſapiendum reue-
lat Deus, intelligere & ſapere arbitratur, aut eum modũ
non ſeruat, quem idem dominus in ſapientiæ ſuæ myſte-
riis inquirendis teneri præcipit. quare non ſic, qui aut ita
de Deo ſperat, quemadmodum Deus ipſum ſperare non
vult, aut certè abſolutè ſperat, quod non niſi ſub certa cõ-
ditione nobiſcum Deus paciſcitur? Sed & clarum Iere-
miæ prophetæ teſtimonium, quo Deus, quaſi iudicio, cũ
ingrato populo cõtendebat, ac diſceptabat, quòd verum
Deum reliquiſſent, & ad fictos & figulinos deſciuiſſent,
tu homo cordatus pariter & ſenex ad inanem tuam fidu-
*Ierem.*2. ciam detorques. verùm audiatur Ieremias, Trãſite enim
ad inſulas Chitim, & videte: mittite in Kedar, & conſide-
rate diligenter, atque inſpicite, num ſimile quid factum
ſit?

ſit? num gens vlla mutauerit deos, qui tamen non ſunt dij? populus autem meus mutauit gloriam ſuam in eo, qui non prodeſt. propter hoc obſtupeſcite cæli, exhorreſcite, & vehemẽter exareſcite, ait dominus. quoniam duo mala fecit populus meus, me deſeruerunt fontem aquarum perennium, vt effoderent ſibi puteos, puteos, inquã, pertuſos, qui aquas continere non valent. Sunt hæc verba, hic ſenſus eſt prophetæ, non ille tuus.

De iuſtorum operibus, ac ſanctorum meritis, quibus æternam felicitatem ſunt conſecuti.

CAP. LXVI.

NOn erat difficile, Chriſtiane lector, ex his, quæ diximus, oſtendere ſuis operibus vitam æternam commeruiſſe ſanctos, quos Deus ſic magnificauit, vt vnà ſecum domi ſuæ habeat: ſed quia, vt video, ad Iouiniani & Vigilantij impietatem contra inuocationem ſanctorum viam iam ſibi ſternit Caluinus, dum ſanctos omni ratione meritorum ſpoliat, & quaſi primas hic lineas ducit, non grauabor, ſi mihi per te licebit, de operibus iuſtorũ, ac ſanctorum meritis, dictis nonnulla addere. vbi profiteor, quòd à ſemel explicatis libentiùs abſtinebo. Caluinus igitur ita ſuper hac re ſentit: éſtque prima illius aſſertio, *Nullum inquam extitit pij hominis opus, quod, ſi ſeuero Dei iudicio examinaretur, non eſſet damnabile; & quòd iuſtam confuſionem pro mercede non eſſet recepturum, tum quia ſcriptura dicit, Non eſt iuſtus, qui faciat bonum & non peccet: tum quia & in ſanctiſsimis quibuſque ſemper opus, quod iuſtum apparet nobis, coram Deo tamen carnis ſemper impuritate inſperſum corruptúmque eſt.* Altera Caluini aſſertio ſit hæc, *Si tale aliquid daretur, (quod poſsibile homini eſſe non arbitror) peccatis tamen, quibus laborare auctorem certum eſt, vitiatum atque inquinatum gratiam perdit, dicente propheta, cui Iacobus cõſentit, Qui in vno offendit, factus eſt omnium reus. vt ſemper Deus habeat, de quo nos accuſet, reóſque agat, niſi contrà occurreret Dei miſericordia, quæ aſsidua peccatorũ remiſsione nos ſubinde abſolueret.* Eſt iam tertia ipſius aſſertio, *Non aliter Chriſti iuſtitia imputatur nobis poſt ſanctificationem primam, quàm antea: & ſicut priùs ſola fide iuſtificabamur, ſic poſt peccatorum remiſsionem in ſola fide & Dei gratia repoſita eſt iuſtitia noſtra, & vita æterna. Abraham iam primam gratiã habuerat, cùm de eo dicitur, Credidit Abra-*

Sect. 39. Prima aſſertio Caluini. Eccleſia. 7. Secunda aſſertio Cal. Ezech 18. Iacob. 2. Tertia aſſertio Cal.

ham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. et illud, Iuſtus ex
Rom. 4. fide viuit. et illud, Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. non eſt
Abac. 2. alia legatio in ſcriptura ab illa, Reconciliamini Deo: ea eſt perpe-
Pſal. 32. tua, & per fidem. item, per gratiam ſaluatos nos eſſe, non modò iu-
2. Cor. 5. ſtificatos, dixit Paulus. Hinc iam quarta hæc aſſertio Calui-
Epheſ. 2. ni dimanat, Sæpe teſtificatur dominus, nullam ſe agnoſcere ope-
Quarta aſſertio Cal. rum iuſtitiam, niſi in perfecta legis ſuæ obſeruatione, quæ nobis cō-
tingere non poteſt, vt vel hac ratione, ſtolidè opera ſupererogationis
Philip. 3. iactent. iubemur præteritorum obliuiſci, & ſeruos inutiles appella-
Luc. 17. re nos ipſos præcipimur. Eſto quinta aſſertio, Nulla fiducia in
Quinta aſſertio Calu. operum iuſtitia eſt nobis collocanda. Non enim iuſtificabitur in cō-
ſpectu eius omnis viuens. Si iuſtè egero, dicebat Iob, nec ſic erigam
Pſal. 145. caput. Subſequitur ſexta iſtius hominis aſſertio, Si qua-
Iob. 10. tuor cauſſarum genera reſpicimus, nullum eorum reperiemus operi-
Sexta aſſertio Caluini. bus noſtris conuenire. efficiens eſt cæleſtis miſericordia, & gratuita
erga nos dilectio: materialis, Chriſtus cum ſua obedientia & iuſti-
Ioan. 3. tia: formalis, ſeu inſtrumentalis, fides: finalis, diuinæ iuſtitiæ demon-
Rom. 23. ſtratio, & bonitatis laus. Iuſtificati, dicebat Paulus, gratis per fi-
dem, quæ eſt in Chriſto IESV, & redemptionem ipſius in demō-
Septima aſſertio Cal. ſtrationem iuſtitiæ & gloriæ ipſius. Septima item aſſertio eſt,
Quòd innocentiæ, integritatiſque ſuæ memoria ſæpiuſcule ſancti ſe
confirmant, ac conſolantur. id fit bifariàm: vel quòd ſuam cauſſam
cum mala impiorum vita comparent, vel quòd nonnullam illis &
conſolationem, & fiduciā afferat propriæ conſcientiæ puritas. ſunt
enim non in meritum, ſed in teſtimonium Dei inhabitantis. vnde,
Prouer. 14. quando dicitur in ſcriptura, In timore domini eſſe firmam ſecuri-
tatem: et illud, Memento, quomodo ambulauerim coram te, in ſim-
Gen. 24. plicitate cordis mei: & huiuſmodi alia: tunc veritatem habent,
4. Reg. 20. cùm à poſteriori ſumuntur, vt magis timor argumentum ſit ſecuri-
tatis, atque ex bonis fructibus argumentum etiam capiatur inha-
bitantis Dei. Non opera manuum mearum tibi commendo, domi-
ne, ne deſpicias, ſed opera manuum tuarum: non meritum meum,
Auguſt. in pſal. 137. ſed tuū. aiebat diuus Auguſtinus. Octaua verò aſſertio hæc
erit, Acceptat Deus iuſtorum opera, non quòd illis referenda ſit
Octaua aſſertio Caluini. accepta beatitudo, (iniuria ſiquidem irrogaretur Chriſti iuſtitiæ
& operibus) ſed quaſi per quaſdam inferiores cauſſas, per quas in-
ducere in vitæ æternæ poſſeſſionem decreuerit: ita tamen vt ſi cauſ-
Rom. 6. ſa vera quæratur & ſola ea ſit, quam Paulus exprimit: Stipendiū
Nona aſſertio Caluini. peccati mors, gratia autem vita æterna. Eſt & vltima, Quicun-
que primus meriti nomen operibus humanis, ad Dei iudiciū com-

paratis,aptauit,eum fidei ſinceritati peſsimè conſuluiſſe. Ac tandem concludit, *Opera noſtra bene ſuo modo rationem mercedis habent in ſcriptura, & nomen iuſtitiæ aliquando poſsident, non tamen meriti. quanta verò inter hæc duo ſit differentia,poſtea conſtabit*. Hactenus Caluinus.

VT ERGO ab his vltimis exordiamur, nos catholicam noſtrã aſſertionem omnino ſuis opponamus. Quicũque primus,poſt domini verbum, Miſericordia faciet locum vnicuique, ſecundum meritum operum ſuorum. & rurſus, Talibus enim hoſtiis promeretur Deus. operibus humanis ex Dei ſpiritu factis & comparatis aptauit, is Chriſti gloriæ, patris gratiæ, ac demum fidei noſtræ ſinceritati optimè & diuinè cõſuluit.ſunt enim ea opera non modò non confuſionẽ promerentia, vt prima iſtius aſſertio habet,ſed iuſta & meritoria.ſine labe lethalis maculæ,contra ſecundam. ſunt longè alîus rationis ab operibus comparatis ante habitam iuſtitiam, cõtra tertiam. hæc etſi non ex perfecta legis Dei obſeruatione ſic comparantur, vt vel leuis aliqua macula non iuſtis hæreat, comparantur tamen ex perfecta legis obſeruatione,quæ cum mortali culpa non poteſt permanere: & hoc contrà quartam. Qui in iſtorum operum iuſtitia fiduciam habet,in Deo & in ipſius gratia fiduciam, non in ſe habet. intelligens abſque auro & argento ſe gratiam accepiſſe, & Dei dono in ipſo otioſam non fuiſſe:& hoc cõtra quintam.iuſtorum & ſanctorum opera ad genus cauſſæ efficientis aut inſtrumentalis referuntur,contra ſextam.hęc & apud Deum mercedem habent,& eam æternam, contra ſeptimam,octauam,atque nonam.

Nomen meriti.

Eccleſ.16.

Hebr.13.

Eſa.55.

NE VERÒ noui quidquam à nobis hîc afferri æſtimes lector,ſanctos producam,deinde ſcripturas: vt quàm obliquè eas trahat Caluinus, optimè perpendere poſsis. libet à Græcis negotium inchoare. Magnus Baſilius exponens,quomodo,ex diui Pauli ſententia, cũ infructuoſis operibus non eſt communicandum,quæſtionem, immo totum ſuum opus his verbis abſoluit: Si tandem apoſtoli præceptum diligenter obſeruauerimus, à domino diligentiæ præmium aſſequemur, ac merebimur illud audire, Euge ſerue bone, &c. idem de quadraginta martyribus locutus ait,Omnes inter ſe ſimiles,pares ſen-

Baſil. in illud Pauli, Noli te communicare, &c.

Tom. 1. fol. 93.

tentia, pares certamine: quare & parem coronæ gloriam ſunt promeriti. idem de ſancta martyre Iulita, His dictis, in lignorum ſtruem accenſam inſiliuit, quæ, perinde ac thalamus ſplendore coruſcus, corpus ſanctæ Iulitæ circumplexa, animam quidem in cæleſtem illam deſtinauit regionem, & requiem quæ illius meritis congruebat: corpus autem honore præcipuo venerabile aſſeruauit affinibus, & cognatis incolume, nec vlla ſui parte læſum. Hactenus Baſilius. Hilarius item, Pictauorum epiſcopus, ita ait, Habet quidem hoc verecundiæ ipſa ſanctorum iuſtitia, vt quidquid ſibi de beatitudine ſperat, id pro magnificentia Dei potiùs, (quia dignum eſt Deo, & æterna, & bona retribuere) quàm pro merito ſuo poſtulet. nec tamen præferens honorem miſericordiæ Dei, merēdi quoque id per ſe, non excluſit officium. æquum enim eſt, vitam retribui ſtipendiis ſanctitatis. & poſt pauca, Ex meritorum diuerſitate vel in pœnam, vel in miſericordiam judicium Dei temperari. Hæc ille. Ioannes Chryſoſtomus, os verè aureum, qui alibi dixerat, noſtra opera debita Deo ſatis eſſe, idem ipſe vocabat cæleſtem vitam, certaminum & meritorum præmia. Ioannes item Damaſcenus, ſui ſeculi facilè princeps, de his ſanctis monachis, qui ſub Aueniro rege Indiæ paſsi ſunt, inquiebat, Prædicationis ſemina ſpargebāt, vt familiares illos Deo efficerent, quatenus quæ in Chriſto abſcondita eſt, vitam ſuis factis mererentur. & rurſus ibidem, Fide ſuſcipe indubitanter nihil arefactum, & per opera bona feſtina ad immortale regnum & nunquam periturum præmium peruenire. ac mox, Iuſtorum operum chorus eſt, videlicet ſpes, caritas, fides, eleemoſyna, humilitas, & cetera virtutum congregatio: quæ poteſt præcedere nos, cùm exeamus de corpore, & pro nobis apud Deum interuenire, & de inimicis crudelibus exactoribus liberare: qui calumniam, & amaram nobis rationis exactionem commouent, in aere nos comprehendere tentantes. hic ſcilicet Deus eſt amicus gratus ac bonus, qui & modicū bonum opus noſtrum in memoria fert, & cum vſura nobis integrum reſtituit. Sed omittentes Græcos veniamus ad Latinos. Auguſtinus, qui dicere ſolebat, humana merita debere cōticeſcere, vt Chriſti gratia regnet, idem ipſe de

Tom. 1. fol. 93.

Hilar. in pſ. 92.

Chryſoſt. homil. 33. in Gen. In laudē S. Philogoni tom. 3. fol. 609.

Ioā. Dam. de agonibus martyrum.

In eodem opere.

Auguſt. de predeſt. ſāc. idē in pſal. 139. & 88

operibus ex Dei gratia conſtitutis vnum hoc tali viro dignum nobis ſuo nomine teſtatum reliquit. Oremus (inquit loquens de beatiſsimo martyre Laurentio) igitur fratres beatum Laurentiũ, qui, dum fide ſua perſecutoris flãmas vicit, oſtendit nobis per ignẽ fidei geennæ incendia ſuperari, & amore Chriſti diem iudicij non timeri, & cælum promereri. Nũquam loqui deſinerem, ſi quæ ſanctus hic doctor de merito operũ iuſtorum in pleriſq; locis copioſè & piè ex ſcripturis colligit, vellẽ hic referre: mihi ſit ſatis ſignificaſſe locos, & indicaſſe chartas. agit de hac re ſuper Ioã. & ſuper pſal. 100. 53. & 83. Quid Hieronymũ referã? quando hãc doctrinã, quæ de merito operum iuſtorũ eſt, & quæ recta fide, caritate nõ ficta, ſpe firma conſtat, ille non prædicauit? quando ſubterfugit, eam nobis ſuis ſcriptis, ſi ei occaſio data fuit, annũciare: quòd timeret, ne ſi opera iuſtorum, quæ magis Dei ſunt, quàm ipſorum, meritoria eſſe diceret vitæ æternæ, Dei bonitati & miſericordiæ eſſet iniurius? exponens ſexageſimum quintum caput Eſaie, hæc aſſerit, Illud, quod in Apocalypſi Ioannis legimus, poſt reſurrectionem exhiberi iudici paruos & magnos, non ætatum, ſed meritorum differentias ſignificat. idem ſcribens ad Rufinum de ſancto Bonoſo eremita ſi Deum alloquitur, Memento, quæſo, tunc bellatorem tuum, mecum quondam fuiſſe tyronem. habeo promiſſum maieſtatis tuæ, Qui docuerit & non fecerit, minimus vocabitur in regno cælorum: qui verò docuerit & fecerit, hic maximus vocabitur in regno cælorum. fruatur ille virtutis ſuæ corona, & ob quotidiana martyria ſtolatus agnum ſequatur. multę enim ſunt mãſiones apud patrem. & ſtella ab ſtella differt in claritate. mihi concede, vt inter ſanctorum calcanea caput poſsim leuare: vt cùm eo docuerim, ille perfecerit, mihi ignoſcas, quia implere non potui: illi tribuas præmium, quod meretur. Hactenus Hieronymus. Neque à ſuffragij iure depellendus mihi eſſe videtur beatus Ambroſius. Datur, inquit, vnicuique ſine merito, vnde tendat ad meritum. quod & ita eſſe, etiam euangelicæ veritatis teſtimonio agnoſcitur: vbi per comparationem dicitur, Homo quidam peregrè proficiſcens &c. idem poſt octo beatitudinum elegantem diſcuſsionem pulchro epiphonemate

Aug. ſermo. 1. in feſto ſanct. Laurent.

Cap. 1.

Hieron ſuper Eſa. 65.

Apoc. 20.

Hier. tom. 1. epiſt. ad Rufinum.

Matth. 5.

Amb. li. 2 de vocatione gentium cap. 2.

Super Lucam cap.6. *Lib.de Ioſeph. ca.13.* *Bernar.in pſal. Qui habitat,in ſerm.14.idē in cāt.ſerm. 55.& 181.*

orationem finit: Ergo, quod in merito fuerit copioſius, hoc erit in præmio redundantius. vnde illud eiuſdem, Vbi diuerſa erunt merita erga Deum, ibi diuerſa erunt & præmia. Diuus Bernardus poſtremò,qui alibi dixerat, in eo conſiſtere noſtri meriti rationem, ſi ſpem noſtram apud Deum reponamus,idem tamen ex ſcripturis egregiè probat per pænitentiam poſſe nos declinare iudicij diuini rigorem.Neque puniet,ait, Deus bis in id ipſum. & iterũ, ex ratione meriti infert manere in nobis libertatem. Vides bonis meritis aſſecutos fuiſſe ſanctos æterna præmia:vides, coronæ gloriam fuiſſe promeritos ſuis factis:vides,beatam requiem meritis ſanctorum deberi, ac congruere:vides,non eſſe excluſum ſanctorum meritum, modò illi præferamus miſericordiæ Dei debitum honorem:vides,æternam illam vitam ſtipendium ſanctitatis vocari:vides, diuinum iudicium,non rigidiſsimum quidem illud,quod in nos poſſet exercere, ſed quo iuxta miſericordię ſuę leges nobiſcum eſt acturus,meritorum diuerſitate,non ætatum, tranſigendum: vides, iuſtorum merita eos præcedere, apud Deum pro eis intercedere, de inimicis atque crudelibus exactoribus liberare, quæ in memoria Deus ſemper fert,vt cum vſura, ipſa integra & cumulata multis donis reſtituat: vides, fide operante per dilectionem,& flammas ſuperari,& iudicium non timeri,atque adeò Deum ipſum promereri: vides promiſſum maieſtatis infinitæ, Qui fecerit & docuerit,hic magnus vocabitur in regno cælorum, vide ſanctos frui ſui meriti corona:vides ſine meritis dari, quo iam iuſti tendant ad meritum, vt quàm ſit non eadem ratio operum,quæ iuſtificationem antecedunt,& quæ ſequuntur, liceat tibi obſeruare: vides contrà, quàm ſit falſum, & propè dixerim blaſphemum, ſi de iudicio, quo nobiſcum Deus congreſſurus eſt in æquitate & iuſtitia, ſermo fiat, iuſtorum opera obelo ſic notare, vt immunda eſſe coram Deo dicantur.

Reſpondetur locis ſcripturarum à Caluino in principio adductis. CAP. LXVII.

SEd venio ad locos,quos produxiſti. *Non eſt iuſtus homo in terra, qui faciat bonum, & non peccet:* verum eſt, Caluine,nullum eſſe iuſtum ſine Dei gratia, neque perſeue-

rare in iuſtitia quiſquam poteſt ſine fauore & dono. ꝙ autem ea fuerit ſententia diuini ſpiritus in eo loco, docere te poterant verba, quæ præceſſerunt, Sapientia (hæc eſt gratia) confortabit ſapientem ſuper decem principes ciuitatis. & ſtatim ſequitur, Non eſt homo iuſtus &c. ac ſi diceret, inde conuincitur, gratiam Dei magis hominem vegetum facere ac roborare, quàm omnes mundi principes, quòd cum illa perſeueret iuſtus, cum horum verò fauore minimè. Sed audiamus Auguſtinum, Væ hominum vitæ quantumcunque laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur. Væ vitæ hominum dixit, non, Væ hominum operibus: quoniam etſi nullius hominis vita adeò perfecta eſt, vt non habeat admiſta plura venialia peccata, quibus ſanctorum iuſtitia in hac vita imperfecta redditur, vt præclarè idem Auguſtinus dicebat ſuper verbo illo, Non iuſtificabitur apud te omnis viuens: tamen multa ſunt opera, quæ omni peccato carere ibi docet, dum de matre narrat, plurima bona opera feciſſe: ob quæ Deo immortales gratias, idem ſanctus agit. *At*, inquit, *Eſaias dicit*, *Et facti ſumus, vt immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ*: principiò Caluine, de Iudæis ibi propheta loquitur, quos lumine prophetico præuidebat captiuos ducendos: non ad omnes electos verbum hoc refertur. tum etiam quòd Hieronymus opera legis Moſaicæ dicit ibi à propheta cum operibus legis euangelicæ conferri: cum quibus ſi ea cõparentur, immunda videbuntur. aut certè dicam nouiſſimè, iuſtitiam operum & legalem cum ſummo Dei iudicio ibi cõſiderari, & quales eſſent noſtræ actiones omni gratia deſtitutæ, ob oculos noſtros ꝓponi, vt ſic quæ nobis dona cum filio pater cæleſtis dederit, agnoſcamus. ab eo enim ſanctificationem habemus, & quòd ſuæ infinitæ puritati placeamus: Sed obiicis, *Scriptura dicit, Qui in vno peccauerit, factus eſt omnium reus*: Auguſtinus, ad Hieronymum ſcribens, locum hunc de caritate, à qua lex pendet, & prophetæ, interpretatur: vt ſenſus ſit, qui caritatem violarit, omnia proculdubio viſus eſt fuiſſe prætergreſſus. Hieronymus verò aduerſus Pelagium ſic explicat, Reus eſt, quãtùm ad hoc vnum, in quo omnia cõmunicant, nempe legiſlatoris cõtemptum, & æterni rea-

Aug. li. 9. confeſſ.

Eſaiæ 7.

Augu. ad Hier. epiſt. 29.

Hiero. aduerſus Pelag. lib. 1.

Ezech. 18. tus ſupplicium. alij verò ita intelligunt, Fit omnium reus, hoc eſt, vniuerſas ſuas antiquas iuſtitias amittit, (vt dicit alio in loco ſcriptura) doniſque diuinis ſpoliatur, ac ſi nihil obſeruaſſet de lege: licèt iuxta delictorum numerum & pondus futurus ſit plagarum modus. atqui certè Iacobus ſe ipſum illuſtrat, apertéque diſſerit de peccatis grauioribus atque enormibus, non de leuibus, quæ nullo impedimento ſunt, quò minùs iuſti immaculati dicantur in via, qui ambulant in lege domini. qui ſcrutantur teſtimonia eius, & in toto corde exquirunt eum.

Apoſtolus vult, nos obliuiſci præteritorum, & dominus, vocari ſeruos inutiles: verum eſt, ergo nulla ſunt opera ſupererogationis: vnde locus? vnde argumenti virtus colligetur? optimè illi quidem præcipiunt, ne præteritis contenti torpore abſumamur, ſed magis ante oculos noſtros ponamus, tum quanta ſit Dei noſtri erga nos liberalitas, qui cùm iure ſuo omnia noſtra multis nominibus adiudicare poſſet, certa præcepta dedit, addens, quidquid ſuperèrogauerimus, cum vſura nobis ſatisfactum à ſe iri, tum etiam quanta ſit benignitas: qui cùm ſeruos nos poſsideat, ſuo ſanguine redemptos, non nos ſic vocat, ſed amicos, conferens nobis ius illud, quod in Adamo amiſimus. Nihil hìc vi extorquere à Deo nitimur, Caluine: ſed ſi in Adamo amiſimus meritoriè agere, cur in Chriſto non recuperabimus? ſi ille perſtitiſſet, ex iuſtitia coniuncta cum Dei gratia, quæ ſemper Dei donum, non naturæ fuit virtus, cum Deo ageret: cur id non vſu veniet his, quos filius redemit? *Abraham iam erat regeneratus cùm dicitur, Credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam:* quaſi verò ex ſententia catholicæ eccleſiæ ſit, Chriſti fidem, Dei bonitatem, paſsionis meritum in ſola prima gratia & iuſtificatione regnare. O Caluine Caluine, quàm me tui & pudet, & piget, atque adeò miſeret. verba tua de nobis hæc ſunt, *Iſti nihil aliud beneficij ab eo prouenire docent, niſi vt ſingulis ad ſe ipſos iuſtificandum aperta ſit via:* quis ſic docuit vnquam, & idem catholicus, & non magis in Chriſtum iniurioſus eſt habitus? vbique locorum, & omni tempore gratia Chriſti, ipſius ſanguis, fides in eum, patris benignitas, filij humanitas, ſaluatoris noſtri Dei innocentia regnat, vbique primas tenet: immo

nullas nos teneremus, neque dum inchoamus, neque dum progredimur, neque dum roboramur, neque dum poſtremò æternam felicitatem meremur, niſi fide illius duceremur, gratia amplecteremur, ſanguine animaremur, niſi ad fontem illum diuinum, redemptorem ſcilicet noſtrum, nectare reficeremur. hoc tantùm dicimus, non modò redemiſſe nos de maledicto, verùm ſic benedixiſſe, vt quæ iuſti fauore Chriſti operantur, benedicta ſint, benedictioníſque plena. apertiùs loquar, per Chriſti fidem & iuſtificamur, & magis iuſtificamur, atque adeo ſaluamur. *Gratia Dei vita æterna, dixit Paulus:* verè gratia Dei eſt, ſine qua fruſtra niteremur, & cum ipſa omnia poſſumus. verè gratia Dei eſt vita æterna, poſtquã ea opera, quibus vitam acquirimus, magis Dei dona ſunt, quàm noſtra. Stipendium peccati mors, quippe quod à libero noſtro arbitrio ſit ſolum: gratia Dei, vita æterna: nam libertas noſtra parum, immo nihil omnino poſſet abſque Dei gratia, in vitam illam æternam. *Ad nullum cauſſarum genus opera noſtra pertinebunt.* reſpondeo cum ſancta ſynodo, Cauſſa finalis iuſtitiæ noſtræ eſt Dei, & Chriſti gloria, noſtra verò, æterna vita; efficiens, miſericors Deus, gratuitò abluens, ſanctificans, emundans, ſignans & vngens ſpiritu ſuo, qui pignus, & arrabo eſt æternæ promiſsionis: meritoria, dominus IESVS Chriſtus, per quem habemus acceſſum ad iuſtitiam iſtã ſanctorum, & qui vnus nobis acquiſiuit, vt opera noſtra ſuo ſanguine delibuta, digna Deo, & vita æterna habeantur: finalis, ipſa iuſtitia diffuſa in cordibus noſtris, hærens nobis: inſtrumentalis, baptiſmus & pœnitentia. *Auguſtinus dicebat, Opera manuum tuarum, non mearum, tibi commẽdo, domine, non meritum meum, ſed tuum:* nihil verius dicere poterat illuſtris ille eccleſiæ doctor, Caluine: opera ſanctorum magis opera manuum Dei, quàm hominum, dici & poſſunt, & debent. rurſum, merita iuſtorum magis cenſenda ſunt Chriſti merita, quàm ipſorum. Sed mihi iam ſatis ſupérque de hoc dixiſſe videor.

Rom. 6.

Trident. ſynod. ſeſſ. 6. ca. 6. ſub Paulo III.

Loci ſcripturarum ponderantur pro iuſtorum operibus, & ſanctorum meritis, ſimul cum Caluini interpretationibus, quibus eos eludit.

CAP. LXVIII.

NOn ſatis eſſe arbitror aliena à religione noſtra profligaſſe, niſi etiam in ea confirmanda omnes neruos contendamus, quare ſcripturæ ſanctæ locos in medium afferemus non omnes, ſed eos ſolùm, qui ſufficere videbuntur ad meritum ſanctorum ſtabiliendum. primùm ex nominibus, & elogiis, quibus opera iuſtorum à Deo inſigniuntur in ſcripturis, ipſorum meritum & ſanctitas colligetur. Iuſtorum, ait ſapiens, ſemita quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem. & in euangelio, bona opera lux vocantur, quibus & patris cæleſtis gloria clareſcit & illuſtratur. & Paulus, arma lucis ea nominat. accedit, quòd à peccato libera eſſe aliquando ipſa eadem ſcriptura non tacet. In omnibus illis, inquit diuinus liber, non peccauit Iob. hinc illud profluit, quòd Deo ſæpe grata fuiſſe legimus. Quia obediſti voci meæ, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Hæc enim facientes, inquit Petrus, non peccabitis aliquando. Ioannes item, Qui in Deo manet, non peccat: & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. Paulus afflictiones pro Deo moderatè ſuſceptas vocat hoſtiam viuentem, ſanctam, & Deo placentem. Hoſpitalitate multos Deo placuiſſe idem Paulus affirmat. Deus, cui ſemper placuit manſuetorum atque humilium deprecatio, cùm ipſum precaretur, dicebat Iudith. Stetit Phinees, inquit regius propheta, & placauit, & ceſſauit caſſatio. Videns Deus, ait Ionas, opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. quæ ergo opera à Dei ſpiritu vocantur lux, ſplendor, arma lucis, à Deo profecta, Deo grata, ea certè peccata non ſunt. Aequo animo feras, quæſo, lector, dum oſtendo, quàm iſte cæco impetu in ſcripturas incurrat. non poterat negare, multam gratiam conciliatam eſſe operibus iuſtorum, quæ tot elogiis ab ſcriptura inſignita leguntur. Sed quos ille mæandros, dum omnes ſolitudines eius rei perſequitur, quæ diuerticula, proh Deus, flexionéſque quærit? Iubet ergo cõſiderari cauſſam, quę gratiam operibus concilìet. ſit ita: conſideremus. *Eã porrò triplicem eſſe cernimus*: ego vnam tantũ eſſe arbitrabar, nempe diuinam gratiam nobis collatam. *Prima eſt, quòd*

Primus locus à nominibus, & elogiis, quibus à ſcriptura inſigniuntur.

Prouerb. 4.
Matth. 5.
Rom. 11.
Iob 1.
Geneſ. 22.
2. *Pet.* 1.
1. *Ioan.* 3.
Philip. 4.
Rom. 12.
Hebr. 13.
Iuditæ 9.
Pſal. 105.
Ionæ 3.

dominus,auerſo à ſeruorum ſuorum operibus intuitu, quæ confuſionem magis,quàm laudem,perpetuò merentur, ipſos in Chriſto complectitur,ac ſola fide intercedente,citra operum ſubſidium,recõcilsat ſibi: ô incredibilem hominis duritiem, non vides ſanctis ſcripturis te palàm contradicere? non vides,te in eam lucem iuſtorum ſplendentem & creſcentem vſque ad perfectum diem iniuriam non mediocrem inferre? non vides,quàm ſis iniurius ei ſpiritui, qui quàm diu in *Ioan.6.*
iuſtis manſerit,peccare ipſi non poterunt? non vides ô infelix anima,cum operibus ex Deo factis,hoc eſt, ex illius fide,ſpiritu,fauore,gratia profectis, te bellum teterrimum & periculoſiſsimum gerere,cùm lux ipſa palàm manifeſtet, in Deo eſſe facta? non intelligis,nec conſideras,quoniam omnis,qui peccatum facit, (vt diſertis verbis dilectus ait) & iniquitatem facit: & peccatum eſt ini- *1.Ioan.3.*
quitas? Et ſcitis,inquit, quia ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt. omnis, qui in eo manet, non peccat, & omnis,qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. filioli mei, nemo vos ſeducat. (non Lutherus, non Caluinus) qui facit iuſtitiã,iuſtus eſt,ſicut & ille iuſtus eſt. qui facit peccatũ, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. Quid eſt hoc Caluine, quid eſt,quod dicitur, Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt? fortè dices, iuſtus eſt imputata iuſtitia: dominus enim auerſo à ſeruorum ſuorum intuitu, quæ confuſionem magis, quàm laudem perpetuò merentur,ipſos in Chriſto complectitur, ac ſola fide intercedente,citra operum ſubſidium, reconciliat ſibi. at hoc malè conuenit cum eo, quod ſequitur, Sicut & ille iuſtus eſt. Quis ille? Chriſtus iuſtus noſter. non intelligis, quæ ab apoſtolo dicuntur? eam rem oppoſita antitheſis te perfectè docebit. qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quia diabolus peccator eſt. Sicut ergo, Caluine, peccatores malitiam habent ſimilem diabolicæ nequitiæ, non tamen eandem numero, ſic iuſti ſimilem habent iuſtitiam iuſtitiæ Chriſti. vnde commodiſsimè ſequitur, In hoc apparuit filius Dei,vt diſſoluat opera peccati. nõn dixit, vt tegat, non, vt intercedat, ne commerita confuſione pudore afficiantur ſancti, ſed vt penitus diſſoluat. Quid eſt,vt diſſoluat, niſi vt non

peccemus, vt nihil ſit ibi, quod diuinum intuitum offendat, nihil ſit poſtremò filiorum Dei puritate, & Chriſti IESV fratris noſtri, & iuſtorum anteſignani honore indignum. Hæc noſtra ratio eſt: non perfectè, nec, vt tantum redemptorem decebat, peccati opera diſſoluiſſet, ſi ij, ad quos paſsionis ſuæ fructus primo deueniunt, ſic
1.Ioan.2. ſemper ſub peccato iacerent, vt nihil boni, nec à peccato alienum concipere poſſent. Qui autem ſeruat verbum eius, dicit Ioannes, verè in eo caritas Dei perfecta eſt. in hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus. qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Sed pergamus ad ſecundam cauſſam, *Quòd ea ipſa opera iuſtorum cum venia ſuſcipit, non imputata imperfectione, quæ omnia inquinata, peccatis magis quàm virtutibus accendenda alioqui forent*: quòd iuſti ſemper diuina clementia egeât, ac continuò ipſam implorent, deprecentúrque remiſsionem ſuorum delictorum & peccatorum à pio patre, propter iuſtitiæ imperfectionem, quæ in hac vita iuſtis contigit, teſtis eſt vniuerſa ſcriptura, & nihil magis ſancti docuerunt: quòd verò bona opera ſic inquinata eſſe dicantur, vt peccatis magis, quàm virtutibus ex ſe alioqui forent, Lutheranum eſt, vt oſtendimus. Veniamus ad tertiam cauſſam: fortè hæc nobis placebit. *Quòd opera non æſtimata eorum dignitate, paterna benignitate, & indulgentia, huc honoris attollit, vt alicuius pretij habeat*: cur tot ambagibus vteris? cur verbo vno non dicis, Cauſſa eſt non operum valor, non rei æſtimatio, ſed gratiæ ac iuſtitiæ infuſæ conſideratio? cur contentus fuiſti tantùm dixiſſe, Alicuius pretij? cur non æterni? Verum de hoc pòſt dicetur.

Alter locus ſcripturarum, à pacto, & fœdere diuino cum operibus inito.

CAP. LXIX.

Deut.2. SIt iam alter locus ſcripturæ ſanctæ pro meritis ſanctorum, à pacto & fœdere diuino cum ipſis inito. dicebat Moſes Iſraelitis, Dominus Deus tuus cuſtodiẽs pactum ac miſericordiam diligentibus ſe, & cuſtodien-
2.Reg.8. tibus præcepta ſua, in mille generationes. quæ ſententia in frequentem formulam vſurpata à domino fuit. ſic Salomon in ſolenni precatione, Dominus Deus Iſrael,

qui cuſtodis pactum & miſericordiam ſeruis tuis, qui ambulant coram te, in toto corde ſuo. eadem verba & à Nehemia repetuntur. huic generi proximæ ſunt illæ ſententiæ, quæ affirmant dominum redditurum vnicuique ſecundum opera ſua: cuiuſmodi ſunt, Vnuſquiſque referet, quod geſsit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Gloria & honor operanti bonum. Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Ibūt, qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Venite benedicti patris mei: eſuriui, & dediſtis mihi cibum. atque his quoque eas coniungamus, quæ mercedem operum appellant vitam æternam. quo in genere ſunt, Retributio manuum hominis reſtituetur ei. Qui timet mandatum, remunerabitur. Gaudete, & exultate: ecce merces veſtra copioſa eſt in cælis. Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum laborem. Quibus, rogo, calumniis fraudis amici eludent tam aperta ſcripturæ teſtimonia? ſed etiam atque etiam conſidera lector, quàm vltro in præcipitium iſte ruat. *Cùm dicitur, Dominum cuſtodire pactum miſericordiæ, iis, qui ſe diligunt, magis demonſtratur, quales ſunt ſerui domini, qui bona fide eius fœdus ſuſceperint, quàm exprimatur cauſſa, cur eis dominus benefaciat*: itáne? ſed quid ad hæc prophetæ verba reſpondebis, Iurauit dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum, De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum & teſtimonia mea, hæc, quæ docebo eos: Et filij eorum vſque in ſæculum ſedebunt ſuper ſedem tuam? quid? & hîc etiam magis monſtratur, quales ſunt ſerui domini, quàm quòd cauſſa exprimatur? ergo ſenſus eſt, filij tui, qui ſeſſuri ſunt, obſeruabunt teſtamentum meum, & teſtimonia mea. O quàm ſecus antiqui auctores eum locum interpretantur. Auguſtinus dicit, Si cuſtodierint teſtamentum meum: quid ſi non cuſtodierint? periítne promiſsio? reſpondet, non. nam quod in te non adimpletur, completur in alio. & filius Dauid eſt, qui ſpe, fide, caritate filius eſt: ne in carne glorieris. Vides, ſolos filios ſedere, & qui filij ſint ſpiritu & fide, non carne, hoc eſt, qui mandata cuſtodierint. Hieronymus, Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meū.

Nehemia 1. *Matt. 61.* *2. Cor. 5.* *Rom. 2.* *Ioan. 5.* *Mat. 25.* *Prouer. 12.* *Matt. 5.* *Luc. 6.* *1. Cor. 3.* *Roman. 8.* *Pſal. 131.* *Aug. ibid.* *Hier. ibidē.*

habent bona opera præmium, poſtquam ſedere faciunt filios ſuper ſedem Dauid. Quid plures referam? legatur
Hilar.ibid. Hilarius, legantur, quotquot ſuper eo verbo ſcripſerunt, ne vnum quidem reperies, qui ſecus atque nos fecimus, interpretetur. Sed audiamus reliqua. non poterat negare Caluinus, quòd redditurus ſit Deus vnicuique ſecuudũ opera, quòd opera in ſcriptura dicuntur merces, quòd vita æterna dicitur ſimiliter iuſtorum retributio, quòd appellatur corona iuſtitię: quid ergo fecit? omnia ſic interpretatur, vt potiùs indicent eiuſmodi formulæ ordinem conſequentiæ, quàm cauſſam. quod eſt dicere, quia glorificaturus eſt, iccirco ſuos operibus exercet. vnde addit ſecundò, quòd operibus noſtris non meremur vitam æternam, ſed bene eis præparamur ad vitam. tertiò adiungit, Beatitudo vocatur retributio, non quòd meriti noſtri æſtimatione conſtet, ſed magis compenſatione quadam & cõmutatione. vnde concludit, *Nihil erit incommodi, ſi vitæ ſanctitatem exiſtimemus eſſe viam, non quidem, quæ aditum aperiat in gloriam cæleſtis regni, ſed qua electi à Deo ſuo in eius manifeſtationem ducantur. Quando hæc bona voluntas eſt, glorificare, quos ſanctificauit*: hæc eſt veritatis illa magna vis, quòd repugnantium, & contradicentium ora ſæpe occupat. bene ſic nos colligemus, Caluine, ſi iuſti per bonorum operum ſtudium ad vitam præparantur, & in ipſius poſſeſsionem deducuntur, vtique bonis noſtris factis vtitur Deus tanquam aptiſsimis inſtrumentis ordinatis à Deo in finem. rurſum ſi inſtrumenta ſunt, profectò quidem & cauſſa erunt. quare optimè Paulus, Operamini,
Philip.2. dixit, non meditamini, veſtram ſalutem. & idem, Mo-
2.Corin.4. mentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modũ in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. vides, cauſſæ ordinem magis, q̃ conſequentiæ, eo verbo, Operamini, indicari. Quis ordo conſequentiæ, & nõ magis cauſſa, ac meriti dignitas ſignificatur, cùm dicitur,
2.Theſſa.1. Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis fratres, ita vt dignum eſt, quoniam ſupercreſsit fides veſtra, & abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrûm in inuicem: ita vt & nos ipſi in vobis gloriemur in eccleſiis Dei, pro patientia veſtra, & fide in omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exem-

plũiuſti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. ſi tamen iuſtũ eſt, apud Deũ retribuere tribulationẽ iis, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcũ, in reuelatione Domini IESV de cælo cum angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelio domini noſtri IESV Chriſti. vides, multam hîc meriti dignitatem ſignificari. vides, retributionem diſertis verbis iuſtorum ſalutem appellari, ſicut pœnam iis futuram prædicit, qui ſanctos tribulant, qui Deũ ignorant, qui Chriſti euangelio non obediunt. ſanctorum igitur opera, notæ impreſſæ, & ſtigmata domini IESV, atque adeò mortificationis, & vitæ ipſius manifeſtatio quædam ſunt, ac proinde ipſius, quem referunt, merito ſtabilita & confirmata digna ſunt retributione apud Deum. Non eſt, inquit Paulus, iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius: qui miniſtratis ſanctis. certè iniuſtitia caruiſſet obliuio, quæ ad nullius debiti ſatiſfactionem teneretur. Sit illa compenſatio, Caluine, ſit in bonorum poſſeſsionem miſſio, ſit ad vitam præparatio, ſit quædam ouium Chriſtiani gregis conſignatio, ſit, vt lubet, modò fatearis cum ſcriptura, iuſtos operari ſuã ſalutem, operari æternum & infinitum pondus gloriæ, promereri Dei iuſtitiam, & ſi quod maius in eam rem dici poteſt. ponamus ante oculos noſtros oportet cæleſtem penè illam diui Pauli gradationem. Gloriamur, inquit, in ſpe gloriæ filiorum Dei. neque hoc ſolùm, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur, cùm eam exercet, patientia ſpem, ſpes non confundit: quia Dei charitas, qua nos diligit, vel quã nos eum amamus, diffuſa eſt in cordibus noſtris, tanquam pignus hæreditatis æternæ, quatenus teſtaretur palàm, ſe bene velle nobis, & præſtiturum noſtris factis quod promiſit. ita interpretantur ſancti. Si iuſtorum acta virtute Chriſti & merito operum ipſius, qui vnus factus eſt nobis lux, veritas, & vita, & per quem habemus acceſſum in gratiam iſtam, atque fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine eius, ſi, inquam, altero poſt Chriſtum gradu iuſtorum acta, diuinæ legis obſer-

Galat.6. 2.Cor.4. Heb.6. Rom.5. Ioan.8. Rom.5. Epheſ.2. Heb.10.

tiationes,diuinorum mãdatorum cuſtodia,viæ non ſunt, aditum aperiant in gloriam cęleſtis regni,quid eſt,quæſo, quòd à domino reſpondetur quærenti & percunctanti
Matt.19. inueni de ſalute æterna, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata? interrogauerat ſanè adoleſcens, quid eſſet facturus, vt vitam æternam poſsideret: cùm verò ille diuina mandata à domino rogatus recenſuiſſet,dixiſſétque ei Chriſtus, Hæc fac, & viues: adoleſcens tamen adderet, à iuuentute ſua ſe hæc ſeruaſſe: Dominus inquit, Vnum tibi deeſt.vende vniuerſa, quæ habes, & da pauperibus: & veni, ſequere me, & habebis theſauros in cælo. Omitto ſingula verba põderare,omitto ipſius hominis malitioſas calumnias, nouas & nunc denuò ab ipſo excogitatas interpretationes, contra ſanctos & euãgelij cõtextum commentitias fraudes hîc perſequi:quoniam copioſè id ſumus oſtenſuri libro huius operis quinto, quando de operibus ſupererogationis fiet ſermo.ibi enim euidenter, domino opitulante, probabimus, de fidei iuſtitia, & non legis, aut operum tantùm dominum egiſſe,quemadmodum eum locum interpretati ſunt ſancti, quotquot in ipſum inciderunt. ſed,vt dixi, libet illuc lectorem mittere.igitur verbo huic Chriſti,Si vis ad vi-
2.Pet.1. tam ingredi, ſerua mãdata. item, Habebis theſauros in cælo.ſimile eſt,quod Petrus ait,Vos autẽ fratres,curã omnẽ ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutẽ, in virtute autem ſcientiam,in ſciẽtia autem abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent, non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in domini noſtri IESV Chriſti cognitione. cui enim non præſtò ſunt hæc,Cæcus eſt,& manutentans, obliuionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. quapropter fratres magis ſatagite,vt per bona operà certam veſtram vocationem & electionem faciatis. hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum domini & ſaluatoris noſtri IESV Chriſti. Vides fidem ad introitum æterni regni non ſufficere, niſi omni diligentia vniuerſa illa, quæ hîc recenſet apoſtolus, addideris.

ris. vides, ex iis operibus coram Deo fructum non mediocrem nos eſſe recepturos. vides, cui hęc deſunt, quàm ſit vacuus, cæcus, manutentans. vides, vocationem noſtram, atque electionem certam effici bonis operibus. vides, ob bona opera abundanter miniſtrari nobis ſanctorum introitum. cum his conſentit eiuſdem diui Petri ſententia, quam Lucas in actis recitat: In veritate *Act.* 10. comperio, quòd non ſit perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui facit iuſtitiam, acceptus eſt illi. Erit *Deut.* 6. hæc iuſtitia noſtra, dicebat Moſes, ſi cuſtodierimus pręcepta iſta omnia. & ne calumnieris, de legali iuſtitia, & non de ea, quæ apud Deum eſt, hîc agere Moſem, clamat regius propheta, Innocens manibus, & mundo cor- *Pſal.* 15. de habitabit in tabernaculo tuo, & requieſcet in monte ſancto tuo. Qui facit iuſtitiam, & loquitur recta, inquit Ieſaias, habitabit cum igne deuorante. Reddere paupe- *Ieſ.* 33. ri depoſitum, dicitur in lege: id tibi pro iuſtitia erit co- *Deut.* 24. ram domino. Quis referre poterit plurima illa elogia, quibus non obſcurè ſignificatur, dari à Deo noſtris operibus beatitudinem? Beatus vir, qui timet dominum. Ge- *Pſal.* 112. neratio rectorum benedicetur. Beatus, qui ſuffert tenta *Pſal.* 1. tionem: quoniam accipiet coronam vitæ. Beati, qui cu- *Prouer.* 14. ſtodiunt iuſtitiam. Beati immaculati in via. Beati pau- *Iacob.* 1. peres ſpiritu. Sed quò feror? quid ago? quid arenas *Pſal.* 16. & 119. maris in numerum cogere imprudens ego laboro? pre- *Matt.* 5. cor, Caluine, ne amplius nobis moleſtus eſſe velis, reſpōdendo, ſolo Dei intuitu, quo vnigenitum reſpicit pater, hæc omnia mundari. ſcimus omnia cum filio nobis donaſſe Deum, ſcimus ſcimus, in ipſo & per ipſum nos gratos eſſe Deo, ſcimus à gratia fluere, quidquid meriti & laudis eſt in actionibus noſtris. noli bonum noſtrum interturbare, noli veris falſa admiſcere. à Chriſti morte factum eſt, vt vita æterna ſit brauium, ſit corona, ſit pręmium, ſit manna abſconditum vincenti deſtinatum, ſit nomen nouum, ſit ſtipendium, ſit merces, ſit retributio, ſit, quid non? ſine me, obſecro. num ob id à Deo hæc dicuntur, quòd opera noſtra tantùm ſunt filiorum quædam impreſſæ notæ, non cauſſæ? meditationes in gloriam, non media & inſtrumenta conſequendæ beatitudinis? quaſi præparationes, non merita?

Quòd locus ille Pauli, Abraham non ex operibus iuſtificatus eſt, ſed ex fide, non contradicit Iacobi dicto, Abraham ex operibus iuſtificatus eſt.

CAP. LXX.

Nimium torquetur Caluinus, dum eum locum Iacobi enarrat, Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi fidem meam ex operibus.
Iacob.2. Tu credis, quòd vnus eſt Deus. benefacis: & dæmones credunt, & contremiſcunt. vis autem ſcire ô homo in-
Geneſ.22. anis, quoniam fides ſine operibus otioſa eſt? Abraham, pater noſter, nónne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt? & ſuppleta eſt ſcriptura, dicens, Cre-
Geneſ.15. didit Abraham Deo, & reputatũ eſt illi ad iuſtitiam, &
Rom.4. amicus Dei appellatus eſt. videtis, quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm? Simili-
Galat.3. ter autem & Rahab meretrix, nónne ex operibus iuſti-
Ioſue 2. ficata eſt, ſuſcipiens nuntios, & alia via eiiciens? ſicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt: ita fides ſine operibus mortua eſt. Libet tamen te pauliſper auſcultare verbum hoc apoſtoli enarrantem. adeſte, rogo vos,
Cal.ſect.72 animis, quotquot Chriſto nomen veſtrum dediſtis. *Certè de iuſtitiæ declaratione, non imputatione, Iacobum loqui apparet. Ac ſi diceret, Qui vera fide iuſti ſunt, ij ſuam iuſtitiam obedientia, boniſque operibus probant, non nuda & imaginaria fidei larua. In ſumma non diſputat, qua ratione iuſtificemur: (id enim iam diuus Paulus explicuerat. quòd per fidem) ſed iuſti-*
Rom.4. *tiam operatricem à fidelibus requirit*: quid ſi de eiuſdem rationis iuſtificatione vterque apoſtolus loquebatur? quid ſi Paulus, quando dicit, ſine operibus legis iuſtificari hominem, atque Abraham non ex operibus fuiſſe apud Deum iuſtificatum, ſed per fidem, de operibus præcedentibus fidem, & quæ naturæ, aut legis tantùm virtutem ſapiunt, non de profectis ex fide intelligendus eſt? quid ſi diuus Iacobus de iuſtificatione ipſa, aut de ipſius augmento, quòd ea operibus fidei habeatur, & augeatur, donec perfecta ſit in patria, non de probatione ſolùm, non de declaratione, aut teſtimonio interpretandus eſt? quid in ſumma ſi quod Paulus docuit non

poſſe conuenire operibus, vt auctores ſuos iuſtificent apud Deum, Iacobus explicet, Modò non ſint ex fide? rurſum, quid ſi quod Iacobus dicit, Operibus iuſtificatum eſſe Abraham apud Deum, Paulus declaret, hoc ideò fuiſſe, quòd à fide proceſſerint, quæ noſtræ iuſtificationis initium & fons eſt? quid erit, Caluine, pretij ſi ſic rem ſe habere oſtendero? ſilebíſne? Verùm interim, quod loquitur Auguſtinus, auctor vtrique noſtrûm admodum gratus, mihi verò multò te melior habitus, taceamus nos, & cui palmam ipſe tribuerit, fruatur ea ille bonis auibus.

Auguſtini verba de iuſtificatione, & meritis iuſtorum.

APoſtolus, cùm commendaret iuſtitiam, quæ ex fide eſt, aduerſus eos, qui gloriantur de iuſtitia, quæ eſt ex operibus, ait, Quid ergo dicemus inueniſſe Abraham, patrem noſtrum, ſecundum carnem? ſi enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. auertat dominus talem gloriam. ſed illud potiùs audiamus, Qui gloriatur, in domino glorietur. Multi ergo gloriantur de operibus, & inuenies multos Paganos propterea nolle fieri Chriſtianos, quia quaſi ſufficiunt ſibi bona, de vita ſua. Bene viuere opus eſt, ait. quid mihi precepturus eſt Chriſtus, vt bene viuã? iam bene viuo, quid mihi neceſſarius eſt Chriſtus? nullũ homicidium, nullũ furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupiſco, nullo adulterio contaminor. nam inueniatur in vita mea aliquid, quod reprehendatur: & qui reprehenderit, faciat Chriſtianum. Habet gloriam, ſed non ad Deum. non autem ſic pater noſter Abraham. Hæc autem ſentẽtia apoſtoli ad hoc vult intentionẽ noſtram dirigere: quia enim fatemur, & ipſa eſt fides noſtra, de ſancto patriarcha, qui placuit Deo, vt dicamus eum, & nouerimus ad Deum habere gloriam, ait apoſtolus, Certè notum eſt nobis & manifeſtum, quoniam Abraham ad Deum habet gloriam. at ſi ex operibus iuſtificatus eſt Abraham, habet gloriam, ſed non ad Deũ. ad Deum autem habet gloriam, non ergo ex operibus

Auguſt. in præfat. pſal. 31.

1. Cor. 1.

iuſtificatus eſt. ſi ergo non ex operibus iuſtificatus eſt Abraham, vnde iuſtificatus eſt? ſequitur, & dicit, Vnde. quid enim ſcriptura dicit? id eſt, vnde dicit ſcriptura iu-
Galat.3. ſtificatum Abraham? Credidit autem Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. ergo ex fide iuſtificatus eſt Abraham. iam qui audit, non ex operibus, ſed ex fide, obſeruet illam voraginem, de qua locutus ſum. Vides ergo, quia ex fide, non ex operibus iuſtificatus eſt Abraham. faciam ergo quidquid volo: quia & ſi bona opera non habuero, & tantùm credidero in Deum, deputabitur mihi ad iuſtitiam. ſi dixit & decreuit, lapſus dimerſus eſt: ſi adhuc cogitat & fluctuat, periclitatur. ſcriptura autem Dei, verúſque intellectus non ſolùm periclitantem à periculo liberat, ſed & dimerſum è profundo eleuat. Reſpondeo ergo, tanquam contra apoſtolum, & dico de ipſo Abraham, quod inuenimus etiam in epiſtola alterius apoſtoli, qui volebat corrigere homines, qui malè intellexerant iſtum apoſtolum. Iacobus enim in epiſtola ſua contra eos, qui nolebant bene operari de ſola fide præſumentes, ipſius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem. et non ſunt ſibi aduerſi apoſtoli. dicit autem opus omnibus notum, Abraham filium ſuũ immolandum Deo obtulit. magnum opus, ſed ex fide. laudo ſuperædificationem operis, ſed video fidei fundamentum. laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem. ſi enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodeſſet, qualecunque illud opus eſſet. rurſum ſi ſic teneret fidem Abraham, vt cùm ei Deus imperaret offerre ſibi immolandum filium ſuum, diceret apud ſemetipſum, non facio, & tamen credo, quia me
Iacob.2. etiam contemnentem iuſſa ſua liberat Deus, Fides ſine operibus mortua eſſet, &, tanquam radix ſine fructu, ſterilis, atque arida remaneret. quid ergo? debemus nul-
2. ſent. diſt. 40. cap. 1. & 42. c. Alij verò qui. Opera ſine fide inania ſunt
la opera præponere fidei, id eſt, vt ante fidem quiſquam dicatur bene operatus? ea enim ipſa opera, quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt, ita mihi videtur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam. nemo ergo computet bona opera ſua ante fidem. vbi fides non erat, bonum enim opus intentio fecit, intentionem fides dirigit. Non val-

de attendas, quid homo faciat, ſed quid cùm facit, aſpiciat, quò lacertos optimæ gubernationis dirigat. fac enim hominem rectè gubernare nauim, & perdidiſſe quò tendit: quid valet, quia antennam optimè tenet, optimè mouet, dat proram fluctibus, cauet ne latera infligantur, tantis eſt viribus, vt detorqueat nauim quò velit, atque vnde velit & dicatur ei, Vſquequò is? & dicat, Neſcio, aut non dicat, Neſcio, ſed dicat, Ad illum portũ eo: nec ducat in portum, ſed in ſaxa feſtinet: nónne iſte, quantò ſibi videtur in naui gubernanda agilior, & efficacior, tantò periculoſiùs eam ſic gubernat, vt ad naufragium properando perducat? talis eſt, & qui optimè currit præter viam. nónne ergo erat melius & tolerabilius, vt eſſet gubernator ille aliquanto inualidior, vt cum labore, & aliqua difficultate gubernacula regeret, & tamen rectum debitúmque curſum teneret? rurſúmque ille pigriùs etiam & imbecilliùs, tamen viam ambularet, quàm præter viã fortiter curreret? optimus ergo ille, qui & viam tenet, & bene ibi ambulat. ſequenteis autem ſpei, qui etſi aliquantulum claudicat, non omnino errat, aut remanet, ſed progreditur, etſi paulatim. fortaſſe enim bene ſperandum eſt eum, quò tendit, etiam tardiùs peruenturum. Ergo, fratres, ex fide iuſtificatus eſt Abraham: ſed ſi fidem opera non præceſſerunt, tamen ſecuta ſunt. nunquid enim fides tua ſterilis erit? ſi ſterilis non es, ſterilis non eſt ipſa. aliquid mali credidiſti, & igne malitiæ tuę radicem tuæ fidei concremaſti. tene ergo fidem operaturus. Sed dicis, Non hoc ait apoſtolus Paulus: immo hoc ait Paulus apoſt. Fides, inquit, quæ per dilectionẽ operatur. & alio loco, Plenitudo ergo legis charitas. & alio loco, Omnis enim lex in vno ſermone impletur: eò quòd ſcriptum eſt, Diliges proximum tuum, tanquam te ipſum. vide, ſi non vult te operari, qui dicit, Non adulterabis, non homicidium facies, non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc ſermone recapitulatur, Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. dilectio proximi, malum non operatur, plenitudo autem legis, charitas. nunquid charitas permittit aliquid mali te facere ei, quem diligis? ſed fortè tantummodo mali nihil facis, non etiam aliquid bo-

pro vita æterna conſequenda..

Rom.4.

Galat.5.

Rom.13.

Matt.22.

Exod.20.

Galat.5.

ni. ergo nec caritas permittit te non præſtare ei quidquid potes,quem diligis.nónne illa eſt caritas , quæ orat etiam pro inimicis? ergo deſerit amicum,qui bene optat inimico? itaque ſi fides ſine dilectione ſit, ſine opere erit. Ne autem multa cogites de opere fidei,adde illi ſpem, & dilectionem,& noli cogitare,quid opereris.ipſa dilectio vacare nõ poteſt.quid enim de quoquam homine, etiam malè operatur,niſi amor ? da mihi vacantem amorem & nihil operantem , Flagitia, adulteria , facinora , homicidia,luxurias omnes, nónne operatur ? purga ergo amorem tuum,aquam fluentem in cloacam conuerte ad hortum . quales impetus habebas ad mundum , tales habeas ad artificem mundi. Non vobis dicitur , Nihil ametis, abſit.pigri,mortui, deteſtandi, miſeri eritis, ſi nihil ametis . amate : ſed quid ametis, videte.amor Dei, amor proximi , charitas dicitur . amor mundi, amor huius ſæculi, cupiditas dicitur . cupiditas refrenetur , charitas excitetur . ipſa enim charitas bene operantis dat ei ſpem bonæ conſcientiæ : ſpem enim gerit bona conſcientia.quomodo mala conſcientia tota in deſperatione eſt , ſic bona conſcientia tota in ſpe, Et erunt tria hæc , de quibus dixit apoſtolus , Fides, ſpes , charitas . & alio loco ipſa tria,ſed pro ſpe bonam conſcientiam poſuit, Finis enim præcepti eſt, dixit . Quid eſt finis præcepti ? quo perciuntur præcepta, non quo conſumuntur . aliter enim dicimus , finitus eſt cibus , aliter dicimus, finita eſt tunica,quæ texebatur. finitur, vt perfecta ſit . & hîc finis dicitur, & ibi . non ergo hîc finem præcepti dixit , quo quaſi pereant præcepta,ſed quo perficiantur , & conſummentur,non conſummantur . finis ergo propter tria illa: Finis,inquit,præcepti eſt caritas de corde puro , & conſciẽtia bona,& fide non ficta.Pro ſpe,conſcientiã poſuit. ille enim ſperat,qui bonã conſcientiã gerit. quem verò pungit mala conſcientia,retrahit ſe à ſpe,& non ſibi ſperat niſi damnationẽ. vt ergo ſperet regnum , habeat bonam conſcientiam : & vt habeat bonam conſcientiam, credat,& operetur.quia quod credit, fidei eſt, quod operatur,caritatis eſt. Ergo illo loco à fide cœpit apoſtolus, Fides,ſpes,charitas.alio loco,ab ipſa charitate cœpit,Charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide nõ ficta.

Otioſa eſſe fides poteſt, dilectio verò non.

Spes non à Chriſti paſſione tantũ cõcipitur,ſed à bona conſcientia.

1.Cor.13.

1.Tim.13.

Ille ſperat , qui bonam conſciãtiam gerit.

Credere eſt opus fidei , operari charitatis.

modò nos à medio cœpimus ab ipſa conſcientia & ſpe. Qui vult,inquã, habere bonã ſpẽ,habeat bonã cõſciẽtiã, vt autẽ habeat bonã conſcientiã,credat,& operetur.à medio imusad initiũ.& finẽ:credat,& operetur.quod credit, fidei eſt,quod operatur,caritatis eſt. Quomodo ergo dicit apoſtolus, iuſtificari hominẽ ſine operibus ex fide,cũ alio loco dicat,Fides,quæ per dilectionẽ operatur? nõ ergo Iacobũ apoſtolũ Paulo,ſed ipſum Paulum ipſi Paulo opponamus:& dicamus ei, At,nos quodammodo permittis impunè peccare , cùm dicis, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam , arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus.ſed adhuc dicis,Fides, quæ per dilectionem operatur.quomodo hac quaſi ſecurus fio, ſi operatus non fuero : hac autem nec ſpem , nec ipſam fidem videor habere bonam, niſi operatus fuero per dilectionem ? te ipſum audi ô apoſtole . certè fidem mihi hîc ſine operibus vis commendare , opus autem fidei dilectio eſt : quia dilectio vacare non poteſt , niſi & mali nihil operetur , & quidquid poteſt boni , operetur. quid enim facit dilectio? Declina à malo,& fac bonum. hanc ergo fidem ſine operibus commendas, & alio loco *Pſal.* 83. dicis, Et ſi fidem habeam,ita vt montes transferam, cari- 1.*Cor*.13. tatem autem non habeam,nihil mihi prodeſt.ergo, ſi nihil mihi prodeſt fides ſine caritate,caritas autem vbi fuerit,neceſſe eſt,vt operetur,fides ipſa per dilectionem operatur.quomodo ergo iuſtificabitur homo per fidem ſine operibus ? Reſpondet ipſe apoſtolus , Propterea hoc tibi dixi ô homo, ne quaſi de operibus tuis præſumere videreris,& merito operum tuorum te accepiſſe fidei gratiã. noli ergo præſumere de operibus ante fidem . noueris, quia peccatorem te fides inuenit , & ſi te fides data fecit iuſtum,impium inuenit, quo faceret iuſtum . Credenti, inquit,in eum,qui iuſtificat impium,deputaturfides eius *Rom*.4. ad iuſtitiam . ſi iuſtificatur impius , ex impio fit iuſtus: ſi ex impio iuſtus fit,quæ ſunt opera impiorum?iactet etiam impius opera ſua,& dicat,Do pauperibus, nihil alicui aufero,non vxorem alienam concupiſco , non quenquam occido, nulli fraudem facio, depoſitum apud me nullo teſte repræſento . hæc omnia dicat,quæro , vtrùm pius ſit,an impius? Et quomodo ſum impius, inquit, iſta

Rom. 1. faciens?quomodo illi,de quibus dictum eſt, Et ſeruierũt creaturæ potiùs,quà creatori,qui eſt benedictus in ſæcula. ecce modò es impius.quid ſi de his omnibus bonis operibus aut illud ſperas,quod ſperandum eſt, ſed non ab illo,à quo ſperandum eſt:aut hoc ſperas, quod ſperãdum non eſt,etiam ab illo,à quo æterna vita ſperanda eſt?pro noſtris operibus ſperaſti terrenam quãdam felicitatem, impius es,non eſt iſta merces fidei. cara res eſt fides, vili illam addixiſti. impius ergo es, & nulla ſunt iſta opera tua: moueas licèt in bonis operibus lacertos, & videaris nauim optimè gubernare, in ſaxa feſtinas.quid, ſi quod ſperandum eſt,ſperas,id eſt,vitam æternam, ſed non à domino Deo per IESVM Chriſtum, per quem ſolum datur vita æterna:ſed putas te ad vitam æternam poſſe peruenire per militiam cæli,per Solem & Lunam,per poteſtates aeris,& maris, & terræ, & ſiderum: impius es. ſed crede in eum, qui iuſtificat impium, vt poſsint & bona opera tua eſſe opera bona.nam nec bona illa appellauerim, quàm diu non de radice bona procedunt. Quid eſt hoc? aut vitam temporalem ab æterno Deo ſperas, aut vitam æternam à dæmonibus ſperas: in quãlibet partem impius es,corrige fidem,dirige fidem, dirige viam, & ſi habes bonos pedes,ambula iam ſecurus, curre, viam tenes.quantò meliùs cucurreris, tantò faciliùs peruenies. ſed fortè claudicas aliquãtulum,ſaltem à via noli recedere,& ſi tardiùs peruenturus es,noli remanere, noli retrò conuerti,noli deuiare.Quid ergo?qui ſunt beati? non in quibus non inuenerit Deus peccatum: nam in omnibus inuenit.omnes enim peccauerunt,& egent gloria Dei. ſi ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet, vt non ſint beati, niſi quorum remiſſa ſunt peccata. Hoc ergo apoſtolus ſic commendauit, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. & ei, qui operatur, id eſt, de operibus præſumit, & eorum merito ſibi dicit datam eſſe gratiam fidei,merces non imputatur ſecundum gratiam,ſed ſecundum debitum.quid eſt hoc,niſi quòd merces noſtra gratia vocatur?ſi gratia eſt,gratis datur. Quid eſt gratis datur? gratis conſtat. nihil boni feciſti,& datur tibi remiſsio peccatorum.attenduntur opera tua,& inueniũtur omnia mala.ſi quod debetur illis operibus, Deus

Quantò meliùs cucurreris, tantò faciliùs peruenies.

redderet, vtique damnaret. ſtipendium enim peccati mors. malis operibus quid debetur, niſi damnatio? bonis quid debetur? regnum cælorum. tu autem in malis operibus inuentus es: ſi reddatur tibi quod debetur, puniendus es. Quid ergo fit? non tibi Deus reddit debitam pœnam, ſed donat indebitam gratiam. debebat vindictam, dat indulgentiã. Incipis ergo eſſe in fide, per indulgẽtiã: iã fides illa aſſumpta ſpe, & dilectione incipit operari. ſed nec nũc glorieris, & extollas te. memẽto, à quo in via poſitus ſis: memẽto, quia & ſanis pedibus & velocibus errabas: memẽto, quia etſi lãguebas, & in via ſemiuiuus iacebas, leuatus es in iumentũ, & perductus in ſtabulũ. Ei autẽ, inquit, qui operatur, merces nõ imputatur ſecũdũ gratiam, ſed ſecundum debitum. Si vis eſſe alienus à gratia, iacta merita tua. ille autem videt quid ſit in te, & nouit quid cui debeat. ei verò, qui nõ operatur, quid? ecce pone aliquẽ impiũ peccatorem, non operatur: quid autem credit? credit autẽ in eum, qui iuſtificat impiũ. ex eo enim, quia non operatur: quid autem credit? credit autem in eum, qui iuſtificat impium. ex eo enim, quia non operatur bene, impius eſt. & ſi bona videatur facere: tamẽ quia facit ſine fide, nec bona vocanda ſunt. credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, deputatur fides eius ad iuſtitiam, ſicut & Dauid dicit beatitudinẽ hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus. iuſtitiam quam? fidei, quam bona opera non præceſſerunt, quam bona opera conſequuntur. Intendite ergo vos, alioquin malè intelligendo proiicietis vos in illam voraginem impunè peccandi, & ego liber ſum, ſicut ipſe apoſtolus ab omnibus malè intelligentibus liber fuit. libenter enim malè intellexerunt, ne bona opera ſequerentur. nemo iactet bona opera ſua ante fidem, nemo ſit piger in bonis operibus, accepta fide. Dat Deus ergo indulgentiam omnibus impiis, & eos iuſtificat ex fide.

Bonis operibus debetur regnum cælorum.

VIDES, quòd Abraham filium ſuum immolandum Deo obtulit, magnum quidem opus feciſſe, ſed ex fide. vides, laudari ſuperædificationem operis, ſed in fidei fundamento. vides, prædicari fructum boni operis, ſed in fidei radice. vides, quàm conueniat Paulo cum altero apoſtolo. vides, inania eſſe ad æternam vitam opera, quæ ex

ſide non ſiunt. vides, poſſe vacare ſidem, & otioſam eſſe, non ipſam dilectionem. vides, ſpem à bona conſcientia ſumi. vides, eum, qui bonam conſcientiã habet, iure optimo ſperare poſſe. vides, opus ſidei eſſe, credere, operari verò ad caritatem pertinere. vides, quòd quantò meliùs cucurrerimus, tantò faciliùs perueniemus. vides, bonis operibus regnum cælorum deberi. Hæc quia vera eſſe credimus, quia hæc confitemur, quia hanc ſidem catholicam eſſe dicimus, nos Rabinos, Phariſæos, Pelagianos, ſophiſtas, nebulones, nullius frontis homines, beſtias, rabulas appellas. Verùm ego ad ſinem propero.

Quantò feliciùs ab aduerſariorum cauillis catholica veritas ſeſe vindicet, quàm illi à noſtris rationibus ſe liberare queant. CAP. LXXI.

OMitto libenter eos locos, quibus ſuã iuſtitiam ſideles examinandam Dei iudicio audacter offerunt.
Pſal.7. quales ſunt, Iudica me domine ſecundum iuſtitiam meã, & ſecundum innocentiam meam, quæ ſunt in me. item,
Pſal.17. Exaudi Deus iuſtitiã meam. Probaſti cor meum, & viſi-
Pſal.18. taſti nocte, & non eſt inuenta in me iniquitas. item, Retribuet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi: quia cuſtodiui vias domini, neq; impiè geſsi à Deo meo. & ero immaculatus, & obſeruabo me ab iniquitate mea.
Prouer.10. In ſemita iuſtitiæ eſt iuſtitia, & nõ mors, dicit Salomon. qua ratione & Ezechiel perhibet, vitam victurum, qui
Ezech.18. iudicium & iuſtitiam fecerit. Hæc omnia quàm iſti inficientur, & obſcurent, nemo eſt, quin videat: quoniam vanis interpretationibus ea corrumpunt. Sed nihil hîc morabor: tantùm tria pertractanda eſſe cenſeo, quæ ſumma diligentia à nobis conſiderari iſti poſtulant, ac totidem, quæ nos ab ipſis obſeruari iuxta ſcripturas efflagitamus. experiemur diſcrimine aperto, qui ſuis conſiderationibus magis ſtudeant. Petunt illi à nobis, vt meminerimus, regnum cælorum non ſeruorum ſtipendium eſſe, ſed filiorum hæreditatem. petunt ſecundò vt obſeruemus, iis bonis munerari Deum ſanctorum opera, quæ eis iam antè æterna ſua prædeſtinatione cogitata opera dederat, nihil dum cauſſæ habens, cur ipſis benefaceret, niſi ſuam miſericordiam. tertiò demum petunt, ne veli-

Tria poſtulant à nobis noui euãgelici.

limus beatitudinem partiri, vt partim ex Deo, partim ſit ex nobis. His tribus vnica reſpōſione faciemus ſatis. Verum eſt, quòd beatitudo eſt filiorum hæreditas, ſed quam non poſſis adire, niſi teſtatoris voluntatem ſemel executus fueris. ea eſt, Si vis in vitam ingredi, ſerua mandata. verum eſt, quòd æterna vita non eſt ſtipendium ſeruorũ, immo multò magis omnia opera ſanctorum quidam effectus ſunt æternæ illius electionis, cùm Paulus dicat, Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto IESV, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in his ambulemus: ſed quam nunquam iuxta diuinas leges aſſequamur, niſi operibus gratiæ. porrò, quàm hæc ſint vera, Paulus nos docet, ad Romanos ſcribēs. Ipſe enim ſpiritus, inquit, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. ſi autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur. exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vides filiorum hæreditatem: vides ſanctorum glorificationem: vides iuſtorum anguſtias, & compaſsionē: vides bonorum operũ acceptationē, cùm natura ſua nihil minus habeant, quàm quòd æterna illa & inuiſibilia bona æquent. Rurſus idem Paulus, Confidimus autem fratres, inquit, de vobis meliora & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur. nō enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quã oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis. cupimus autem vnumquēque veſtrûm eandem oſtentare ſolicitudinem, ad expletionē ſpei vſque in finem, vt nō ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientia hęreditabunt promiſsiones. O diuinum apoſtoli verbum. Ad expletionem, inquit, ſpei. &, Qui fide & patientia hæreditabunt promiſsiones. Non fruſtratur, aut ludit electos dominus, Caluine, cùm ait, gratis ſe ante opera in vitam deſtinaſſe, quod nunc dicit, ſe operibus rependere: quoniã qui ſuos ab æterno elegit, vt eſſent ſancti, idem ipſe ſtatuit, operibus ſanctitatis ſe ipſum præmium, coronam, ſtipendium, atque finem ſtatuere. elegit ſine merito ad vitam, quam nunquam dabit, (loquor de adultis) abſque meritis operum. Hæc vna cauſſa eſt, quòd etſi ante na-

Galat. 4.
Ephes. 2.
Rom. 8.
Heb. 6.

tiuitatem Iſaac promiſſum erat Abrahæ ſemen, in quo benedicerentur omnes terræ nationes: multis tamē poſt annis, vt erat oraculo iuſſus, Abraham ad filium immolandum ſe accingit: & iſta obedientia defunctus, meruit accipere repromiſsionem. Per memetipſum iuraui, dicit dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo proprio vnigenito. benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, quia obediſti voci meæ. Quid audimus? ergo obedientia ſua effectum recipit Abraham eius gratiæ, cuius promiſsionem acceperat antè, quàm ederetur præceptum. his profectò citra ambages tenemus, non niſi ſimilibus obedientiæ operibus, ea nos bona aſſequi, quæ electis ſuis, nihil dum cauſſæ habens, cur ipſis benefaceret, niſi ſuam miſericordiam, ante mundi conſtitutionem præparauit. Quòd verò redemptionis, aut beatitudinis noſtræ myſterium nos non partiamur, neque diuidamus, optimè diuus Auguſtinus his verbis explicat: Cui redderet iuſtus iudex coronam, ſi non donaſſet gratiam miſericors pater? & quomodo eſſet iuſtitia, niſi præceſsiſſet gratia, quæ iuſtificat impium? quomodo iſta debita redderentur, niſi priùs illa indebita darentur? Vno igitur ore omnes fatemur, gratiam eſſe vitam æternam, quòd gratuitis Dei donis reddatur, dum operibus rependitur.

Gen. 15. 17. & 18.

Gen. 22.

1. Corint. 2.

Augu. ad Valen. de gra. & lib. arbitrio.

VIDIMVS tria illa, quæ à nobis iſti petebāt, & quo pacto nos ipſos ab eiuſmodi laqueis expediamus: ſupereſt, vt reſpondeant nobis ad totidem tria, quæ illis vltra ſcripturas & ſanctos obiicimus. Quòd homines ab ſtudio bonorum operum abducant, quòd bona opera videātur abolere, quòd quaſi inuitari exiſtimentur ad peccandum homines, quò in ipſis Dei gratia magis perluceat. Certè quidquid ipſi comminiſcantur, negare nō poſſunt, nulla re noſtros animos magis affici, quàm beatitudine. quamobrem, licèt multos poſsis admouere ſtimulos, quibus ad bonum incitentur homines, nemo poſsit acriores adiicere, quàm à propoſito operibus noſtris aut prǫmio, aut ſupplicio. non parum, fateor, allicimur & excitamur ad rectè faciendum redemptionis ac vocationis noſtræ fine, cùm audimus, ſanguine Chriſti mundari conſciētias noſtras ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuen-

Tria ponderātur cōtra eos, qui meriti rationē à bonis operibus ſeiungunt.

Hebr. 9.

Luce 1.

ti,vt ſine timore ſeruiamus illi in ſanctitate, & iuſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ:cùm item audimus, in hoc apparuiſſe gratiam domini,vt abnegata omni impietate,ſobriè & piè viuamus:nos eſſe templum ſpiritus ſancti,quod profanari ſit nefas:nos lucem eſſe,nō tenebras, vt oporteat nos,vt filios lucis,ambulare:nos non ad immunditiem vocatos,ſed ad ſanctitatem,quia hæc ſit voluntas Dei,ſanctificatio noſtra:cùm etiam audimus, vocationem noſtram eſſe ſanctam, eíque non reſponderi, niſi vitæ puritate:in hoc nos eſſe liberatos à peccato, vt iuſtitiæ obediamus,vt mutuò nos diligamus, quemadmodum Deus diligit nos:cùm audimus,nos, ſi Chriſto adhęremus,vnius eiſe corporis mēbra, quę inuicem adiuuari mutuis officiis conueniat:item cùm audimus, omnes,qui habent hanc ſpem,ſanctificare ſe ipſos,quoniā Deus eorum ſanctus eſt:cùm poſtremò Chriſtum audimus,ſe nobis exemplar proponentem,vt ſua veſtigia ſequamur. Verùm,ſi quod vnuſquiſque fidelium apud ſe experitur,dicere nobis hic licet, nulla re magis acuitur, & in bonum prouocatur hominis mens, quàm cùm audit ſanctos, ſuis operibus Dei dono firmatis & roboratis,cęlorum regno vim intuliſſe,dęmonem viciſſe,Deum ſibi emeruiſſe,iuſtitię coronam penes iudicem repoſitā inuenìſſe,mercedem ſuorum laborum recepiſſe, nomen nouum acquiſiuiſſe,quod nemo nouit,niſi qui accipit ab eo,qui eſt ſanctorum merces & corona, fidei noſtræ auctor & conſummator,electorum ſuorum lux, veritas, & æterna vita, Chriſtus IESVS: cui ſit honor in gloria ſanctorum. amen.

Tit.2. *1.Theſſal.5.* *1.Corin.3.* *Epheſ.2. & 5.* *2.Corin.6.* *1.Theſſ.4.* *1.Ioan.4.* *Roman.6.* *1.Ioan.3.* *Ioan.15.* *Mat.11.* *Hebr.13.* *Mat.15.* *Apoc.2.* *Mat.5.* *Heb.12.* *Ioan.14.*

Libri primi finis.

LOCORVM CATHOLI-
CORVM PRO ORTHO-
doxa ac veteri fide retinenda,

De ſcripturæ ſanctæ maieſtate, & eccleſiæ ac conciliorum auctoritate,

LIBER II.

F. Franciſco Horantio Hiſpano auctore.

NON verebor affirmare, Chriſtiane lector, ſi non omnes, aliquot tamen iſtorū hominū malitioſas interpretationes, quibus Dei verbum quotidie tentant, me tibi ſuperiori libro retexiſſe. en iam tibi alter, vbi eccleſiaſtica modeſtia cum hæretica improbitate, veritas cum mēdacio, ſanctitas cum turpitudine, ſcientia cum errore pugnat. quare liber hic in eiuſmodi Caluinianis conuiciis refellendis, quæ in ſua epiſtola contra vniuerſalem eccleſiam, atque concilia euomuit, totus conſumetur. vt quam ſemper in eccleſia diuinæ legis ſcientiam collocatam audiuimus, auctoritatem ſuſpeximus, multorum locorum legitimos ſenſus per ipſam accepimus, nunc etiam ea omnia, quaſi in tutiſſimo præſidio, aſſeruari perpetuò, regnaréque feliciſſimè & videamus, & experiamur. molitur, vt video, hæc cuncta ſumma cum iniuria è noſtris manibus extorquere Caluinus: verùm ſolitos triumphos acturam ve-

ritatem de mendacio non dubitamus. Habes & hîc lector multa, quæ tibi optimè declarabũt, Dei verbum ex vniuerſalis eccleſiæ & conciliorum ſenſu pendêre, item & falſum eſſe, nihil nos credere debere, quod in arcanis litteris expreſſum non legamus, poſtremò etiam exitioſum illud eſſe, quod vulgò iactitant hæretici, diuinam ſcilicet ſcripturã inter omnes conſtare debere: vt vel ſic in Chriſti eccleſiã, quæ admirabilẽ in his rebus modũ ſeruat, male ſanos quorundã hominũ animos, ſatiſque furentes irritent, & prouocent. At non intra hos fines tantũ nos hic continebimus, ſed plura addemus, in quæ nos reiicient aduerſarij impetus, quibus efferueſcẽs in primo & quarto inſtitutionis ſuæ libro aduerſus innocẽtẽ & indemnatã eccleſiã erũpit. nã ego nunquã hîc imaginũ cultus meminiſſem, niſi hac de re cõcilia cũ cõciliis pugnare ſine ratione iſte fingeret.

Quàm iuſtè cũ nouitatis auctoribus expoſtulet eccleſia, & de Caluini reſponſione non ſatis modeſta: atque tandem breuiter ſumma huius libri traditur CAP. I.

EST hoc longè omniũ certiſsimum, Caluine, vt qui aliorum mores corrigat, & peccata reprehẽdat, nulla in re vnquã ab officij religione declinaſſe eum oporteat. nam qui ab altero rationẽ vitæ repoſcit, neceſſe habet cogitare, indictã mox ſibi legẽ eſſe innocentiæ, continentiæ virtutùmque omniũ, vt iã nõ modò cõmuni volũtate virtutis, atq; officij, ſed etiã quadã magis neceſſaria ratione ſibi rectè honeſteq; viuendũ ſit. qui enim alterius vitæ mores in iudiciũ vocaturus eſt, hoc vnũ cũ primis prouidere debet, ne quod in altero vitium reprehenderit, in eo ipſo depre-

hendatur. quare ſumma cura ſtuduerunt ſemper catho lici impudentiæ hæreticorum aduerſarium opponere, qui vitæ ſuæ integritate, fidei conſtantia, religionis ac pietatis cultu, maiorum ſuorum obſeruantia longè inter omnes præſtaret: quemadmodum nefandi turpiſsimíque ipſorum mores omnium ſæculorum ſcelera facilè vincũt & antecellunt. Ecquis (ſcio quæres) hic ille eſt? is eſt ſanè, cuius ſanctitatem non ſuſtineas Caluine, ad cuius vel nomen paueas, lucis ſplendorem non feras, fortitudinem metuas, atque admirandam potentiam timeas. hæc procul dubio mater eccleſia eſt, eccleſiaſticorum paſtorum vniuerſitas, ſponſi ſui, & ipſiuſmet pulchritudine ſpectabilis, ſanctorum innocentia clara, diuinarum ſcripturarum ditiſsima, martyrum ſanguine roborata, multiplicis victoriæ exuuiis ornata, & ſpoliis aucta. hæc vt cum huiuſmodi ſcelerum auctoribus congrederetur, ſemper perfecerunt, quò ipſe diabolus (de quo quàm glorioſos triumphos in antiquis hæreticis egerit, puto te non latêre) in nouis nunc, qui quotidie ex illorum cineribus nati prodeunt, denuò vincatur. eſt hæc vnigeniti ſponſa (fateor) magis ad defenſiones, quàm ad accuſationes nata: ſed hîc dum iſtos confringit & vrget, non (opinor) ab inſtituto ſuo recedet, poſtquam pietatis ac religionis nũquam conſtabit cauſſa, quàm diu homines iſti, omnis iuſtitiæ & æquitatis euerſores inuicti, atque ſuperſtites remanſerint. neque maiores vllas inimicitias iure eſſe exiſtimo, quàm tam contrarias animorum ſententias ac diſsimilitudines ſtudiorum, & voluntatum. Amabo te Caluine, fidem ſanctiſsimam in vita quæ eſſe oportere putat, potéſtne ei non eſſe infenſa, qui paſtorem eccleſiaſticorum primum honore, gradu, dignitate ſpoliare, relinquere, prodere, oppugnare ſit auſus? pudorem, & pudicitiam quæ colit, poteſt animo æquo iſta ſpiritalia adulteria, meretriciam diſciplinam, caſtitatis violationem, virginitatis Deo ſacratæ corruptionem, domeſticum demum lenocinium videre? quæ religionem, ſacrificiáque immortalis ſacerdotis Chriſti IESV retinere, & iuxta à
Lucæ 22. domino ſibi indictum præceptum, in memoriam ſuæ paſsionis frequentare vult, ei, qui fana omnia ſpoliarit, qui eccleſiaſticum fundum præoccupari à ſacrilegis inuaſoribus

ſtaſoribus crudeliſsimè ſuaſerit, & qui Chriſti crucē cōminuerit, ſanctorum imagines fœdarit, martyrum reliquias eruerit, hoſtis non eſſe qui poteſt? quæ iure æquo eſſe omnes putat oportere, ea non infeſtiſsima ſit hominibus iſtis, Caluine, cùm cogitet ſuarum legum varietatem, libidinémque ſuorum decretorum? quæ noſtris iniuriis, prouinciarúmque multarum incommodis doleat, ea non expilatione Galliæ, non vexatione Heluetiæ, non ſqualore & lacrymis Chriſtiani orbis concitetur? quæ ſuorum filiorum iura ac religionem ſanctam apud omnes haberi vult, ea non iſtis plus etiam, quàm inimica eſſe debeat, cùm dira verbera, cùm ſecures, cùm cruces ad ſui partus ſupplicia per ipſos fixas, recordetur. Sed vt intelligerent omnes, quàm infelici genio, vel fatali quodam morbo ſemper ad nocendum ſatagas, cùm prope omnes ſileant, tu vnus pro omnibus eccleſiæ Chriſti vniuerſæ, pluſquam ferociter inſultas, & quorum criminum reus ipſe agendus eras, omnium eorum inſimulas accuſatorem tuum. callidè tu nimirum, dum aduerſarios anteuertis: ſed diligentiùs tibi cauiſſes, ſi ea omnia ſpicula, quæ in vniuerſos Chriſti paſtores detorques, tibi aſſeruaſſes, ne in innocentes & indemnatos emiſſa, æquiſsimo Dei noſtri iudicio, in ipſum, qui iaculatus eſt, recidant. Quo loco vos precor eccleſiæ principes, vt patienter, quæ crimina in vos omnes iræ impatiens iſte regerit, nunc audiatis. in quibus diſſoluendis totus noſter hic liber inſiſtet, quò liberior & expeditior ſit nobis curſus ad ceteros locos diligenter percurrendos, quos ſua iſta epiſtola complexus eſt. *Intuere iam in aduerſarios noſtros, (de ordine ſacrificiorum loquor, quorum nutu & arbitrio alij nobiſcum inimicitias exercent) & mecum pauliſper reputa, quo ſtudio ferantur. Veram religionem, quæ ſcripturis tradita eſt, negligere, deſpicere permittunt: parúmque referre putant, quid quiſque de Deo & Chriſto teneat vel non teneat, modò implicita, vt aiunt, fide ſuam mentem eccleſiæ iudicio ſubmittat. nec valde afficiuntur, ſi Dei gloriam manifeſtis blaſphemiis pollui contingat, modò ne quis aduerſus ſedis apoſtolicæ primatum, & ſanctæ matris eccleſiæ auctoritatem tollat. Cur ergo tanta ſæuitia & acerbitate pro miſſa, purgatorio, peregrinationibus, & id genus nugis belligerantur; vt ſine eorum explicitiſſima, vt ita dicam, fide ſal-*

Cal. in epi.

nam fore pietatem negent, cùm tamen nihil eorum à verbo Dei eſſe probe. t? cur? niſi quia illis Deus venter eſt, culina religio: quibus ſublatis, non modo non Chriſtianos, ſed ne homines quidem futuros ſe credunt? tametſi enim alij ſplendidè ſe ingurgitant, alij tenuibus cruſtulis victitant: omnes tamen ex eadem viuunt olla, quæ ſine illis fomentis non frigeret modò, ſed penitus conglaciaret. ideo vt quiſque eorum pro ventre eſt maximè ſolicitus, ita pro ſua fide deprehenditur bellator acerrimus. Denique huc ad vnum omnes incumbunt, vel vt regnum incolume, vel vt ventrem refertum retineant: nemo vel minimam ſinceri zeli dat ſignificationem: quid eſt, per Deum immortalem, intemperanti bacchantium more, & æſtu præcipiti, effrenatóque prorumpere, ſi hoc non eſt? quæ iſtis turpiora maledicta ne in flagitioſiſsimis quidem luſtris, & heluationibus à viliſsimis etiã hyſtrionibus iactari ſolent? ô genus facetiarũ crudele, tot aculeis contumeliarum plenum, & omni Chriſtiana ciuilitate vacuum, leuéne tibi videtur, omnes homines, qualeſcunq; ſint, contumeliis inſequi? ſi non omnes, ſed ex noſtris nonnullos modò notauiſſes, ſi non in omnes, ſed in aliquot ſæua iſta tua cenſura animaduertiſſes, ſi aliquorum paſtorum tantùm oſcitantiã, diuinarum ſcripturarum ignorationem, in aſſeruandis ouibus, & paſcendis minimam curam, in diuino cultu aliquantam negligentiam, in amplificando verò cenſu, & in latifundiis collocatam nimiam diligentiam, indefeſſúmque ſtudium, inſectatus hic tu fuiſſes, moréſque reprehendiſſes ſuo muneri & officio minimè conuenientes, & hæc omnia ſumma cum modeſtia, atque manſuetudine Chriſtiana feciſſes: Chriſti zelo exagitatum fuiſſe te crederemus, Chriſti amore accenſum & inflammatum fuiſſe te diceremus: haberéſque inter orthodoxos auctores multos plurimi nominis, quos, videri poſſes, imitari hac in parte te voluiſſe. at, cùm omnes eccleſiæ paſtores abs te malè audiant, omnes infinitis malis oneres, omnibus vehementiſsimè maledicas, omnes apud tuos maledictis vellices, verbis laceres, contumeliis grauiſsimis vexes, ſermone ferias, ſiſque tandem nulli non contumelioſus, omnibus iniurioſus, quis, obſecro, iſtam tuæ linguæ procacitatem, atque immenſæ petulantiæ morbum non acerbè & iniquè patiatur? *Nemo,* inquis,

vel minimam ſinceri zeli dat ſignificationem: ô vos miſeri doctoris huius diſcipuli, ſi vnquam fuiſtis amantes religionis Chriſtianæ, ſi vnquam vobis Chriſti IESV benignitas & tolerantia probata fuit, ſi apoſtolica modeſtia laudata, ſi antiquorum patrum ſumma cum prudentia coniuncta manſuetudo, à vobis commendata aliquando fuit, cauete, vos rogo, tam ſuſpicioſam & maledictam ſcholam, fugite, precor, maleuolum iſtum conuiciatorem, cui nec ex omni parte Deus ipſe placet & probatur: aliorum exemplo diſcite, quoniam nec vobis quidem ipſis ignoturus eſt, ſi quando in quem maledictum ſuum genuinum frangat, illi deſit. Ego porrò in ſummis eccleſiaſticis, & in ſummis paſtoribus ſic exiſtimo, quattuor has res ineſſe oportere, ſcientiam diuinæ legis, vitę integritatem, auctoritatem, multarum rerum experientiam. videte nunc per Deum, videte, cogitate omnes mecum reformatiſsimi theologi dictata, formulas & phraſes. en in vna minimè longa declamatione vniuerſa hæc ab eccleſia aufert: adimit verò religionis ſcientiam, dum ſcripturam diuinam facilè illam negligere frequēs calumniatur: aufert virtutem, dum non valde affici nos, ſi Dei gloriam manifeſtis blaſphemiis pollui videamus, acriter opponit: auctoritatem frangit his verbis, *Quibus Deus venter eſt, culina religio*: expertos cunctos eſſe negat, cùm pro meris nugis ſeriùs & grauiùs belligerantes nos facit. Non tu ſanè quidem iſtam eloquentiam à Chriſto didiciſti, qui ſe magis ad benedicēdum, & ad defenſionem, quàm ad maledicendum, & ad accuſationem natum, iam iam moriturus pro inimicis orans egregiè expreſsit. non à Paulo ſanctiſsimo, qui inter cetera vitæ ſuæ ornamenta illud in primis reponebat, quòd cùm malediceretur, benediceret, cùm iniuriam pateretur, animo infracto ſuſtineret. quòd ſi Hieronymus ſæpe ſtertentes eccleſiæ præfectos vehementer excitabat, fortique oratione ſua ſacerdotum negligentiam bonorum vigiliis vrgebat: tamen totam illam ſuam lectionē vnius ſacerdotis iudicio corrigendā, Damaſi ſcilicet maximi pontificis, (vtinam id tibi contigiſſet) ſeque totum formandum offerebat. non ab Aurelio Auguſtino accepiſti, qui ex perpetua vſque ad ſe ſa-

cerdotum ſerie à Chriſto domino, & à Petro, qui loco eius ad clauum ſedit, veram eccleſiam apud nos eſſe colligebat. tantum abeſt, vt Chriſti ſacerdotibus vel minimũ obſeruantiæ abrogaret. Cogor dicere, Caluine, fuiſſe ab antiquis hæreticis ortam, á tuis patriarchis auctam, à te demum eam maledicendi effrenem libidinem multis acceſsionibus amplificatam: vt qui ex tua officina prodituri ſint, idem ingenium, & quaſi cum lacte imbibitum habeant. non nimius ero in commendandis patribus, res ſanè digniſsima, quæ & tractaretur à nobis fuſiùs, & ab iſto accuratiùs atque humaniùs expenderetur.

QVANTVS eorum labor nunc ſit in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, conſilium in prouidendo, feruor in deſiderando, quanta pietas in Deum, quanta in ſibi creditum gregem humanitas, quanta omnium eccleſiarum ſolicitudo, teſtis eſt Italia, tanta frequentia paſtorum nobilitata, teſtis eſt Tridẽtinus locus, tanto exemplo recreatus, & in ea, quam ſemper coluit, religione vnicè confirmatus, teſtis eſt locus ipſe pro cõcionibus deputatus: vbi ſacrificorum veræ auditæ ſunt apoſtolicæ voces, lacrymæ ſunt viſæ, multorum perceptæ voces, quæ vniuerſos apoſtolicæ diſciplinæ admonerent. ſubſellia ipſa patrum teſtes ſunt, quanto cum clamore ingeminatum ſit à pluribus, Non tam verbis & ſcripturis contra Lutherum, contra Brentium, & Caluinum, homines maledicos & nouatores, certandum nobis eſſe, quàm quòd vitæ integritate & lacrymis nobis eſſet magis placandus Deus: cuius ira per improborum hominum rabiem immoderatam ſic in nos deſæuit. teſtis eſt ipſa pauperum multitudo, qui ſacrificorum menſas paternas delitias iam appellant. teſtis eſt Chriſtianus orbis, qui nihil nunc præ ſuis paſtoribus amat. quod certè non faceret, niſi iam ſuæ fidei exempla minimè obſcura ab eis accepiſſet. O ſi tibi paululùm per iſtam tuam inſolentiam licuiſſet aliquando, Ioannes, antiqui ſoli veſtigia velle repetere, antiquóſque reuiſere penates: Deũ immortalem, quanto numero patres, viros verè apoſtolicos, Tridenti videres Caluine, ex omnibus orbis Chriſtiani partibus collectos: quorum interdum (qua humanitate ſunt) conſuetudine frueere. ô quàm multos

reperiſſes,quorum in diuinis litteris te terreret mirum in modum verſatus intellectus,morum integritatem ſuſpiceres,maieſtatem admirareris, humanitatem coleres. quid plura? talibus exemplis veteris eccleſiæ non leuiter preſſa,ſed firmiter expreſſa veſtigia intuerere, miréque præſentibus ſimulacris illectus magnorum illorum patrum Euſebij,Hieronymi, Auguſtini, Baſilij memoriam refricaſſes:&,vt mea fert opinio,in his videndis te impudentiſsimarum calumniarum,tuæque maledicẽtiæ mox pigeret. Sed,ne quis me iudicet more Caluiniano,(qui intemperanter apud ſuam gentem ſe laudat,& ante mortem etiam ſuam celebrat, veluti ἀποθεώσιν) viuentium adhuc virtutibus importunum velle me laudatorem adiungere,dabunt mihi veniam patres,quos veſtra præconia incredibili voluptate afficiunt, ſi ego hîc magis reſpiciam,quid ferat modeſtiſsimus pudor veſter atque operis inſtituti ratio, quàm inchoati negotij amplitudo requirat. Primùm ſcripturam ſanctam ab vniuerſalis eccleſiæ ſenſu hîc non patitur Caluinus pendêre: deinde eam ipſam vniuerſam fidei noſtræ religionem vult continere:denique inter omnes debere eã conſtare affirmat, vt ex talibus principiis & ignorationis,ac negligẽtię nos inſimulet,qui eã facilè nobis ipſis & aliis ignorare permittimus,paruíq; referre putamus,quid quiſque de Deo & Chriſto teneat,vel non teneat,modò implicita, vt aimus,fide,ſuam mentem eccleſiæ iudicio ſubmittat. Hæc igitur nunc nobis examinanda eſſe videntur,mox ſingula,quæ ſequũtur,diſcutiemus. iccirco recurramus ad ea, quæ circa hæc à nobis propoſita, in inſtitutione ſua docet,quemadmodum & nos fecimus,& vt faceret,idẽ ipſe Caluinus Franciſcum Chriſtianiſs.admonebat.

Nihil habet Christi eccleſia vtilius diuina ſcriptura, neque firmius: & de illius antiquitate,atque ſumma veritate. CAP. II.

EXtenuari per nos Dei verbum, eius nos auctoritati detrahere,maieſtatem diuinorum miraculorum obſcurare ſi quis obiiciat, quantùm ſua opinione fallatur, paucis hac noſtra confeſsione oſtendemus. Nihil habet Chriſti eccleſia vtilius,nihil verius, nihil firmius diuina

ſcriptura. quamobrem probationes,quatenus fert humana ratio,ſatis firmas ad ſtabiliendam ſcripturæ fidem cum ſanctis afferamus,mox verò ad eam certitudinem confugiamus, quam à ſpiritu diuino habent quolibet humano iudicio & ſuperiorem & maiorem, vt omnis eius ſcripturæ auctoritas,& firmitas à Deo ſit. Principiò mirum, quantum confirmationis ex eo accedat,dum intentiore ſtudio reputamus, quàm ordinata & diſpoſita appareat diuinæ ſapientiæ diſpenſatio, nil terrenum redolens doctrina, pulchra partium omnium inter ſe conſenſio, & præcipuè contemnendorum verborum humilitas,ſublimia regni cæleſtis myſteria loquens. quæ omnia ſecundaria ſunt adminicula ad firmandam ſcripturæ fidem, ad reconciliandam eiuſmodi ſcriptis æternam maieſtatem. tum ſanè ſine vlla dubitatione confirmantur corda noſtra, dum cogitamus, rerum magis dignitate, quàm verborum eminentia in eius nos admirationem rapi. nam & hoc ſine eximia Dei prouidentia factum non eſt, vt ſublimia regni cæleſtis myſteria ſub contemnenda verborum humilitate bona ex parte traderentur: ne,ſi ſplendidiori eloquentia illuſtrata forent, cauillarentur impij eam illius viribus ſolummodo niti. nunc cùm inculta illa, & tantùm non rudis ſimpliciras maiorem ſui reuerentiam excitet, quàm vlla rhetorum facundia,quid iudicari licet,niſi potentiorem & veriorẽ ſacræ ſcripturæ vim eſſe, quàm vt verborum arte vllo pacto indigeat? non ergo abſque ratione apoſtolus Dei

1.Corin. 2. virtute,non humana ſapientia fundatam eſſe fidem Corinthiorum,arguit, quòd ſua inter eos prædicatio; non perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis,ſed oſtenſione ſpiritus & potentiæ commendabilis fuiſſet.ſi quidem ab omni dubitatione vindicatur veritas,vbi non alienis ſuffulta præſidiis, ſola ipſa ſibi ad ſe ſuſtinendam ſufficit. Hæc autẽ virtus,quàm propria ſcripturæ ſit, inde liquet, quòd ex humanis ſcriptis, quamlibet artificiosè expoſitís,nullum omnino perinde ad nos afficiendos valet. lege Demoſthenem,Ciceronem,Platonem,Ariſtotelẽ, aut alios quoſuis ex illa cohorte:mirum in modum (fateor) te allicient,oblectabunt,mouebunt,rapient. verùm inde ſi ad ſacram iſtam lectionem te conferas,ita viuidè te

afficiet, ita cor tuum penetrabit, ita medullis inſidebit, vt præ iſtius ſenſus efficacia vis illa rhetorum ac philoſorum propè euaneſcat: vt promptum ſit perſpicere diuinum quidpiam ſpirare ſacras ſcripturas, quæ omnes humanæ induſtriæ dotes, ac gratias longo interuallo ſuperent. Fateor quidem, prophetis nonnullis elegans & nitidum, immo etiom ſplendidum eſſe dicendi genus, vt prophanis ſcriptoribus non cedat eorum facundia: at talibus exemplis voluit oſtendere ſpiritus ſanctus non ſibi defuiſſe eloquentiam, dum rudi & craſſo ſtylo alibi eſt vſus. ceterùm ſiue Dauidem, Eſaiam, & ſimiles legas, quibus ſuauis & iucunda fluit oratio, ſiue Amos hominem pecuarium, Ieremiam, & Zachariam, quorum ſtylus aſperior ruſticitatem aliquam ſapit: vbique tamen cōſpicua erit illa, quā dixi, ſpiritus maieſtas. nec me latet, vt Satan in multis eſt Dei æmulus, quò ſe fallaci ſimilitudine, meliùs inſinuet in animos ſimplicium, ita impios errores, quibus miſeros homines fallebat, aſtutè ſparſiſſe inculto ſermone & ferè barbaro, & ſępe obſoletis loquēdi formis vſum eſſe, vt ſub hac larua tegeret ſuas impoſturas. ſed quā inanis & putida ſit affectatio vident omnes mediocri ſenſu prædití. Quantum verò ad ſacrā ſcripturam attinet, quamuis multa arrodere conentur proterui homines: conſtat tamen huiuſmodi ſententiis refertam eſſe, quæ humanitus concipi non potuerint. inſpiciantur ſinguli prophetæ: nemo reperietur, qui non longè exceſſerit humanum modum, vt palato prorſus carere cenſendi ſint, quibus inſipida eorum doctrina videatur. Tractarunt alij hoc argumentum copioſè: quò fit, vt pauca tantùm delibare in præſens ſufficiat, quæ ad ſummam totius cauſſæ maximè faciunt. Præter ea, quæ iam attigi, non parum habet ponderis ipſa ſcripturæ antiquitas. nam vtcunque Græci ſcriptores de Aegyptiaca theologia multa fabulentur: nullum tamen cuiuſquā religionis monumentum extat, quod non ſit Moſis ſęculo longè inferius. neque moſes nouum Deum comminiſcitur, ſed quod de æterno Deo longa temporum ſerie à patribus, quaſi per manus traditum, acceperant Iſraelitę, proponit. quid enim aliud agit, quàm vt ad fœdus ipſos reuocet cum Abrahamo initum? quod ſi rem inauditam

De ſacræ ſcripturæ antiquitate.

attuliſſet, nullus erat acceſſus: ſed oportuit liberationem à ſeruitute, in qua detinebantur, rem omnibus notam ac tritam eſſe: vt audita eius mentio protinus omnium mentes erigeret. quinetiam de quadringentorum annorum numero probabile eſt fuiſſe edoctos. nunc reputandum eſt, ſi à tam alto exordio Moſes (qui tamen ipſe tanto interuallo temporum ſuperat alios omnes ſcriptores) repetit doctrinæ ſuæ traditionem, quantum vetuſtate ſcriptura ſacra inter alias omnes emineat: niſi fortè Aegyptiis credere libeat vetuſtatem ſuam extendentibus ad ſex annorum millia ante creatum mundum. Sed cùm profanis etiam quibuſque ſemper ludibrio fuerit eorum garrulitas, non eſt, cur in eius refutatione laborẽ. citat autem Ioſephus contra Appionem teſtimonia memoratu digna ex antiquiſsimis ſcriptoribus: vnde colligere licet gentium omnium conſenſu doctrinam in lege proditã ab vltimis ſæculis fuiſſe celebrem, quãuis neque lecta, neque verè cognita fuerit. iam ne qua hæreret apud malignos ſuſpicio, ne qua etiam improbis cauillandi eſſet anſa, vtriq; periculo optimis remediis Deus occurrit, dum refert Moſes, quid trecentis ferè antè annis cælesti afflatu pronũtiaſſet Iacob de proximis ſuis. quomodo tribũ ſuà nobilitat? immo eam notat æterna infamia in perſona Leui. Simeon, inquit, & Leui vaſa iniquitatis in conſilium eorum non veniat anima mea, nec in arcanũ eorum lingua mea. certè potuit dedecus illud ſilere, non tantùm vt patri ſuo parceret, ſed ne ſe ipſum cũ tota familia aſpergeret eiuſdẽ ignominiæ parte. quomodo ſuſpectus eſſe poterit, qui primum familiæ, ex qua oriundus erat, auctorẽ ſpiritus ſancti oraculo deteſtabilẽ fuiſſe vltro prædicans, neque priuatim ſibi conſulit, neq; recuſat ſubire inuidiam apud gentiles ſuos, quibus haud dubiè hoc moleſtum erat? quinetiam impium Aaraonis germani fratris, & Mariæ ſororis murmur commemorat. dicemus ne ex carnis ſuæ ſenſu loqui, an parêre ſpiritus ſancti imperio? Ad hæc cùm rei ſumma penes eum foret, cur ſaltem ius ſummi ſacerdotij non reliquit filiis ſuis, ſed in vltimum locum eos ablegauit? pauca tantùm ex multis delibo. ſed in ipſa lege paſsim occurrent multa argumenta, quę vendicent plenã fidem, vt abſque con-

De ſcripturæ ſanctæ veritate.

Geneſ. 49.

Num. 12.

trouerſia Moſes, quaſi Dei angelus, è cælo prodeat.

IAM verò tot ac tam inſignia, quę profert, miracula, totidem ſunt leges ab ipſo latæ, proditæque doctrinæ ſanctiones. nam quòd nube abreptus fuit in montem, quòd illic vſque ad quadrageſimum diem humano contubernio exemptus fuit, quòd in ipſa legis promulgatione facies eius, tanquam ſolaribus radiis circundata, fulgebat, quòd vndique fulgebant fulgetra, tonitrua, ac fragores toto aere exaudiebãtur, tuba etiam nullo humano ore inflata clangebat, quòd tabernaculi ingreſſus nube oppoſita excipiebatur à conſpectu populi, quòd horrendo Core, Dathan, & Abiron, totiúſque impiæ factionis exitio tã mirificè vindicata fuit eius auctoritas, ꝙ lapis virga percuſſus flumen protinus eiecit, quòd manna è cælo ad eius deprecationẽ depluit: nónne hinc Deus ipſum cælitus commendabat, tanquam certiſsimum prophetã? Si quis obiiciat me ſumere pro confeſsis, quæ controuerſia nõ careant: huius cauilli facilis eſt ſolutio. nam, cùm hæc omnia pro concione publicauerit Moſes, quis fingendi locus fuit apud ipſos rerum geſtarum oculatos teſtes? ſcilicet prodiiſſet in medium, ac populum infidelitatis, contumaciæ, ingratitudinis, aliorúmque ſcelerũ coarguens, ſuam doctrinam ſub ipſorum conſpectu iactaſſet ſancitam fuiſſe iis miraculis, quæ ipſi nũquã vidiſſent? atqui certè hoc notatu dignum, quoties narrat de miraculis, ſimul odiosè coniungi, quæ totum populũ ſtimulare ad reclamandum poterant, ſi vel minima fuiſſet occaſio. vnde apparet non aliter, vt ſibi ſubſcriberent, fuiſſe adductos, niſi quia plus ſatis conuicti erant ſua experientia. Ceterùm, quoniam res erat illuſtrior, quàm vt profanis ſcriptoribus liberum eſſet negare edita fuiſſe à Moſe miracula, calumniam eis ſubiecit pater mendacij, ea magicis artibus aſſcribens. ſed qua cõiectura magum fuiſſe inſimulant, qui tantopere ab hac ſuperſtitione abhorret, vt lapidibus obruere iubeat, qui tantùm cõſuluerit magos & ariolos? certè nemo impoſtor præſtigiis ludit, qui non obſtupefacere vulgi animos ſtudeat captandæ famæ cauſſa. quid autem Moſes? ſe & fratrem Aaronem nihil eſſe clamans, ſed tantùm exequi, quæ Deus præſcripſit, ſatis abſtergit omnem ſiniſtram notam

De miraculis diuinæ ſcripturæ, quib⁹ ipſius maieſtas, atque veritas ſe optimè prodit.

Exod. 24. 34. 19. & 40.
Num. 16. 20. & 12.

Leui. 20.
Exod. 16.

& ſuſpicionem.iam ſi res ipſæ conſiderentur, quænā incantatio facere potuit, vt manna è cælo quotidie pluens ad populum alendum ſufficeret: & ſi quis plus iuſta mēſura repoſitum haberet, ex ipſa putredine diſceret incredulitatem ſuā diuinitus puniri? adde, quòd multis ſeriis probationibus ſic examinari paſſus eſt Deus ſeruū ſuum, vt nunc obſtrependo nihil proficiant improbi. quoties enim ſuperbè & petulanter nunc ſurrexit totus populus, nunc quidam inter ſe conſpirādo ſanctum Dei ſeruū euertere conati ſunt, eorum furorem præſtigiis eludere, quî potuit? & euētus palàm docet, hoc modo ſancitam in omnia ſæcula fuiſſe eius doctrinam. ad hæc, quòd tribui
Geneſ. 49. Iuda in perſona patriarchæ Iacob aſsignat principatum, quis ſpiritu prophetico factum eſſe negat, præſertim ſi rem ipſam, vt euentu comprobata fuit, cogitationi noſtræ ſubiicimus. finge Moſen primum eſſe vaticinij auctorem, ex quo tamen ſcriptum hoc memoria tradidit, prætereunt anni quadringenti, quibus nulla eſt in tribu
1. *Reg.* 11. Iuda ſceptri mentio, poſt Saulem inauguratum videtur
1. *Reg.* 16. regia poteſtas in tribu Beniamin reſidere. cū à Samuele vngitur Dauid, quænam eius transferēdæ ratio apparet? quis regem ſperaſſet ex plebeia hominis pecuarij domo exiturum? & cùm illic ſeptem eſſent fratres, quis minimo natu honorem deſtinaſſet? qua deinde ratione ad ſpē regni peruênit? quis humana arte, vel induſtria, vel prudentia gubernatam fuiſſe vnctionem dicat, ac nō potiùs vaticinij cæleſtis complementū eſſe? ſimiliter quæ de gētibus ad fœdus Dei aptandis, obſcurè licèt, prædicit, cùm poſt duo ferè annorum millia euenerint, an non diuino afflatu ipſum locutum eſſe palàm faciunt? omitto alias prædictiones, quæ diuinum ſpiritum ita planè ſpirant, vt ſanis hominibus conſtet Deum eſſe, qui loquitur. breuiter vnum canticum illuſtre ſpeculum eſt, in quo Deus
Deut. 32. euidenter apparet. in reliquis autem prophetis multò etiamnum clarius id cernitur. pauca tātùm exempla deligam: quia in omnibus colligendis nimius eſſet labor. Cùm Eſaiæ tempore pacatum eſſet regnum Iuda, immo cùm in Chaldæis aliquid præſidij ſibi repoſitum putaret, de excidio vrbis, populíque exilio concionabatur Eſaias. vt demus nondum ſatis clarum ſpecimen fuiſſe diuini

inſtinctus, multò antè prædicere quæ tunc videbantur fabuloſa: tandem vera apparuerunt. quæ enim ſimul de redemptione vaticinia edit, vnde niſi à Deo profecta dicemus? Cyrum nominat, per quem erant ſubigendi Chaldæi, & populus in libertatem aſſerendus. elapſi ſunt anni plus centum, ex quo ita vaticinatus eſt propheta priùs, quàm naſceretur Cyrus. nam hic centeſimo demum anno, aut circiter poſt illius mortem natus eſt. nemo diuinare tunc poterat fore aliquem Cyrum, cui cum Babyloniis bellum foret, & qui, tam potenti monarchia ſub manum ſuam redacta, finem Iſraelitici populi exilio imponeret. Nuda hæc narratio, ſine vllo verborum ornatu, nónne certiſsima eſſe Dei oracula, non hominis coniecturas, quę Eſaias loquitur, planè demõſtrat? Rurſus, cùm Ieremias priùs aliquantò, quàm populus abduceretur, annis ſeptuaginta finiret tempus captiuitatis, reditúmque & libertatem indiceret, nónne à ſpiritu ſanctò eius linguam gubernari oportuit? cuius impudentiæ erit negare talibus documentis ſancitam fuiſſe prophetarum auctoritatem, adeóque impletum eſſe, quod ipſi iactant ad vindicandam ſermonibus ſuis fidem? Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuntio: antè, quàm oriantur, nota vobis faciam. omitto, quòd Ieremias & Ezechiel, cùm tam procul eſſent diſsiti, tamen eodem tempore prophetantes in dictis omnibus perinde conſentiebant, ac ſi mutuò alter alteri dictaſſet. quid Daniel? ánnon vſque ad annum ferè ſexcenteſimum de rebus futuris prophetias ita contexit, ac ſi hiſtoriam de rebus geſtis, & paſsim notis ſcriberet?

Eſa. 45. *Ierem. 25.* *Scotus q. 2. prologi in ſent.* *Eſa. 42.*

Diluuntur, quæ impij homines diuinæ ſcripturæ veritati obiectare ſolent. CAP. III.

HAEc ſi probè meditata habeant pij homines, ad compeſcendos impiorum hominum latratus abũdè inſtructi erunt. ſcio, quid in angulis obſtrepant quidam ſcioli, vt in oppugnanda Dei veritate acumen ſui ingenij oſtentent. quærunt enim, quis nos certiores fecerit, à Moſe & prophetis hæc fuiſſe ſcripta, quæ ſub eorũ nominibus leguntur? quinetiã quæſtionẽ mouere audẽt, fueritne vnquã aliquis Moſes? At ſi quis in dubiũ reuocet, fuerit vnquã vel Plato aliquis, vel Ariſtoteles, vel Cic.

quis non colaphis,aut flagellis caſtigandam talem inſaniam dicat? Fuit lex Moſis cæleſti magis prouidentia, quàm hominum ſtudio mirabiliter conſeruata. & quanquàm negligentia ſacerdotum ad breue tempus ſepulta iacuit, ex quo priùs rex Ioſias eas inuênit, per continuas ætatum ſucceſsiones inter manus hominum eſt verſata. neque verò quaſi rem ignotam, aut nouam protulit Ioſias,ſed quę ſemper vulgata fuerat,& cuius tunc celebris erat memoria.dicatum erat tẽplo volumen prototypon, dicatum regiis archiuis,deſcriptum inde exemplar. tantùm hoc exciderat, quòd ſacerdotes legem ipſam ex ſolenni more publicare deſierant, & populus etiam ipſe vſitatam lectionem neglexerat. quid quòd nullum ferè ſæculum præteriit,quo non confirmata renouatáque fuerit eius ſanctio? Verùm, vt de omnibus ſimul loquar, certo certius eſt,ipſorum ſcripta non aliter perueniſſe ad poſteros,quàm per manus perpetua annorum ſerie à patribus tradita, qui partim loquentes audierant, partim recenti memoria diſcebant ab auditoribus fuiſſe ita locutos.immo quod ex Machabæorum hiſtoria obiiciunt ad eleuandam ſcripturæ fidem,tale eſt, vt nihil ad eam ſtabiliendam excogitari poſsit aptius. primùm tamen quem obtendunt colorem,diluamus:deinde in eos retorquebimus quàm in nos machinam erigunt. Cùm Antiochus, inquiunt,libros omnes iuſſerit concremari,vnde prodierunt quæ nũc habemus exemplaria? ego autem viciſsim interrogo, in qua officina tam citò fabricari potuerunt? conſtat enim poſt ſedatam ſæuitiam mox extitiſſe, & à piis omnibus,qui in eorum doctrina educati familiariter eos nouerant, ſine controuerſia fuiſſe agnitos. quinetiam,cùm omnes impij,quaſi facta cõiuratione, Iudæis tam proteruè inſultauerint, nemo vnquam eis obiicere auſus eſt falſam librorum ſuppoſitionem. nam qualiſcunque,eorum opinione, ſit religio Iudaica, Moſem tamen ipſius eſſe auctorem fatẽtur. quid ergo aliud,quàm proteruitatem ſuam pluſquam caninam produnt iſti blaterones,dum ſuppoſiticios libros eſſe mentiuntur, quorum ſacra vetuſtas hiſtoriarum omnium cõſenſu approbatur? Sed ne in refellendis tam putidis calumniis fruſtra plus operæ impendatur, potiùs hinc reputemus,

2. Paral. 34

quantam dominus verbi ſui conſeruandi curam habue-rit, quando ipſum ex atrocitate ſæuiſsimi tyranni, quaſi ex præſenti incendio, præter ſpem omnium eripuit. quòd pios ſacerdotes, aliósque tanta conſtantia inſtruxerit, vt non dubitauerint theſaurum hunc vitæ ſuæ diſpendio, ſi opus foret, redemptum ad poſteros tranſmittere, quòd a-cerrimum tot præſidum, & ſatellitum conquiſitionem ſit fruſtratus, quis inſigne ac mirificum Dei opus nõ agnoſ-cat? et quòd ſacra ea monumenta, quæ prorſus interiiſſe ſibi impij perſuaſerant, mox quaſi poſtliminio redierũt, & quidem maiore cum dignatione? ſecuta eſt enim Græ-ca interpretatio, quæ per totum orbem ea vulgaret. neq; in eo tantùm apparuit miraculum, quòd fœderis ſui ta-bulas Deus à ſanguinariis Antiochi edictis vindicauit, ſed quòd inter tam multiplices gentis Iudaicæ clades, quibus ſubinde attritæ & vaſtatę, mox propè ad interne-cionẽ redactæ fuerunt, ſaluæ tamen ſuperſtitéſque man-ſerunt. lingua Hebræa incognita omnino, ne dum igno-rabilis & inculta iacebat atqui certè, niſi religioni cõſul-tum voluiſſet Deus, in totum periiſſet. quantum enim, ex quo reuerſi ſunt ab exilio Iudæi, à linguæ patriæ ge-nuino vſu deſciuerunt, ex eius ſæculi prophetis appa-ret. quod ideo notatu vtile eſt, quia ex hac comparatione clariùs elicitur legis & prophetarum antiquitas, & per quos ſalutis doctrinam in lege & prophetis comprehen-ſam nobis Deus ſeruauit, vt Chriſtus ſuo tempore pate-fieret per infeſtiſsimos Chriſti ipſius hoſtes Iudæos. quos meritò eccleſiæ Chriſtianæ librarios Auguſtinus ideo appellat, quia nobis ſubminiſtrarũt lectionem, cuius ipſi vſum non habent. Porrò ſi ad nouum teſtamentum ve-nitur, quàm ſolidis fulturis nititur eius veritas? hiſtoriam humili abiectóque ſermone tres euangeliſtæ recitant. faſtidio eſt multis ſuperbis iſta ſimplicitas: nempe quo-niam ad præcipua doctrinæ capita non attẽdunt, ex qui-bus colligere facile eſſet eos ſupra humanum captum de cæleſtibus myſteriis diſſerere. certè quicunque inge-nui pudoris gutta præditi erunt, lecto primo capite Lu-cæ verecundabuntur. Iam Chriſti conciones, quarum à tribus illis euangeliſtis perſtringitur, omni contemptu eorum ſcripta facilè eximunt. Ioannes autem è ſublimi

tonans, quos non cogit in obſequium fidei, eorum pertinaciã quolibet fulmine validiùs proſternens? prodeant in medium omnes iſti naſuti cenſores, quibus ſumma voluptas eſt ſcripturæ reuerentiam ex ſuis & aliorum cordibus excutere: legant Ioannis euãgelium: velint nolint, vbi reperient mille ſententiarum, quæ ſaltem eorum ſocordiam expergefaciant: immo quæ eorum conſcientiis ad cohibendos ipſorum riſus horribile inurant cauteriũ. eadem Pauli & Petri ratio eſt: in quorum ſcriptis quamuis maior pars cæcutiat, ipſa tamen cæleſtis maieſtas deuinctos ſibi omnes, & quaſi conſtrictos tenet. vnum verò hoc eorum doctrinam ſatis ſupérque attollit, quòd Matthæus ad menſæ ſuæ quęſtũ antea affixus, Petrus & Ioannes in nauiculis ſuis verſati, omnes craſſi idiotæ nihil didicerant in hominum ſchola, quod aliis traderent. Paulus verò non tantùm ex profeſſo hoſte, ſed etiam ſæuo & ſanguinario conuerſus in nouum hominem, ſubita & inſperata mutatione oſtendit cæleſti imperio ſe adductum doctrinam, quam oppugnauerat, aſſerere. Negent iſti ſpiritum ſanctum ſuper apoſtolos delapſum eſſe, vel ſaltem hiſtoriæ fidem abrogent: res tamen palàm clamat, à ſpiritu fuiſſe edoctos, qui antè in ipſa plebe contemnendi, repentè de cæleſtibus myſteriis tam magnificè diſſerere cœperunt. adde, quòd aliæ quoque ſunt optimę rationes, cur pondere ſuo non careat eccleſiæ conſenſus. neque enim pro minimo ducendum eſt, ex quo ſcriptura publicata fuit, tot ſæculorum voluntates cõſtanter in eius obedientiam conſenſiſſe: & vtcunque miris modis eam vel opprimere, vel euertere, vel prorſus ex hominum memoria obliterare Satan cum toto mundo conatus ſit, ſemper tamen inſtar palmæ ſuperiorem euaſiſſe, & inexpugnabilem perſtitiſſe. ſiquidem nemo ferè excellẽtiore ingenio vel ſophiſta, vel rhetor olim fuit, qui vim ſuam aduerſus ipſam non intenderet: nihil tamen profecerunt omnes. in eius excidium vniuerſa terræ potentia ſe armauit, & in fumum abierunt omnes eius conatus. Quomodo tam validè vndique impetita reſtitiſſet, non niſi humano freta præſidio? quin magis hoc ipſo à Deo eſſe conuincitur, quòd, reluctantibus omnibus humanis ſtudiis, ſua tamen virtute vſque emerſerit. adde etiam huc, quòd non

Matt. 9.
Luc. 5.
Act. 9.
1. Cor. 15.
2. Cor. 12.
Act. 2.

vna ciuitas,non gens vna in eam recipiendam & amplexandam conſpirauerit:ſed quàm longè latéque patet terrarum orbis variarum gentium, quibus alioqui nihil inter ſe commune erat,ſancta conſpiratione ſuam auctoritatem eſt adepta. porrò cùm plurimùm nos mouere debeat talis conuenientia tam diuerſorum animorum, & rebus omnibus alioqui inter ſe diſsidentium,quando nõ niſi cæleſti numine conciliatam apparet: non parum tamen grauitatis & auctoritatis illi accreſcit, dum intuemur in eorum pietatem,qui ſic conueniũt, non omnium quidem,ſed quibus,ceu luminibus,fulgere eccleſiam ſuã dominus voluit. Iam quanta ſecuritate nos ei doctrinæ nomen dare par eſt, quam tot ſanctorum virorum ſanguine ſancitam ac teſtificatam videmus? illi pro ſemel ſuſcepta non dubitarunt mortem animosè, & intrepidè, atque adeò magna alacritate oppetere: nos cum tali arrabone ad nos tranſmiſſam quî nõ certa & inconcuſſa perſuaſione ſuſciperemus?non ergo eſt mediocris ſcripturæ approbatio, tot teſtium ſanguine obſignata, præſertim dum reputamus eos mortem ad reddendum fidei teſtimonium oppetiiſſe,non fanatica intemperie,qualiter interdum erratici ſpiritus ſolent, ſed firmo conſtantíque ſobrio tamen Dei zelo. aliæ ſunt nec paucæ, nec inualidæ rationes, quibus ſua ſcripturæ dignitas ac maieſtas nõn modò aſſeratur piis pectoribus,ſed aduerſus calumniatorum technas egregiè vindicetur: ſed quæ non ſatis per ſe valeant ad firmam illi fidem comparandam,donec eius reuerentiam cæleſtis pater ſuo illic numine patefacto omni controuerſia per ſuam eccleſiam eximit. quæ verò ad eam confirmandam humana extant teſtimonia, ſic inania non erunt,ſi præcipuum illud diuinum & ſummum,velut ſecundaria noſtræ imbecillitatis adminicula,ſubſequantur. Sed ineptè faciunt, qui probari volunt infidelibus, ſcripturam eſſe verbum Dei: quod niſi fide cognoſci nequit. meritò itaque Auguſtinus: qui pietatẽ & pacem mentis debere præcedere admonet, vt de tantis rebus aliquid homo intelligat. *Augu.de vtilis.credẽ.*

Fide tenemus auctorem ſacræ ſcripturæ Deum eſſe,cuius ſolius auctoritate Dei verbum nititur. eſt tamen neceſſaria eccleſiæ auctoritas,quæ diuinam eſſe ſcripturam declaret, & vt ipſam legitimè

interpretur. CAP. IIII.

VIdéſne diuinæ ſcripturæ auctoritatem non apud te tantùm, ſed apud nos etiam ſanctiſsimam eſſe? intelligéſne poſthac nolle nos vel minimam ex eius laudibus exhaurire, qui ipſam ſcripturam ſartam tectam manere ſic curamus, & laboramus? quid vis ampliùs Caluine? ſed audi nunc, quid vltrà ſumma ingenuitate ac Chriſtiana neceſsitate hic tibi concedamus. Non antè ſtabilitur ſcripturæ & doctrinę fides, quàm nobis pro certo perſuaſum ſit auctorem eius eſſe Deum, vt præter diuinam auctoritatem cetera argumenta ſecundaria ſint adminicula ad ſtabiliendam eius ſcripturæ fidem. nunquam enim ſancti apoſtoli, aut prophetę acumen ſuum, vt fidem, quibuſcum loquuntur, concilient, iactant, neque rationibus inſiſtunt: ſed ſacrum Dei nomen proferunt, quò ad obſequium trahatur totus mundus. ita fit, vt ſumma ſcripturæ probatio paſsim à Dei loquentis perſona ſumatur. Nónne adhuc res bene ſe habet Caluine? nónne rectà incedimus? verùm expecta paululùm, multò ſanè maiora audies. Dei verbum, diuinis litteris expreſſum, non hominum auctoritate nititur, ſed diuina ſolùm. Caro & ſanguis non reuelabit tibi, ſed pater meus, qui in cælis eſt,
Matt.16. dicebat Chriſtus Simoni Petro. Non ab homine accepi,
ad Gal.1. ſed ex reuelatione IESV Chriſti didici, Paulus aiebat. nunquam tanta fidei certitudine ſanctis ſcripturis ego hærerem, vt pro earum veritate tuenda mucroni tyrannico iugulum extendam, niſi Dei intus loquentis vocem
1 ad Tim.3 crederem eſſe. eſt enim ſancta ſcriptura, teſte gentium apoſtolo, inſpirata diuinitus. neque humana voluntate
1.Pet.1. allata eſt aliquando prophetia, ſed ſpiritu ſancto dictante locuti ſunt ſancti Dei homines. vis finiam? adeò firmiter habuit perſuaſum ſemper mater eccleſia, nihil ea ſcriptura neque verius, neque certius eſſe, vt & quæ auribus audimus, & quæ oculis videmus, ſiue quæ manibus contrectamus, non æquè certa eſſe iudicet, quàm ea, quæ ſcripturis ſacris continentur. Hæc puto non improbabit Caluinus. immo verò non ſatis hîc mirari poſſum hominis, alioqui verſuti & callidi, tarditatem ingenij, qui, cùm tot annos nobiſcum aliquando ſenſerit, nunc addubitet, vel certè ignorare ſe fingat, hãc perpetuò eccleſiæ catho-

licæ

licæ fidem fuiſſe, quam ſemper auctores eccleſiaſtici omnis claſsis vel primis foliis affigunt, vt hæc veritas ob noſtros oculos verſetur, nempe quòd diuinum verbum diuina non humana auctoritate præſtare debeat.

CONVENIT igitur iã inter nos Caluine, nec dimoremur, omnem certitudinem, quam ſcriptura habet, à ſpiritu ſancto eſſe. at, velis nolis, vniuerſa cachinnis repleas, rideas quantum libet, & mihi, & tibi duo ſcienda hic reſtant. videmus ſiquidem, quòd de Matthæi ſcriptura, immo Marci, qui Chriſtum nõ vidit, iuxta fidẽ catholicam, quæ Deo nititur, perinde, ac de diuina voce loquẽtis Dei, ſtatuitur & iudicatur: contrà Nicodemi, qui Chriſtum & vidit, & ſæpe allocutus eſt, hominis tantùm vox reputatur. item diuinæ ſcripturæ pluſquam humanam fidem Carpocrates, Cerdon, Seuerus, Manichæus, denique Albanenſes deferebant. at hi (vt auctor eſt Auguſtinus) vetus teſtamentum reiiciebant, non quòd loquenti Deo fidem non adhiberẽt, (eſſet enim hoc pluſquam inſanire) ſed quòd Deum per eos auctores locutũ minimè autumabant. Marcion Cerdonis diſcipulus (vt Irenæus teſtatur) ob eandem ipſam cauſſam Lucæ euangelium aliis tribus reiectis duntaxat recipiebat. ſicut & Cirintus (ſi Philaſtro credimus) aut certè Ebiõ (vt Auguſtino placet, & Irenæo) ex omnibus quattuor euangeliis Matthæi tãtùm recipiunt. Seuerus (vt Euſebius Cæſarienſis refert) apoſtolorũ actus diuinis ſcripturis non annumerat, quos tu Caluine nõ minùs, quàm Ioannis euangeliũ, aut Lucę ſuſpicis & colis. multis etiã Paulinis epiſtolis diuinã maieſtatem abrogare nitebantur, quemadmodum & tu nõ ignoras. Verùm ſtultus ego, qui domeſticis exẽplis abundans per nationes exteras, & nimia vetuſtate antiquatas domos mendicus & inops erro. quid dices, quòd tuus patriarcha Lutherus, qui nihil & ſic frequẽns, quàm Dei verbum verſat, iactat, & in ore habet, Machabęorũ libros nõ fidei certitudine donat? quo cõſilio id faciatis, ipſe, atque vos videritis: nos verò contrà eorum auctoritatem, primi ſcilicet & ſecundi, ſanctiſsimam habemus. memini, cùm primo libro pro libertate arbitrij noſtri tecum contenderemus, & tibi obiiceremus illud eccleſiaſtici, Creauit Deus hominẽ rectum, &c. reſpondiſſe te, eccleſiaſti-

Eccleſia ſola eſt, quæ ſcripturam eccleſiaſt. auctoritate donat, & ipſam interpretatur.

Lib. de hæreſib. c. 21. 24.

Lib. 1 cõtra hereſes.

Lib. de hære ſib. cap. 26.

Lib. 4. hiſt. eccl.

cum dubiæ auctoritatis ſcriptorem eſſe non ignorari, ac proinde licere vobis iure veſtro ipſum è numero eccleſiaſticorum ſcriptorum repudiare. quæ cùm ſic ſe habeant Caluine, intelligis, nõ ſatis nobis eſſe, firmitate fidei, Dei voci, per homines loquenti, adhærere, niſi etiam ſciamus eadem fidei certitudine Dei verbum eſſe, quod hîc loquitur. quare quod primùm conſiderandum proponebatur, hoc eſt: qua ſcilicet nota, & quo auctore diuinam ſcripturam à non diuina diſcriminabimus. alterum eſt, habemus ex Auguſtino, errores omnes, qui nomine Chriſtiano palliati exoriuntur, non niſi de ſcripturis non intellectis naſci. quod verbo Petri de epiſtolis Paulinis, quas & illius tẽporis hæretici corrumpere incipiebant, ſatis comprobatur. idem etiam Auguſtinus contra Manichæos dicebat, ideo diuinam prouidentiam multos ex diuino verbo hæreticos permiſiſſe, vt, cùm inſultant nobis, & interrogant nos, quæ neſcimus, ſaltem excutiamus pigritiam, & diuinas ſcripturas noſſe cupiamus. Propterea, inquit, apoſtolus ait, Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant. hi enim Deo probati ſunt, qui bene docere poſſunt: ſed manifeſti eſſe hominibus non poſſunt, niſi cũ docent: docere autem nolunt, niſi eos, qui quærunt. multi autem ad quęrendum pigri ſunt, niſi per moleſtias, & inſultus hæreticorum quaſi de ſomno excitentur. qui homines ſi bonæ ſunt fidei, non credunt hæreticis, ſed quid illis reſpondeant, diligẽter inquirũt. nec eos deſerit Deus, quin petentes accipiant, & quærentes inueniant, & pulſantibus aperiatur. Hæc Auguſtinus. Hieronymus etiã, non minùs elegantiori ſermone, quàm litteris præſtans, Non putemus in verbis ſcripturarum eſſe euangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis. Ergo, Caluine, non ſatis eſt Deo dicenti velle nos credere, atque, Deum eſſe locutum, omni dubio procul integra fide confiteri, niſi etiam legitimus & natiuus ſenſus verborũ Dei nobis teneatur. Hinc ſecundo loco iure optimo quiſpiam à nobis duobus quæret, quis ſit iudex, quis interpres, cui iudicanti atque interpretanti ſermones Dei, non tanquam homini, ſed tanquam ipſi eidem ſpiritui ſe ipſum exponenti, ſit aſſentiendum? quare ſumma cum diligentia no-

Lib. 33. q. q. 69. — *2. Petri 3.* — *Lib. ſuper Geneſim ad lit.* — *1. Cor. 11.* — *Super epiſt. ad Gal. 1. & cõtra Luciferianos.*

bis id paulò expeditiùs eſt explicandum.

PORRÒ catholicæ fidei confeſſio pauciſſimis his verbis cōſtabit, mox tamē te audiemus, ſi quid eſt, quod tibi in ea non probetur. Eccleſia vniuerſalis duplici ratione, & non ſine ſcripturis à nobis conſideratur, Caluine. priori quidem, vt quædam communitas eſt legibus optimis inſtituta, communi religionis ſigno collecta, ſuis principibus amplificata, & longa temporum ſucceſsione nobilitata. qui ſic loquuntur de eccleſia, neceſſe habent non illi maiorem auctoritatē tribuere, quàm humana ſit, etſi ea multū aliis rebuſpub. præſtat. at eſt altera huius cæleſtis hierarchiæ multò diuinior conſideratio, vt ſi eā contēplemur æternis ſimul & paternis donis exornatā, ſpiritus cæleſtis lumine illuſtratā, & ſponſi ſui perpetua præſentia honeſtatā. quæ verè fundamentū & columna veritatis eſt, quæ (vt Irenæus vocabat) ditiſsimum quoddam, fideliſsimum diuinúmque depoſitorium eſt deſtinatū ab orbe cōdito, in quod, quidquid Deus, per prophetas olim, nouiſsimè verò per filiū ſuū, & per filij ſui diſcipulos magiſtros noſtros apoſtolos nobis reuelauit, pleniſsimè contulit aſſeruandum: vt ſuo tempore hinc, quaſi de theſauris ſuis diuinis, noua & vetera Deus ipſe depromat, loquatúrque cæleſtis ſpiritus ex hoc ſublimi ſuggeſto nobis nō minùs, quàm in antiquis patribus locutus eſt. At quoniam diu eſt, quòd me tua confeſsio ad ſe vocat, vno verbo ex hac noſtra me expediam. dico tandem, quòd ſi rationem formalem, ad quam vltimam fidei meæ reſolutionem referam, à me quæras: reſpōdebo, ſanè Deum ipſum eſſe, vel ſub ratione ſuæ infinitæ deitatis, vel nunquā deficientis & neceſſariæ veritatis, non magni refert. credo igitur huic verbo, Ego & pater vnū ſumus. credo rurſum, quòd ſermonis huius inſtrumentum ſolùm fuerit, non auctor Ioannes euāgeliſta, ſed Deus ipſe. nec minùs mihi Dei verbum habetur, quàm illud primū: (quidquid Cerdo, Cirintus, & huius ſortis homines garriant) non ſiquidem Ioānes eam auctoritatem voci ſuæ præſtare potuiſſet, niſi Deo, qui eius lingua vtebatur, in eam rem plenus eſſet. quòd denique is ſenſus loci huius legitimus & genuinus ſit, qui eam vnitatem conſubſtantialitati filij Dei cum æterno ſuo patre accōmodat, & ad ipſam ſer-

Chriſti eccleſia dupliciter eſt conſideranda.

Matt. 10. *&* 28.

2. *ad Tim.* 3

Ioan. 1. *&*

monem applicat,non ad vnitatem per gratiam modò, vt volebat Arrius,pro vera fide & catholica reputo:non minùs,quàm dicenti, Deus verus eſt, ego aſſentiri & credere deberem. idem mihi iudicium eſt de verbo illo eiuſdem euangeliſtæ, Pater maior me eſt. vt is mihi fidelis ſenſus habeatur,qui de aſſumpta fragili hominum natura,non de diuina,iuxta quam filius coæternus, cõſubſtantialis & coæqualis patri ſuo eſt,dictum accipit. hos ergo ſenſus non minore fide proſequor,quam credam Dei verbum illud eſſe. Si verò ad cauſſam proponẽtem hæc omnia referre vellem:fateor,quòd ad eccleſiam confugiam, qua Deus vtitur ad proponendum nobis, quæ catholica ſit ſcriptura,cuius ipſa ſenſum mirabiliter interpretatur. fit hinc,vt de diuini verbi maieſtate nihil imminuatur omnino,& Chriſti eccleſiæ multum amplitudinis accreſcat.fit etiam, vt ſcripturarum ſimul celſitudo mirum in modum cum eccleſiæ auctoritate conueniat. vtraque enim ab vno ſpiritu profecta mutuas ſibi operas viciſsim ac pariter præſtat. illa nos docet, quòd hæc non niſi Dei ſpiritu ducitur & regitur,quòd hæc veritatis columna,& firmamentum eſt,quòd in hanc nil portæ inferi promoturæ ſunt,quod qui hanc non audierit,tanquam ethnicus & publicanus nobis futurus eſt: contrà illa per hanc diuina declaratur,illa per hanc à non Dei verbo dignoſcitur,& ad cæleſtem ſpiritum,à quo ſemel profecta eſt,iterum redditur,illa demum ſumma veritate per hanc dilucidata,diuináq; claritate inſperſa quotidie magis ac magis ſplendeſcit atque eniteſcit.

Ioan.14.

Diluuntur obiecta à Caluino contra præfatam veritatem. CAP. V.

Cal.li.1.c.7.ſect.1.

SEd quid iam habet,quod aduerſum hæc oblatret Caluinus? ait enim, *Inualuit autem apud pleroſque pernicioſiſſimus error,ſcripturæ tantum ineſſe momenti,quantum illic eccleſiæ ſuffragiis conceditur. ac ſi verò æterna,inuiolabiliſque Dei veritas hominum arbitrio niteretur:* decreueram tecum pacificè agere Caluine, nõnihilque tędioſi ſtomachi remittere:quod vt non faciam,en ipſe me cogis. reſpõde,te precor, Quis de ſcriptura ſancta quidquam tale vnquã ſuſpicatus eſt, vt omne robur ex hominum opinione ipſi prouenire inſaniat? duæ ſunt ad fidem ſcripturarum nobis concilian-

dam certiſsimæ & nunquam deficientes regulæ:altera re uelatio ipſa diuina formalis vtique, ac penitiſsima fidei noſtræ ratio:auctoritas eccleſiæ eſt altera,velut miniſtra fidei,eam proponens atque etiam explicans diuini verbi ſenſus. quare certitudo tota à Deo eſt ſiue per apoſtolos loquente, ſiue per eccleſiam ſuam proponente & exponente.vnde quemadmodum angelis & hominibus, quibus Deus per ſe ipſum reuelauit & explicauit ſuæ fidei myſteria,hac regula opus non erat, quòd Deus ipſe eorũ eſſet ſimul & reuelator,& qui proponeret,& qui explicaret:at nos Deo reuelante indigemus,angelis verò,aut hominibus proponentibus, & explicantibus, ſecundum eũ ſpiritum quo inſpirante,ſancti Dei homines locuti ſunt. Fit hinc,vt non cum magno ludibrio, vt nobis obiectas, ſed ſummo potiùs cum cõſilio ſpiritus ſancti quæramus, ecquis nobis fidem faciat hæc à Deo prodiiſſe?ecquis ſalua & intacta ſicque intellecta ad noſtram vſque ætatem perueniſſe certiores nos faciat?ecquis perſuadeat,librum hunc reuerenter excipiendum,alterum numero expungendum,niſi certam iſtorum omnium regulam eccleſia præſcriberet? pendet igitur ab eccleſiæ determinatione, non quæ ſcripturæ reuerentia debeatur: abſit: ſed proponere,qui libri canonici cenſendi ſint. pẽdet inſuper ipſarum ſcripturarum ſenſus & intelligentia.pendet, dixi,nõ quaſi à primo & natiuo ſuo principio,ſed tãquam ab adminiſtratrice,vtſic loquamur,regula fidei. Effuti, effuti maledicta omnia tua,nil minus, quã quòd nos offendãt. non ſub eccleſiæ prætextu effrenatam tyrannidem inuehere,ſed magis diuinum præceptum exequi laboramus, cùm ait dominus,Interroga patres tuos,& ipſi annuntiabunt tibi. & rurſum,Legem meam de ore ſacerdotis requirent:quia angelus domini eſt. Dicis, *Si ita eſt,quid miſeris conſcientiis fiet,ſolidam vitæ æternæ ſecuritatem quærentibus, ſi quæcunque extant de ea promiſsiones,ſolo hominum iudicio fultæ conſiſtant?* Fidelis Deus,dicebat apoſtolus, qui potens eſt dare quod promiſit. non hoc ſibi vſurpat ſponſa illius,cuius bonitate,& veritate, cuncta ſibi promiſſa ſatis firmata ſtabilitáque conſiſtunt.qui promittit,qui omni dubio procul præſtabit,Deus eſt,ſibi ſemper vbique cõſtans. at huiuſmodi promiſsio arcanis litteris contenta per eccle-

Duæ ſunt certiſsimæ regulæ ad ſcripturarũ fidem nobis conciliandam.

Deut.32.
Iob.7.
Malach.2.

ſiam mihi proponitur & explicatur, ne aut per ambages incertum aliquod bonum quærã, aut per inanem quandam & vanam ſpem elatus non ſic ſperem, ſed queadmodum ipſa diuina veritas ſperare me iubet. quòd ſi vnius Caluini reſponſo fluctuari & trepidare deſinēt homines, quantò magis tot hominū omnibus ſæculis reſponſione quieſcent rudes homines? quòd ſi in nullam apud omnes ſuſpicionē fides noſtra vocabitur, ſi ſpiritui Caluiniano credamus, neque impiorum ſannis ſubiicietur credulitas noſtra, ſi ſpiritum arcano teſtimonio nimiam perſuaſionem facientē Caluinianę menti audierimus: quantò magis ſpiritui per tot viros loquenti, tot mentibus fidem facienti credentes nos & impiorum hominum profligabimus ſannas, & rudi plebi conſulemus, & non hominum beneficio, ſed Dei munere habere ſcripturæ auctoritatē teſtabimur? Verùm quæ aduerſum nos iſte ex eadem ſcriptura colligat, audiamus. *Sed huiuſmodi rabulæ vel vno apoſtoli verbo pulchrè refelluntur*. Nunquid colligunt ex ſpinis vuas? dicebat veritatis magiſter Chriſtus IESVS. ex corde ſiquidem ſceleribus obruto, pietate deſtituto, pudore & verecundia ſpoliato, naturæ demum lumine pænè priuato quid niſi blaſphemiæ, impudentiæ, & id genus mala prodiiſſe poterãt? rabula ne Hieronymus, qui eccleſiaſticam auctoritatem, vt diuinã, ſuſpiciebat? rabula Auguſtinus, qui loquens de Cypriano martyre dicebat, Non accipimus quod de rebaptizãdis hęreticis Cyprianus ſcripſit: quia hoc eccleſia nō accepit, pro qua Cyprianus ſanguinē ſuum fudit? rabula Tertullianus, qui ad eccleſiam, tanquam ad ſacratiſsimam aram, Deū de diuinis conſulturus paſsim cōfugiebat? rabulæ omnes, qui eodem ſpiritu Chriſti eccleſiam interpretari diuina eloquia, quo initio ipſa edita eſſent, firmiſsimè aſſeuerabant? maneãt iſti omnes cum ſua ſuperſtitioſa valde in eccleſiam obſeruantia: viuat vnus reformatus doctor, nulli fidei addictus, nulli ſenſui appoſitus. Quòd ſi nimia iſta maledicendi procacitas genij tui magis, quàm ingenij vitiū eſt: (id quod & tu ipſe apud Philippum tuū litteris cauſſabare) malè ſit iſti malo genio tuo Caluine, qui tãtùm te torquet, qui ſic te hominem aridum tam valde inflat. ô beſtiam ferocē: quam ſi in tuis bonis dominari ſemel permiſeris Ioan-

Cal. lib. 1. c. 7. ſect. 2.
Luc. 6.
Hier. cõtra Luciferian.
Idē ad Gal. 7.
Aug. cõtra Creſconium lib. 2. cap. 32.
Tertull. lib. de præſcrip. her.
Cal. in epiſt. ad Philip. Melanch.
Epheſ. 2.

nes, meliora de te, heu me, quàm fruſtra ſemper ſperabimus. vellem ſcire, quòd vnum verbum apoſtoli illud eſt, quo ſic facilè rabulæ iſti refellendi ſunt. *Eccleſiam ille teſtatur prophetarum & apoſtolorum fundamento ſuſtineri*: papè, en quantulus mus natus nobis eſt, poſtquam montes omnes quaſi parturirent tumidi, vteri, ceu dolore dilaniati, ingemiſcebant. quid igitur inde tibi elicere moliris ô omnium dialectiſsime? *Quoniam ſi fundamentum*, inquit, *eſt eccleſiæ, prophetica & apoſtolica doctrina, ſuam huic certitudinem antè conſtare oportet, quàm illa extare incipiat*: quid enthimemate iſto aſtruere velis, non ſatis mente aſſequi poſſum. ſi velis dicere, iuxta verborum ſonum, ſcripturarum auctoritatem priorem eſſe eccleſiaſtica, apertiſsima eſt ignorantia & error. quis enim tam nullius lectionis homo, qui ignoret, multis antè ſæculis, quàm hæc verba ſcripta fuerunt, Dic eccleſiæ. ſi autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. ipſam eccleſiam fuiſſe? quæ & ante Moſen, & ante prophetas à ſummis & primis patriarchis ſuam trahens originem, æterna eſt futura. fuit ergo eccleſia, quando neque apud patres antiquos chartis viuebatur, neque apud poſterioris teſtamenti, euangelicæ legis ſcripturæ nullæ erant præter eas, quas Dei ſpiritus, ſcriba velociter ſcribens, in fidelium mentibus, tanquam membranis vſus, viuis & nunquam perituris characteribus exarabat. Si verò non id velis dicere, ſed quòd antè, quàm iudicium eccleſiæ accedat, ipſe propheticus, & apoſtolicus ſermo verè ſit Dei vox: fateor ingenuè. non enim nos in poteſtate eſſe eccleſiæ dicimus Dei verbum ex non tali facere: abſit: ſed auctoritatem ipſius proponendi & interpretandi in ea diuinam agnoſcimus, ſicut & ſancti omnes ſuſpexerunt. vt niſi eccleſiæ iudicium accedat, ſit quantumuis ſancta ſcriptura, fulgeat quantauis ſanctitate eius auctor, dubia ſemper maneat. *Ante, quàm eccleſia acciperet, illa authentica exiſtebat*: fateor: ſed mihi nunquam authentica haberetur, niſi talem nobis eccleſia proponeret. at iſte eodem in luto volutans videtur quaſi gaudere. inquit enim, *Si Chriſtiana eccleſia prophetarum ſcriptis, & apoſtolorum prædicatione initio fundata fuit, vbicunque reperietur ea doctrina,*

Locus Pauli, Fundati eſtis ſuper fundamentũ, &c. dilucidatur.

Mat. 18.

Eccleſia antiquior eſt ſcriptura.

eccleſiam certè præceßit eius approbatio, ſine qua nunquam eccleſia ipſa extitiſſet: ô quàm bellè pro me colligis. vide parumper, quo pacto ex eadem aſſumpta maiori, minoríque ſubſumpta totam eam rationem hîc conficiam. nam ſi Chriſtiana eccleſia prophetarum ſcriptis, & apoſtolorum prædicatione progenita creuit, adoleuit, & tandem viribus roborata perſeuerat: ergo oculatus teſtis eſt antiquæ & nouæ prædicationis: ergo, cùm vna ſit ſponſi columba & amica, vni viro vna virgo caſta exhibita, dicere habes, quòd hæc primò, cùm nullæ eſſent ſcripturæ præter viuam illam traditionem, quæ per fidelium mentes, quaſi per manus, ad omnes volitabat, hæc, inquam, prophetantes antiquos vates audiuit: hæc ſponſum ſuũ prædicantem aure arrecta ſatíſque benigna excepit, morientem vidit, eius funera lacrymis proſecuta eſt, iubilo perfuſa reſurgenti congratulata, eundem cælos contendentem ſuis oculis attentiſsimè proſpectabat, apoſtolos docentes audiuit, euangeliſtas ſcribentes vidit, vtriſque & ſcribentibus & docentibus aſtitit. non ergo tam vanum eſt commentum, vt tu fingis, ſi dicamus, legitimi iudicij, & quod neque fallere poſsit, neque falli circa diuinam doctrinam, perfectam & abſolutam rationẽ, penes Chriſti eccleſiam reſidere. eſſet nihilominus vaniſsimum commentum noſtrum, ſi ex nutu noſtro, liberáque hominum facultate, verbi diuini certitudinem, aut eccleſiæ, aut alicuius ſuſpenderemus. ſed, cùm ſcripturæ iudicandæ poteſtatem eſſe penes eccleſiam volumus, ſic intelligimus: vt ipſa, quo prædita eſt lumine, iam à principio, quo condita eſt, pro diſcernendo & explicando Dei verbo ipſum recipiẽs, vt verè diuinum, ſuo ſuffragio obſignet, veritatémque agnoſcens Dei ſui, pro pietatis officio nihil cunctando veneretur, & pro ſuo munere nobis explicatum proponat.

Cant.6. *2.Cor.11.*

Ex intima ſpiritus ſuggeſtione non certò ſemper erui ſcripturæ ſenſum. atque ea Auguſtini ſententia expenditur, Euãgelio non crederem, niſi eccleſiæ auctoritas me moueret. CAP. VI.

Calui. li.1. c.7. ſect.2.

NOn reticebo, quàm callidè inchoet iſte, & quàm doloſè miſeræ plebis auram captet, dum ait, *Quod autem rogant, vnde perſuadebimur à Deo fluxiſſe, niſi ad eccleſiæ*

decretum confugiamus,perinde eſt,ac ſi quis roget, vnde diſcemus lucem diſcernere à tenebris,album à nigro,ſuaue ab amaro. non enim obſcuriorem veritatis ſuæ ſenſum vltrà ſcriptura præ ſe fert, quàm coloris ſui res albæ ac nigræ,ſaporis ſuaues & amaræ : o bellus homo,non hîc ſanctorum te teſtimoniis obruam, quibus probatur obſtruſiſsimos eſſe ſcripturæ ſenſus, & qui magis habeant in receſſu quàm in fronte promittant:ob eámque rem non niſi ſummo ſtudio ab exercitatiſsimis quibuſque, & maxima humilitate legendam eſſe diuinam ſcripturam orthodoxi patres,ipſius profunda ſacramenta admirati,nos ſæpe hortabantur. nolo tecum de ea re hîc agere,quoniam oportunior multò hoc ipſo libro locus nobis datur. tantùm vno verbo te conueniam. memini,etſi non verba hæc,ipſum tamen ſenſum apud Martinum Lutherum me excepiſſe. iam precor,vt paululùm ſuſtineas. Nónne hoc verbum, Hoc eſt corpus meum, diuinum tibi videtur Caluine?ſcio te reſponſurum, Eſt vtique quàm maximè diuinum. vltrà, Idémne ipſum iudicium habuiſſe Martinum ſuſpicaris? Crediderim. fidem meam ego video:quid porrò alij ſentiant,ſuſpicari & coniicere vtcunque poſſum, affirmare verò minimè. Bene ſanè. eſt igitur verbum hoc ex Dei ore profectum. quare vltro ſenſum ſuum præ ſe feret non minùs,quàm res albæ ac nigræ ſui coloris perſpicuam habent differentiam. quo igitur pacto vel Lutherus hoc loco delirus tibi habetur,& ad tantam lucem cæcutiens,quòd verbum illud,eſt,prout arcano teſtimonio ſuus ſpiritus ei ſuggerit, veram & realem corporis Chriſti ſimul cum pane præſentiam ſignificare pro certo habeat:vel contrà tu hæreticus illi exiſtimaris,& diceris, quòd iuxta eiuſdem ſpiritus ſuggeſtionem figuralem quandam,& typicam præſentiam Chriſti corporis tantùm agnoſcas? ô rem incredibilem,vterque media luce alteri videtur cæcutire:vterque Dei ſpiritum oſtentat & iactat:vterque diuinum verbum, quod propoſitum eſt, dicit. & cum hoc alter alteri & delirat, & peſsimè errat:nobis verò vterque. Sed veniamus ad reliqua, ac de verbis & intelligentia diui Auguſtini non nihil dicamus. verùm iam te audio dicentem, *Scio equidem vulgò citari Auguſtini ſententiam,vbi ſe euangelio crediturum ne-*

Mat.26. Marc.14. Luce 22. 1.Cor.11.

Auguſt. verba referuntur.

Calui. li. 1. c. 7. ſect. 3. *gat, niſi eccleſiæ ipſum moueret auctoritas:* ita ſe res habet Caluine: quid tu ad hoc? *Sed quàm perperam & calumnioſè citetur in eum ſenſum, ex contextu facile eſt deprehendere:* ex cuius contextu? tuo, an Auguſtini? *Auguſtini.* putabam tuo.

Locus eſt cõtra epiſt. fundam. cap. 5. age dum, *Negotium illi erat cum Manichæis, qui abſque controuerſia crede ſibi volebant: cùm veritatem ſe habere pollicerentur, non oſtenderent.* ſic contigit hæreticis omnibus Caluine: ne mireris. *Quia verò, vt Manichæo ſuo fidem aſtruerent, obtendebant euangelium, rogat Auguſtinus, quidnam facturi ſint, ſi in hominem incidant, qui ne euangelio quidem credat, quo genere perſuaſionis eum ſint in ſuam ſententiam adducturi? Poſtea ſubiicit, Ego verò non crederem euangelio, &c. ſignificans, ſe, cùm alienus eſſet à fide, non aliter potuiſſe adduci, vt euangelium amplecteretur pro certa Dei veritate, quàm eccleſiæ auctoritate victum. Hæc certè ſunt Auguſtini verba: ex quibus cuiuis colligere promptum eſt, non hanc ſancto viro fuiſſe mentem, vt fidem, quam ſcripturis habemus, à nutu, arbitrió ve eccleſiæ ſuſpenderet: ſed tantùm, vt indicaret, quòd nos quoque verum fatemur, eos, qui nondum ſpiritu Dei illuminati ſunt, eccleſiæ reuerentia ad docilitatem induci, vt Chriſti fidem ex euangelio diſcere ſuſtineant: atque ita hoc modo eccleſiæ auctoritatem iſagogen eſſe, qua ad fidem euangelij præparamur. & quidem mirum, ſi quis, nondum Chriſto cognito, hominum reſpectum habeat? nam vt videmus, noſtram certitudinem longè alio fundamento vult eſſe ſuffultam:* o miror vtique, Caluine, tam accommodatum calumniis tibi ingenium eſſe, vt non iam tecum ſit mihi agendum, niſi productis teſtibus, explicatis locis, obſignatis foliis, lectíſque teſtimoniis. num de his tantùm, qui nõdum ſpiritu Dei illuminati ſunt, verba ſua intelligi uolebat magnus Auguſtinus, & non magis regulam præſcribere, quam perpetuò tenerent non cathecumini ſolùm, ſed qui ab ſcripturæ veritate nunquam defeciſſe ſtudent? eccleſiæ magiſterium, eximiáque ſua auctoritas, num ad iſagogen, id eſt, ad prima artis rudimenta ſolùm, & non magis ad totius Chriſtianæ vitę pro diuinis ſcripturis illibatè cuſtodiendis continuatam diſciplinam accommodabitur? Agedum diui Auguſtini caput vniuerſum (vel quia breue eſt, vel quia certè nihil conuenientius excogitari poſſet contra Caluinum, quàm quod ibi habet, dum aduerſum Manichæos fidei zelo ipſe feruet) in me-

dios hoſtes coniiciatur. diſces, quàm expediſſet tibi, huiuſmodi res, in quibus, quaſi in cardine, Chriſtianum negotium totum verſatur, multùm & diu te cogitaſſe priùs, quàm pro ſuggeſto tuo miſeris tuis diſcipulis tam denſas tenebras obtenderes. quamobrem ſpero, omnibus etiam ſapientioribus gratum fore, ſi quæ apud Auguſt. verba ipſi crebertimè legerunt, nunc audiant, Chriſti verò fidelibus quàm vtiliſsimum, atque adeò cauſſæ meæ maximè neceſſarium.

Auguſtini verba de auctoritate eccleſiæ pro diuinis ſcripturis proponendis ac dilucidandis.

IN catholica enim eccleſia, vt omittã ſinceriſsimam ſapientiam, ad cuius cognitionem pauci ſpiritales in hac vita perueniunt, vt eam ex minima quidem parte, quia homines ſunt, ſed tamen ſine dubitatione cognoſcant: ceteram quippe turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſsimam facit: vt ergo hanc omittam ſapientiam, quam in eccleſia eſſe catholica non creditis, multa ſunt alia, quæ in eius gremio me iuſtiſsimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem epiſcopatum ſucceſsio ſacerdotum: tenet poſtremò ipſum catholicæ nomen: quod non ſine cauſſa inter tam multas hæreſes ſic iſta eccleſia ſola obtinuit, vt, cùm omnes hæretici ſe catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani nominis cariſsima vincula rectè hominem tenent credentem in catholica eccleſia, etiam ſi propter noſtræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum ſe apertiſsimè oſtendat. apud vos autem, vbi nihil horum eſt, quod me inuitet ac teneat, ſola perſonat veritatis pollicitatio: quæ quidem ſi tam manifeſtè monſtratur, vt in dubium venire non poſsit, præponenda eſt omnibus illis rebus, quib⁹ in catholica teneor.

Aug. contra epiſt. fundamen. cap. 5.

Turbã, non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſsimam facit.

Quatuor hi, libenter intra eccleſiæ gremiũ Auguſtinus tenebatur.

Hæretici cum plurima polliceãtur, perpauca præſtant.

ſi autem tantummodo promittitur, & non exhibetur, nemo me mouebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Chriſtianæ religioni aſtringit. Videamus igitur, quid me doceat Manichæus: & potiſsimùm illum conſideremus librum, quem fundamenti epiſtolam dicicitis: vbi totum pænè, quod creditis, cõtinetur. ipſa enim nobis illo tempore miſeris, quando lecta eſt, inclinati dicebamus, Amen. certè ſic incipit, Manichæus, apoſtolus IESV Chriſti, prouidentia Dei patris. Hęc ſunt ſalubria verba de perenni ac viuo fonte. iam cum bona patientia, ſi placet, attendite, quid quæram. Non credo iſtum eſſe apoſtolum Chriſti. quæſo, ne ſuccenſeatis, & maledicere incipiatis. noſtis enim me ſtatuiſſe, nihil à vobis prolatum temerè credere. quæro ergo, quis ſit ille Manichæus? reſpondebitis, Apoſtolus Chriſti. Non credo. iam quid dicas, aut facias, non habebis: promittebas enim ſcientiam veritatis, & nunc, quod neſcio, cogis tu, vt credam. euangelium fortè mihi lecturus es, & deinde Manichæi perſonam tentabis aſſerere. ſi ergo inuenires aliquem, qui euangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, Non credo? EGO VERÒ EVANGELIO NON CREDEREM, NISI ME CATHOLICAE ECCLESIAE COMMOVERET AVCTORITAS. quibus ergo obtemperaui dicentibus, Credite euangelio: cur eis non obtemperem dicentibus mihi, Noli credere Manichæo? Elige quid velis. ſi dixeris, Crede catholicis: ipſi me monent, vt nullam fidem accommodem vobis. quapropter non poſſum illis credere, niſi tibi non credens. ſi dixeris, Noli catholicis credere: non rectè facies per euangelium me cogere ad Manichæi fidem. quia ipſi euangelio catholicis prædicantibus credidi. ſi autem dixeris, Rectè credidiſti catholicis laudantibus euangelium, ſed non rectè illis credidiſti vituperantibus Manichæum. *Audiamus hæc attentiſſimè Caluine: quoniam ex his, quæ ſequentur, quis ſit illorum verborum ſenſus, Euangelio non crederem, &c. quæue magni Auguſtini mens, apertiſſimè conſtabit. ecce iam Auguſtinus reſpondet*, Vſqueadeo me ſtultum putas, vt nulla reddita ratione, quod vis, credam, & quod vis, non credam? multò quippe iuſtiùs, & cautiùs facio. ſi catholicis quoniam ſemel credidi, ad te nõ

Quàm magnificos titulos ſibi vendicent heretici.

Hæreticorũ promiſſis fides non eſt habenda.

tranſeo, niſi me non credere iuſſeris, ſed manifeſtiſsimè, ac apertiſsimè ſcire aliquid feceris. quocirca ſi mihi rationem redditurus es, dimitte euangelium. Quòd ſi fortè in euangelio aliquid apertiſsimum de Manichæi apoſtolatu inuenire potueris, infirmabis mihi catholicorum auctoritatem, qui iubent, vt tibi non credam. qua infirmata iam neque euangelio credere potero. *Ac ſi diceret explicatiùs, Eccleſiæ auctoritate infirmata, nec nunc quidem, qui epiſcopus ſum, Chriſtiani orbis doctor, eccleſiæ meæ paſtor, iam euangelio credere potero: quia per eos illi credideram. ita nihil apud me valebit, (nil beatiſsime pater? nil omnino euangelium Chriſti erit, ſi ſemel ab eccleſiæ auctoritate deflexerimus?) nihil omnino valebit, quidquid inde protuleris.* Quapropter ſi nihil manifeſtum de Manichæi apoſtolatu in euangelio reperitur catholicis potiùs credam, quàm tibi. ſi autem inde aliquid manifeſtum pro Manichæo legeris, nec illis, nec tibi: illis, quia de te mihi mentiti ſunt, tibi autem, quia eam ſcripturam mihi profers, cui per illos credideram, qui mihi mentiti ſunt. ſed abſit, vt euangelio ego non credam. illi enim credens non inuenio, quomodo poſſim etiam tibi credere. apoſtolorum enim nomina, quæ ibi leguntur, non inter ſe continent nomen Manichæi: in locum autem traditoris Chriſti quis ſucceſſerit, in apoſtolorum actibus legimus, cui libro neceſſe eſt me nunc credere, ſi credo euangelio. quoniam vtranque ſcripturam ſimiliter mihi catholica commendat auctoritas. Hactenus clarus eccleſiæ doctor Auguſtinus.

Eccleſiaſticorum auctoritate infirmata, nec euãgelio credere poſſum.

Act. 1.

VT ergo verè & ad mentem Auguſtini, vt ex ipſius verbis colligere eſt in promptu, dicamus, caudato argumento, (vt vulgò dicitur) ſeu dilemmate aduerſarium irretitum & illaqueatum tenet, quærens ab eo, vtrùm eligat, placeátne euangelio credere, an magis credere diffiteri. quidquid dabit, ſuo verbo capiendus foret. quòd ſi daret, credendum eſſe euangelio: ſtatim quæret, quid facturus, ſi hominem inueniſſet, qui euangelio non crederet. certè quidem parum apud eum euangelica veritate profeciſſet. inde ſumit ſuum argumentum Auguſtinus, præmittens, Ego non crederem euangelio, niſi me catholicæ eccleſiæ commoueret auctoritas. quare tantùm apud me euangelium valebit, quãtùm videro, ipſum ca-

tholica auctoritate præſtare. fit hinc, vt ſi quidpiam eccleſia non probet, cuiuſmodi erat Manichæi apoſtolatus, perinde mecum ex euangelio contendas, ac ſi hominem conuenires, qui euangelio nondum credidit. At ego, inquit Auguſtinus, quia euangelio credo, & non niſi per eccleſiam, non poſſum probare, niſi quod eadem catholica auctoritas commendauerit. Piorum quidem certitudinem diuus Auguſtinus, Caluine, vult diuino fundamento eſſe ſuffultam: at ea, niſi eccleſiaſtica auctoritate firmetur, dum proponitur & explicatur, parum Auguſtino noſtro probaretur. vt per eoſdem integram diuini verbi fidem perpetuò aſſeruet, per quos principiò accipere licuit. hinc natum videmus, cum ipſum doctorem Manichæos non tam diuino verbo, quàm catholicæ eccleſiæ ſenſu & conſenſu vrgere, non modò pro approbanda ſcriptura, quam illi repudiabant, verùm etiam pro enodanda, quam illi, tanquam diuinam, ſuſpiciebant. quam etiam rem toto libello de vtilitate credendi fuſè Auguſtinus commendat. vbi proponendi & exponendi auctoritatem (quod oportunum ad fidem noſtram & neceſſarium omnino, vt ipſe loquitur, exordium eſt) penes eccleſiam ſemper recognoſcit: vt tamen in hominum opinione nunquam acquieſcere, ſed certa & ſolida veritate niti Chriſti fideles ſemper exiſtimentur.

Auguſt. de vtilit. credendi.

Non niſi per eccleſiam firma & certa ſcripturæ veritas nobis conſtare poteſt.

CAP. VII.

Libet nunc propiùs ad ea, quæ ſuper hoc negotio ipſe dicis & ſentis, accedere. *Nunc videndum, quomodo non opinione tantùm probabili, ſed liquida veritate pateat non temerè, nec fallaciter obtendi Dei nomen:* hæc & nos moliebamur Caluine. ſed quando parum in ea re hactenus eccleſiæ doctores profeciſſe doles, dic tu, quid ſuper hoc ſentias: atque, ſi noſti, ediſſere nobis parabolam hanc, vnde ſcilicet, huiuſmodi liquida & certa veritas ſcripturarum nobis patère poſsit, non temerè, nec fallaciter obtenta, poſtquam ea certitudo fidei (vt vis) ab vniuerſali eccleſia minimè dimanat. *Iam ſi conſcientiis optimè conſultum volumus, non argumentis agentes, ne inſtabili dubitatione perpetuò circumferantur, aut vacillent, ne etiam hæſitent ad mi-*

nimos quoſque ſcrupulos, altiùs, quàm ab humanis vel rationibus, vel indiciis, vel coniecturis non ab eccleſia petenda hæc perſuaſio eſt, nempe ab arcano teſtimonio ſpiritus. Immo ſi puros oculos, & integros ſenſus illuc aperimus, ſtatim occurret nobis, ſpiritu intus docente nos, Dei maieſtas, quæ ſubacta reclamandi audacia, nos ſibi parêre cogat. Atqui teſtimonium ſpiritus omni ratione præſtantius eſſe reſpondeo. nam ſicuti Deus ſolus de ſe idoneus teſtis eſt in ſuo ſermone, ita etiam non antè fidem reperiat ſermo in hominum cordibus, quàm interiore ſpiritus teſtimonio obſignetur. Idem ergo ſpiritus, qui per os prophetarum locutus eſt, in corda noſtra penetret neceſſe eſt, vt perſuadeat fideliter protuliſſe, quod deuinctius erat mandatum. Atque hæc connexio aperiiſſimè ab Eſaia ponitur in his verbis, Spiritus meus, qui in te eſt, & verba quæ poſui in ore tuo, & ſeminis tui, in perpetuum non deficient. Eſa.51. *Bonos quoſdam malè habet, quòd dum impunè obmurmurant impij contra Dei verbum, non ad manum ſuppetat clara probatio. quaſi verò non ideo vocetur ſpiritus & ſigillum & arrha ad confirmandam piorum fidem: donec mentes illuminet, ſemper inter multas hæſitationes fluctuant:* ô quàm mihi in mẽtem veniunt quidam Auguſtini verè magni aduerſum Manichæos præclari ſermones, quibus te hîc conuenire oportunè ſatis poſſum: Videtiſne id vos agere, vt omnis de medio ſcripturarum auctoritas auferatur, & ſuius cuique ſpiritus, non diuinus auctor ſit, quid in vnaquaque ſcriptura probet, quid improbet, hoc eſt, vt non auctoritati veſter animus ſubiiciatur, ſed contrà ſcripturas vobis ſeruire iniqua tyrannide cogatis? non iam futurum eſt, aliquid vobis placeat, quòd ipſum in ſcripturis legatis, ſed ideo rectè ſcriptum vobis videatur, quia priùs placuit. quò te committis anima miſera, infirma, carnis nebulis obuoluta, quò te committis? aufer, remoue catholicam auctoritatem, videamus: tolle auctoritatem, redde nobis tui ſpiritus rationem. Hæc diuus Auguſtinus. Quòd ſi vnius in te loquentis ſpiritus auctoritati & legi te addixiſti Caluine, cur non potiùs catholicæ & euangelicæ auctoritati te ſubdis, tam fundatę, tam ſtabilitæ, tanta gloria diuulgatæ, ab ìpſis apoſtolorũ temporibus vſque ad hæc noſtra per ſucceſsiones certiſſimas commendatæ? mox videres, ea omnia, quæ te nunc tantopere offendunt ô infelix anima, ex vana & peruerſa

Cõtra Fauſtũ Manichæum. l.35. cap.19.

tui ſpiritus ſuggeſtione ſola te offendere. qui fiet, vt ab arcano teſtimonio ſpiritus certam hanc perſuaſionem petamus? quem vt probemus, Chriſti apoſtolus nos grauiſsimè monet, dicens. Cariſsimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: quoniā multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. vidéſne hîc, Ioannis etiam temporibus, hæreticos fuiſſe, qui ſua mēdacia ſpiritus titulo munirent?

1. Ioan. 4.

Hæretici cū Dei ſpiritū iactent omnes, vehemēter tamen ſe mutuò de errore accuſāt

ATQVI diuini ſpiritus teſtimonium omni ratione præſtantius eſſe oportet. ſi diuinus quidem foret, ac non magis aliquando mali angeli, qui ſæpe Dei perſonam agere ſtudet. quod vt intelligas, à te ipſo exemplum quærito, téque ipſum conſulito. Caluinianum ſiquidem ſpiritum, procellarum turbinem, tempeſtatis flatum, non tenuiſsimæ illius Dei noſtri auræ ſibilum Lutherani exiſtimant: contrà tu ipſorum ſpiritum, quamuis ventum & aerem, quibus plumis eum ornaris, quibúſque coloribus depinxeris, vel vnus libellus, cui titulum feciſti Vltima admonitio ad Ioachimum Vueſtphalum, teſtis eſſe videtur. brutos eos homines appellas, ne guttam quidem ipſis ingenui pudoris relinquis, nimis largam eis copiam cauillationum profluere queritis, dum Lutheri ſui hyperbolas proiiciunt, modò plebeculam, ſuóſque fraterculos faſcinent, popularis theatri plauſu contentos, nec Dei, nec angelorum iudicium magnopere curare. furioſum impetum & leuitatem nugatoriam, temulentiam cæcam, caninam improbitatem, ſuperbiam diabolicam eis propriam eſſe dicis, quòd libido ſenſus ſit loco pietatis, quòd eos incredibilis ferocitas humanitate omni ſpoliauerit, quòd obſtinatus ſpiritus nihil moderaminis reliquum fecerit. eos vertiginoſos homines vocas, cyclopes, ſuperbos, factioſos, gigantes, latratores, fręneticos, beſtias, proteruos, faſtuoſos, pertinaces: & ſi quæ ſunt iſtis meliora nomina, in ipſos coniicis. parum dixi, ac ferè minimā partē refero eorum, quæ modeſtiſsimus iſte homo in ſuos aduerſarios euomit. Sic ſcilicet ludūt vltro citròque homines, quorum cordibus ſuæ fidei ſacramenta diuinus ſpiritus arcano teſtimonio per ſe ipſum copioſiſsimè ſuggeſsit? ô cæcæ hominum mentes, ô homines miſeri quouſque mente errantes eritis? tu Caluine

Caluini maledicentia in Lutheranos

tiine ad illius ſpiritus vmbram ſecurus quieſcis, cui vel per momentum adhæſiſſe ſacrilegium, & ingens piaculum Luthero haberetur: ille verò eum ſpiritum ſequitur, quem tu ex diabolo eſſe nihil cunctatus dicere ſoles: & interim ſpiritus certitudinem ambo iactatis, & in arcano teſtimonio exultandum ambo proclamatis. ſi puros oculos & integros ſenſus iſtuc afferretis vos duo, ſtatim occurreret rei veritas, & vos falli poſſe, & fallere mutuo veſtro iudicio quaſi coacti fateremini. *At Deus ſolus de ſe idoneus teſtis eſt*: verum quidem eſt, ſi certò per ſe eum nobis loqui nos ſciremus, & non magis inſomnia, quæ nos terrent, tanquam domini vocem, aliquando haberemus. Tu dicis, *Non antè fidem reperiet ſermo in hominum cordibus, quàm interiore ſpiritus teſtimonio obſignetur*: ecquis iſtud tibi negat Caluine? quid cedò prodeſt audiſſe orbem vniuerſum proponentem, niſi diuini ſpiritus lux corda noſtra ſemel penetrarit, ſuadens & fideliter prolata à ſe, & veriſsimè per eccleſiam & propoſita, & explicata? Crediderunt, dicit ſcriptura, quotquot erant præordinati à Deo. egemus igitur & extrinſeco doctore, & intrinſeco magiſtro: vterque tamen Dei beneficio, & Chriſti morte nobis obuênit. præclarum verò illud Eſaię vaticinium, quo vniuerſos ſuos mira ſpe firmabat altiſſimus, nunquam defuturum in eccleſia Dei verbum, neque qui ipſum interpretetur, tu ad ſingulos homines detorquebis? Maneat ergo fixum, quos ſpiritus ſanctus intus docuit, & foris idem per eccleſiam ſuos ſenſus aperuit, eos ſolidè & certò in ſcripturis acquieſcere, atque priuati hominis nullius ſenſui quantumuis ſancti, & in litteris arcanis quamlibet exercitatiſsimi, eius ſcripturæ certitudinem ſubiici. etſi enim reuerentiam ſua ſibi vltro maieſtate conciliat, tunc tamen nos mortales ſeriò incredibili certitudine afficit, cùm per eccleſiæ ſpiritum obſignata, expreſſáque noſtris cordibus eſt. illius ergo virtute illuminati, iam non aut noſtro, aut aliorum iudicio credimus à Deo eſſe ſcripturam, ſed ſupra humanũ iudicium per ſuam eccleſiam reuelatam, certo certius conſtituimus, nõ ſecus ac ſi ipſius Dei numen ibi intueremur, hominum miniſterio ad nos alloquendos humaniſsimè vtens, vt nunc demum per os eiuſdem eccleſiæ

Hæreticorũ diſsidia optimè probant, eos à ſuo ſpiritu decipi poſſe.

Act. 13.

Eſa. 51.

Dũ eccleſiæ credimus, diuinæ aſpirationi credimus.

ſuæ, quæ errare non poteſt, in quem finem ea dixerit, accipiamus. Non argumenta, non veriſimilitudines, non inſomnia, non reuelationes quærimus, quibus iudicium noſtrum incumbat: ſed poſt eccleſiæ cenſuram à diuino ſpiritu proculdubio profectam vt rei extra æſtimandæ aleam poſitæ, iudicium, ſenſum, ſpiritum, ingeniúmque noſtrum ſubiicimus. talis ergo eſt perſuaſio eccleſiæ, quæ rationes non requirat: talis notitia optima ratione conſtans: nempe in qua ſecuriùs, conſtantiúſque mens quieſcit, quàm in vllis rationibus, & quàm in proprio ſenſu ac ſpiritu: talis denique certitudo, & talis ſenſus, qui niſi ex cæleſti reuelatione naſci nequeat. non aliud loquor, quàm quod ab infinitis depromptis exemplis apud ſe experitur fideliũ vnuſquiſque, niſi quòd longè infra iuſtam rei explicationem verba ſubſidunt. tantum nunc ſciamus, veram demum eſſe fidem, quam Dei ſpiritus per Chriſti eccleſiam cordibus noſtris obſignat, nõ quam vertiginoſo & fallaci ſæpe ſpiritu noſtro nobis comparamus. Quod verò per Eſaiam promittit dominus, omnes renouatæ eccleſiæ filios fore Dei diſcipulos, non ad electos tantùm referre oportet, quamuis ij ſoli ſint, quos cæleſtis doctrinæ fructus perpetuus manet,
Act. 2. ſed ſapientia publicè vocem ſuam in plateis dat quotidie. éſtque hoc vaticinium partim in apoſtolis impletũ, quo tempore ſpiritu ſancto repleti cœperunt loqui variis linguis: partim eccleſiæ ſuæ miniſterio, per quam nos quotidie docet. Denique in illa cæleſti Ieruſalem abſolutè complebitur, vbi quaſi mercedis loco promittitur nobis ipſius Dei feliciſsima contemplatio. tunc enim
Ierem. 31. fiet, quod Ieremias vaticinatus eſt fore, vt vltrà non doceat vir fratrem ſuum, nec homo proximum ſuum, dicens, Cognoſce dominum: omnes enim me agnoſcent à
1. *Cor.* 13. minimo vſque ad maximum, ait dominus. quod & Paulus illuſtriùs explicuit, dum feliciſsimi illius ſtatus naturam paucis abſoluit, & futuri in nobis ſplendoris maieſtatem his verbis comprehendit, Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. nempe ſicuti ſenes, vel lippi, & quicunque oculis caligant, ſi vel pulcherrimum volumen eis obiicias, quamuis agnoſcant aliquid ibi ſcriptum, vix tamen duas

voces contexere poterunt: ſpecillis autem interpoſitis adiuti diſtinctè legere incipient, ænigmaticè adhuc, & quaſi per tranſennam. ſi viſus verò renouetur, oculorũ vires reparentur & reſarciantur, multò clarior & diſtinctior viſio ipſis habebitur. ita confuſam alioqui Dei notitiam in mentibus noſtris, per ſcripturam ſuam ipſe Deus colligens, diſcuſſa magna ex parte caligine, certò nobis cæleſtia oſtendit. At felicisſima illa contemplatione (ad quam creatus intellectus, Dei beneficio, ſuprà ſe mirè eleuabitur) auctorem rerum non per creaturas, non humano magiſterio, non eccleſiæ voce, ſed æterna luce perſpicuæ veritatis, mente purgatisſima contemplabitur. fiétque mox, vt cùm venerit quod perfectum eſt, & totum hoc, quod ex parte eſt, euacuatum fuerit, tunc ſuis dilectoribus idem ipſe, qui carne velatus, carni apparuit, ſeipſum Deum & ſpiritum oſtendat, tunc ſimiles ei erimus, tunc eum videbimus, ſicuti eſt, tunc cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus, tunc tunc non docebit vnuſquiſque ciuem ſuum, aut fratrem ſuum, dicens, Cognoſce dominum, quando omnes cognoſcent eum à maximo eorum vſque ad minimum, vt ſit ipſe omnia in omnibus. Illud rurſum, quod per Moſen populo dominus intulit, Ne dicas in corde tuo, Quis aſcendet in cælum, aut quis deſcendet in abyſſum? ecce ſermo eſt in ore tuo. de facultate diuino auxilio adiuta ad Dei mandatum exequendum, iuxta literam, ſancti omnes interpretantur. quòd ſi ad euangelicam doctrinam Paulus aliquando eum locum retulit, id fecit (quod & ſancti non reticuerunt) ἀλληγορικῶς de more ſuo. eſt ſiquidem ea loquendi phraſis ſibi frequens & grata. ſic obſeruat Hieronymus, ſic Auguſt. ſic Athanaſ. ſic Oecumenius, ſic Theodoritus, & quis non? per eccleſiã ſuã brachiũ Dei reuelatur hîc: in futura tamen beatitudine per filium huius eccleſiæ ſponſum, æterni verò patris candorem, lucis infinitæ ſpeculum, ac bonitatis æternæ imaginem æterna nobis videbitur maieſtas. Pluribus nũc ſuperſedeo: quoniam hac de re nihil hîc apud iſtum lego. quare ab inſtituto noſtro minimè diſcedentes ad alteram Caluinianæ criminationis partem propiores eſſe feſtinamus.

Deut. 30.

Rom. 10.

Præter ea, quæ litteris expreſſa legimus, plura ſunt nobis neceſſariò credenda. & quorſum auctoritas eccleſiæ ſit data.

CAP. VIII.

SEquitur nunc alter locus: vbi vniuerſam noſtram religionem ſcripturis ſanctis contineri expreſſam, vt nullus ſit aut nouis interpretationibus, aut nouis legibus locus, multis collectis argumentis perſuadere nititur. igitur nos primo loco de poteſtate eccleſiæ in fidei dogmatibus tradendis agemus: deinde de conciliis, & de eorum auctoritate diſſeremus. in quibus omnibus verſandis, & explicandis non diutius immorabor, quàm mihi per Caluinum licuerit. non enim nouam confeſſionem edo, ſed venenatam & peſtiferam iſtius inſtitutionem delere ſtudeo. Vniuerſum iſtius laborem hac ſumma complectemur: Quidquid auctoritatis habet eccleſia, non hominibus, ſed Dei verbo datur. ſequitur inde, nunquam eccleſiæ licuiſſe, aliud docere, quàm quod â domino accepiſſet. Probat ex prophetis, apoſtolis, & Chriſto. & ipſum verbum dicit iam ſatis ſcripturis expreſſum, vt addere, aut diminuere nefas fuerit. nos verò ſingulatim vniuerſa explicatiùs enodabimus exorſi à prima propoſitione. Nimiùm laborat iſte in oſtendendo, piiſque lectoribus admonendis, vt meminerint, quòd quidquid de eccleſiæ poteſtate docentur, ad eum finem referre debent, ad quem teſte Paulo data eſt, nempe ad ædificationem, & non ad deſtructionem: qua qui legitimè vtuntur, nihil, inquit, plus ſe eſſe exiſtimant, quàm miniſtros Chriſti, ſimúlque miniſtros populi Chriſtiani. Quid nos vltro currentes incitat? quid ſatis memores admonet? verum hoc eſt, & ab eccleſiæ paſtoribus ſæpe auditum. quoniam ædificandæ eccleſiæ vna hæc ratio eſt: ſi miniſtri ipſi cum primis ſuam Chriſto auctoritatem conſeruare ſtudent, quæ optimè ſalua ſtare poterit Caluine, etiamſi paſtores noſtros & duces, magiſtros & præceptores appellemus: ſi id modò Chriſto IESV relinquatur, paſtorum primo & principi, quod à patre accepit, nimirum vt ſit vnicus eccleſiæ magiſter, fons vnus & primus, vnde tot riuuli, (quot ego nunc oculis lætiſsimis intueor) in orbem Chriſtianum

Cal. lib. 4. cap. 8.

1. Cor. 10.

profluunt & dimanant. quid dicis? *Non enim de alio quopiam, ſed de ipſo ſolo ſcriptum eſt, Ipſum audite:* ô magiſter in Iſtrael tu hoc ignoras? Qui vos audit, me audit, ipſe dominus dicebat, non minori fide dignus, quàm vox illa de cælo in nube delapſa fuerit, quæ diceret, Ipſum audite. agnoſce ſacramentum, intuere myſterium, incipe intelligere: non iam eccleſia & ſponſus duo ſunt, ſed vna caro. vt nihil hic vnquam loquatur, quod illa ſibi non aſſeruet: & contrà nil illa efferat, quod ſponſi verbum non ſit. Tu dicis, *Eſt eccleſiaſtica poteſtas non malignè quidem ornanda, ſed tamen includenda certis finibus, ne pro hominum libidine huc atque illuc trahatur:* verba tua mihi placent: malignus verò tuus animus, ménſque vſqueadeo maledica, cui proborum probari poterit? Iam ſecundò nos admonet, non aliunde huiuſmodi poteſtatem certis & debitis finibus commodiùs contineri poſſe, quàm ſi obſeruemus, qualiter à prophetis, & ab apoſtolis deſcribatur. *Nam ſi ſimpliciter*, ait, *hominibus concedimus, quam ſumere ipſis viſum fuerit poteſtatem, omnibus in promptu eſt, quàm ſit procliuis in tyrannidem lapſus, quæ procul à Chriſti eccleſia abeſſe debet:* eamus & nos tecum, & quò nos vocas, pergamus Caluine, ad prophetas ſcilicet & ad apoſtolos. ô quàm tu es nimius, vt ex ſcripturis probes, quidquid auctoritatis, ac dignitatis ſiue ſacerdotibus, ſiue prophetis, ſiue apoſtolis, ſiue apoſtolorum ſucceſſoribus ſpiritus defert, id totum non tam propriè hominibus ipſis, quàm miniſterio ipſi, cui præfecti ſunt, dari. quid nos torques importune? elegantiùs ſanè multò eam rem perſecutus Paulus vniuerſa miniſteria in theſauros eccleſiæ, & in bonum ſponſæ reiiciebat, dicens, Ipſe dedit quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam prophetas, alios verò euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores: quibus tantum dignitatis impendit Deus, vt, verbo illis commiſſo, tantóque miniſterio communicato, vniuerſa illa ad perfectionem ſanctorum, & in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in virum perfectum & in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei, ſtudioſè referant. ne, obſecro, nos ampliùs torqueas: eccleſiaſtici miniſterij duo ſunt fines, ſibi (quæ Dei noſtri infinita ſapientia eſt) inuicem mix-

Mat. 17.

Sect. 2.

Epheſ. 4.

Eccleſiaſtici miniſterij duo ſunt fines. biliter ordinati. éſtque prior, eccleſiæ non deſtructio, ſed ædificatio: Dei verò noſtri veritatis, infinitæque ſuæ bonitatis gloria, & magnitudo, poſterior & præcipuus finis eſt. Iam vltrà progredere: proſequere vniuerſa ordine. *Fateor nulla eos docendi aut reſpondendi auctoritate præditos fuiſſe, niſi in nomine & verbo domini:* at ipſum nomen illud eſt, quod mater eccleſia inuocat, ipſum etiam verbum illud eſt, quod de eccleſiæ ore nunquam defuturum ſponſæ ſuæ aſtipulatus eſt dominus. quare pro nobis eſt, quòd antiqui patres, vbi ad munus vocabantur, ex domini ore loqui, & non ex ſeipſis, quòd homines eſſent, iubebantur: nec eos antè producit ipſe in medium, vt à populo audiantur, quàm ſuggeſſerit, quidnam loqui debeant, ne quid præter Dei verbum loquantur. pro nobis etiam eſt Moſes ipſe, prophetarum omnium princeps, qui diuinis antè mandatis inſtruitur, ne quid omnino nuntiare queat, niſi à domino: vt iam populus ipſe eius doctrinam amplexus non in Dei ſeruũ Moſen tantùm, ſed in Deum ipſum credidiſſe dicatur. haud ſecus Caluine os & ſapientiam dedit Chriſtus eccleſiæ ſuæ, vt qui eam audierit, aut aſpernatus fuerit, domino credidiſſe, vel eum certè deſpexiſſe habeatur. non immutat, neque diminuit de verbo Dei Moſes, non luxat, non frangit Dei ſermones eccleſia. ſacerdotum quoque auctoritas ne contemptui foret, grauiſsimis pœnis ſancita eſt, quas iuſtè tu dabis, ſi non hominibus Caluine, ſummo tamen ſacerdoti Chriſto, qui de contemptá eccleſia & aſpernata ſæuiſsimè tecum expoſtulabit. Tu inquis, *Ita eſt, quod de ſacerdotibus dicunt. Verùm ſimul ibidem oſtendit dominus, qua lege audiendi eſſent, cùm dicit ſe percuſsiſſe fœdus ſuum cum Leui, vt lex veritatis eſſet in ore eius: & cùm paulò pòſt addit, Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus domini exercituum eſt:* iam tu infers, *Si audiri velit ſacerdos, præſtet ſe Dei nuntium, id eſt, mandata, quæ ab auctore ſuo accepit, fideliter referat: atque vbi de his audiendis agitur, nominatim hoc ponitur, vt ſecundum legem Dei reſpondeant:* vt coniicio Caluine, plurimum neruorum ac virium remiſiſti. certè ſi non aliud, hoc tamen ex datis facile erit, non extorquere, ſed ſponte tua ingenuè con-

Eccleſia ſemper in nomine & verbo domini loquitur.

Exod. 3.

Eccleſia nihil diminuit de Dei verbo

Malach. 2.

Colligitur ex Caluino ad ſu-

ceſſum accipere,ſcilicet,pro explicanda Dei lege non no ſtrum ſpiritum conſulere nos debere, ſed id muneris ad ſacerdotes pertinere,modò illi non de ſuo, ſed iuxta Dei verbum reſpondeant. quod poſtremum ſi ad legem expreſſam referas, ipſe contextus ſcripturæ tibi aduerſabitur. ait enim,Si cauſſa aliqua inſolita & difficilior,quàm vt te ab ea explicare poſsis,in iudicio ſuborta fuerit, inter ſanguinem & ſanguinem, &c. vbi ſacerdotum explicationi,atque examini multa relinquuntur, modò in his ipſis diuina mandata non prætergrediantur.Si verò velis dicere eis verbis, quibus præcipitur ſacerdotibus, vt ſecundum legem Dei reſpondeant, diuinũ oraculum ipſos admonuiſſe, ne vana ſua commẽta diuinis immiſcerent: tunc Caluine magis te auctoritas hæc premet,qui neſcio cuius ſpiritus ductu ageris, quàm eccleſiæ Chriſti ſacerdotes, qui eum ſpiritum habent à conſilio, qui poſsit diuinam legem interpretari,quam idem ipſe tulit.tibi magnum diſcrimen videbitur inter leuiticos ſacerdotes, & euangelicæ legis miniſtros, Quòd (quemadmodum in quodam loco dicis)*ſacrificiis Chriſtum leuitici illi figurabant, cuius perſonam cùm noſtri non ſuſtineant, multò ſanè prioribus erunt inferiores*: at mihi ipſi tantò pluribus dotibus præ illis donatos hos eſſe à Deo perſuadeo, quantò excellẽtius teſtamentum,ac multò nobiliora ſacra adminiſtranda ſuſceperunt. vt non iam nouiſsimæ & euangelicæ domus paſtores cum antiquatæ illius gentis ſacerdotibus conferamus Caluine, ſed magis ipſum prophetarum ſpiritũ (quo quidẽ primi ſacerdotes non ita in ferendis religionis ſuæ iudiciis gaudebant,cùm ſæpe defecerint) in vniuerſam eccleſiam deriuatum veneremur & ſuſpiciamus. nihil,niſi verbum Dei erat,quod illi vaticinabantur: nihil,niſi Chriſti verbum, quod ab eccleſia, tanquam fidei dogma,pro certo habẽdum accipimus. Percurre omnia, diligenter inueſtiga vniuerſa prophetarum oracula, & quouis mendaciſsimorum hominum genere nequiores nos exiſtima,niſi planè comperias, nihil illis conuenire, quod optimo iure eccleſiæ catholicæ accommodare non poſsis. ſi eleganter Ezechieæ dictum legimus, Audies ex ore meo verbum, & annuntiabis illis ex me. ſi per Ieremiam prophetã dominus inquit,Propheta,apud quem

cerdotes ſolũ pertinere verbi diuini interpretationem.

Deut.17.

Hæretici ſua commẽta cum diuinis oraculis permiſcent.

Cal.li.4.c.12.ſect.25.

Longè præſtant nouæ legis ſacerdotes prioribus illis antiquatæ legis.

Ezech.3.

Ierem.23.

eſt ſomnium, narret ſomniū: & qui habet verbum meū, loquatur verbum meum. eandem quidem profectò ſibi legem cum illis dictam aduertit mater eccleſia, vt non plus doceat quempiam, quàm iuſſa fuerit: eadémque paleam vocet cum ſponſo ſuo, quidquid à Caluino, Luthero, Zuinglio, Oſiandro, & non à domini ſpiritu eſt profectum. Quòd ſi tibi toties illa apud eos prophetas occurrunt Caluine, Verbum domini, Onus domini, Dominus ait, Os domini locutum eſt, & cetera generis eiuſdem: &
Act.15. mihi etiam hæc obuia ſunt, Viſum eſt ſpiritui ſancto &
Matt.18. nobis, In medio eorum ſum, Non vos eſtis, qui loquimi-
Ioan.14. ni, Maneat vobiſcum in æternum ſpiritus veritatis. excla
Eſa.6. mabat Eſaias polluta ſibi eſſe labia: Ieremias ſe neſcire
Ierem.1. loqui fatebatur: at vtriuſque ſancta & pura labia fuerūt, cùm ſpiritus ſancti cœperunt organa eſſe. Ad eum modum ſi eccleſiam vniuerſam in ſuis membris conſideres, donec hîc exulat à patria cæleſti, ſi nihil, niſi fragilē noſtram fallacémque naturam ſpectes, ſordeſcent tibi labia, impollutáque videbuntur: at ſi ſimul cum cæleſti ſpiritu, ad eam mundandam miſſo, vt par eſt, ſemper cōtempleris, non iam terrenum, non humanum, ſed diuinū potiùs eius teſtimonium iudicabis, haud ſecus, quàm iuxta duplicem hanc cōſiderationem de prophetis feceris. Iam ſi in apoſtolos reſpicias, etſi homines fuerint, multis ta-
Matt.5. men & inſignibus elogiis commendantur: quód lux ſint
Luc.10. mundi, & ſal terræ, quòd pro Chriſto audiēdi, quòd quæ-
Ioan.20. cunque in terra ligauerint, aut ſoluerint, ligata erunt, aut ſoluta in cælo. vide ergo, quàm potens ſit Dei ſpiritus, quàm cæleſtis artifex, quàm omnia proſpiciens, quàm omnium virtutem habens.

Quòd de ratione apoſtolatus non ſit nuda facultas doctrinæ tradendæ tantùm, ex locis ſcripturæ ſanctæ oſtenditur. CAP. IX.

Cal.li. 4.c. 8.ſect.4. HIc tamen iuſtè tibi iraſcar Caluine, qui & nomini, & muneri apoſtolico callidè derogas. dicis enim ſic, *Verùm ſuo nomine præſeferunt,* (loquitur de ſanctis apoſtolis) *quantum ſibi in ſuo munere permiſſum ſit, nempe ſi apoſto-*
Matt. 28. *li ſunt, ne garriant quidquid collibitum fuerit, ſed mandata eius,*
Marc.vlt. *à quo miſſi ſunt, bona fide perferant. & ſatis clara ſunt Chriſti verba, quibus eorum legationem terminauit, cùm mandauit illis,*

vt irent ac docerent omnes gentes, quæcunque præceperat: ecce nos cogis præter morem noſtrum tecum agere. num quiſquã noſtrûm ſanctiſsimos duces & apoſtolos garrulos dixit aliquãdo? Seminiuerbius appellatus eſt Paulus ab Atheníenſibus, non quòd multa garriret, ſed quòd audientiũ opinione maiora loqueretur. quòd ſi ſpiritus ſanctus eorum animos non occupaſſet, adhuc præceptoris ſui ſecuti veſtigia, omnis continentiæ, atque modeſtiæ nobis filiis ſuis ſpecimen minimè obſcurum reliquiſſent. Quòd porrò ais, apoſtolicam legationem ſola facultate doctrinæ terminatam, veſtrum antiquum commentum eſt, & antiquæ veſtræ cogitationes iſtæ ſunt. eo iam vos finxit nõ natura, ſed neſcio quæ peruerſitas ingenij, vt nihili faciatis apoſtolico ordini detraxiſſe, dummodo ſimul cum ſuis principibus vniuerſam eccleſiam perdatis. Apoſtolus, bone vir, in ſcriptura ſancta non tantùm miniſterij, ſiue officij nomen eſt, ſed pręter id dignitatem & primatum cõplectitur. qua ſignificatione vſus eſt Paulus, cùm dixit, Et quoſdam quidẽ poſuit Deus in eccleſia primùm apoſtolos. idem alibi, Ipſe dedit quoſdã apoſtolos. quamuis latiùs aliquando patuit vocabulum iuxta eius etymologiam: at is vſus Paulo beatiſsimo multò familiarior eſt. & quidem, cùm inter miniſtros, quos ad ædificationem corporis Chriſti in eccleſia ſpiritus ſanctus inſtituit iuxta Pauli ſententiam, primum & ſummum locum apoſtoli obtineant, facilè intelligere eſt, quæ nam competat illis poteſtas, nimirum non tantùm verbi proponendi miniſterium, ſed etiam auctoritas prohibendi, præcipiendi, legéſque ferendi. Proinde futile eſt & puerile Caluini argumentum, è nomine apoſtoli hic ſumptum: inualidum, inquam, eſt: quippe quia non totam vocis ſignificationem ipſa etymologia comprehendit. quod ſanè nõ in hac voce ſolùm, ſed in aliis quoque quãplurimis perſpici poteſt: vt in nomine, Dictator, Conſul, Epiſcopus. Vult enim me, ait Cicer. Pompeius eſſe, quem tota hæc Cãpana & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & ſumma negotij referatur. hîc epiſcopus, nomen dignitatis eſt, quę tamen in eius etymologiam nõ includitur. non enim hoc habet huius nominis ratio, vt eum ſignificet, penes quem rerũ ſumma ſit, ſed ſpeculatorem

Act. 17.

Quid vox hac, Apoſtolus, ſignificet.

Epheſ. 4.

Apoſtoli leges ferebant, ne dũ Dei verbũ proponebãt.

Voces, in quibus ſignificationes etymologiã ſuperãt.

Cic. ad Attic. lib. 7. epiſt. 11.

& cuſtodem. Verùm demus,vt in nomen apoſtoli, nihil aliud includatur,quàm in ipſius etymologiam, quod verum non eſt: minimè tamen inde licebit inferre, quod Caluinus colligit: videlicet,penes ipſos non aliam poteſtatem fuiſſe,quàm enuntiandi quod in mandatis haberent,fuerũt ſiquidem duodecim illi à domino electi,quibus Paulus item, & Barnabas acceſſerunt, non apoſtoli ſolùm, ſed prætereà paſtores & epiſcopi,adeóque omnia epiſcoporum & paſtorum officia ipſis conueniebant: in-
Act. 20, ter quæ ſunt regere,præcipere, ordinare. Attendite, ait apoſtolus, vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei. in actis etiam apoſtolicis legimus, quòd Paulus, electo Scylla, profectus perambulabat Syriam,& Ciliciam,confirmãs eccleſias,præcipiens cuſtodire præcepta apoſtolorum, & ſeniorum. & ſequenti capite dicitur, Cùm autẽ pertran-
*Act.*18. ſirent Paulus,& Timôtheus ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata,quæ erant decreta ab apoſtolis & ſenioribus, qui erant Ieroſolymis. Hæc parum noſtro propoſito conducere quis ſuſpicabitur. ſed ea nũquam ego hîc attigiſſem,niſi iſte,qua pollet calliditate, vbi minus ſperatur,laqueos miſeris hominibus intendere ſemper moliretur. Reuertamur ergo Caluine, & vno verbo ſic concludamus:eccleſiæ docentis vox Dei vox eſt,quemadmodum & Chriſtus doctrinam ſuam,non ſuam,ſed eius,qui
*Ioan.*7. ſe miſit,patris eſſe affirmabat. quibus ſanè verbis is, qui vnicus atque æternus patris conſiliarius ſemper fuit,quíque dominus ac magiſter omnium cõſtitutus à patre eſt, docendi miniſterio functus, nobis omnibus ſuo exemplo præſcribit,quam in credendo regulam ſequi debeamus,vt niſi Chriſti eccleſia verbo domini, ſiue ſcripturis expreſſo,ſiue per traditionem viuida fide fidelíque memoria retẽto,ſiue nunc denuò ex ſcripturis reuelato, per ſpiritum ſanctum ſubiecta eſſet, nunquam nos illi tam firma & conſtanti fide ſubiiceremur. Hactenus dedimus tibi Caluine,primùm quidem omnium poteſtatem eccleſiaſticam non niſi in ædificationem datam eſſe: conceſſimus deinde non aliud nos ſanctæ eccleſiæ credere,quàm quòd ex ore Dei ipſa per ſpiritum ſemper acceperit: deniq; libẽtiùs dedimus hanc eccleſiæ doctrinã non tã ſuã

eſſe, quàm Dei, & cœleſtis ſpiritus per ipſam nobis loquẽtis. vnũ tamen non potuimus, ſalua fide noſtra, tibi conceſsiſſe, quòd ſcilicet nõ eò ſe huiuſmodi eccleſiaſtica au ctoritas extendit, quò expreſſum Dei verbũ nõ accedit.

QVOD verò inducis, vt idipſum probes, parui, aut certè nullius vigoris argumentum eſt. dicis enim, *Si verum eſt quod ait Chriſtus, quòd nemo patrem viderit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare, oportuit certè ab æterna illa ſapientia ſemper dirigi, qui ad Dei notitiam peruenire vellent*: ſuper hoc nunquam contenderimus Caluine, quomodocunque illam ſapientiam ſumas. infers mox, *Quomodo enim Dei myſteria aut animo comprehendiſſent, aut elocuti eſſent, niſi docente eo, cui ſoli patent arcana patris? Deum igitur non aliter cognouerunt olim ſancti homines, quàm ipſum in filio, velut in ſpeculo, intuiti. hoc cùm dico, intelligo Deum non alia ratione vnquam manifeſtaſſe ſe hominibus, quàm per filium, hoc eſt, vnicam ſuam ſapientiam, lucem, ac veritatem*: omnia lubens do: nihil ad dialecticas leges hîc exigere volo, nec criminabor, quòd videaris pluribus terminis vti, quàm ratio ſyllogiſmi requirat, dũ ſapiẽtiam ingenitam cum producta & genita immiſces: vt cùm de vna agas in præmiſsis, de altera concludas. nihil hîc tale tecum conferendum eſſe cenſeo: quoniam tota illa tua ratiocinatio vnicè mihi fauet. ita eſt, quòd niſi per filium videri, nec cognoſci pater poteſt. Ex hoc fonte hauſerunt Adam, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, & quotquot alij extiterũt, quidquid habuerũt cæleſtis doctrinæ: ex eodẽ prophetæ omnes collegerunt, quidquid cæleſtiũ oraculorũ ediderũt: ex eodẽ tãdẽ Caluine dimanat, quidquid religionis & fidei Chriſti ſpõſa in nos filios ſuos copioſiſsimè diffundit. enimuero hæc ſapiẽtia nõ vno modo ſemper ſe exeruit: apud patriarchas arcanis reuelationibus vſus eſt, ſed ſimul ad eas confirmandas eiuſmodi ſigna adhibuit, vt minimè dubium eis eſſe poſſet Deum eſſe, qui loqueretur. patriarchæ quod acceperant, ad poſteros per manus tranſmiſerunt: ea enim lege apud ipſos depoſuerat Deus, vt ita propagarent. filij verò ac nepotes, Deo ſuam eccleſiam nunquam deſerente, ſciebant è cælo eſſe, non ex terra: id quod per eccleſiam propoſitum audiebant. vbi autem Deo viſum eſt illuſtriorem eccleſiæ formam exhibere, multò poſt verbum ſuum

Non nulli ſcripturæ loci explicantur, ex quibus malè colligit Caluinus, nihil eſſe credendum, quod non in ſcripturis legatur.

Cal. lib. 4. c. 7. ſect. 5.

Matt. 11.

Nõ niſi per filium pater poteſt videri, vel agnoſci.

ſcripto mandari ac conſignari voluit: non quòd per ſcripturam quidquam firmitatis accederet ad eccleſiæ fidem, (erat ſiquidem diuina, non humana fides, & ante ſcripturam) ſed vt nobile quoddam antiquæ fidei teſtimonium, & ipſum ſimiliter diuinum. vt inde etiam facili opera & ſacerdotes peterent, quod populo traderent, & populus ipſe, quid ſequeretur & crederet, in ſcriptis haberet. nihil miſcebant ſui ſenſus leuitici ſacerdotes, nec extraneum aut alienum quidquam ab eo doctrinæ genere, quod Deus in legem incluſiſſet, docebant. Verùm & hîc vides Caluine multum ſacerdotum ſenſibus, & explicationibus eſſe tributum. cùm enim Moſes, legem recepturus, iam montem conſcenderet, ne ſi fortè aliquid interea ortum fuiſſet, remedio vacarent: Habetis, inquit, Aaron & Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos. quod etiam & poſt acceptã legem, ne vel minimùm illi genti defuiſſe videretur, à domino factum legimus. quòd ſi iuxta legem datã docere ſacerdotes iubebat dominus, ideo eſt, quia lex illa vniuerſalia principia continebat eius religionis, quam rudi illi populo ſatis ſupérque erat ſciuiſſe. ad ſummam ſequenda ſibi lex data proponitur, non quòd ſiue ad religionem, ſiue ad iudiciorum normam non plurimùm valeret ſacerdotũ explicatio, ſed vt meminiſſent ipſi, quidquam addere, quod illi legi non eſſet conforme, nullatenus ſibi licere, eſſéque illis deſignata amuſsis, in quam ſemper collinearent ſua iudicia.

Exod 24.

SECVTI ſunt deinde prophetæ, per quos noua quidem oracula publicauit Deus, quæ ad legem adderẽtur, vſqueadeo noua Caluine, vt nec ex lege manarent, nec cũ illa quidquam haberent commune: niſi velis dicere, in ipſam ea omnia reſpexiſſe, quoniam de Chriſto erant, qui vnus totius legis finis erat perfectus, completúſque terminus. quod ſanè quidem tibi prorſus concedã: immo verò ex ipſis vaticiniis eam legem aliquando antiquandam per nouam & euangelicam (vt optimè Paulus in epiſtola ad Hebræos ratiocinatur) ſatis expreſſè colligimus. quantùm enim ad doctrinam, non legis duntaxat interpretes fuerunt, ſed multa addidere præter vaticinia, quibus & iuſti in iuſtitia perſeuerarent, & malos nimiũ

Multa tradiderũt ſancti Dei prophetæ, quæ in lege non continebantur.

minis & terroribus concuterent, & ad pium & miſericordem Deum aduocarent. quare dicere, vaticiniis exceptis nihil aliud ꝓdidiſſe prophetas, quàm puram legis explicationem, certiſsimum argumentum eſt velle te vltro inſanire, niſi nomẽ explicationis latiſsimè patêre velis, ipſúmque extendere ad ea omnia, quæ ad diuinæ maieſtatis cultum & honorem, & ad fidelis populi religionem pertinent. in quo quidem ſenſu eccleſiæ dogmata, publicáque iudicia diuinam eſſe legem ſanctè nos interpretabimur: vt nihil ſit, quod Caluinus calumniari poſſit, nefas eſſe eccleſiæ, Dei legi quidquam addere. Hæc autem omnia, támque præclara prophetarum vaticinia non ex annalium monumentis, atque eccleſiaſticis commentariis, (quippe quæ adhuc non volutabantur) ſed ex patrum memoria conquirebat illius temporis eccleſia: donec ipſe Deus ad æternam ipſorum memoriam, & vt commodiùs frequentiúſque poſteritas & legeret & audiret, ſcriptis mandari, & , vt verbi ſui partem haberi voluit. his ſimul acceſſerunt hiſtoriæ, præter legem & prophetica, multa continentes. quò enim euangelicæ veritati propiores erant, cò maiori ſemper luce perfundebantur.

Eccleſiæ dogmata, & apoſtolicæ traditiones partes ſunt diuinæ legis.

Quo pacto intelligendum ſit, Chriſtum perfecti abſolutíque magiſtri, atque ſummi doctoris functum eſſe munere. vbi locus Matthæi, & Pauli explicatur.

CAPVT X.

VErùm poſt multa tandem ſuum virus exerit Caluinus. ait enim, *Vbi demum in carne manifeſtata eſt Dei ſapientia, quidquid humana mente de patre cæleſti comprehendi poteſt, & cogitari debet, pleno ore nobis ediſſeruit:* principiò in hoc ſibi iſte palàm contradicit: paulò ſiquidem mox, vt iam videri poterit, multa per ſpiritum effuſum ſciuiſſe ſanctos apoſtolos, quæ antea ignoraſſent, coactus Chriſti teſtimonio dicentis, Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò. ingenuè fatetur. quorſum ergo attinet negare nunc, quidquam Chriſtum reliquiſſe ediſſerendum ad tempus per ſpiritum ſanctum apoſtolis, atque eccleſię communicandum? túne ſcripturis ludes tam ioculariter? & litteris arcanis haud aliter, quàm Aeſopi fabulis, vtêris? deinde, vt demus, tibi ipſi te ſemper con-

Nõ obſcura Caluini cõtradictio.

ſtare, & non vertiginoſum eſſe magiſtrum, nónne vides te diuinis cum ſcripturis pugnantia loqui? ſed, quoniam de hoc inferiùs ſum acturus, nunc prætereundum eſſe duco. demum, vt tibi omnia demus, nílque fuerit, quod humana mente de patre cæleſti comprehendi poſſit, & cogitari debeat, quod pleno Chriſtus ore nobis non ediſſeruit, vnde probabis, quòd illa omnia litteris mandata ſint? Multa & alia ſigna fecit IESVS, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, dicebat Ioannes: quæ ſi ſcriberentur, vniuerſus orbis tot libros non caperet. ſimiliter Lucas narrat, multa de ſcripturis cum illis duobus diſcipulis, Emaus caſtellum contendentibus, dominum diſſeruiſſe. atque vellem ego, vt proferret Caluinus eccleſiaſticum librum, qui ea vniuerſa, prout à domino ſunt geſta, contineret: inanis reuera piorum hominum fuiſſet labor in eam rem probabilibus coniecturis, multíſque ſuis vigiliis ſumptus. idem dixerim de verbo illo eiuſdem Lucæ, quo in multis argumentis per dies quadraginta de reſurrectione ſua, & de Dei regno in nobis futuro cum diſcipulis ſuis loquentem, & ediſſerentem facit. ô ſi librum exhiberet Caluinus, ſic eccleſiaſtica auctoritate donatum, vt certam verbi Dei partem cenſeremus: vbi vniuérſa illa argumenta, diuináque colloquia excuſa haberemus. quod cùm facere non poſsit, deſinat à nobis quærere expreſſum Dei verbum: neque dubitet plura eſſe diuina oracula, quàm codex eccleſiaſticus contineat. O quàm familiare eſt his, qui hominum ſimplicitati inſidiantur, vera falſis immiſcere, quò ſic commodiùs ſpecie recti alios fallant. ex quo nobis Sol iuſtitiæ Chriſtus illuxit, perfectum nos diuinæ veritatis fulgórem habere, qualis in meridie claritas eſſe ſolet, cùm antea ſub obſcura lux fuerit, quis noſtrûm negare velit? Deum inſuper, poſteaquam ſuus filius caro factus nos homines inuiſit, non vt antea per alios ſubinde atque alios de filij aduentu locuturum, neque prophetias in eam rem iam propheticis additurum, quæ nos adhuc ſub promiſsionibus detineant, quis noſtrûm nolit fateri? quod enim nec deſiderare meruimus, non iam ſperamus, ſed poſsidemus. æternum hoc eſt, & nouum Dei noſtri teſtamentum, vltra quod

Ioan. vlt. — *Lucæ 22.* — *Act. 1.* — *Chriſti teſtamentum æternum.*

ſtultè & fruſtra aliud futurum quæretur: hæc hora nouiſſima vocationis noſtræ, hic ſæculorum finis, hæc temporum plenitudo, hi dies nouiſsimi ſunt. Chriſti igitur doctrinæ plus ſatis contenti, nullam vltra nouam, aut nobis fingimus ipſi, aut ab aliis confictam, quamuis angeli de cælo ſint, vnquam admittemus. cum hoc tamẽ idem Dei filius fidei noſtræ auctor & cõſummator, ſemper per electos viros vſque in ſæculi conſummationem non aliud euangelium, quàm quod in mundum intulerat, captui noſtro humaniſsimè ſeſe attẽperans, explicatiùs ediſſerere nunquã ceſſat. Si omnes reuelationes negauerit Caluinus poſt Chriſti prædicationem & mortem, ſi omnes prophetias, non quæ de priori Chriſti aduentu ſunt, ſed quæ de poſteriori, quàndo integra gloria iudicaturus adueniet, prophetias etiam, quæ futurum eccleſiæ ſtatum prænuntiant, ſi eas, inquam, omnes, quaſi nouas, parúmque neceſſarias poſt Chriſti euangelij diuulgationẽ eſſe dixerit, videat, quid reſponſurus ſit Paulo & Ioanni: quorum alter per reuelationẽ IESV Chriſti didiciſſe euangelium gloriatur, non ab homine mortali, ſed poſtquam immortalitatis gloria fulgeret, alter verò Apocalypſim ſuam multò poſt Chriſti mortem, & prædicationem prophetiæ adhuc nomine inſignire non dubitat. *Quę prophetię luce euangelica ceſſauerint.* *Galat.1.*

ILLVD porrò, quod ex Paulo tu profers, teſtimoniũ, Deum olim multifariam patribus locutum eſſe per prophetas, at extremis his diebus nobis per dilectum filium loqui cœpiſſe, non rectè detorques contra omnium ſanctorum voces, quò probes ſic omnes docendi partes in filio patrem compleuiſſe, vt hoc vltimum æternúmque ab eo habendum teſtimonium ſit. Communis ſanctorum ſenſus ſuper eo loco hic eſt, Multi prophetæ fuerunt, & prioribus alij ſuccedebant, multíſque modis viſitaturum Deum plebem ſuam ſignificauit: interdum ſub figura lapidis, interdum digiti apparent, quaſi manus ſcribentis in pariete, interdum videtur Dominus ſedens ſuper ſolium excelſum, nonnunquam olla ſuccenſa, & virga vigilans propheticis oculis conſpiciuntur, diuerſis quidem temporibus, nunc mirabilibus figuris, nunc apertis verbis, aliíſque reuelationibus: at temporibus iſtis ſemel in vno filio prophetarum domino, & prophetiarũ *Caluin. ſect.7.* *Hebr.1.* *Locus Pauli, Nouiſſimè locutus eſt in filio, & locus Matthei, Ipſum audite, explicantur.*

ſine & termino locutus eſt & vno modo: idque, quod locutus eſt, ad finem vſque ſæculi prædicandum commendauit. Arguit etiam iſte ex Matthæo, quòd non temerè filium ſingulari dono nobis doctorem pater ordinauerit, quaſi verò ſimulátque eccleſiã audimus, huius cœleſtis doctoris diſciplinam non profiteamur. perinde enim fuit, ac ſi ab omnibus hominum doctrinis abductos his verbis æternus pater huic vni magiſtro nos ſiſteret, ab hoc vno omnem ſalutis doctrinam petere iuberet, ab vno pendêre, in vno hærere, denique huius vnius voci auſcultare. qui ſuperbenedictus doctor per eccleſiam ſuam docere non deſtitit, quam habet huius cæleſtis ethicæ officinam mirabilem, vt verum ſit, quod iam iam ad patrem reuerſurus nobis dixit, Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. & ſanè quid iam ex Caluino, aut ex Luthero expectari, aut expeti queat, non video: poſtquam verbum ipſum vitæ familiariter quotidie ſe nobis ac coràm per eccleſiam explicat. in eo cæleſtis pater omnes ſcientiæ, ac ſapientiæ theſauros abſconditos eſſe voluit, non vt poſt ſe nihil aliis dicendum relinqueret, (vt tu ſuſpicaris Caluine) ſed vt intelligamus magis ac magis hiulcam fore noſtram ſapientiam præter eam, quam ab infinitis his theſauris filij Dei mutuata fuerit eccleſia. A Meſsia omnium reuelatio ſperabatur, quam & præſtat, dum per ſe, aut certè per eos, qui ipſius legatione hac in parte funguntur, proferre abſcôdita in lucem nunquam deſinit. iam ex ſuis corruptis principiis hoc colligit Caluinus: ſed præſtat eum audire. *Hinc etiam colligimus non aliud permiſſum fuiſſe apoſtolis, quàm quod olim habuerant prophetæ, nempe vt veterem ſcripturam exponerent, ac oſtenderent in Chriſto completa eſſe, quæ illic traduntur. hac enim lege eorum legationem definiuit Chriſtus, cùm iuſſit, vt irent ac docerent, non quæ temerè ipſi eſſent fabricati, ſed quæcunque ipſis præceperat:* vt intelligo, non nobis modò, ſed & ſummis apoſtolis eſt iſte iniurioſus: éſtque noſtra querela, & cauſſa cum multis iuncta. ſed quia de apoſtolatu & ſuprà nonnihil tetigi, & dicam inferiùs fuſiùs de poteſtate, quæ eſt in eccleſia ad ferendas leges, nunc prætereo.

Sect. 7. *Mat. 17.* *Magiſterij Chriſti præſtantia.* *Mat. 28.* *Ioan. 4.* *Mat. 23.*

Reſpondetur

Reſpondetur Caluino, obiicienti illud Chriſti, Nolite vocari magiſtri ſuper terram, &c. & illud, Quęcunque dixero vobis. locúſque Petri explicatur, Qui loquitur, loquatur tanquam ſermones Dei.

CAP. XI.

NOn poſſum re ipſa, etſi in negotio nimiùm feriò, riſum comprimere, dum hunc video tam laborioſum, tam argutulum in congerendis ſcripturæ locis, etiam his, qui parum ad rem faciunt. ſæpe enim mecum hîc exclamo, Hæccine eſt Caluiniana ſuperbia, quæ in manifeſtiſsimis ſcripturæ locis aliàs conniuere ſoleat? audiamus nunc, quæ teſtimonia citet, vt omni nos magiſterio ſpoliet. *Nihil apertius dici poterat, quàm quod alibi dicit, Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus enim magiſter veſter eſt:* ô admirandam hominis prudentiam, nóune vides magiſterium non his Chriſti verbis damnari, &, quòd à ſua eccleſia ratio diſciplinæ exularet, voluiſſe Chriſtum, ſed magis hac ſua oratione Rabbinorum quorundam ſuperbiæ, inſignibúſque & pulchris ſapientum huius ſæculi titulis vltimum vale dixiſſe? voluítque Chriſtus eo ſermone nobis oſtendere veram ſapientiam ex patre cæleſti petendam eſſe. cuius adhortationibus preſsiùs hærens mater eccleſia, dari ſibi de cælis ſapientiam aſtitricem, quæ ſecum ſit, & ſecum laboret, impenſiſsimè ſupplex efflagitat. Iubet etiam Caluinus (qua religione fertur ad ſacras ſcripturas) ſumma cura & conſideratione obſeruari, quòd, cùm ſpiritus veritatis apoſtolis promittebatur, à quo dirigerentur in veram omnium intelligentiam, non ſine magno conſilio illa reſtrictio fuerit appoſita, Suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. ac ſi diceret, Non alia ab his, quæ ego vos antea docuero. O incredibilem hominis religionem, quæ mihi tantò maiori miraculo eſt, quantò minùs frequenter iſtius ſcripta legenti oſtendit ſe & occurrit. ſolet ſiquidem aliàs camelum traiicere, & nunc vel vnam litterulam non ſuſtinet ſine conſideratione abiiſſe. quo iam pacto vniuerſa eccleſia, aut apoſtoli iſti homini iure ſuccenſere poſsint, ego non video: vbi & ipſum ſpiritum ſanctum in terminos cogit, cui & ſuas partes aſsignat, vt nec ei pluſquã nobis ſug-

Cal. ſect. 8.
Ioan. 14.
2. Paral. 1.
Ioan. 4.
Caluini inuſitata ac noua religio.

gerere liceat, quod à filio non ſit prædicatum. abſolutè Caluine de ſpiritu ſancto legimus, Quæcunque audiet,loquetur: & quæ ventura ſunt,annuntiabit vobis. quaſi diceret,Quoties rei fuerit occaſio,reuelabit vobis, errorum tenebras de pellens,&,ſi quas machinatur mundus euangelio moleſtias,vos prę monebit,ea omnia prædicens,quæ ego dedero illi,vt annũtiet vobis. non enim à ſemetipſo loquetur:ſed quę è re veſtra eſſe viderit,ſuggeret, ac quoties reuelare expedierit. Quod verò ibi Chriſtus dicit,Quæcũque dixero vobis, non eo dictum accipiamus,vt vltra ea,quæ Chriſtus prædicauit, ſingulari quadam ſuggeſtione idem ſpiritus eccleſiæ ſanctę plura non reuelet,ſed vt magis diſcipulorum tarditatẽ tunc humaniſsimè leuaret,qui cùm ad ſui magiſtri doctrinã ſæpe caligarent,peteréntque ab eo paſsim, vt ſua verba explicatiùs euolueret,tótque parabolas longè à ſuis ſenſibus poſitas ediſſereret, eos conſolatus,ſpiritum explicatorem omnium,& myſteriorum interpretem pollicetur, non pro his tantum,quorum tunc fulgôre perſtringebãtur apoſtoli,verùm pro multis aliis, quæ, vt vidimus, ab initio naſcentis eccleſiæ dubia ſuborta ſunt.non ergo ibi reſtrictio vlla eſt,vt ex aliis locis colligimus,ſed ſuæ pollicitationis opportuna quędam applicatio.

Ioan.16.

Quo pacto intelligẽdũ ſit verbum Chriſti, Quæcunque dixero vobis.

VENIAMVS, vt poſtulas,ad Petrum,optimè à magiſtro edoctum.affert hîc pro ſe Caluinus Petri teſtimonium,quod ſic habet, Qui loquitur,loquatur tanquã ſermones Dei, *hoc eſt*, inquit iſte, *non dubitanter,vt trepidare ſolent ſibi malè conſcij,ſed alta confidentia,quæ Dei ſeruum certis mandatis inſtructum decet*: ſi ſaperes & intelligeres, extertus hic à diuo Petro gladius te petit Caluine,tuum iugulum hic enſis nudatus repoſcit,non Chriſti eccleſiam, quæ Dei ſpiritum habet. quid hoc aliud eſt miſer homo,quàm omnes humanę mentis inuentiones,à quocũque ſenili ac deliro capite profectæ illæ ſint,à Chriſti eccleſia arcere,vt in ea verus Dei ſermo, non Philippicus, non Caluinianus addiſcatur?omnium hominum, cuiuſcunque ſint ordinis,etiam archipresbyterorum placita, vel potiùs figmenta tollere, vt ſolius Dei decreta rata maneant,diuináque ſint omnia,quæ de religione & fide nos à Chriſti ſponſa matre,veréque noſtra magiſtra do-

Caluin. lib. 4.cap.7. ſect.9. 1.Pet. 4.

Diuus Petrus humanas inuentiones ablegauit illis verbis, Qui loquitur,loquatur ſermones Dei.

cemur? Hæc ſunt, amice, arma illa ſpiritalia, potentia Deo, ad demolitionem hæreticarum munitionum, quibus conſilia demoliantur filij Dei, & eccleſiæ milites, & omnem celſitudinem Caluinianã, quę extollitur aduerſus cognitionem Dei, & captiuam ducant omnem intelligentiam ad obediendum Chriſto. en tibi ſummũ deſiderium, quo eccleſię paſtores affectos eſſe conuenit, nẽpe vt Chriſto per eos orbis totus ſubigatur: hic finis omnis eccleſiaſticæ ſummæque poteſtatis: hoc Dei verbo, quod in ore habet eccleſia, confidẽter omnia audet, ſpõſi ſui maieſtati omnem mundi virtutẽ, gloriam, ſapientiã, altitudinẽ cedere atque obedire cogit: eius ſpiritus, quẽ à conſilio habet, virtute fulta, omnibus à ſummo regum vſque ad nouiſsimum plebis infimæ imperat: eo aſpirãte flamine hactenus Chriſti domus ædificata eſt, Satanas ſubuerſus, oues paſtę, lupi profligati, dociles inſtituti & exhortati, contumaces & peruicaces conuicti, increpati, ſubacti: ac demum cęleſti ſpiritu auctore verbum Dei in ſola Chriſti eccleſia cum ſuo natiuo ſenſu potentiſsime regnat. Conſideremus rem nouam, & Caluino noſtro parum conſuetam. dat hîc eccleſiæ paſtoribus poteſtatem ad inobedientes arguendum, immo vt eos ligent & ſoluant, ac denique, ſi res expoſtulare viſa fuerit, vt fulmina, & fulgura aduerſum prauos homines contorqueant: ſed omnia in Dei verbo poſtulat ab ipſis fieri. quare ex ſententia iſtius ob Chriſti verbum, Hoc eſt corpus meum, iure in Caluinum, aut in Lutherũ ſpiritalia ſpicula, eccleſiaſticàque fulmina patres iaculabuntur: vt mea verò fert non opinio, ſed fides, in vtrunque veſtrûm ſimul ſua tela coniicere poterunt. *2. Cor. 10.*

SED pergit iſtius ſagacitas, nouas differentias rerum inueſtigans, inter apoſtolos, & eorum ſucceſſores (qui eccleſiaſtici patres & paſtores ſunt) hoc diſcriminis comminiſci: quòd illi fuerunt certi & authentici ſpiritus ſancti amanuenſes, & ideo eorum ſcripta pro Dei oraculis ſunt habenda: alij autem non aliud habent officij, niſi vt doceant, quod ſacris ſcripturis creditum eſt, & conſignatum. & tandem, *Conſtituimus igitur*, inquit, *non eſſe iam fidelibus miniſtris relictum, vt nouum aliquod dogma excudant, ſed ſimpliciter inhærendum eſſe*

Eccleſia vniuerſalis vox, Dei oraculũ eſt: quod certè nullius hominis ſentẽtiis nũc cõuenire poteſt.

Si apoſtoli fuerunt ſpiritus ſancti amanuēſes, eccleſia porrò ipſiuſmet ſpiritus eſt diſcipula.

2.Cor.1.

doctrinæ, cui Deus omnes ſine exceptione ſubiecit: quæ hactenus Caluinus dixit, ſi ad ſingulos homines modò retuliſſe contentus eſſet, non ei nos iraſceremur: at in eo, quod ſubiicit, prorſus non eſt ferendus. ait enim, *Hoc cùm dico, non tantùm oſtendere volo, quid ſingulis hominibus, paſtoribus, atque eccleſiis, ſed quid etiam vniuerſæ eccceſiæ conueniat*: certè Paulus, Caluine, cùm fidei diſcipulorum ſuorum dominari ſe negat, & cùm nemini parcit, cuius auctoritatem euangelij ſui imperio non ſubiiciat, atque cùm fidem ex auditu dicit eſſe, auditum autem ex verbo Dei, non his locis ipſe eccleſiaſticam auctoritatem remouet, ſed fidem noſtram à Deo vult pendere, vt aduerſus Satanam, & omnes inferorum artes, totúmque mundum inuicta & intrepida ea conſiſtat. hanc profectò fidei firmitudinem non niſi in vno Dei verbo collocatam cum Paulo reperiemus. neque tantum firmitatis catholicæ eccleſiæ veréque apoſtolicæ offerre nos auderemus, niſi ex Dei verbo edocti eſſemus, magiſtrum eam habere, qui neque fallere, neque falli poſsit, Chriſtum ſcilicet IESVM, eiuſque diuinum ſpiritum.

Paulus dũ fidẽ noſtrã à Deo vult pendêre, eccleſiaſticam auctoritatẽ non remouet, ſed magis auget.

HVCVSQVE verbo Dei expreſſo nobiſcum congreſſus eſt Caluinus: vbi quantum nobis negotij faceſſerit, æquiſsimi lectores iudicabunt. ad extremum tamen deeſt Caluino vniuerſalis quædam ratio, quam nobis hîc circumſpiciendam eſſe affirmat. hæc talis eſt, Deus iccirco adimit hominibus proferendi noui dogmatis facultatem, vt ſolus ipſe nobis ſit in ſpirituali doctrina magiſter, vti ſolus eſt verax, qui nec mentiri, nec fallere poteſt. hæc ratio non minùs ad totam eccleſiam, quàm ad vnũquemque fidelium pertinet. Quæ noua hæc ratio eſt Caluine? nónne cùm tu eam ſæpe vſurpaſſes, tibi reſpondimus, longè aliam rationem eſſe de vnoquoque fideliũ & de tota eccleſia? quòd illi non ſic diuino magiſterio fruantur: at hæc veraci, & qui nec mẽtiri, nec fallere poſſit, doctore, Chriſto IESV ſcilicet, certa ſtipulatione vſque in ſæculi conſummationem perfruatur. cuius oppoſitum nec per ſcripturas, nec per rationes tu in præſentia probare potuiſti.

Longè alia ratio eſt, vniuſcuiuſque ſingularis perſonæ, & vniuerſalis eccleſiæ.

Multa Dei ſpiritus eccleſiam docuit, quæ litteris mandata non ſunt in numero, quamuis bene in genere. atque proponuntur Caluini verba, ſatis longè à Chriſtiana modeſtia poſita: quæ locis ſcripturæ confutantur.

CAP. XII.

COnſtat complura Dei ſpiritum poſt Chriſti aſcenſionem eccleſiam docuiſſe, quorum etſi à Chriſto vniuerſalem quandam, & in genere cognitionem habuiſſent fideles: non tamen in ſpecie, aut certè in numero, & ſingulariter. vnde vniuerſa fidei noſtræ myſteria, & quæ ad religionem ſpectarent, omnia litteris conſcripta eſſe, non ſine ignoratione affirmare poteſt: cùm ſcripturarum teſtimoniis non modò non ſubleuetur, neque adiuuetur, ſed omnino ab eis excludatur. Paulus ad traditionem diuinam ſibi factam, nõ ad ſcripturam ſæpe recurrit, nec vt minùs cuſtodiãtur, iubet, quæ ſermone dediſſet, q̃ quæ per epiſtolas fidelibus cõmendaſſet. idemq́ue Timotheo mãdat, vt quæ abs ſe audiuiſſet per multos dies, fidelibus hominibus traderet. iſte verò ſatis perperã Dei verbũ cũ ſcriptura confundit: apud quẽ Dei verbum non eſt, quod ſcriptis non ſit mandatũ, & in libris expreſſum. atque vniuerſa noſtra eſſe velit edita, cũ longè antè fuerit euãgelium de Chriſto, q̃ vlla litterarũ eſſet cognitio, ne dũ ſcriptura ſacra. inter primũ ſiquidem hominẽ & Moſen, qui primus legem ſcripto mandauit, & à quo prima authentica ſcriptura eſt profecta, iuxta vetuſtatis exẽpla 2373 anni interceſsiſſe creduntur. nec opînor velle te aſſerere toto illo tẽpore Dei verbũ eccleſiæ defuiſſe. Sunt etiam auctores graues, qui totis ſexdecim annis negãt ſcripturam fuiſſe vllã de eo, ꝓ Chriſtus venerat in hunc mũdũ, vt ſaluos faceret peccatores, dêque rebus ab illo geſtis, quas per id tẽporis voce tantũ ab apoſtolis fideles accipiebãt. Porrò multas eſſe in Chriſti eccleſia traditiones, diuinitus acceptas, atque nullis ſcriptis mãdatas, quas ſatis firmè à primis principiis fideles mẽte cõceptas atque fixas haberent, teſtes ſunt hi omnes, quos tã ex Græcis, q̃ ex noſtris Latinis producã. ex Græcis quidem Dionyſius libro de eccleſiaſtica hierarchia, Ignatius ad Heronem, Philo Iudæus, Clemens pontifex, Irenæus, Clemens Alexandrinus in ſtromatis, Origenes in Numeros, Athana-

1 Theſſ. 4. & 2. c. 2. 1. Tim. 6. 2. Tim. 2.

ſius in Arrianos,Gregorius Nazianzenus in oratione ad Gregorium Nicęnum,Gregorius Nicænus in vita Gregorij Neocæſarienſis,Baſilius in libro de Spiritu ſancto, Chryſoſtomus in Paulũ,Epiphanius libro de hæreſibus, Theodoretus in hiſtoria eccleſiaſtica,Socrates,in hiſtoria eccleſiaſtica de Neſtorio,Theophilactus in Paulũ,Damaſcenus libro de orthodoxa fide : ex Latinis verò, Tertullianus libro de corona militis,& de præſcriptionibus hęreticorũ,Cyprianus libr.3.epiſt.8.ad Cornelium papam, Ambroſius in epiſtolis ſępius,Hieronymus contra Luciferianos,Vigilantium,Iouinianum,ad Euſtochiũ,ad Lucinum,Auguſtinus ad Ianuarium,Beda venerabilis, Bernardus,Leo Magnus,Rufinus,Innocẽtius primus, Calliſtus martyr,Zozimenus,Nicolaus primus. nec etiã concilia nobis deſunt,quæ hanc veritatem & verbis, & exẽplis ſummopere pro traditionibus obſeruandis commẽdent,& firment, patres videlicet Nicænæ ſynodi prioris & poſterioris,patres Gangrenſis ſynodi,patres Arelatenſis concilij,ſynodus Conſtantinopolitana,cõcilium item Toletanum quartum. Cùm ergo tu quæſiueris, Vbi ſcriptum id eſt? reſpondebimus nos, Vbi ſcriptum in viſceribus fidelium id non eſt? ego quidem ſemper credidi duabus de cauſsis,Deum nobis tam illuſtres patres,tantáque eruditione præſtantes dediſſe:& quòd ſcripturam ſanctam erãt interpretaturi,& quòd traditiones diuinas per ipſos eramus nos accepturi. his ſiquidem partibus Chriſti doctrina cõſtat. quamobrem magna fuit ſemper traditionis & virtus,& auctoritas,à qua eccleſiaſtica cõſuetudo dimanat,vt auctor eſt Tertullianus. Vbi, rogo, conuenientiùs,quàm hîc,Chriſti verbum vſurpare licebit, Qui vos audit,me audit,& qui vos ſpernit, me ſpernit? Item illud, Quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cælo? item,Non te ſpreuerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos? item, Audiui murmur veſtrum contra dominum:nos verò quid ſumus,quia muſsitatis contra nos? ſic Paulus poſt multa,quæ de cuſtodia virginitatis tradiderat,addit,Puto autem,quòd & ego ſpiritum Dei habeam. Hæc eſt poteſtas,cuius meminit idem Paulus ad Corinthios ſcribens,item ad Timotheum, & in actis apoſtolicis,atque in epiſtola ad Hebræos.

Epiſt.1.lib.3.c.123. *Homil.5. de filio, & ſpir.ſancto.* *Cap.27.&28.* *2.Theſſ.2.* *Lib.2.cõtra hæreſes Aeris.* *2.Theſſ.2.* *Lib.4.de orthodoxa fide.* *Tom.1.fol.147.& ad eandem fol.181.* *Ad Luc. fol.194.* *Tom.1.* *Tertull.de corona milit.& de virg.* *Luc.10.* *Matth.18.* *1.Reg.8.* *Exod.16.* *1.Corint.7.* *1.Cor.10.* *1.Tim.2.* *Act.15.* *Hebr.13.*

ITV poſthac, & vbicunque verbum aut euangelium audieris, mox quaſi ſcripturam intelligas, glorioſè trium pha. Sed quis non videat, quàm longè hæc diuerſa ſint? & quis nõ intelligat ex tot teſtimoniis, multa verbo eſſe tradita, quæ eccleſiæ ſolùm memoriæ, & nullis nimirum ſcriptis ſint mandata? quare, cùm neque ſcripturis, neque ratione quidquam proficere quiueris, ad conuicia te cõ- uertis. *Iſthæc verò*, dicis, *quam diximus, eccleſiæ poteſtas, ſi cum ea conferatur, qua ſe aliquot iam ſeculis in populo Dei ven- ditarunt ſpirituales tyranni, qui epiſcopos ſe, & religionis præſu- les falsò vocarunt, nihilo melior erit conſenſus, quàm Chriſto cum Belial*: omitto ſingula iſta tua maledicta exquirere, ne videar ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam reſpondere: tu verò, donec omnem malidicentiam exhaurias, (ſi finem habet vllũ) nolito ſilere. ſic ſcilicet euãgelicus tu apoſtolorũ ſty- lo ac modeſtia tantopere delectaris. *Neque hic mihi pro- poſitum eſt exponere, qualiter, & quàm indignis modis ſuam tyrannidem exercuerint: tantùm referam doctrinam, quam ex ſcriptis primùm, deinde ferro & igni hodie tuentur. quoniam pro confeſſo ſumunt vniuerſale concilium veram eſſe eccleſiæ imagi- nem. hoc principio ſumpto, ſimul abſque dubio ſtatuunt regi im- mediatè à ſpiritu ſancto eiuſmodi concilia, ideóque errare non poſſe. cùm verò ipſi conſilia regnant, immo conſtituant, reuera ſibi vendicant quidquid contendunt de veris conciliis. Fidem igitur noſtram ſuo arbitrio ſtare volunt, & cadere, vt quidquid ipſi vtrãque in partem conſtituerint, firmum animis noſtris ſta- túmque ſit: vt ſiue quid probauerint, ipſum nobis nulla dubita- tione probari, ſiue quid damnauerint, id quoque pro damnato eſſe oporteat. Interim ſua libidine, contemptóque Dei verbo, cu- dunt dogmata, quibus poſtea fidem hac ratione haberi poſtulant. nec enim Chriſtianum eſſe, niſi qui in omnia ſua dogmata tam affirmatiua, quàm negatiua certò conſentiat, ſi non explicata fi- de, tamen implicita: quia penes eccleſiam ſit condere nouos fidei articulos*: non nunc primùm obſtupeſcimus Caluine, nec maximam nobis admirationem mouent iſtæ tuæ in optimos quoſque maledictiones, atque maleuolẽtiſsimæ obtrectationes. agnoſco agnoſco iſtam loquendi phra- ſim, multò (nobis crede) peiora idem ipſe Satanicus ſpi- ritus, qui te modò malè habet & cruciat, in ſponſum Chriſtum per Phariſaicos illos Rabbinos maledicta cõ-

Caluin. li. 4 c. 7. ſect. 10

gerebat, grandioráque ei conuicia faciebat, quàm ſint ea, quibus ipſe modò ſuam ſponſam figere conaris. quòd nouos condant articulos fidei, catholicæ eccleſia non vſurpat: quæ verò dogmata intra ſcripturæ ſanctæ inuolucra latebant, & deliteſcebant, lumine, quo prædita eſt, illuſtrari facit, vt non alius ſit articulus ab eo, quo credimus, Vnam ſanctam catholicam eccleſiam: quamuis explicatum dogma, & in ſingulari neceſſariò credendum propoſitum, nouum nobis eſſe videatur. Verùm audiemus te libentiſsimè, Caluine, expendentem, quantùm nos, quæ de eccleſia proferimus, argumenta iuuare poſſint. incipe igitur, & quàm religiosè pro tuis confirmandis aduerſum nos argumentatus es, obſecro, vt tam piè, dum in noſtrorum confutatione verſaris, nobiſcum agas. Sed quid ego currenti vltro in præcipitium calcaria addo? *Præclaras, inquiunt, promiſsiones habet eccleſia, quod nunquam à ſponſo ſuo Chriſto ſit deſerenda, quin eius ſpiritu ducatur in omnem veritatem*: ſic eſt: habeſne quidpiam, aut tam bellè tibi in mentē aliquid venire poteſt, vt eas promiſsiones interturbare queas? videte, quid reſpondeat. non vna, ſed infinitæ illi ſuppetunt ſolutiones, immo dixerim veriùs diſſolutiones. principiò eas omnes promiſſiones ſingulis quoque Chriſtianis vult eſſe communes. *Nam, tametſi duodecim apoſtolis loquebatur dominus, cùm dicebat, Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſaculi. item, Ego rogabo patrem, &c. non tantùm numero duodenario id promittebat, ſed illis quoque ſingulis, immo alius ſimiliter diſcipulis, vel quos iam aſſumpſerat, vel qui poſtea acceſſuri erant. Cùm autem eiuſmodi promiſsiones eximiæ conſolationis plenas ſic interpretantur, quaſi nemini Chriſtianorum datæ ſint, ſed vniuerſæ ſimul eccleſiæ: quid aliud, quàm Chriſtianis omnibus fiduciam tollunt, quæ inde ad ipſos animandos redire debuerat?* ecce iam hîc incipis indulgere plebi. Chriſti apoſtolos perſonam ſuſtinuiſſe vniuerſæ eccleſiæ apud Chriſtum, cuius ipſi futuri eſſent & duces, & magiſtri, teſtis eſt eiuſdem Chriſti oratio ad patrem omni dulcedine, incredibilíque ſuauitate plena, Pater ſerua eos, quos dediſti mihi: non pro mundo rogo, &c. cuius orationis ſe participem fuiſſe, vehementiſsimè gloriabatur Auguſtinus. ídque præcipuè videri poteſt, vbi de eccleſiaſtica ſtructura do-

Cal ſect. 11. cap. 7. li. 4.

Nihil nō mouet Caluin⁹ vt locos ſcripturarum, quibus ſua auctoritas eccleſiæ ſtabilitur, corrūpat & euertet.

Matt. 28.

Ioan. 14.

Apoſtoli vniuerſalis eccleſiæ locum apud Chriſtū tenuerunt.

Ioan. 17.

minus cum diſcipulis agebat. quare ſingulis diſcipulis promiſſus eſt ſpiritus ſanctus, fateor: ſingulis eſt datus, non nego: ſed ſic datus, vt in ipſis eccleſiæ conceſſus ſit, ſicque communicatus, vt maneat in æternum. donec ſæculum conſummetur, ſpiritu indigebit eccleſia: apoſtoli, qui eam docebant, mortui ſunt; penes quem igitur promiſſum donum & cōceſſum aſſeruatum fuiſſe opinaris? non me præterit, te dicturum, à cunctis fidelibus eum poſsideri. at hi, etſi vita integra ſint & ſancta, ſæpè falluntur. præſtat ergo nobis dicere, Caluine, non diſſoluentibus IESVM, quòd idem ipſe ſpiritus, qui eſt ſcripturæ, idem ſit interpretationis, & qui fuit apoſtolorum, nunc eſt eccleſiæ. neque vſqueadeo tu impudens eris, vt velis negare, quin tota fidelium ſocietas, multiplici bonorum varietate decorata, longè ampliori & vberiori cæleſtis ſapientiæ theſauro ſit prędita, quàm ſeorſum ſinguli. neque ſuſpicor, te adeò deſipere, delirare, demētem eſſe, vt diuinas promiſsiones ita cum fidelibus communicatas eſſe, ſentias, vt certitudinem, quam ſecum affert ſpiritus, in ſingulis reſidere credas. eſt quidem hoc communi vſui contrarium. quin tu vno verbo reſponde, Spiritus ſanctus, cùm eccleſiæ promittebatur, apoſtoliſque dabatur, num ad certi temporis dies, & non magis perpetuò nobiſcum manſurus prædicebatur? ipſis ergo apoſtolis vita defunctis, manet ſpiritus in eccleſia, quàmdiu ipſa ſuperſtes fuerit. non manet in ſingulis eo pacto, quo in apoſtolis manebat, cùm ſæpe ex veritate decidant & qui ſummo in loco ſunt collocati, atque ille non erroris, ſed veritatis ſit ſpiritus. manet ergo in communi catholicæ eccleſiæ conſenſu, vt quod videris ab vniuerſis eccleſiis, vnáque fidelium voce aſſeuerari, quamuis eius rei ſcripturam legenti tibi certi loci non occurrant, tanquam diuinum oraculum, excipias quod vel per apoſtolos ſola traditione, vel per ſpiritum eccleſiæ, qui ſpiritus Dei eſt, tibi proponitur. Quòd autem vniuerſale concilium expreſſa ſit & perfecta vniuerſalis eccleſiæ imago, ſtatim videbimus. ſed nunc veniamus ad alteram Caluini reſponſionem: ſic enim ait, *Verùm, hoc omiſſo; ſimpliciter fateor id, quod res habet, dominum perpetuò ſuis adeſſe, & eos ſpiritu ſuo regere*: bene ſanè ſit tibi Cal-

Tract. 109 in Ioan.

Spiritus ſanctus in apoſtolis Chriſti eccleſiæ promittebatur, qui nunquā eā deſereret.

Idem ſpiritus eccleſiæ, atque ſcripturæ.

Matt. 28.

Apoſtolicæ ac diuinæ traditiones quàm diligētiſsimè ſunt obſeruandæ.

Cal. ſect. 11.

nine, ſi vltima primis ſic reſpondent. *Hunc ſpiritum, dico non eſſe erroris, ignorantiæ, mendacij, aut tenebrarum, ſed certæ reuelationis, ſapientiæ, veritatis, ac lucis, à quo non fallaciter diſcant, quæ ſibi donata ſint: hoc eſt, quæ ſit ſpes vocationis ſuæ, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis Dei in ſanctis:* quid hîc audio? éſtne iſte Caluinus? quî cedò tam ſubitò Hieronymi, aut Auguſtini perſonam induiſti? faxit Deus, ne eam aliquando exuere velis. ſed, heu me, quàm citò catholicæ veritatis eum pertædet, atque ad ſe iam ipſe rediiſſe omni feſtinatione properat. pergítque quod patribus eccleſiæ honoris impenderat, non ſine conuiciis malè patiens creditor repoſcere. *Verùm cùm primitias, & quendam duntaxat guſtum eius ſpiritus percipiant in hac carne fideles, etiam qui excellentioribus gratiis præ aliis donati ſunt, nihil illis potiùs reſtat, quàm imbecillitatis ſuæ conſcios ſeſe intra verbi Dei fines ſolicitè continere, ne ſi proprio ſenſu longiùs euagentur à recta via, protinus aberrent. Quatenus ſcilicet ſpiritu illo adhuc vacui ſunt, quo ſolo docente, verum à falſo diſcernitur. omnes enim cum Paulo fatentur, ſe nondum ad metam pertigiſſe. itaque ad quotidianum profectum magis contendunt, quàm perfectione gloriantur:* & mihi, & tibi magnopere verendum eſt Caluine, ne aut proprio ſenſu longiùs euagemur, aut ne à recta via protinus aberremus, qui ſpiritu illo adhuc vacui eſſe poſſumus: at quæ errare non poteſt huiuſmodi vano metu inanibúſque terroribus, non habet quòd urgeatur. quidquid per partes ſanctorum vnicuique tribuit Deus, id totum penitus, & cumulatè in ipſam eccleſiam confert. Caluinus ad hoc, *Tametſi nonnullam veri ſpeciem hoc habet, verum tamen eſſe nego:* immo verò id tu meliùs reſpondiſſes, Quia hoc veri ſpeciem habet, ego nego. nunquam inficiaturus ſi verum non foret. an ignoratis, quoniam egomet mihi ipſi imperaui, veritati bellum vbique gentium & locorum indixiſſe? quia ergo verum eſt, ego nego. *Sic quidem ſingulis membris diſtribuit Deus dona ſpiritus ſui ad menſuram, vt corpori vniuerſo nihil deſit neceſſarium, vbi dona ipſa in commune conferuntur:* iſtud quàm veriſsimum eſt mi Ioannes, ſed aduerſatiuam metuo: vereor, ne mox, vt ſolet, adſit. en nobis, *Verùm tales ſunt ſemper eccleſiæ diuitiæ, vt multum deſit ad ſummam illam perfectionem, quã*

Omnib⁹ ſtudendũ eſt, ne proprio ſenſu enitamur

Calu. lib. 4. c. 7. ſect. 12.

aduerſarij noſtri iactant: de ſumma perfectione, quam hîc habere eccleſiam iactamus, nec minimum deeſt Caluine: de illa verò, quam habitura eſt in patria, multum per omnem modum. vnde nulla in parte eccleſia deſtituitur, quin ſemper habeat, quantum ſatis ſit, atque in primis diuinum ſpiritum, quo ſine per ambages errans & incerta malè vagaretur. quod ſanè quàm non deceat ſponſam illius, (qui, vt eam mundaret lauacro aquæ in verbo vitæ, ſuum ſanguinem magnificè profudit) nemo eſt, quin videat.

Nihil perfectionis neceſſaria deeſt eccleſiæ, quāuis lōgè maiorem ſit habitura in patria.

Epheſ.5.

1.Tim.3.

Verbum Pauli explicatur, eccleſia columna & firmamentum eſt veritatis. & ſtatus totius controuerſiæ inter nos & aduerſarios proponitur.

CAP. XIII.

SEd Caluino verbum hoc Pauli pro hac eccleſiaſtica auctoritate non multam fidem facit. *Quid autem*, ait, *aliud ſibi volunt hæc Pauli verba, quàm in eccleſia conſeruari Dei veritatem prædicationis ſcilicet miniſterio? quemadmodum alibi docet Chriſtum dediſſe apoſtolos, paſtores, atque doctores, ne ampliùs circumferamur quolibet vento doctrinæ, aut ab hominibus deludamur, ſed vera filij Dei cognitione illuminati omnes ſimul occurramus in fidei vnitatem*: obſecro te per Deum immortalem, quæ hæc firma cuſtodia eſt, quam, quaſi in tutiſsima arce, ſibi Dei verbum in eccleſia collocauit? quæ arma ei ſunt pro defenſione? quæ copiæ auxiliares, niſi diuinus hic ſpiritus? qui ipſas, quas per prophetas & apoſtolos edidit, ſcripturas per eccleſiam ſuam diuino ſenſu in perpetuum firmat, & quos per eoſdem ſermones protulit, cùm nihil litterarum eſſet exaratum, eos omnes huc contulit aſſeruandos, vt qui ſub eccleſiæ fuerint diſciplina, nouerint, non in Platonis academia, non in Zenonis porticu, nō in Ariſtotelis ſchola, ſed in Dei domo, in veritatis ſede, ac domicilio, vbi columna & baſis noſtræ fidei eſt, ſe verſari. quòd ergo Dei gratia, non quolibet doctrinæ vento (vt miſeris iſtis contigit) circumferamur, neque quòd ab hominibus deludamur, (ſicut hæreticorū ſectatoribus infeliciter euenit) quòd poſtremò in mundo veritas non extinguatur, ſed ſalua perſtet: inde eſt, quòd Dei verbum fidam habet cuſtodem, eccleſiā ſcilicet, cuius non modò opera & miniſterio, ſed luce

Diuinus ſpiritus eſt, qui eccleſiā firmat virtute ſua.

1.Tim.3.

Ab eccleſia habem⁹, poſt Deū, ne quolibet doctrinæ vento circūferamur.

etiam vniuerſa hęc ſtructura perfunditur, eáque nixa vero & ſolido fundamento, & quæ nunquam deficiat columna, firmiter ſuſtinetur. atqui hæc firma cuſtodia non tam in miniſterio prophetico, & apoſtolico ſita eſt, (quo ſanè Dei verbum apud eandem eccleſiam fideliter conſeruatur, ſuámque puritatẽ omnino retinet) quàm quòd firmamentũ ſit inexpugnabile ob certitudinem dogmatum, & ob inuiolabilem & præſidem eius ſpiritum ſanctum, cuius numine illius omnia reguntur. ſi quid de Chriſti doctrina periclitabitur, & de re Chriſtiana inter nos nonnulla ſit controuerſia, ad hanc, tanquam ad ſacrã anchoram, recurremus, religioſiſsimæque aræ iſti procumbemus. Prudenter proinde Oecumenius, grauis in eccleſia auctor, in eo loco Pauli obſeruari vult, quòd eccleſia non Dei tantùm, ſed Dei viuentis nominatur. Ne, inquit, aduertas, quòd hominibus tantùm repleatur: quæ enim per Deum excellit, & ipſi extruitur, ipſum vtique inhabitatorem habet. Theodoritus etiam ſuper eo ipſo loco ſic pronuntiat, Nec diuini prophetæ, nec mirabiles apoſtoli omnia præſciuerunt. quæcunque enim expediebant, ea illis ſignificauit gratia ſpiritus, quæ particulare donum eccleſiæ eſt, ſupra quam fundati nos ſtabiles & immobiles permanemus, vera tenentes per eam fidei noſtræ dogmata. addit etiam vnum, quod ad noſtrum propoſitum vnicè valet: inquit enim, Poſtquam hæc dixit de eccleſia, mox quaſi neceſſaria connexione orationẽ dogmaticam induxit, Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum. quò doceret ea nobis excipienda dogmata, quæ ſuo conſenſu hæc veritatis columna, & fidei ſtabilimentum, eccleſia ſcilicet, firmauerit. Verùm nos reuertamur ad noſtra. Vt meliùs intelligant Caluiniani lectores, in quo potiſsimùm cardine hæc noſtra quæſtio verſetur, quid nos poſtulemus, & in quo ipſe nobis reſiſtat, paucis quidem, ſed minùs verè, ſic exponit. *Quod illi*, inquit, *negant errare poſſe eccleſiam, huc ſpectat, atque ita interpretantur. quando ſpiritu Dei gubernatur, tutò incedere ſine verbo poſſe: quocunque pergat, non poſſe ſentire, aut loqui, niſi verum. proinde ſi quid extra, aut præter Dei verbum ſtatuerit, id habẽdum eſſe non alio loco, quàm certum Dei oraculum*: nunquam hoc tibi dabimus, vt eccleſiam abſque Dei verbo & ſpeciali illo

In fidei controuerſiis ad eccleſiam cõfugimus.

Oecum. ſuper 1. Tim. 3

Theod. ibid.

Nec præclari apoſtoli omnia præſciuerũt, ſed quæ ſcire & docere expediebat.

In quo potiſsimũ cardine hæc noſtra quæſtio verſetur.

Cal. ſect. 13. c. 7. li. 4.

quidem incedere ſuus ſponſus ſinat:bene porrò ſine teſti
monio litteris expreſſo . vtrunque quidem tu inconſultò
ſatis confundis,atque peruertis.vbi(quod velim nō graui
ter feras)tragœdias Arrianorū, antiquáſq; voces arctiori
& grauiori ſomno iā cōplexas denuò nūc tu excitas,Ver

Eccleſia nō progreditur quoquā ſine Dei verbo.

bū hoc nuſquā in ſcriptura reperimus, nuſquā legimus,
nuſquam Dei ſermo ſic habet.itaquè non poteſt eccleſia
quoquam accedere, quò non ſecum afferat ſcripturam
Caluine,ſi non aliam, ſaltem illam, Columna eſt verita-
tis.Explicantur autem multa in numero & per concilia,
& per traditiones, quas diuinas eſſe (vt iam diximus) &
apoſtolicas,auctore Tertull. communis omnium eccle-
ſiarum & ſæculorum conſenſus teſtis eſt grauiſsimus ac
certiſsimus. rurſum quidquid in ſacris epiſcoporum con

Tertull. de præſcrip.hæret.

ciliis conſtitutum eſſet, id omne ad diuinam cùm ſa-
pientiam, tum voluntatem referendum eſſe imperator
Conſtantinus religioſiſsimè cenſebat. hinc ex traditio-
nibus ſcilicet, & conciliis magna ex parte ſacramentorū
vſus nobis habetur, de chriſmate, de pædobaptiſmo, de
trina merſione,de ſancto die paſchatis, de ὁμοούσιον, déq;
infinitis aliis. & vt demus ad hæc omnia expreſſum Dei
verbum duces noſtros & antiquos patres habuiſſe: illud

Quidquid in conciliis conſtitutum eſt, ad diuinam voluntatem eſt referendum.

tamen vnum (ſudet quamuis vehementer) nunquam o-
ſtendet iſte,ex quo videlicet ſcripturæ loco eccleſia didi-
cerit Nicodemi euangelium non ad parem Marci hiſto-
riæ certitudinem aſſurgere,neque plura eſſe,quàm quat-

Conſtantinus imp. in actu cōcilij Niceni.

tuor euangelia, niſi permanentem lucem pro his omni-
bus explicandis in eccleſia collocatam diuinitus agnoſca
mus.noli igitur Caluine mentem noſtram interpretari,
quaſi verò aut tantùm ſit tibi à re tua otij,aliena vt cura-

Quæ precipuè traditione ſola conſtent.

re poſsis,aut ſic nos conſilio vacui tibi videamur, vt au-
xiliaribus copiis Caluinianis nobis ſit opus. Ergo,quan-
do nos damus,errare non poſſe eccleſiam in rebus ad ſa-
lutem neceſſariis,hic eſt noſter ſenſus:ideo hoc eſt, quòd
abdicata omni ſua ſapientia humana,à ſpiritu ſancto do-
cetur per Dei verbum,vel quod ſcriptura cōſtat,vel quod
traditione accepit.Tu dicis, *Hoc eſt diſcrimen inter nos,quòd
illi eccleſiæ auctoritatem extra Dei verbum collocant,nos autem vo
lumus verbo annexam, nec ab eo ſeparari patimur:* minimè ni-
mirum Caluine:ſine; veriùs ego,& breuiùs noſtrum diſ-

Quid diſcriminis inter catholicos & pſeudoeuangelicos.

ſidium explicabo. Eſt igitur inter nos diſcrimen hoc; quòd nobis quidem ſatis eſſe videtur, eccleſiæ auctoritatem in Dei verbo collocauiſſe, quouis pacto verbũ illud conſtet, ſiue ſcriptura, ſiue traditione, aut certè noua ſpiritus ſuggeſtione: vos autem non Dei verbo tam latè patenti, ſed Dei ſolùm, quòd litteris & monumentis conſignatum eſt, eam addictam ac ſubiectam eſſe vultis, vt à ſcriptura contra ius fáſque ſeparari minimè patiamini. Verba primi & apoſtolici concilij, Ieroſolymis coacti, hęc ſunt, Viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis. Vbi licèt prophetarum oracula ſuper re propoſita ſatis diſcuſſa apoſtolis ſanctis tum fuiſſe intelligamus: tamen vltimæ ſen-

Act.17. tentiæ ſpiritus ſanctus per os patrum loquẽs auctor fuiſſe perhibetur. neque de ea re tam grandis exorta fuiſſet quæſtio, ſi tam patens locus ſcripturæ illis ſuccurreret, quàm facilè patêre, & peruiã eſſe omnibus, iſti inſaniũt. Quòd ſi tam vobis probatur ſcriptura expreſſa, vt nihil, quod ibidem non ſit, auctoritate vlla vos dignum cenſeatis: vbi, obſecro, imputatiuam illam nouam veſtram iuſtitiam aliquando legiſtis? vbi, rogo, inanis illa veſtra ſalutis confidentia, qua ſic turgetis, in ſcripturis ſanctis ſuũ habet deſtinatum domicilium? denique, ſi vſquequaque expreſſum eſſe oportere Dei verbum arbitramini, patẽs omnibus, vniuerſis obuium, quo pacto, docete me, tam horrenda & prodigioſa mõſtra, inaniáque portenta, quæ magis magíſque augentur, ex tam ſanctis latibulis, atquę ex ædibus Deo ſacratis prodiiſſe potuerunt: cùm ea per tot ſæcula tot hominum oculos inuiſa latuerint.

Reſpondetur Caluino, & Dei verbo ſubiectam eſſe eccleſiam monſtratur, verbáque Chryſoſtomi illuminantur. CAP. XIIII.

SVbiici itaque Dei eccleſiam verbo, etiam nõ ſcripto vbicunque illud ſit, nos volumus Caluine. vide ergo, quantò meliorem nos eccleſiam mẽte cogitemus, quàm vos: vide, quantò ſponſi ſui præceptis eam addictiorem nos concipiamus, quàm vos. quid autem mirum, ſi ſponſa ac diſcipula Christi ſuo ſponſo magiſtróque ſubiiciatur, vt ab eius ore aſsiduè ac ſedulò pẽdeat? hæc eſt enim domus bene compoſitæ ratio, vt mariti imperio vxor

obtemperet:hæc ſcholæ bene moratæ regula,vt magiſtri ſolius doctrina ibi audiatur.quamobrem non ex ſe ſapit eccleſia Caluine,non ex ſe cogitat quidpiam, ſed ſapientiæ ſuæ terminum ſtatuit, vbi loquendi finem ille fecerit.in hunc modum & omnibus humanæ rationis inuentis(cuiuſmodi Caluiniana ſunt omnia) prudenter diffidit:in qubus autem,reuelato ſibi Dei verbo,nititur, minimè diffidentia aliqua,aut hæſitatione vacillat, ſed magna certitudine,firmáque conſtantia conquieſcit. ſic etiã earum,quas habet,promiſſionum amplitudini confiſa habet,vnde fidem ſuam præclare ſuſtineat, vt nihil addubitet ſpiritum ſanctum ſibi ſemper adeſſe optimum rectæ viæ ducem. nihil ergo plus nobis ex ſe denuntiat expectandum,quàm quòd diuinus ſpiritus ſuum ſenſum illuminauerit. Opportunus quidem mihi adueniret Democritus cum ſuo riſu, cui materiam ſatis ſupérque hîc ad ipſum exhauriendum tu ſuppeditaſſes. Inter eccleſiaſticos ſcriptores nemo eſt,quem ſic laceres,nemo qui peiùs abs te audiat,quàm diuus Chryſoſtomus: hunc nũquam non dilanias,eius fidei(quæ magna eſt in eccleſia) nunquam non derogas. hîc verò, quoniam non nihil tibi arriſiſſe huius doctoris verba videntur, mirum, quàm in cælum efferas,vnicè laudes, & vehementer commendes. *Proinde ſcitiſsimè Chryſoſtomus, Multi,inquit,ſpiritum ſanctum iactant:ſed qui propria loquuntur,falsò illum prætendunt.vt Christus non à ſe ipſo loqui teſtabatur,quia ex lege loquebatur, & prophetis:ita ſi quid præter euangelium ſub titulo ſpiritus obtenditur, ne credamus.quia ſicut Chriſtus legis & prophetarũ impletio eſt: ita ſpiritus euangelij. Hæc ille. Iam colligere in promptu eſt,quàm perperam faciant noſtri aduerſarij,qui non alio fine iactant ſpiritum ſanctum,niſi vt peregrinas & extraneas à verbo Dei doctrinas eius titulo commendent: cùm ipſe indiuiduo nexu cum verbo Dei coniunctum eſſe velit,ídque de eo profiteatur,Chriſtus dum eccleſiæ ſuæ eum promittit. ſic eſt ſanè.Quam ſobrietatem ſemel eccleſiæ ſuæ præſcripſit dominus,eam perpetuò vult obſeruari.vetuit autem,ne quid verbo ſuo adderet,ne quid ex eo detraheret. hoc inuiolabile eſt Dei ac ſpiritus ſancti decretum,quod abrogare conantur, dum eccleſiam ſine verbo regi à ſpiritu fingunt:* ſi nos ſtuderemus probare Satanicum eſſe omnino,quod ſuperiori loco, dum ſcripturæ ſenſum ab eccleſiæ iudicio minimè

Chryſoſt. de ſancto & adoran.ſpiritu.
Ioan. 12. & 14.
*Rom.*10.

pendêre vult Caluinus,ſed ab arcano teſtimonio ſpiritus noſtri petendum eſſe: quid, obſecro, ad eam phrænéſim magis reuincendam, ac penitus exterminandam obiicere nos ex ſanctis poſſemus, quàm verbum hoc Ioannis Chryſoſtomi, nempe, Multi ſpiritum ſanctum iactant: ſed qui propria loquuntur, falsò illum prætendunt? ſanctum Dei ſpiritum te ſemper iactare omnes intuentur: quàm etiam vni tibi propria, cõmunia verò nulli loquaris,& tu non inficiabere,etſi maximè velis, omnes vidẽt: & quàm te ſpiritus titulo non ſolùm præter, ſed contra euangelium munias & armes,res ipſa loquitur.deinde ô immemor, cur legem nobis dicis, quam ipſe pati nolis? corrumpis paſſim ſanctorum ſcripta tuis illis ſcholiis,cur nõ per te nobis licebit veris & legitimis illuſtrare?ergo, vt,vnde digreſſus eſt ſermo,redeat, Chryſoſtomus, dum euangelium nominat,non ſcripturam tantùm intelligit. veſtra iſta eſt,ô orbis Chriſtiani lumina noua, conſuetudo,non antiquorum eccleſiæ doctorum: quorũm ſic vos eſt pertæſum,vt eorum tædio pænè ſitis affecti. prædicationem euangelicam,hoc eſt,euangelium, cum ſcriptura conſultò permiſcetis. idem etiam Chryſoſtomus alibi ait,Omnia enim euangelium continet, & præſentia & futura,honorem,pietatem,fidem. vis ſcire, quid hic ſanctus euangelium appellet hoc loco Caluine?intuere ſubnexum epiphonema: omnia prædicationis verbo concluſit. Peregrinas & extraneas à verbo Dei doctrinas qui ſpiritus titulo commendent,vos eſtis. peregrinus Caluino Lutherus,extraneus eſt Caluinus Philippo, ab vtroq; alienus Brentius, ab omnibus tandem his Chriſti eccleſia & abhorret,& diſcrepat. quod ſicubi ſpiritus indiuiduo nexu cũ Dei verbo cõiunctus vnquã fuit, hîc, id eſt, in ſponſa Chriſti eccleſia ſancta,& maximè,& ſemper. ô Caluine venerunt ſponſæ omnia bona pariter cum genita ſapientia cariſsimo ſibi ſponſo,& incredibilis acceſſio per ſponſi manus,& honeſtatis,& ſapientiæ facta ſibi eſt. ſapientiæ dux eſt,& ſapientium emendator,qui nunquam perituro nexu ſibi eam copulauit: deſponſata eſt non homini modò,verùm homini Deo, qui dare ſibi poſſet ſententioſè dicere,dignéque datis cogitare.quod ipſa nobis ad imitandum proponit, neque cum euangelio

Chryſoſtomus pugnat cum Caluino eo ipſo loco,quem profecitat.

Ad Tit. hom.1.

Quid per euangelium intelligat Chryſoſtomus.

pugnat,neque ipſum labefactat,ſed ipſum ſequitur ſemper,& explicat magis,& illuſtrat. quare deſine innocentem & indemnatam Chriſti eccleſiam iam tanti mali criminis inſimulare.litigator acerrime ſic anteuertis accuſatorem tuum?per te Caluine, per te cæleſtes & publicæ legis noſtræ tabulæ corruptæ, per te diuina oracula interlita & deprauata omnia: tu Dei verbo tuum hæreticum ſpiritum adiunxiſti. apponet tibi Deus plagas ibidem expreſſas: tu de verbis libri prophetiæ huius diminuiſti,columnæ & veritatis fundamento detrahens, ſpiritum ab ſponſa ſeparans,auferet Deus partem tuam è libro vitæ, & à ciuitate ſancta, & ex his, quæ ſcripta hîc ſunt. Sed non immoremur. *Apoca. vlt.*

Quid intelligamus per verbum illud, Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò. & Auguſtini nonnulli loci explicantur.

CAP. XV.

PErquire,vt lubet,ſingula noſtra Caluine.non nos locum Ioannis,Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò.eò inducimus,quò probemus tarditate aliqua,aut turpi ignoratione tunc etiam teneri Chriſti apoſtolos, cùm doctrinam ſuam ſcriptis commendarent:vt vel ſic poſtea viua voce ſupplere neceſſe haberimus, quod in ſcriptis ſuis ignorantiæ vitio omiſerant: (procul eſto tam incredibilis impudentia à piorum animis:abſit tã inaudita blaſphemia aduerſùm eos, quibus ſecundum Chriſtum omnia noſtra accepta ferimus) ſed eò tendimus Caluine,dum Chriſti verbis hîc vtimur, vt oſtendamus,quòd longè omnium veriſsimũ eſt,non vniuerſa in numero prædicatione ſua dominum cõprehendiſſe,quòd teneræ adhuc eccleſiæ ratio illi haberetur, cuius veſtigia ſecuti apoſtoli ſancti & plura docuerunt,quã ſcripturæ mandauerant, & à multis abſtinuerunt. prout his,quos docebant,conſultũ fore arbitrabantur: factúmque eſt,vt ordinatiſsimè in hoc ſacrato ludo tyrones procederent,& maiores in dies noctéſque progreſſus in religione facerent & haberent. à temporibus apoſtolorum nihil defuit in eccleſia euangelicæ cognitionis, quod ſaluti noſtræ expediret nos ſcire.nõ mutilam & dimidiam facimus apoſtolorum doctrinam, quos numeros omnes

Cal.lib.4.c. 7.ſect.14.
Ioan.16.

Apoſtoli à multum abſtinuerunt publicæ vtilitatis ergo. ſui magiſterij compleuiſſe ſcimus. noli videre te pro ſanctis apoſtolis cauſſam hîc agere, quorum hæres ex aſſe eſt eccleſia: te verò cum ethnicis & publicanis exhæredem eſſe voluerunt. hæc non nouam fidem dat nobis, ſed magis apoſtolicas ſcripturas, & traditiones honorat, ſecundum præcedentium ſeriem eccleſiarum prædicat, & denique vſque ad animam ſuo ſanguine confirmat. docet tamen aliquando quædam ad fidem & religionem Chriſtianam attinentia, quæ ex ſcripturis ſacris monſtrari minùs poſſunt. et niſi hanc ducem haberemus, nunquam verum ſcripturarum ſenſum attingeremus. non illi deeſſe poterit veritatis ſpiritus, qui ſui gratia prophetas, & apoſtolos creauit, ſe ipſum & in eorum ora non mentes modò intimè inſinuans, non contra ſcripturas illa vnquã definiuit, neque id fore aliquando veremur, non ipſa nouum fidei articulum condit, qui non antea fuerit de fidei noſtræ veritate, non pro ſuo arbitratu quidquam ipſa diſcernet vnquam ſæculorum, denique non euangeliorũ numerum augebit, aut nouam ſcripturam cudet, ſed quod pridie occultum erat ad fidei veritatem ſpectans, ſemper interpretabitur, ediſſeret; atque ad explicandũ nobis proponet: & id quidem vel ex ſcripturis ſacris iam notis, vel etiam traditionibus apoſtolicis, ad nos perpetua ſerie deuolutis, vel aliâs diuinitus ipſi eccleſiæ reuelatis. de cuius maieſtate tantum abeſt, vt antiqui patres aliquid detraherent, vt magis omnia illi ſubiicerent: & tamen longè eſt, quòd aperto Marte cum ea pugnarent, vt, qui vel minimum ab ea declinaſſet, à domini caſtris deſciuiſſe exiſtimaretur. tu verò temerè eius imperio reluctaris, iudiciũ aſpernaris, &, quod ferre humanus animus nõ poteſt, ſemper cum acerrimo telo ſtare niteris, nequaquam adhuc ſatiatus, neque ſatis eſſe putans, quòd ferreo eam cõuicio verberare voluiſti. cui ſanè ſceleri, & furori tuo nõ mens aliqua, non tuus timor, ſed firma ſponſi ſui promiſſio, quód portæ inferi non eſſent in eam præualituræ, obſtitiſſe potuit.

Auguſt. homil. in Ioã, 96. AVGVSTINVM nobis obiicis dicẽtem, Cùm dominus tacuerit, quis noſtrûm dicat, Illa, vel illa ſunt? aut ſi dicere audeat, vnde probabit? demiror equidem Caluine, quòd etiam ibidem non legiſti, quæ in te nos coniicere

oportunè poſſumus:ſed ſtatim, vt ingenium veſtrum cõſidero, admiratio hęc recedit. non enim veritati ſtudetis, ſed vt ſpecie quadam miſeros veſtros auditores faſcinetis. inde oritur, vt quæ veſtris fucis videantur conuenire, extenſis manibus excipiatis: quę verò veſtros dolos vtcũque retegere poſſent, ſilentio prætereatis. Eodem loco diuus Auguſtinus ſic habet, Cauete fratres ſeductores, cauete impuros, cauete obſcenæ turpitudinis ſectas. de quibus, ait apoſtolus, Quę autem occultè fiunt ab iſtis, turpe eſt dicere, ne cùm horrendas immunditias docere cœperint, per ſpiritum ſanctum fieri aſſerant, vt poſsint illa immunda & nefanda portari. Quod verò abs te paulò antè ex eodem Auguſtino vſurpatum eſt, aliena interpretatione non indiget. ſubnectit enim ipſe, Quis hoc noſtrũ faciat, (vides ſingulares perſonas excludi, non vniuerſalem eccleſiam) & non maximam culpam temeritatis incurrat, in quo nec prophetica, nec apoſtolica excellit auctoritas? cùm ergo Caluine in Chriſti eccleſia vtraque perfulgeat auctoritas, vel eodẽ Auguſtino teſte, pro nobis eſt quod ibi dicit.

IAM extra controuerſiam à Chriſto domino poſitum videri poterat quidquid docet, ac decernit eccleſia, cùm iubet haberi pro ethnico, & publicano qui contradicere audeat, niſi hìc Caluiniano clamore in dicendo obſtreperemur: ait enim, *Primùm illic non fit doctrinæ mentio, ſed tantùm cenſuris aſſeritur ſua auctoritas ad corrigenda vitia, ne ſe eius iudicio opponant, qui admoniti vel obiurgati fuerint:* deſine moueri Caluine: quî cedo tam citò tibi memoria excidit, quod obſeruatũ iri à nobis tantopere paulò antè contendebas? Quidquid, dicebas, auctoritatis eccleſia habet, id propriè non hominibus, ſed verbo (cuius miniſterium illis commiſſum eſt) datur. ſi tibi conſtare velis Caluine, illic doctrinæ mentio neceſſariò habenda eſt, vbi cenſuris ſua auctoritas, & regnum ſtabilitur. nunquã ſiquidem tanta auctoritate polleret eccleſia, vt non obtemperaſſe culpa fuerit, niſi vnde recta præciperet, haberet. quare, ſibi etiam malè conſcius iſte, omiſsis verbis, quibus, & non pugnis agebamus, ad conuincia & maledicta ſe confert. *At hoc omiſſo, valde mirum eſt tam nihil eſſe frontis iſtis nebulonibus, vt ferocire inde non dubitent. quid enim tan-*

Locus ille, Si eccleſiam nõ audierit &c. explicatur, atque Caluino reſpondetur.
Cal. li. 4. c. 8. ſect. 15.
Matt. 18.

dem obtinebunt, niſi non ſpernendum eccleſiæ conſenſum, quæ nunquam niſi in veritatem verbi Dei conſentit? Nec videri debeo nimis contentioſus, quod adeò vehementer in hoc inſiſto, non licere eccleſiæ condere vllam nouam doctrinam, hoc eſt, plus docere, & pro oraculo tradere, quàm quòd dominus verbo ſuo reuelauit: accidit aduerſario meo quod feris euenire vſu experimur. hæ porrò quò arctiùs ferro & compedibus conſtringuntur, eò magis exagitatæ & excitatæ ferociunt: &, vt rationis ſunt & orationis expertes, ſi ſemel ſenſerint ſe in carceres contrudi, magis irritantur: neque ferociter & superbè ſæuire ceſſant, donec è compedibus ſeſe expediant. Caluinus ergo iam dudum cuſtodia dignum ſe iudicans, quò magis detinetur vinctus, eò plus feruet, in hoc vnum validè incumbens, ſi iuris, pudoris, & officij repagula omnia poſsit perfringere. Sed, vt apprimè cognoſcamus, quanta ſit veritatis præſtantia, quantáue fortitudo, quòd & ſæpe ſuorum hoſtium ora occupet, audiamus iſtum, quo conſilio adductus ſit, vt eccleſiaſticæ auctoritati tam importunè inſidiaretur: quod ab antiquis hæreticis ne attentatum quidem eſt. loquatur ipſe, ne me ſibi impoſuiſſe quidpiam, cuius ipſe auctor non fuerit, criminari

Cal. li. 4. c. 8. ſect. 15.

quouis pacto poſsit. *Vident enim ſani homines, quantum ſit periculum, ſi hominibus ſemel conceſſum fuerit tantum iuris. vident etiam, quanta feneſtra aperiatur impiorum ſannis & cauillis aduerſum probos, ſi dicamus id pro oraculo habendum inter Chriſtianos, quod homines cenſuerint*: vulgò dicitur Caluine, Qui iudicem fugit, ſeſe cuſtodia & carcere iam dignum iudicat. non vis, vt ſint in mundo iudices: callidè tu quidem intelligens neminem eſſe, quem tu non metuas, & qui te nõ oderit. Sed hoc quid ad meam cauſſam? etſi tu ſic loqui pergas, nos tamen ab inſtituto ne pilo quidem minus dimouebimur. Quæ, obſecro, iſta tua contumacia eſt Caluine, vt velis tua cenſura alios accuſare, cùm interim ipſe nec vniuerſalis quidem eccleſiæ nolis iudicio ſtare? ad extremum Caluine, niſi iudiciorum omnium ſumma ad vnam eccleſiam deuoluatur, non in ſingulis vrbibus, ac pagis modò, verùm familiis & domibus, in dogmatibus cudendis peſsima libertas regnabit. heu quàm hoc verum experimur.

Sanctorũ te

QVEMADMODVM plures ſunt ſcripturarum loci,

vnde catholica veritas de eccleſiaſtica auctoritate cõſtare liquidò poſſet, quàm qui à Caluino hic numerati ſunt (mirũ quidem, quàm infideliter noſtram cauſſam agat) ſic in recenſendis exemplis, quæ catholici indicũt, in quibus ſola traditio, vel patrum conſenſus regnat, mirum, quàm eſt diminutus. duo refert tantùm, cùm innumera ſint: at nos vel quia non nihil de ea re iam attigimus, vel quia non tã eſt propoſiti noſtri noſtra conſtruere, quàm iſtius cauillis obuiare, duo illa, quæ Caluinus hic refert, perſequar, ſi modò verbũ hoc vnũ addidero. Sanè ad probandum patrẽ eſſe ingenitũ, opera trinitatis ad extra (vt ſancti loquuntur) eſſe indiuiſa, nullum locum exhibebit iſte expreſſum in ſcriptura: item ſpiritũ ſanctũ à patre & filio procedere, & filiũ conſubſtantialẽ eſſe patri, Deúmque eſſe per eſſentiã, etſi ſcripturæ dicunt, quãtum tamen ſplendoris & lucis patrum ac conciliorũ interpretatione illis acceſsit? Sed quãtùm nos illa duo exẽpla, de quibus Caluinus hic agit, iuuent, videamus. *Non eos iuuat exemplum de pædobaptiſmo, quem non tam ex aperto ſcripturæ mãdato, quàm ex eccleſiæ decreto manaſſe aiunt. at miſerum aſylum foret, ſi pro defenſione pædobaptiſmi ad nudam eccleſiæ auctoritatem ſuffugere cogemur: verùm ſatis alibi patebit longè ſecus eſſe:* & alibi etiam patebit, quàm parum tu abſis à Pelagiana hæreſi circa originale peccatum, quod filij fidelium verè contrahunt, & quod non niſi regenerationis lauacro deleri habet. ſed pugnant acriter catholici & orthodoxi doctores pro baptiſmo paruulorum cõtra Seruetum, cæterũ anabaptiſtarum magnum decus, optiméque probant, quàm debilibus ſuppetiis fraterculos ſuos anabaptiſtas Seruetus adiuuerit: apud quos legũtur & plura & meliora atque multò veriora in vtranque hæreſim profligandã anabaptiſtarum, ſcilicet & nouorum Pelagianorum, negantium ex fidelibus parentibus natos immunes eſſe ab originali culpa. qui poſtquam ex ſcripturis cum aduerſariis ſatis contendiſſent, ne qua ad mendacium hæreticis pateret rima, poſt diuinas ſcripturas, ad probandam eius neceſsitatem, eccleſiaſticæ conſuetudinis antiquitatem, generalium conciliorum maieſtatem, quæ Dei inſtitutioni hoc tribuerent, optimè induxere. Quamobrem ſicut mihi probatur catholica veritas de baptiſmo paruu-

ſtimoniis, & exẽplis probatur, quãtum ſit non ſcriptis traditionibus tribuendum.

Cal. lib. 4. 8. ſect. 6.

lorum, quòd ea ſit ſcripturæ nimiùm affinis & cõformis, ex Dei verbo à ſanctis explicato optimè pendens, ex antiqua demum eccleſiaſtica traditione iam à multis retrò ſæculis non obſcurè collecta, atque vniuerſalium conciliorum conſenſu firmata: ſic probare non poſſum illam Caluini hæreſim, quam iſto loco habet. *Sacramentum, & eius vſus niſi certo verbi Dei expreßi fundamento nitatur, de filo pendet*: opinaríſne Chriſtiane lector ſcripturæ ſanctæ zelo hæc dici à Caluino? immo verò hæretici, quotquot eccleſiam à ſuo ortu vexarunt, nihil magis, vt eam radicitus delerent, quàm ſcripturas, obtendebant: & quæ contra à catholicis obiiciebantur, aut eas temerè, tanquam minus canonicas, reiiciebãt, aut certè ſic ſcholiis iniquis ab eis conſtuprabantur, vt vel ipſæmet, nobis tacentibus, ſe corruptas atque interlitas eſſe clamarent, non iſti Dei verbo ſuum regnum ſtabiliendum curant: non id per eos Satanas molitur. id ſcilicet curat ille? an non magis, vt eam ſcripturam perdat, noctes trãſigit? in id rei incũbit? id cogitat? id aſsidua cogitatione totos dies verſat? maximè profectò quidem. id quia nunquã ſe aſſecuturũ probè nouit, niſi priùs eccleſiaſtica auctoritas è medio ſit ſublata, in ipſam ſuas copias omnes parat. cui ſi vale vltimum (quod abſit) dixerimus, ſine dubio ſcripturis etiam caruiſſemus. Non ille pro ſcriptura pugnat, ſed cõtra ſcripturas. & cùm planè non ignoret ab eccleſia illas pendêre, vafer ſpiritus, ne ſcripturas habeamus, conſultò earum nos magiſterio ſpoliat. ſicut enim mihi nimiùm errare videntur qui Satanam per membra ſua de ſola põtificia, aut eccleſiaſtica iuriſdictione & potentia abrogãda ſolicitum eſſe putant, & non etiam de politica ac ciuili: ita profectò faciunt, cùm contra eccleſiam ſcripturas commendant. quò enim magis illis in ore regia poteſtas eſt, quò magis laudatur, quò magis contra eccleſiaſticam per iſtos acuitur, eò plus eam ſublatam cupiũt. nihil aliud ſtudioſiſsimè diligentiſsiméq; curãt, quàm vt omnẽ ordinẽ perturbent, quàm vt omnẽ iudiciorũ auctoritatem conuellant, & labefactent. Optas ne Chriſtiane lector ſcire, quorſum iſti conatus ſpectent? porrò vt ſit rerum ſtatus ſine rege, ſine lege, & abſque Deo: ſit re-

Hæretici nihil magis curãt quàm ſcripturam ſanctã perdere.

Hæretici cùm aduerſum eccleſiaſticam poteſtatem, ſecularem irritant, iam huic futurũ bellum indicunt.

rum ſtatus is, vbi quod ſibi cuique rectum videbitur, hoc faciat. date illi miſeri diſcipuli quod poſcit, concedite quod efflagitat, nolite negate quod petit: & ſine controuerſia iam iam illa omnia, quæ diximus, aderunt. non cogitatis cum callidiſsimo & veteratore diabolo, ad capiendum paratiſsimo, vobis nunc certamen eſſe? cauete ergo, ne ſuo vos conſilio opprimat, artificio peruertat, ingenio labefactet & infirmet. principiis obſtandum, ne, cùm mortiferum in venas veſtras fixerit per vulnera virus, & pedem quoquam referre volueritis, ſera pœnitentia videatur, ſeróque nos ſapuiſſe, (vt olim fecere Phryges) priuatus rideat ſuis iocis, peſsimíſque fabulis veſtram mentem (vt ſolet) illudat. *De filo*, inquit, *pendet*: filúmne patrum traditionem eſſe iudicas? filum eccleſiaſticas conſuetudines cenſes? tot ſeculorum conſenſum, tot eccleſiarum, atque animorum penè diuinam conſenſionem tu filum vocabis? Sed venio ad alterũ exemplum, quod eſt de conſubſtantialitate filij. ea enim quamuis optimè ſcripturis probetur, non tamen ita explicata in ſcripturis alicubi videbitur, ſicut nobis per patres credenda proponitur. & hoc poteris tu negare? *Non temerè patres Arrium damnarunt*: fateor. quaſi nos bellum horrificum & nefarium, omni imbutum odio, cum ſanctis ſcripturis geramus, ſic iſte illas attollit. audi, obſecro, Caluine: erant patribus ſcripturæ, erant & Arrianis, immo non aliæ & aliæ, ſed vtriſque eædem, non tamen in omnibus vnus ſpiritus. quia illis inerat ſpiritus veritatis, qui eſt eccleſiæ, iſtis verò ſpiritus vertiginis, qui eſt Satanæ: vicerunt illi, iſti abierunt in fumum: illi ſapientiam habebant in ore, cui iſti, quantumcunque ſcripturis reſpondere valerent, contradicere non potuerunt. quid tu ad hæc? *Nihil faciunt patres Niceni, cùm declarant eſſe vnius eſſentiæ, niſi quòd natiuum ſcripturæ ſanctæ ſenſum ſimpliciter enarrant*: quaſi verò id à nobis negetur. obſecro Caluine per Deum immortalem, quid hoc eſt, *Simpliciter enarrant?* quid ſibi vult verbum *Simpliciter*? vt coniicio, dicere contendis, nihil hîc attuliſſe patres de ſuo. quàm opinione tua falleris. afferebant & ſcripturas Arriani, & fortè non numero pauciores, & quas catholici inducebant, illi non reiiciebant: ſed quia plus noſtri,

Filij Dei conſubſtantialitas explicatiùs creditur à nobis, quã in ſcripturis legatur.

Eccleſia ſcripturam ſuo ſenſui reſtituit per ſpiritum ſanctum.

quàm Arriani de ſuo adduxerunt, ideo vicerunt. de ſuo dixi, hoc eſt, de ſpiritu ſancto, qui per eos ſcripturam ſuo ſenſui reddebat. atqui ſenſus ſcripturæ Caluine anima ipſius eſt. qui ergo ſenſum affert, animam affert. I tu nunc cum tuo, *Simpliciter*, & quibus voles vertiginoſis hominibus, tua omnia narrato, vt lubet: nos à vero ſpiritus ſancti magiſterio non recedemus. ſynedrum habet eccleſia, qui nunquam eam errare patietur, ſed labentem excipiet, corruere non ſinet, fulciet, ſuſtinebit, conſilio, copiis, fide, ac fortitudine.

De verbis Conſtantini ad Nicænam ſynodum, & quæ fuerit veterum hæreticorum conſuetudo.

CAP. XVI.

VErba Conſtantini ad patres, Nicææ congregatos, nobis obiectas: quid ſi nos etiam obiiciamus eundem imperatorem in eadem ſacra ſynodo etiam loquentem, & ad eos epiſcopos literas dantem, qui in conuentum veniſſe non potuerunt? Quidquid, potentiſsimus idémque religioſiſsimus imperator inquit, in ſacris epiſcoporum conciliis decretum fuerit, id ad voluntatem diuinam referendum eſt. quid ergo? non ſibi conſtat Conſtantinus? abſit Caluine. verum eſt, quod ibi dicit Auguſtus, diſcordia poſita, ex verbis ſpiritus quæſtionum explicationes eſſe ſumendas. quod ſanè perpetuò obſeruauit eccleſia, vt ex euangelicis & apoſtolicis libris cum prophetarum oraculis plenè ipſa ſenſum numinis oſtendat. verum etiam eſt, quod hîc idem affirmat, diuinum eſſe, quod per patres ad nos dimanat. noli, rogo, Chriſtum diſſoluere, noli ſcindere, & luxare: ſpiritus ſcripturæ accommodatur, ſcriptura eccleſiæ datur, eccleſia demum Chriſti regnum, & filij hæreditas, atque poſſeſsio eſt. Hinc videre licet nec perperam egiſſe quidpiam Cõſtantinum, neque eccleſiæ ſuã poteſtatẽ eripuiſſe, (qui vſque ad ſanguinẽ & animam pro ea pugnabat) dum patres ad ſcripturas allegabat, quos ſciebat plura inde collecturos, (ſecundum ſpiritum ſibi in eam rem à Deo conceſſum) quàm quæ nos cogitare poſſemus. & quidem, vti tunc, eius rei nulla patrum citari poterat traditio, ſed tunc primùm noua voce Arriani offendebantur, optimè ad ſcripturas vtra-

Calui. ſect. 16.
Euſeb. lib. 1 c. 5. hiſt. eccleſ.

Explicationes quæſtionũ quo pacto ex verbis ſcripturæ ſint ſumendæ.

que pars & Arriani ſcilicet, ac catholicæ eccleſiæ patres recurrebant. hinc factum eſſe intelliges Caluine, quòd epiſcoporum nemo tum ſurrexit, vt eam contrà vindicaret: caruítque ſilentium omni perfidia neque ſic proditores fuere iuris eccleſiaſtici, immo verò libenter amplexi ſunt, quod imperator dicebat: vt conſtet ſemper conſulendas ſcripturas diuinas: quoniam ipſæ aut ſingulariter, aut certè generatim ſemper offerunt orthodoxæ eccleſiæ, quod credat, & ſuis fidelibus tenendū exhibeat. O magnam ſcripturarum amplitudinem, ô diuinam ſpiritu cælesti dignam largitatem, ô incredibiles eccleſiæ diuitias vtrunque donum amplexas.

QVO igitur aliquando certandi finem faciamus, meminerint omnes, quæ fuerint antiquorum hæreticorum in hac parte voces, contrà verò, quæ conſtans & vna catholicorum ſententia: ac mox iudicent inter nos. *Veterū hæreticorū voces.* In Nicæno concilio quæ in ſcripturis non legiſſent Arriani, Caluinianam hanc aduerſum catholicos cantilenam canebant, Hoc nouum eſt, Humana traditio, Hominum, non Dei mandatum. aduerterunt hoc optimè Athanaſius, Hilarius, Auguſtinus. idem verbum & Macedonius in Conſtantinopolitano vſurpat, negans ſpiritum ſanctum Deum eſſe, quòd id ſcriptura non exprimeret. Neſtorius, cùm ſemel & iterum IESV matrem vocari ſanctiſsimam Mariam in euangelio pridem legiſſet, Dei verò matrem nuſquam, plus ſibi de ſcripturis, quàm Epheſinæ ſynodi patribus tribui volebat: cui optimè ſic reſpondebat Cyrillus, Hanc nobis fidem diuini tradidere diſcipuli: & licèt nullam fecerint dictionis huius mentionem, ita tamen ſentire à ſanctis patribus edocti ſumus. *Cyr. epiſt. 1. 4. tom.* omitto hîc Neſtorij peſſimi arrogantiam, qui vſqueadeo inſaniebat, vt ſcripturarum interpretationem præ omnibus ſanctę ſynodi patribus ſe conſecutum inaniter iactaret. Chalcedonenſi concilio opponebat Eutyches à ſanctis ſcripturis nihil ſe edoctum, quod ad duas Chriſti naturas pertinere videretur: nimiúmque paternæ traditioni & doctrinæ faſtidiebat, ac fruſtra ſibi quidquam obiici dicebat, vbi ſcriptura tacuiſſet. cui nihil præter hoc patres reſpondent, Quæ ſunt patrum, teneantur. Ergo, vt ſcripturas perda-

tis, ad ipſas ſemper prouocatis: catholici contrà patres appellant, vt auctor eſt Vincentius Lirinenſis ante mille annorum: item longè vetuſtiores Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, Auguſtinus. quid plures referam? hi omnes, ac quotquot catholici habebantur, ad legitimam ſacerdotum & epiſcoporum ſucceſsionum, quoties eſſet de dogmatibus eccleſiæ exorta diſputatio, tanquam ad ſacram anchoram, confugiebant: ad hanc regulam fidei noſtræ vniuerſum doctrinæ genus, velut ad euangelicam amuſsim, examinabant. Sed loquatur Origenes, Quotieſcunque aduerſus ea, quæ vniuerſa obſeruat Chriſti eccleſia, canonicas alioqui ſcripturas hæretici proferunt, videntur nobis dicere, Ecce in domibus eſt verbum Dei: ſed illis credere non debemus, neque à paterna doctrina, & eccleſiaſtica traditione exire. Hactenus Origenes: qui quidem hæreticum etiam eum hominem diffinit, qui cùm Chriſto & ſcripturis ſe credere profiteatur, aliud tamen de fidei veritate tenet, quàm habeat diffinitio traditionis eccleſiaſticæ. Hæc de vniuerſalis eccleſiæ lumine.

Vincen. Lirin. lib. contra hær.
Libr. 3. de hæreſib. c. 3.
De præſcri. hæret.
Super Mattheũ. hom. 19.

De vniuerſalium conciliorum auctoritate.

CAP. XVII.

VEniamus ad concilia, quorum maieſtatem maledictis & contumeliis non minùs impiè, quàm iocosè Caluinus lacerat, & dilaniat. antè tamẽ, quàm hanc quæſtionem expedire incipiat, poſtulat, vt liceat ſibi iſta duo præfari. primum eſt, quòd ſi hîc rigidior futurus ſit, non ideo faciet, quòd vetuſta concilia minoris ducat, quàm decet: veneratur ſiquidẽ ea ex animo, (loquor ſuis verbis) ſuóque in honore apud omnes eſſe cupit. *Sed & hic aliquis,* inquit, *modus eſt, vt nihil ſcilicet Chriſto derogetur, cuius hoc ius eſt, vt conciliis omnibus præſideat, nec ſocium habeat hominem in iſta dignitate. tunc autem præſidere Chriſtum ſentio, vbi totum conſeſſum verbo & ſpiritu ſuo moderatur:* hoc eſt vnum, quod ab omnibus magnopere in hac cauſſa animaduerti Caluinus efflagitat. veniamus ad alterũ: quòd ſi minus conciliis tribuat, quã ſui aduerſarij petunt, non ea ſe cauſſa facere inquit, quòd à conciliis metuat, quaſi Caluinianæ cauſſæ contraria ſint, noſtræ verò ſuffragentur. *Nam ad plenam doctrinæ noſtræ approbationem, & totius*

Calvin. lib. 4. cap. 9. ſect. 1.

papiſmi euerſionem abundè verbo domini inſtructi ſumus, vt nihil preterea requirere magnopere opus ſit. ita, ſi res efflagitet, magna ex parte quod ſatis ſit ad vtrunque, vetera concilia nobis ſubminiſtrant: nolo ſingula obſeruare, hoc vnum certò mihi perſuadeo, oſtenſurum me, Deo propitio, candido lectori & Chriſtiano, in his ſeptem libris, quàm domini verbo non inſtructus, ſed abuſus ſemper fueris, & quod omni ex parte veteribus & nouis conciliis, antiquis & omni ſæculo natis patribus iniurioſus, contumelioſus, repugnans, cōtrariúſque fueris. Neque miror, ſi de conciliorum auctoritate (vt ſcripturas, & patres nunc miſſos faciamus) tanto ſtudio pro virili parte detrahatis, & pluſquam Vatiniano odio vniuerſalem, ſed catholicam eccleſiam proſequamini, quando concilium eſt expreſſa eccleſiæ imago, hinc naſcitur, quòd ad ſynodos omnes, quæ eccleſiam referūt, malè affecti ſitis. hoc pro certo habemus nos, nihil tam hominibus iſtis inuiſum eſſe, quàm eccleſiæ nomen. cùm enim in ſcriptura non legant ipſi, Caluinus, & Lutherus hæretici ſunt, ſemper ſe inter catholicos importunè annumerant, & immiſcent, Deíque verbum vbique iactant, quod ſe colere fingunt. at, quia vident in Nicæno Arrium damnatum, in Conſtantinopolitano Sabellium pudore affectum, Neſtorium in Epheſino anathemate percuſſum, &, ne infinita perſequar, nouerunt probè aſtuti homines, de hæreticis glorioſiſsimos habitos triumphos in vniuerſalibus conciliis à temporibus apoſtolicis ad hæc vſque noſtra, grauémque hæreſis notam antiquis hæreticis ab eccleſia ſæpe inuſtam, ſibi timent miſeri, hoſtem metuunt, quem acriter oderūt, & quoad poſſunt, declinant, & fugiunt, dum multò ſe illis inferiores ac viribus longè minores vident. hic vnus fons, vnde tot maledictorum, tot conuiciorum, & iniuriarum latiſsimus profluens dimanat.

Verbum illud, Vbi duo, aut tres &c. explicatur. cui explicationi ſanctorū teſtimoniū adiungitur. Mat. 18.

IAM de re ipſa loquamur. *Si ex ſcripturis*, inquit, *quæ ſit conciliorum auctoritas, quæritur, nulla extat illuſtrior promiſsio, quàm in hac Chriſti ſententia, Vbi duo, aut tres congregati in nomine meo fuerint, illic in medio illorum ſum*: quænam iſtæc, per Deum immortalem, eſt impudentia? valde mirum eſt, tam nihil eſſe frontis Caluino iſti, vt cùm numerum omnem excedant ſcripturarum loci, ex

quibus huiuſmodi auctoritas ſufficienter ſatis fidelibus conſtare queat,(quod & puto ſuperiori parte à nobis nō ineuidenter demonſtratum,dum locos illos perpenderemus, Ego vobiſcum ſum. item, Alium paracletum dabo vobis, qui maneat vobiſcum &c. item, Portæ inferi &c. item, Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis. item, Qui vos audit, me audit. item,Columna & firmamentum eſt veritatis, & id genus propè infinita)ad vnum locum nos reiiciat. videte, quò nos iſte amandet? Sed agedum ſit hic illuſtrior locus ceteris: quid habes? *Verum id,ait,nihilominus in particularem quemuis cœtum competit,quàm in vniuerſale conſilium:* ſi ea certitudine teneremus in Chriſti nomine congregari particulares cœtus, qua de vniuerſalibus patrum conciliis fide credere debemus, haud quidem alia eſſet iſtorum, atque illorum cœtuum ratio. at vide,quò iam impudentiæ proceſſeris,callens optimè fidem omnem conciliis derogatum iri, ſi ſemel indubium reuocetur,fuerintne in Chriſto nomine congregata.Hîc omnes eloquentiæ tuæ vires effundis,immo,his minimè contentus, alienas mutuaris, quò id apud tuos ſatellites dubium, incertum, controuerſum, lubricum, ſuſpicioſum, varium, diſſenſioniſque plenum facias, multum quæſtionis & deliberationis habens. neque hîc maledicendi finem vllum facis. *Nego, inquis, in Chriſti nomine congregari eos,qui,abiecto Dei mandato, quo vetat, quidquam verbo ſuo aut detrahi, aut addi, ſua ſtabiliunt:* non aliud igitur apud te eſt,in nomine Chriſti cōgregari,quàm quod olim cum leuiticis ſacerdotibus Deus pepigit,vt ſcilicet docerent ex ore ſuo. & quaſi iam tua epinicia caneres,
Malac. 2. adeò exultas, *Hoc ſemper à prophetis requiſiuit: hanc quoque legem videmus apoſtolis fuiſſe impoſitam.qui hoc pactum violant, eos neque honore ſacerdotij,neque vlla auctoritate dignatur Deus. Hunc nodum mihi ſoluant aduerſarij, ſi velint fidem meam hominum placitis citra Dei verbum mancipare:* Caluine nodus iam ſolutus eſt. non enim fidem tuam hominum placitis citra Dei verbum mancipari debere dicimus. noli eos, qui loquuntur, conſiderare, ſed magis cogita eum, qui in ipſis loquitur, patris ſpiritum. diceretne quiſquam, fidem tuam homini mancipaſſe te,quòd Ioanni loquenti credidiſti? abſit Caluine. non enim fides tua illius

teſtimonio nixa eſt, etſi eius voci & credis,& fidis: ſed Dei teſtimonio per hominem loquentis,quod maius eſt. *At credo ſpiritum Dei per Ioannis os locutum, per eccleſiam nunquam legi*: ô auctor mirabilis, & quis te id docuit, niſi eccleſia? redi ad mentem Caluine,etſi nihil aliud credis eſſe in Dei nomine congregari,quàm ex Chriſti verbo loqui: agnoſce verbum in ore apoſtolorum, & in ore ſeminis apoſtolorum, in his intelligo, qui pro patribus nati filij ſunt, hoc eſt, in eccleſiæ paſtoribus, per quos, quibus crederes, accepiſti. Sed, ne ſine teſtibus loquamur,diffiniamus primùm, quid ſit, iuxta ſanctorum patrum doctrinam, in Chriſti nomine congregari, vt inde colligamus,qui ſint hi duo,aut tres,qui in ipſius nomine conuenientes eum ſibi præſtò ſunt habituri. Hieronymus his verbis Chriſti, ad concordiam nos prouocari,propoſito tam magno præmio, euidenter interpretatur. Origines ſimiliter,in Chriſti nomine congregari dicit, quotquot animorum & fidei vnitate ſibi mutuò conſentiunt.Chryſoſtomus addidit, parum eſſe congregari, niſi in Chriſti nomine, hoc eſt, ob Chriſti tum gloriam & honorem, tum amorem,conuentus celebretur. Hilarius item, nomen Chriſti,pacem & caritatem interpretatur. Scimus, inquit, quoniam ipſe, qui pax atque caritas eſt, ſedem & habitationem in bonis ac pacificis voluntatibus collocauit. Auguſtinus verò nomine Chriſti vtronque intelligit, & quòd eo modo cognoſcatur, quo,vt cognoſceretur, iam diu explicauit: & quòd conſenſus noſter in æternam felicitatem dirigatur,cuius ipſe auctor eſt. non enim in ſcriptura minùs eſſe legitur veritas, quàm vita. poſtremò Theophilactus, Congregat, inquit, nos hiſce verbis ad caritatem: quia enim prohibuit,ne mutuum offenderemus, nunc & de mutua concordia dicit. concordes autem dicuntur,nõ qui in malũ conueniunt,ſed qui in bonum. vide enim, quid dicat, Si duo ex vobis, hoc eſt, credentibus, & conſpirantibus. conſpirauerunt autem & annas,& Caiphas, ſed malè. & propterea ſæpe precantes non accipimus, eò quòd mutua concordia caremus. non dixit, Ero: non enim tardat, vel futurus eſt: ſed, Sum. hoc eſt, iã illic inuenior. Hactenus Theophilactus. Habes igitur Chriſtiane lector, ni-

Hierony. in Matt. 18.

Orig. ſuper Matth.

Chryſoſt. in Matth.

Hil. in annot. in Mat.

Auguſt. in Ioan.

Theop. ſuper Matthæum

Hæretici in Chriſti nomine nō cōgregantur. hil eſſe aliud in Chriſti nomine congregari, quàm vna fide, vno redemptore, vnóque conſenſu, quæ ad æternam vitam pertinent, mutuò conferre. iam hinc intelligere difficile non erit, quàm longè à verbo hoc hæretici abſint, de quibus Ieremias dixit, Verè mendacium operatus eſt ſtylus ſcribarum: confuſi ſunt ſapientes, perterriti, & capti ſunt. verbum enim domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis. Cuius certè rei, ſi cum Lutheranis mihi bellum fuerit, apertam fidem facient Zuingliani: ſi verò cum iſtis Sacramentariis certamen iniero, Lutherum habeo, qui diabolum omnium diſſenſionum parentem, Zuinglianorum doctorem eſſe affirmat. neque verebor credere hîc Luthero, quippe qui diaboli conſuetudine, vt ipſe eſt teſtis, multos dies eſt vſus, vt vel ſic optimè perſpectā habeat diaboli phraſim. Colligitur ſecundò ex antè dictis, nulli mortalium conuenire ſic poſſe Chriſti verbū, Vbi duo, aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ero. quàm noſtræ eccleſiæ. hæc ſiquidem concordiam amat, non niſi in fidei vnitate conſentientes amplectitur, non propter aliud quàm ob Chriſti honorem, gloriam, atque amorē conuentus ſuos celebrat, pacem & caritatem diligit, pacificam, ſemel traditam fidem nunquam deſeruit. quamobrem tam certum mihi eſt, (loquor de firmitudine fidei) ſacroſanctas illas ſynodos, quæ tanti ponderantur in eccleſia, in Chriſti nomine congregatas fuiſſe, quàm non dubito ſpiritum ſanctum in eis ſynedrum fuiſſe, conſiliarium, atque præſidentem. Verùm malo diui Hilarij verbis agere, quàm meis. Adeſt, inquit non procul à principio progreſſus, mihi Sabellius, totum me ſub verbi huius profeſsione, tanquam deſideratum cibum, morſu ſæuiſsimo tranſuorans: aſsiſtit mihi Photinus, qui & Hebion, auctoritatem mendacij ſui ex profeſsione veritatis ſumpturus: impiè multos ad vnius Dei profeſſionem Galatia nutriuit: malè in totum penè orbē, quos negat deos ſuos, Alexandria protulit: peſtiferè natum ex Maria, Pannonia defendit: eccleſia inter hac periclitatur veritatem non tenere per vera, dum ea ei ad irreligioſitatem ingeruntur, quibus religio & firmatur, & perit. ſed eam, vt ſpero, eccleſia doctrinæ ſuæ lucem, etiam impu-

Ierem.8.

Hil.li.7.de trinit.

Hæreticorū rabies in catholicos.

Sæpe auctoritas mendacij à veritate ſumitur.

dentiæ ſæculi inuehit: vt licèt fidei ſacramentum non ſuſcipiat, tamen aduerſus hæreticos veritatem ſacramenti prædicari intelligat. magna enim vis eſt veritatis, quæ cùm per ſe intelligi non poſsit, per ea tamen ipſa, quæ ei aduerſantur, elucet: vt in natura ſua immobilis manens firmitatem naturæ ſuæ quotidie, dum attentatur, acquirat. hoc enim eccleſiæ proprium eſt, vt tum vincat, cùm læditur, tum intelligatur, cùm arguitur, tum obtineat, cùm deſeritur. omnes quidem ſecum ac intra ſe vellet manere, neque ex tranquilliſsimis finibus ſuis aliquos abiicere aut perdere, dum indigni fiunt tantæ matris habitaculo: ſed diſcedentibus ex ea hæreticis vel abiectis, quantum amittit occaſionis largiẽdæ ex ſe ſalutis, tantũ aſſequitur ad fidẽ expetendæ de ſe beatitudinis. cognoſci enim hoc ex ipſis hæreticorũ ſtudiis promptiſsimũ eſt. nam, cùm à domino eccleſia inſtituta, & ab apoſtolis confirmata, vna omniũ ſit, ex qua ſe diuerſarũ impietatum furens error abſciderit, nec negari poſsit, ex vitio malæ intelligentiæ fidei extitiſſe diſsidium, dum quod legitur, ſenſui potiùs coaptatur, quàm lectioni ſenſus obtemperat: tamen, dum ſibi partes ſingulæ aduerſantur, non ſolùm ſuis, ſed etiam aduerſantiũ eſt intelligẽda doctrinis. vt dum aduerſus eam vnam omnes ſunt, impiiſsimũ omnium errorem per id, quòd ſola eſt, atque vna, confutet. Hæretici igitur omnes contra eccleſiam veniũt, ſed, dum ſe inuicem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt. victoria enim eorum, eccleſię triũphus ex omnibus eſt, dum in eo hæreſis contra alteram pugnat, quod in hæreſi altera fides damnat. nihil enim eſt, quod ſit hæreticis commune. & inter hæc, fidem noſtram, dum ſibi mutuò aduerſantur, affirmãt. itaque, dũ vnuſquiſque defendit, aut damnat veritatem fidei noſtræ, hæc ipſa, prout ſunt, religioſè & defendentes & damnantes oſtendunt. hæreticorũ incerta ſunt omnia, erratica, atque falſa, ac ſibi pro nobis inuicem diſsidentia. Hactenus Hilarius. Vides, hæreticos omnes auctoritatem mendacij ſui ex profeſsione veritatis ſumpſiſſe: vides, eccleſiam periclitari tenere veritatem per vera, dum ea ei ad irreligioſitatem ingeruntur, quibus religio & firmatur, & perit: vides veritatis magnã eſſe vim, quæ tentationibus & incurſionibus augeatur:

Magna vis veritatis.

Eccleſiæ deſiderium.

Eccleſia vna

BELLVM *hæreticorũ pax eſt eccleſiæ.*

vides, neminem velle extra ſe abiicere eccleſiam, ſed omnes intra ſua viſcera retinere ipſam percupere: vides hæreticorum ſectas, dilaceratas, diſſectas, detrunctatas, atque luxatas, cùm Chriſti vna ſit eccleſia: vides, omnes contra vnam eccleſiam venire, cùm tamen ipſa omnium triumphis cohoneſtetur, atque aliorum ſpoliis diteſcat. noli igitur dubitare promiſsionem Chriſti ad hanc vnã eccleſiam potiſsimùm referri. Damaſcenus etiam, vir vita & litteris maximè clarus, cùm Leo Iſaurus Conſtantinopolitanus imperator aduerſus imagines bellum iniiſſet, his verbis contra eum vſus eſt: Cùm iam inde ab initio plurimi ſacerdotes & reges Chriſtiani à Deo dati fuerint, qui & ſapientia, & pietate, & non ſérmone magis, quâm vita excellerent, cùm plurimæ præterea fuerint patrum ſynodi: cur nemo tale facere aggreſſus eſt? non patiemur, vt nos aliquis nouam fidem edoceat. Ex Sion enim egredietur lex, ait per prophetam ſpiritus ſanctus, & verbum domini ex Ieruſalem. non patiemur, vt aliâs aliter ſentire, temporúmque viciſsitudine fidem narrare liceat, vt ea iis, qui ſunt extra eccleſiam, ridicula appareat: non patiemur, vt regio ſubiaceat edicto, ſi fortè conatus is fuerit morem à maioribus noſtris euertere. non eſt enim piorum regum ſanctiones eccleſiaſticas ſubuetere: non patrum hæc, ſed latronum & prædonum ſunt: quæ vi extorquentur, non libera perſuaſione fiunt. non regibus dixit dominus, Vbi congregati ſunt duo, vel tres in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. non regibus ligandi vel ſoluendi poteſtatem tradidit Chriſtus: ſed hæc omnia, quæ diximus, apoſtolis & eorum ſucceſſoribus epiſcopis promiſſa & donata ſunt.

Dam. ſer. 2. — *Eſa. 2.*

Prophetarum atque apoſtolorum teſtimonia, quæ Caluinus contra eccleſiæ ſacerdotes profert, ea omnia in ipſum & hæreticos contorquentur.

CAP. XVIII.

VNiuerſas ſcripturas vſque ad extremos earum receſſus diligenter percurrit: & quæ in malos paſtores (qui nunquam in eccleſia defuerunt) coniecta videt, in iſtum locum coaceruat, vt inde vniuerſis Chriſti paſtoribus non mediocrem fidem deroget. rem altiùs exorditur,

Calu. lib. 4. c. 9. ſect. 6.

ditur, à Eſaiæ temporibus inchoans, *Speculatores eius cæci omnes, nec quidquam nouerunt. Omnes canes nec valent latrare: iacentes dormiunt, & amant dormitionem: & paſtores ipſi nihil ſciunt, neque intelligunt, & in vniuerſum reſpiciunt ad vias ſuas. In eundem modum Oſeas, Speculator Ephraim cum Deo, laqueus aucupes, odium in domo Dei. Ieremiæ temporibus eccleſia & paſtores erant: audiamus quid de illis dicat. A propheta vſque ad ſacerdotes quiſque ſectatur mendacium. item, Prophetæ mendacium prophetant in nomine meo, cùm ego non miſerim eos, neque præceperim eis. altera parte nihilo mitiùs in eoſdem inuehebatur Ezechiel, Coniuratio prophetarum in medio eius, ſicut leo rugiens: & qui rapit prædam, ſacerdotes eius violauerunt legem meam, & prophanauerunt ſancta mea: nec diſcrimen fecerunt inter ſanctum & prophanum.* & ne nos inter Iudæos id tantùm valuiſſe cauſſaremur, Petrum in medium affert Caluinus, vt ne hàc elabamur: *Quemadmodum, inquit Petrus, fuerunt in populo veteri pſeudoprophetæ: ſic & inter nos erunt falſi doctores, ſectas perditionis inſinuantes. immo palàm oſtendit Paulus non alibi ſeſſurum Antichriſtum, quàm in templo Dei. alibi etiam tanti mali exordia eccleſiæ à ſuis paſtoribus imminere demonſtrat, dum Epheſinos epiſcopos allocutus dicebat, Et ex vobis ipſis erunt, qui loquantur peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.* ſatis pugnauerat ſcripturis Caluinus: redit ad conuicia, vt ſcommatis agat: depoſuerat ſcilicet ea iam pridem: *Papa cum toto epiſcoporum ſuorum grege non alia ratione, niſi quia paſtores nominantur, excuſſa verbi Dei obedientia, voluunt omnia, verſantque pro libidine: interim perſuadere contendunt ſeſe luce veritatis deſtitui non poſſe, ſpiritum Dei in ſe reſidere, eccleſiam in ſe ſubſiſtere, & ſecum emori. quaſi verò iam nulla ſint domini iudicia, vt eodem pœnæ genere in mundum hodie animaduertat, quo populi veteris ingratitudinem aliquando vltus eſt, nempe vt paſtores percutiat cæcitate & ſtupore. nec intelligunt ſtolidiſſimi homines eadem ſe canere cantilenam, quam canebant olim illi, qui cum verbo Dei belligerabantur. ſic enim ſeſe contra veritatem inſtruebant hoſtes Ieremiæ, Venite, & cogitabimus contra Ieremiam cogitationes: quandoquidem non peribit lex à ſacerdote, nec conſilium à ſapiente, nec verbum à propheta.* reuertitur iterum ad ſcripturas Caluinus: non dum enim eius pharetra exhauſta eſt, neque maledicendi tam citò finem

Ierem.6. *Iere.2.3.40* *Ezech. 22.* *2.Pet.2.* *2.Theſſa.2.* *Act.20.* *Zach.11.* *Ierem.18.*

eſt facturus. conſiderat & quærit, *Si generale concilium tunc ex talibus ſacerdotibus coactum fuiſſet, qualis, putas, eccleſiæ facies apparuiſſet? audimus quid Deus, non vni, aut alteri eorum, ſed ordini vniuerſo denuntiet: Obſtupeſcent ſacerdotes, & prophetæ terrebuntur. item, Lex peribit à ſacerdotibus, & conſilium à ſenioribus. item, Nox vobis pro viſione erit, & tenebræ pro diuinatione, & occumbet Sol ſuper prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies. Age ſi coacti* (ait Caluinus) *in vnum tunc fuiſſent omnes eiuſmodi, quis ſpiritus in eodem cœtu præfuiſſet? in conſilio Achab 400. prophetæ aderant: ſed quia non alio animo conuenerant, niſi vt regi impio adularentur, mittitur à domino Satan, qui ſit ſpiritus mendax in ore omnium. illic omnium ſuffragiis damnatur veritas, Micha pro hæretico damnatur, percutitur, conicitur in carcerem. ſic Ieremiæ factum eſt, ſic aliis prophetis.* Sed quid diu moratur nos pius Caluinianus animus? quid lectores ſuos alienis exemplis onerat? vnum nimirum habet præ aliis memorabile, quod pro omnibus ſufficere poſsit. ecquod iſtud eſt? *Concilium ſacerdotum, pontificum, & ſcribarum aduerſum Chriſtum Ieroſolymis coactum iuſſu ſummi ſacerdotis, ibique totus ſacerdotalis ordo ſummo pontifici aſsidebat, ne quid deſideraremus, quod ad vniuerſalium conciliorum externam ſpeciem attineret. Quale tãtum igitur concilium fuit? Rogas? Chriſtus in eo damnatus morti addictus eſt, & eius doctrina è medio profligatur. O ſuſpiciendum patrum concilium, i tu nunc, & incluſam in vniuerſali concilio eccleſiam iacta. ſit tibi facinus iſtud documento pro conciliorum maieſtate. & quis nunc, rogo, nobis fidem fecit, quod nihil tale eueniet, vbi ventura defectio ſperatur, quam prædixit dominus per os Pauli, quæ venire non poteſt, quin primi paſtores ipſi à Deo deſciſcant? quouſque hic in exitium noſtrum tam ſponte cæcutiemus? quouſque in re tanta vana ſecuritate torpeſcemus? quare nullo modo* (ait) *concedendum eſt in paſtorum cœtu eccleſiam conſiſtere, quos dominus nuſquam recepit bonos perpetuò fore, malos autem interdum futuros prænuntiauit.* Hæc Caluinus. et ſcilicet poſtulat, ne verba ſua in eam partem accipiamus, quaſi paſtorum auctoritatem paſsim ac temerè, nullóque delectu labefactare velit, ſed vt inter ipſos delectum habendum eſſe magis moneat. ſi Deo placet, téne horum omnium iudicem habebimus? tu deliges, qui ſancti, qui peccatores, quibus congregatis aſſentien

Ierem. 4. *Ezech. 7.* *Michææ 3.* *3. Reg. 22.* *2. Paral. 18* *Calu. lib. 4. c. 9. ſect. 7.* *Ioan. 11.* *2. Theſſ. 2.*

ſum, quibus non credendum? immo cùm tot congeſtos abs te malos in tuis libris, ſimpliciores legant, cùm tantùm nefandorum ſacerdotum tam cõtinua ſerie ſibi ſuccedentium catalogum contextum per te iudicem & delectorem incorruptum intueantur, neminẽ tamen illic videant, aut certè perpaucos, qui pro debitó munus officij ſui fuerint executi; ánnon ſuſpicabuntur paſtorem ſuum ex improborum colluuie ac ſentina prodiiſſe? O pudor, ô ſæcula, & adhuc viuere libet? vſque eò de omnibus malè exiſtimabit iſte? vſque eò ô Caluine eccleſiaſtica iudicia perdita arbitrabere, vt te cenſore opus illis ſit, te delectore? uſqueadeo profligata vniuerſa noſtra exiſtimas, vt, niſi tuus accedat ſenſus, actum ſit de patrum auctoritate? rogo te per Deum immortalem, ſi à nobis tam impensè poſtulas, vt nõ te prauè affectum ad Chriſti ſacerdotes exiſtimemus: quid tibi occurrere potuit, (ſi non iſte tuus malus animus & genius in cauſſa fuit) quòd non contrà proborum ſacerdotum, quibus nunquam deſtituta eccleſia fuit, catalogum contexuiſti, vt vel ſic & te ea, qua laborabas, ſuſpicione liberares, & nobis perſuadere non timore aut odio, ſed zelo & amore ad ſcribendum impulſum, atque ſimpliciores quoque in ſuorum paſtorum obedientiam ſanctè cuſtodiendam, nimiùm animares? octoginta quinque illorum virorum Ephod lineum ferẽtium ſub Achi-melech glorioſa morte confirmata in egenos & pauperes miſericordia, multùm in ſacerdotum amorem allicere populum potuiſſet. *1.Reg.22.*
plurimum ſplendoris ſacerdotali auctoritatis oratione illa Abiæ regis Iuda accederet Caluine, ſi eam ſemel retuliſſe tibi libuiſſet, eo etiam tempore, quo prophetæ ſacerdotibus nimirum indignari videbantur. quæ talis fuit, Recordare ô Ieroboam (erat porrò cum regẽ Iſrael illi tunc bellum) à vobis expulſos ſacerdotes domini, filios ſcilicet Aaronis, & Leuitas, & feciſtis vobis ſacerdotes, quemadmodum & gentes nationum: nos verò ſumus domini Dei noſtri, & hunc non deſeruimus. & ſacerdotes, qui miniſtrãt coram domino, filij ſunt Aaronis & Leuitæ in opere, qui offerunt domino holocauſta ſingulis diebus, mane & veſpere: deinde incenſum aromaticum adolent, ordinántque panes menſæ mundæ, & cã- *2.Para.13.*

delabrum aureum aptant cum lucernis eius, vt ardeant ſemper in veſpera: quoniam nos obſeruamus obſeruationes domini Dei noſtri, quas vos dereliquiſtis: & ecce nobiſcum Deus caput, & ſacerdotes, & tubæ, & claſsicum, vt inſonent contra vos. O filij Iſrael né pugnetis contra dominum Deum patrum veſtrorum. nam id non proſperè vobis cedet. Hactenus pius rex Abias. O quantū animi rudi plebi ad pietatem addidiſſes, & maiorum obſeruantiam auxiſſes, ſi ſacerdotes in officio pulchrè ſtantes orbi, quaſi in imagine, oſtendiſſes, cilicio ſuo ac lacrymis vitam vniuerſo populo conſecutos, dolore & gemitibus perfuſos, gementes, quòd vllus eſſet, qui ad ſolennitatem veniret, luctu, planctu, gemitu, vlulatúque ſuo, ſæuæ animaduerſionis Dei noſtri ſæpe iram mitigantes, orationis ſuæ fumo diuini furoris flammam temperantes, offenſum Deum mortis ſuæ oblatione placantes, diſtincto gaudio in Deum cæli paſsim blaſphemias vindicantes, ſemper ſeſe pro populo ſuo tutiſsimum murum hoſtibus & ſanguine opponentes, inter viuentes ac mortuos, inter Deum ac populum, inter cæleſtes & mortales medio ſeſe incredibili & ad Deum pietate ac religione, & ad ſuos officio & affectu quotidie abiicientes. Quòd ſi generale concilium tunc ex talibus ſacerdotibus coactum fuiſſet Caluine, putáſne, qualis apparuiſſet eccleſiæ facies? audi ſemel: errare ſinguli poſſunt: vt verò legitimè congregati fuerint, quî errabunt, in quorum medio Chriſtus eſt, ſpiritus à conſilio, eccleſia tota & lacrymis, & precibus ab auxilio?

2. Paral. 7. 1. Eſdr. 1. 3. Eſdr. 1. Iudich. 4. Tren. 1. Ioel. 1.

Eſaiæ locus, Omnes canes muti, in quos prolatus ſit. & locus Ieremiæ ſimiliter declaratur.

CAP. XIX.

Eſa. 56.

AT vna ſententia omnes ſimul, non ſingulos modò, complexus eſt ſuo vaticinio Eſaias. Omnes canes muti non valentes latrare: paſtores omnes nihil ſciunt, neque intelligunt: & in vniuerſum reſpiciunt ad vias ſuas. non intelligis Caluine, eo loco ſanctiſsimam prophetæ animam, quod euenturum illi genti erat, tempore, quo deſideratus cunctis gentibus veniret, quaſi oculis ſpectaret, longè antè vaticinatam fuiſſe? accipe iam ergo natiuam prophetæ mentem. O eunuchi & ad-

uenæ proſelyti non eſt, quòd deſperatione abſumamini, quibus & viuendi præcepta, & futurorum præmia iam iam parata intueor. en locus ille, qui multò illuſtrior præ aliis in domo Dei & muro, (quæ eſt eccleſia apoſtolica) & eminentior ceteris videtur, Eunuchis paratus eſt: proſelytos autem mons idem ſanctus & lætitia in domo orationis expectat. quòd verò beſtiæ ſaltus veniāt, & deuorent congregatos. ſiue in locum Iudæorum gentium turbæ ſuccedant, ſpeculatores eorum in cauſſa ſunt, ſcribæ videlicet & phariſæi: quia omnes cæci, non nouerūt dominum ſaluatorē, nec lucem voluerunt videre præſentem. Vis in ſumma ſcire, quos cæcos hîc intelligat propheta Caluine? illos nempe, de quibus dominus dicebat, Sinite eos, cæci ſunt, & duces cæcorum. item, Stulti & cæci, quid eſt plus aurum, an altare, quod ſanctificat aurum? de his, inquam, ſpiritus propheticus loquebatur, non de eccleſiæ euangelicæ ſpeculatoribus: de quibus idem vates, vel magis euāgeliſta præmiſerat, Sed & ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe, qui loquebar, adſum. quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem? vox ſpeculatorum tuorum, leuauerunt vocem, ſimul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cùm conuerterit dominus Sion. in Hebræo habetur, (quemadmodum Hieronymus obſeruat) Vox cuſtodientium te, & paſtorum tuorum, ſeu ſpeculatorum exaltata eſt. Sed inſtas, etiam ad hæc noſtra tempora aſpiciebat ille, qui dixit, Et erit in die illa, dicit dominus, obſtupeſcent ſacerdotes, & prophetæ conſternabuntur. vt autem manifeſtò intelligas Caluine, multùm te falli opinione tua, lege quæ mox ſequuntur. Et dixi, inquit propheta, Heu, heu, heu, domine Deus ergóne decepiſti populum iſtum & Ieruſalem, dicens, Pax erit vobis? & ecce peruēnit gladius vſque ad animam. ſuper quibus verbis eleganter ſic habet Hieronymus, Turbari poterat propheta, putans in ſe Deum eſſe mētitum, quòd cùm ſuprà vaticinatus fuiſſet, In illo tempore vocabunt Ieruſalem ſolium Dei, & cōgregabuntur ad eam omnes gentes in monte domini: & ego aſſumam vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in

Matt.15.

Eſaiæ 52.

Ierem.4.

Sion,& dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina. hîc verò dicit, Obſtupeſcent ſacerdotes,&c. nec intelligit,(ait Hieronymus) illud multa poſt tempora eſſe repromiſſum, hoc autem vicino futurum tempore. iuxta quod & apoſtolus loquitur, Nũquid repulit Deus plebẽ ſuam? abſit. & certè verba Ieremiæ, quæ capite illo tertio poſt ea, quæ nos induximus, ſequuntur, vniuerſam rem facilè expediunt. Cúmque multiplicati, inquit, fueritis, & creueritis in terra in diebus illis, ait dominus, non dicent vltrà, Arca pacti vel teſtamenti domini: neque aſcendet ſuper cor, nec recordabitur illius, nec viſitabitur, nec fiet vltrà. & continuò ſequitur, In tempore illo vocabunt Ieruſalem, &c. Audiſne dãdos paſtores nouos, viros apoſtolicos, qui paſcãt credentium multitudinem, non in Iudaicis cæremoniis, quæ iam periere, ſed in ſcientia Chriſti atque doctrina in toto orbe ſeminata? non in arca domini, quæ cuſtos fuit legis Moſaicæ, fiduciam habebunt, ſed ipſi erunt templum Dei: non vltrà abolitis & antiquatis illis ſacrificiis inſeruient, ſed ſpiritualem cultum ſectabuntur. quid eccleſiaſticæ auctoritatis patribus hîc abrogatur? potéſtne fortius argumentum vllum ſumi ad ſtabiliendam ſacerdotum nouæ legis maieſtatem, quàm quod ex his locis Ieremiæ à nobis productum eſt? Sed & illud eiuſdem prophetæ verbum, Venite, cogitemus aduerſus Ieremiam cogitationes: non enim peribit lex à ſacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec ſermo à propheta. pulchrè idem eccleſiæ doctor Hieronymus in hæreticos ſic detorquet, Vt tunc Iudæorum contra Ieremiam, ſiue dominum ſaluatorem, ita hodie hæreticorum contra ſeruos eius, cogitatio eſt: vt ſanctos viros accuſatione præueniant, nec cogitant, quid illi veritatis loquantur, ſed quid ipſi ſtruant mendacij. iactant enim in ſacerdotibus non eccleſiæ, ſed ſuis, & in ſapientibus, & in pſeudoprophetis ſuis legem & conſilium Dei, & eloquium permanere, dicente ſcriptura, In peruerſum animum non introibit ſapientia. Hæc Hieronymus non minùs religioſè ad antiquos patres, ac viros ſanctos, quàm ſeuerè in Arrianos & antiquos, & nouos hæreticos.

Ierem.18.

Sap.1.

IAM verò argumentũ, quod ex Phariſæorũ cõſilio de-

promis ad labefactandũ patrum ſynodos tã inualidum eſt, q̃ illud fuit & turpe & nefandum concilium. ſed expecta parum, & quantas pro nobis vires habeat producta ratio, breui ſcies. Principiò, quòd iniuſtum illud iudicium fuerit, res ipſa clamat: iudices iniuſtiſſimi, teſtes, qui producebantur, falſi, crimina, quorum inſimulabatur agnus innocens, conficta. quid plura? ſenum coniurationem aduerſum indemnatam Suſannam, Architophelis prauum in Dauidem conſilium, & ſi quod eſt in orbe viſum, vel auditum corruptum iudiciũ, ſi cum iſto conferas, mox quod graue & durum videbatur, non multam iniuriam continere iudicabitur. O diuinam ſapientiam, quàm victrix futura es, cum ab impiis iudicabere? quid ita? rogas? neque ab hoc nefandiſsimo conuentu diuinus ſpiritus abfuit. mira narras. mira: ſed mirabiliora audies. inter illegegitima ſubſellia, inter impuros & ſceleratos teſtes, per iudices iniuſtiſsimos cæleſtis ſpiritus locutus eſt. papæ quid hîc ego audio? quod ſi ſic eſt, ô quam maior erit gloria domus iſtius nouiſsimæ ſupra primam. ſed amabò perge: quoniam ab ore narrantis, vt vides, pendeo. ediſſere, obſecro, quo pacto tam iniqua ſententia reus eſt mortis: à ſpiritu ſancto proficiſci potuerit: & ſi ſic, cuius teſtimonio poſsit id probari. nam ſi patrum teſtimonio id ſolùm firmatur, minùs fortaſſe valebit apud iſtos, qui non multum fidei, vt tu noſti, ſacris ſynodis tribuunt, dicéntque, ſui gratia, quò eorum auctoritas pluris æſtimaretur, id eos aliquando imaginatos. nihil minùs: ex Dei expreſſo verbo id habemus. ô rem incredibilem. ſic eſt, vt audis: refert Ioannes. loquere, quoniam audio libenter, quòd poſt multorum ſententias vltro citróque agitatas, (vt par eſt credere contigiſſe) Caiphas, qui illi concilio præerat, rem totam diffinitiuè abſoluit his verbis, Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo: & non tota gens pereat. at hoc iam ipſe audiueram: ſed quod quæro, eſt: vnde colligi poſsit tam iniquam ſententiam ab ſpiritu veritatis dimanaſſe. contine parum: nam propè eſt, vt audias. Hoc autem, ait ſpiritu ſancto plenus Ioannes, à ſemetipſo non dixit: ſed, cùm eſſet pontifex anni illius, prophetauit. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ô abyſſus bonitatis immenſa, ô

Ioan.11.
Reſpõdetur Caluino producenti phariſæorũ concilium.
Dan.13.
2.Reg.17.
Pſal.50.
Ioan.11.

diuitiæ gratiæ Dei noſtri, ſi idolo magis, quàm ſacerdote vſus eſt, quòd vel nomen illo anno haberet, quid credis ipſum facturum illi ſedi, in qua Petrus mortuus, occiſi pro gloria ſui nominis paſtores ſine numero? quid dicis? dicam vno verbo libēter. ad eam ſedem, quam tu mihi nominaſti, acceſſum nunquam habuit perfidia: in ea apoſtolicæ cathedræ principatus viguit: patrum auctoritas hic ſeruatur incorrupta: demum Romana fides catholica fides eſt. valeant ergo infelicißimi, quotquot poſt cælum ipſum promiſſum, poſt templi velum abſciſſum, poſt ſpiritum in apoſtolos diffuſum, quem & nunquam eccleſiæ defuturum pollicitus eſt Chriſtus, nos iterum ad vana & inania elementa antiquæ legis aduocare moliuntur. abeant illi in malam crucem, nos in bonam, per quā ſub meliori teſtamento viuimus, & melioribus repromiſſionibus nitimur. Mirū id profectò mihi videtur, quòd cùm non audeas affirmare erraſſe, ſacerdotes & ſcribas, dum ab eis ſciſcitatur rex Herodes, vbi Chriſtus naſciturus foret, neque tam certè veritati tyrannicam celſitudinem efficere potuiſſe, quin homines alioqui omnium generum flagitiorum rei vera regi reſponderent, etſi nō omnino citra ſui capitis periculum, quòd ea res ad Dei gloriam pertineret: nunc verò animus tuus ſit Caluine in dubio, tribuáſne vel partem honoris huius euangelicis ſacerdotibus & paſtoribus? Reuertamur ergo, vt religioſè conſideremus pulcherrimam concilij ſpeciem, quod ex talibus ſacerdotibus cogeretur. atque ſi è cauernis terræ, in quibus deliteſcebant, è ſolitudinibus, è ſpeluncis, ę carceribus denique in vnum conſtitutum locum prodiiſſent, proh ſancte Deus, quanto ſplendore Chriſti eccleſia horum patrum doctrina fulgeret? quanto putas miraculo & angelis fore, quod ipſi ſuis ſuffragiis confirmarent?

Locus Romanæ fidei.

Matt. 2.

Hebr. 11.

AD hæc obſeruat Hieronymus cùm his locis Eſaiæ, & Ieremiæ, tum alibi ſæpe nō tam ſacerdotibus illis iratum fuiſſe Deum, quàm apoſtolicam eccleſiam, cuius illi vmbra erant, grauiter admonuiſſe earum ſectarum, quas vos prophetę noui, nouíque vates in ipſam inuehere molituri eratis: nouorúmque dogmatum libidines, quibus per vos innocens hæc columba terrenda ac vexanda erat, iam antè multò prę nuntiabat. collige te parum Caluine,

Eſaias & Ieremias hæreticorū mores illis verbis notabāt.

Hieronymus ſuper Eſa. et Ier.

& mecum paululùm conſidera:quæro abs te,num aduerſum nouorum dogmatum aſſertores, aduerſum venales omnes linguas,aduerſum verbi Dei corruptores ſceleratiſsimos, efficaciora teſtimonia ex ſcripturis depromere tu potuiſſes,quàm quæ nuper abs te hic recitata ſunt?reſponde,ſi tibi aduerſum Arrium, Manichæum, Iouinianum,Sabellium,Montanum,Neſtorium agendum eſſet, (quamuis nunquam ſacerdotes fuiſſent) quibus, te precor,ſcripturis conuenientiùs eorum impudentiam reprimere,mendaces voces corrigere,dolos notare,in auribus noſtris,in oculis omnium,ſua mendacia,inſidias,fraudes, procacitatem,vniuerſa demum perditiſſimorum hominum flagitia defigere potuiſſes,quàm his, qui pro hæreticis omnibus (quorum te hîc cauſſam egiſſe contra nos non dubito)numeratæ ſunt? ô Arri, ô Sabelli, (iure ac merito diceres) immo ô Luthere, vos mendacium prophetatis in Dei nomine,cùm ipſe vos non miſerit,neque vobis quidquam præceperit.vos vos,ô Martion, ô Vigilanti,vos doctores mendaces, perditas ſectas inſinuantes orbi,vos,inquam,ſanctiſsimi Petri verba petebant, contra vos iam nos præmuniebant: de vobis vaticinatus eſt Paulus,cùm eccleſiæ paſtores aduerſum vos antè, quàm naſceremini,mirè excitat, & irritat. ô hoſtium eccleſiæ ferociam, ô infernales furias,non dum nati eratis, nihil moleſtiæ Chriſti eccleſiæ intuleratis, & iam vos timet, vos perhorreſcit. vos vos prophetæ illi eſtis, quibus pro viſione nox eſt,& tenebræ pro diuinatione: vos vos eſtis, de quibus legimus, Occũbet Sol ſuper prophetas,& obtenebrabitur ſuper eos dies. ô prophetæ corruptiſsimi, concilium veſtrum odiuit anima mea,conuentus veſtros & comitia execratus ſum, illic omnium ſuffragiis damnata veritas catholica eſt, antiqui patres pro hæreticis à vobis habiti,eccleſia ſæpe percuſſa,& in carcerem innocens & indemnata conieſta eſt. Si his ſermonibus antiquos hæreticos ipſe adorſus fuiſſes Caluine,ſi eos ſic cõpellaſſes,ſi ſic cõueniſſes,quis,proh Deus, cum hoſtibus, veris & legitimis ſcripturis congreſſum fuiſſe te non diceret?quis tuum laborem non probaret, fidem laudaret, pietatem tuam non coleret,& admiraretur?quid ergo ſic ſtertis miſer homo?non te vides? non te conſpicis iiſdem

Caluini actio in antiquos hæreticos.

1.Pet.2.

Act.20.

Ezech.7.

Mich.7.

1.Reg.22.

rius, nec Bucerus, nec Muſculus, nemo tecum de ſummo pontificatu contendere audebit. ſatis ſupérque ſecum actum putabũt omnes iſti, ſi ad tuæ ſolicitudinis partem, ô archidux Chriſtiani orbis, eos vocare pro tua immenſa in bonos & optimè de Chriſto merita liberalitate dignatus fueris, quòd ſi electioni reluctabitur Seruetus, anabaptiſtarum princeps, noli timere, verberibus & flagris, immo atrocibus flammis cum eo agetur. deinde, vt id vi, & armis aſſequare Caluine, quod iam diu affectare te quamplurimi. quibus domi tuæ multos annos familiariter es vſus, affirmant, qualem ex tali concilio putas Chriſtianam confeſsionem nos habituros? quàm bellè conueniret inter vos, quàm citò res expediretur. Sed, ô me me miſerum, quàm diu hominum iſtorum mentio me detinebit.

Reſpondetur adhuc Caluino pro patribus: & oſtenditur ob quorundam paſtorum negligentiam, atque improbitatem ipſum non debuiſſe omnes maledictis figere.

CAP. XX.

SAtis ſupérque noui complures imbecilles inter paſtores noſtros eſſe, ſatis compertum habeo quãplurimos in eccleſia dormire: in quo maximopere dolendum eſt, & verendum, ne cancer iſte veſter longiùs paſtorum ſocordia ac deſidia ſerpat: quos prophetæ feruenti ſermone excitabant, vt vel ſic tantam ignauiam à ſe ipſis aliquando excuterent. ſed & nunc etiam multorum hominum pia vota in eccleſia de ea re audiuntur, vt ad munus apoſtolicum, cuia intereſt de religione noſtra iudicium ferre, non niſi cuius vitæ perſpecta ſanctimonia fuiſſet, notáque diuinarum ſcripturarum cognitio, aſſumeretur. fortaſsis ſi ſic res ſe habuiſſet, vel tanti motus in eccleſia non fuiſſent exorti, vel minori certè negotio ſedari poſſent. verùm nemo propterea putet Caluine, ſe iuſtam habere cauſſam ab eccleſia diſcedendi: quòd ſicut populus, ita ſit ſacerdos, maximè in lege euangelica. vbi quamuis ſpiritum Chriſti multi non habeant, quo ſancti ſint, bene tamen quo alios ſanctos reddant, ſiue cùm baptizant, ſiue cùm peccata remittunt, ſiue cùm Dei verbum annuntiant, déque ſcripturæ ſententia iudicant.

Neque ſacramenta, neque eccleſiaſtica dignitas à miniſtrorũ improbitate læduntur.

Eſa. 24.

poteris. tu ipſe quidem de re propoſita ſic pronuntias, *Quæritur hic, cùm impij præclarè & ſplendidè diſſerant, An habeant Dei ſpiritum? reſpondeo, eos procul dubio habere, quò ad effectum illum ſpectat, ſed aliud eſt donum regenerationis, aliud donum nudæ intelligentiæ, qua Iudas quoque præditus fuit, cùm euangelium prædicaret*: grauiter & iniquo animo ferimus Caluine, quòd à propheta vſque ad ſacerdotem bona ex parte, à doctore vſque ad paſtorem vanitati & mendacio ſeruiamus: moleſtè ſuſtinemus, quòd ſic dormiant multi paſtores, ſic alucinentur doctores, ſic legem neſciant præpoſiti, ſic ſancta profanent doctores. Non omnes doctores boni, non omnes paſtores mali. nam bonos tot habet eccleſia, quot cælum ſidera. vt hoc vitium ſit perſonarum Caluine, non muneris, praui animi, non dignitatis, aut magiſterij. nec propterea tua cenſura atque correctione in omnes deſæuiſſe debueras, obelóque vniuerſos denotaſſe. non ſingulorum paſtorũ hîc cauſſam nos agimus, ſed eos omnes turpiter te in ius vocaſſe contendimus. 1.Cor.12.

Caluini ſententia de cõciliorũ auctoritate cõfutatur.

At ſe ipſo paulò mitior redditus iſte aliquantulum ſapere incipit: ait enim, *Quid ergo inquies, Nulláne erit in diffiniendo conciliorum auctoritas? Immo verò: neque enim hîc omnia concilia damnanda, aut omnium acta reſcindenda; & quod dicitur, vna litura eſſe inducenda puto. At cogis tamen, inquies, omnia in ordinem, vt cuilibet in medio poſitum ſit recipere, vel repudiare quod ſtatuerint concilia. Minimè verò: immo priſcas illas ſynodos, vt Nicenam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, Chalcedonenſem, ac ſimiles, quæ confutandis erroribus habita ſunt, libenter amplectimur, reueremúrque, vt ſacroſanctas, quantum attinet ad fidei dogmata. nihil enim cõtinent aliud, quàm puram, & natiuam ſcripturæ interpretationem, quam ſancti patres ſpirituali prudentia ad frangendos religionis hoſtes, qui tunc emerſerant, accommodant*: hactenus tibi nos conſentimus Caluine: vtinam ſic ſemper ſaperes. *In poſterioribus quoque nonnullis videmus elucere veræ pietatis ſtudium, notas ad hæc, ingenij, doctrinæ, prudentiæ non obſcuras. Sed, quemadmodum ſolent res in deterius ferè prolabi,* (labaſcit iam iſte) *ex recentioribus concilijs videre eſt, quantùm ſubinde eccleſia à puritate illius aurei ſaculi degenerauit*: quî ſic magne Cato? *Dum enim numerantur, non*

Caluin. lib. 4. cap. 9. ſect. 8.

appenduntur ſententiæ, meliorem partem à maiori vinci ſæpe neceſſe eſt. at hæretici Caluine qui Epheſinæ ſynodo interfuere, nulla alia ratione contendebant, acta in Nicæno concilio reſcindenda eſſe, quàm quòd, cauſſa non ſatis perſpecta, ſola multitudine viciſſent catholici: quantum autem eiuſmodi clamoribus importunis profecerint, ſtatim dicemus. proinde Caluine vereor, ne eorum mentem indueris omnino, quorum ſic frequèns tam ex animo voces vſurpas. Sed ad rem veniamus. quid ô cæleſtis Cenſor agendum, ſi concilium aliquod occurrat? *Quoties*, inquit, *concilij alicuius decretum profertur, expendi primùm diligenter velim, quo tempore habitum ſit, qua de cauſſa habitum, & quo conſilio, quales homines interfuerint, deinde idem ipſum, de quo agitur, ad ſcripturæ amuſſim examinari: idque in eum modum, vt concilij difinitio pondus ſuum habeat. ſitq; inſtar præiudicij: neque tamen examen, quod dixi, impediat;* non vides Caluine, quantum ſit periculi, ſi hominibus ſemel conceſſum fuerit tantum iuris? non vides, quanta feneſtra aperiatur impiorum hominum ſannis & cauillis, ſi dicamus, concilia patrum inſtar præiudicij tantùm nobis eſſe debere, quòd noſtrum examen adhuc expectet? nónne vides eiſdem te ſynodis contradicere, quas non nimiùm anté te libenter amplecti, &, vt ſacroſanctas, reuereri affirmabas? currebas mediocriter, quis te faſcinauit, vt non obedires veritati? pugnent alij tecum patrum teſtimoniis, opponant illorum antiquorum conciliorum decreta, quæ ſub anathemate iubent ne inquirere quidem de actis in generalibus patrum conuentibus, obiiciant & imperatorum in eam ipſam rem leges latas, certent nobiliſsimorum patrum ſententiis, Hilarij, Gregorij, Athanaſij, Cypriani, Tertulliani, Irenæi, Auguſtini, & ceterorum, quibus omnibus ſanctiſsimus habebatur vniuerſalis ſynodi conſenſus in fidei dogmatibus, contendant igitur tecum alij, tam illuſtrium virorum auctoritatibus inſtructi: mihi verò ſit ſatis Caluine vel hac ratione tecum congredi: cuius, obſecro te, hominis iudicio, quæ à patribus præfinita ſunt, iterum ſubiacere velis? ad quos homines nos reiicis, quibus ſit vltimò ſtandum? ſi vniuerſis etiam de lapide emptis libera per te ſtabit cenſendi de ea re facultas, bene ſit tibi, qui paſtores

Nullius hominis examini res fidei ſemel ab eccleſia definitæ ſubiacere debent.

ouibus ſubiicis, atque vis diſcipulum eſſe ſupra magiſtrum. ſic ſanè tuam rempublicam decebat, vbi ordo nullus, ſed perpetuus horror verſabitur. quòd ſi ne inter Arabes quidem hoc vſu veniat, diſperaam. Sed deſino obſtupeſcere: qui enim ipſas ſacras ſcripturas proletariorum hominum recondito ſpiritus clandeſtini teſtimonio committendas ducit, quid mirabile habet, ſi eorum, quæ cum illis æquari aut conferri minimè poſſe arbitratur, conciliorum ſcilicet, ipſe quoſcunque de plebe, ac de vulgi fæce iudices creare nunc videatur? ſi verò non omnibus id permittat, ſed his, qui optimo ac præſtanti iudicio in eiuſmodi cauſsis pollere meritò æſtimantur: ô inconſiderantiam incredibilem. ecquis non ſibi Guato? ecquis non ſibi plus tribuerit, quàm ius ac ratio poſtulauerit? Sed demus in nouum nos aut Auguſtinum, aut Hieronymum incidiſſe, num is vnus procul ab omnium aliorum cogitatione, & oculis remota intuebitur, atque ſpeculando cuncta aſſequetur? vniúſne tu hominis ſententiam ei præferes, quæ tot patrum omnium eccleſiarum, & vniuerſi orbis ſuffragiis eſt comprobata, atque excepta communi fidelium conſenſione? Solet catholica eccleſia (fateor Caluine) perſæpe, ſolent & ſancti doctores creberrimè expendere diligenter vniuerſa illa, quæ tu retuliſti obſeruanda, non vt de concilij auctoritate ſuum denuò iudicium ferant: (abſit: ſciunt enim per ea nos iudicari debere, non contrà ipſam à nobis) verùm vt omnibus, quæ ibi traduntur, veriſsimam & germaniſsimam interpretationem accommodent. ita & nos ipſi profectò ſolemus, quoties Auguſtini nobis ſententia ſuper re quapiam profertur, inueſtigare curioſiùs, quo tempore id dixerit, qua de cauſſa protulerit, quo conſilio, quales homines, cum quibus negotium ab eo gerebatur, Pelagiani, an Manichæi, Donatiſtæ, an Priſcillianiſtæ, vel Sabelliani. Multò acutiorem (vt verum fatear) eſſe Caluinum animo meo ante concipiebam: at ſatis nunc video, quàm liberalis diſciplinæ expers, quàm mentis inops, quàm antiquitatis ignarus, quã demum bene inſtituendi animi ſtudio ſit deſtitutus. Quid iam ampliùs elaborabis, atque enitêris? ſcripturas

Quando ac quomodo vniuerſalis eccleſiæ traditiones ſunt expendẽdæ.

ad te aduocas, neque ſatis tibi eſſe videtur, quòd ſic interpretentur patres, ſic habeat eccleſia, niſi tui ſpiritui arcanum & latens teſtimonium accedat, ſit quamuis res omnium calculis iam ad exitum vnum deducta. inſuper concilia omnia, vnde firmiter genuinus ſcripturarum ſenſus deſiderari ac ſperari poterat, ea tu rurſum ad ſcripturæ amuſsim examinare cuiuis integrum ac liberum facis, immo neceſſarium arbitraris: neque credo te dicturum, quòd culpa vacaret ſocordia noſtra, ſi ipſorum patrum examini conſideremus. Quid vltrà moliris? num ſub dio erunt omnia? num vniuerſa è filo pendebunt? vt video, Caluine, cùm fidem ſemper iactes, fidei nimiùm detrahis. quod hac mea conſecutione euidens fiet: Non ampliùs creditis vos, quàm quod Dei verbo expreſſo quidem contineri videtis. éſtne ſic Ioannes? tunc vltrà, verbum hoc ab occulto ſpiritus teſtimonio pendet, & quod diuinum tibi ſit, & in tali ſenſu accipiendum. non dubito, quin negare nolit Caluinus. iam ego ſic colligo, & quæro, quis tibi fidem facit ô Caluine, quòd ſpiritus, qui tibi hoc perſuadet, ex Deo ſit, & non ſolùm hoc, ſed quòd ſpiritus, qui in Luthero eſt, ex diabolo ſit? dicis tu, Idem ipſe ſpiritus. ô pulchra reuera reſponſio: atque ſpiritus Lutheranorum eandem illis & de ſe ipſis, & de te fidem facit. vides, nullam iure vos certitudinem fidei iactare poſſe? Sed quid hîc ego crucior, quaſi verò aut tu ita loquaris, vt ſentis, aut ita ſentias, atque loqueris.

Auguſtinus nihil vnquã contra conciliorum maieſtatẽ eſt locutus.

Auguſt. aduerſum Maxim. lib. 3.

V E R V M, qua ratione contra nos Auguſtinũ in medium afferat, paucis expendamus. *Vtinam eum omnes modum ſeruarent, quem præſcribit Auguſtinus:* vtinam Caluine, quoniam eum modum ſeruare & patrum auctoritati, & eccleſiæ maieſtati vehementiùs quidem expediſſet. *Nam, cùm Maximum hæreticum de ſynodorum decretis litigantem breuiter compeſcere vult, Nec ego, ait, Niſænam ſynodum tibi, nec tu mihi Ariminenſem debes, tanquam præiudicaturus, obiicere: nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris. ſcripturarum auctoritatibus, non quorumcunque propriis, ſed quæ vtriſque communes ſunt, res cum re, cauſſa cum cauſſa, ratio cum ratione certet. Quod ſi ſic fieret, & conciliis ſua eſſet, quæ eſſe debet maieſtas, & interim ſuperiori loco emineret ſcriptura, ne quid eſſet, quod non illius*

lius regulæ ſubiiceretur : ſuſpicaris ne luxato teſtimonio & lacerato fallere nos poſſe? memineris, nos non centonibus, ſed integris capitibus acturos tecum, quoties Auguſtinus, à te citatus, in aciem prodierit. quid fiet, ſi vnde tibi ſuppetias futuras ſperas, ibi nos firma noſtra præſidia collocemus? recitetur Auguſtinus, loquatur auctor ipſe. ſacroſancta habebatur Auguſtino Nicenæ ſynodi auctoritas: ſed cum eo tunc contendebat, qui quod in ſcripturis non legiſſet, traditiones hominum dicebat. at cùm interrogaretur ab Auguſtino, quam fidem teneret, reſpondebat eam ſanè, quam patres Ariminenſis concilij amplexi fuiſſent. Sed audiamus attentius: Cùm Auguſtinus & Maximinus Hipponeregio vnum in locum conueniſſent, præſentibus multis tam clericis, quàm laicis, Maximinus dixit, Ego nõ ob iſtam cauſſam in hanc ciuitatem aduêni, vt altercationem proponam cum religione tua. & poſt pauca, Si quod enim de diuinis ſcripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt, vt audiamus. hæc verò, quæ extra ſcripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur. (nec à Caluino quidem Maximine, quem à nobis hac in parte habetis) & quare non? cùm ipſe dominus moueat nos, & dicat. Sine cauſſa colũt me, docentes traditiones & mandata hominum. Quid audio? vox hæc quem ſonat? Caluinum, an Maximinum? Ecce quo pacto Nicæna ſynodus non multùm probabatur Maximino, qui ad examen ſcripturarum iterum eam in ius vocabat. Sed quid ad hoc magnus Aurelius, antiquarum traditionum obſeruantiſsimus epiſcopus? Si ad omnia iſta reſpondere voluero, id etiam ego agere videbor, ne veniatur ad cauſſam. ac ſi clarius loqueretur, Non conuenimus in principio, in quo Chriſtianos omnes conſentire oportebat, ſtandum ſcilicet eſſe vniuerſalis ſynodi decretis. Sed ne videar aut rem à gemino (vt dici ſolet) ouo exordiri, aut ſcripturas ideo à ſuffragij iure repuliſſe, quòd hæ omnes nobis aduerſariæ ſint: tecum ſuper re propoſita ſcripturis, quæ nobis communes ſunt, negotium libet trãſigere. proinde, vt citò agamus quod inſtat, dic mihi fidem tuam de patre & filio & ſpiritu ſancto. non credis traditionibus patrum, malè agis ſuper ſemel definitis vlteriùs inquirendo. ſed nihil horum modò

Mens Auguſtini prænotatur.

Augu. lib. 1. cap. 1.

Maximinus dicebat, Quod extra ſcripturam eſt, non eſt recipiẽdum.

tecum conferam, immo verò vno verbo dic mihi fidem tuam. Maximinus reſpondet, Si fidem meam poſtulas, ego illam teneo fidem, quæ Arimini à trecentis & triginta epiſcopis non ſolùm expoſita, ſed etiam ſubſcriptionibus firmata eſt. O bellum hominem iſtum Maximinum: concilij Nicæni fidem, hominum commenta, & humanas traditiones eſſe mentiebatur: at percunctatus ab Auguſtino de ſua fide, ad patres recurrebat. Optimè proinde Aurelius non de concilio œcumenico ſibi examen vllum vſurpans, ſed importunum cauillatorem modò ad ſcripturas recurrentem, modò patres appellantem, vt ſuam ipſe confeſsionem edat, grauiſsimè in hunc modum adigit: Noli me mittere ad ea ſcripta, (allegarat porrò, vt diximus, Ariminenſem ſynodum) quæ modò aut præ manu non ſunt, aut eorum auctoritate nõ teneor. Hæc Auguſtinus cum Maximino. Si nos duo de reali præſentia corporis Christi ſub ſpeciebus illis cõtenderemus, & poſt innumeros patrum hac de re habitos œcumenicos conuentus recenſitos, in Tridentinam ſynodum, à qua voluntas tua longè abhorret, ego inciderem: túque mihi eam legem præſcriberes, ne vel ad concilia recurrerem, nec patres toto decurſu congreſſus noſtri nominarem tibi, ſed ſolis ſcripturis ageremus: & ego abs te quærerem, quænam fides tua eſſet: tu verò reſponderes vel eam, quæ expreſſa eſt Vvitembergæ, aut in Saxonia, aut ſimilem appellaſſes conuentum: præterquam quòd ſtultam rem feciſſes, non tibi ego tunc iure meo ſuccenſerem, & ad ſolas ſcripturas, vt tu principio poſtulabas fieri, te reuocarem? ad hæc quàm ego iniuriam œcumenicis conciliis intuliſſe viderer, ſi hæretico homini ſcripturas oppoſuerim, vt eiſdem ego armis ſecum agã, quibus ſe de vniuerſis triumphum acturum ſtultè & temerè confidebat? nullam prorſus. non ego tunc concilij ſententiam meo examini poſthabuiſſem, ſed magis ipſius lumine mirè illuſtratus omni ex parte tenebricoſas vmbras feliciter ſuperarem. Cum catholico etiam aliquando, poſt patrum ſententiam in œcumenico conuentu editam, ac communibus ſuffragiis auctam, de ſcripturis non omnino abſque merito certare poteris Caluine, modò nõ vt iudex ſedeas eorum, quæ ibi ſemel per

Quando liceat, relictis conciliis, ad ſcripturas recurrere contra hæreticos.

eos iam tranſacta ſunt: ſed vt diſcipulus, docendus, vt ouis paſcendus: vt filius, ducendus diligenter ipſe legas, inquiras, & diſcas tuorum maiorum exemplo ſcripturā cum ſcriptura componere, atque ex his, quæ ibi ſemel perceperis, plura ſemper cogitare, modóne tranſuerſum vnguem à tuorum patrum finibus diſceſſeris. Sed dum, Caluinũ monemus, aërem verberamus, laterémque duriſsimum lauamus.

Inter vniuerſalia concilia, ab eccleſia recepta, nulla eſt repugnantia in rebus, quæ ad fidem pertinent.

CAP. XXI.

ECce iam concilia cum conciliis pugnantia recenſet, vt nullo pacto eorum regnum diu conſtare poſſe demonſtret. *Nec eſt, quòd mihi quiſpiam obmurmuret ex his, quæ pugnant, alterum non eſſe legitimum. vnde enim id æſtimabimus?* non ex hiſtoriis? vt ſi ea omnia obſeruata nō ſint, quæ, vt legitimus habeatur patrum conuentus, neceſſaria ſunt? non ex ipſa eccleſiæ approbatione, quæ mira eſt in illud concilium, cùm in hoc iam ab eo tempore, quo coactum eſt, eccleſia Chriſti, in qua magiſterium Romana obtinet, nunquam conſenſit? non hæc placent Caluino: qui, quoniam hac reſponſione nihil loci videt ſuo iudicio relinqui, ſcripturas appellat. *Hæ enim*, ait, *certa regula ſunt diſcretionis*: ſed quæ ſunt hæc concilia, in quibus ſic rupto regni fœdere pila pilis minantur? conuerſáque eſt patrum auctoritas in ſua viſcera, & in cognatas acies? *Iam nongenti circiter anni ſunt, cùm ſynodus Conſtantinopolitana, ſub Leone imperatore congregata, ſubuertendas & confringendas imagines in templis collocatas cenſuit: paulò poſt concilium Nicenum, quod in eius inuidiam Irene coegit, reſtituendas decreuit. Vtrum ex duobus pro legitimo agnoſcemus? Vulgò obtinuit hoc poſteriùs, quod in templis locum imaginibus dedit. At Auguſtinus id fieri poſſe negat ſine præſentiſſimo idololatriæ periculo. Epiphanius ætate ſuperior, aſperiùs multò loquitur: nefas enim, & abominationem eſſe tradit aſpici in templo Chriſtianorum imagines. Qui ſic loquuntur, an approbarent concilium illud, ſi hodie eſſent ſuperſtites? quid quòd totam ſcripturam deprauando & lacerando ludibrio eam fuiſſe demonſtrant? Quid-*

Calui. li. 4. c. 9. ſect. 9.

quid ergo ſit, non aliter inter contrarias & diſſentientes ſynodos, quæ multæ ſunt, iudicare poterimus, niſi omnis illa, quam dixi, omnium hominum & angelorum ſtatera, id eſt, verbo domini examinemus. Sic Chalcedonenſem amplectimur repudiata Epheſina ſecunda, quòd in hac Eutychiana impietas confirmata fuit, quam illa altera damnauit. Eant nunc Romanenſes, & affixum alligatúmque ſuis conciliis ſpiritum ſanctum pro more iactent. De adoratione imaginum non me locus iſte, neque tempus quidem diu agere permittunt: at quia vno concilio & Epiphanij Cypri, atque Auguſtini verbis ſe iactat armatum venire ad eas vniuerſas infringendas, & vt mihi videtur, ad pariter omnem etiam concilij, quo nititur, maieſtatem, & ſanctorum ſcripturas ſimul vno ictu comminuendas, non grauabor (ſi modò, quæ tua eſt in Deum pietas, Chriſtiane lector, mihi per te liceat) & de illis duobus conciliis, & de patribus, ac tandem de catholicæ & Romanæ eccleſiæ fide ſuper hac ipſa re breui oratione non pauca percurrere, quò iſtius audacia ſimul, atque hiſtoriarum ignorantia, etſi omnibus adhuc ſatis perſpecta fuerit, denuò nunc orbi vniuerſo ante oculos ſtatuatur.

Calui. li. 1. c. 11. ſect. 1. 2. 3. & vſque ad 16.

Hæreſis, quæ imaginum cultum damnat, quàm ſit antiqua, & à Romana fide iam olim damnata. CAP. XXII.

CVm ad apoſtolicæ & catholicæ eccleſiæ clauũ Gregorius tertius circiter annum 718 ſederet, & Leo etiam tertius Conſtantinopolitanus imperator (vt nunquam ſibi conſtans Græca leuitas, & mobilitas erat) peſtem illam Iconomachorum, à Feliciano circiter annum 374 inuectam, excitare moliretur, ſanctiſsimo Gregorio nec conſultò, nec expectatò quidem, immo ipſis epiſcopis Alexandrino Antiocheno, & vrbis ſanctæ contradicentibus, Conſtantinopoli multos ipſe coëgit. cuius inſanos conatus Romanæ ſedis moderator maximus celebrato Romæ concilio ad 718 annos, in quo mille epiſcoporum legitur affuiſſe, diligentiſsimè repreſsit. ob eámque rem ipſum pontificia ſua auctoritate, & imperio, & fidelium communione Leonem Gregorius priuauit. hinc planè conſtat mentitum fuiſſe Caluinum, dum voluit in Iconocaſtarum hæreſim non ante Nicænam ſecundam ſynodum eccleſiaſtica cenſura animaduerſum

Gregorius tertius.

Actione 6. ſeptimæ ſynodi generalis.

fuiſſe. apertè alucinatur. habita ſiquidē eſt ſub Hadriano huius nominis primo, qui hanc ſacratiſsimam ſedem moderatus eſt circiter 774 annos. à tempore verò, quo ſub Gregorio Romæ ſancta ſynodus conuênit, vſque ad ſecundæ Nicenæ ſynodi tempora fluxere anni propè ſeptuaginta. Vt interim ſimulemus nos neſcire Gregorij papæ huius nominis primi ante mille annorum, Phoca imperij gubernacula tenente, epiſtolam, per quam Serenum quendam epiſcopum Maſsilienſem redarguit, quòd inconſyderato zelo ſanctorum imagines fregerit, timens ne à populo adorarentur. hos ante multos annos præceſſit magnus fidei noſtræ propugnator & murus, Alexandrinus Athanaſius. floruit ſiquidem anno domini 370. cuius mira elegantia extat deſcriptus libellus, qui vniuerſam narrationem imaginis cuiuſdam haſta transfixæ in Syria continet. vbi hic ſanctus in diuinioribus & reconditis litteris mirandum in modum exercitatiſsimus, & apoſtolicarum traditionum obſeruantiſsimus, ingenti illo ſigno, nempe quòd cùm à perfidis Iudæis ſaluatoris noſtri imago immaniſsimè cæderetur, cōtinuò pars illa, quæ verum IESV latus referebat, ſanguine & aqua manaſſe viſa eſt, fideles omnes ad imaginū cultum religioſiſsimè adhortabatur. qui quidem libellus diui Athanaſij cùm in ſeptima ſynodo totus recitaretur, omnium patrum & ſuffragiis, & lachrymis eſt exceptus. locúſque alius eiuſdem Athanaſij ibidem lectus eſt, quo docemur, quòd omnis honor imaginibus exhibitus, mox ad prototypum refertur. Huius æqualis Baſilius, cognomento Magnus, ad Iulianum apoſtatam ſic ſcribit, Confiteor etiam incarnatam οἰκονομίαν, deinde ſanctam Mariam, (ô vocem verè piam) quæ ſecundum carnem illum peperit, deiparam. SVSCIPIO ETIAM SANCTOS APOSTOLOS, PROPHETAS, ET MARTYRES, QVI PRO ME APVD DEVM SVPPLICANT, QVO PER ILLORVM MEDITATIONEM PROPITIVS SIT MIHI DEVS NOSTER BENIGNISSIMVS, ET REMISSIONEM PECCATORVM MIHI GRATIS LARGIATVR. QVARVM CAVSSA ET HISTORIAS IMAGINVM ILLORVN HONORO, ET PALAM ADORO.

Athanaſ. libello de imagine Christi percuſſa.

Lib. 4. contra Arria.

Baſilius.

HOC ENIM NOBIS A SANCTIS APOSTOLIS NON EST PROHIBITVM, SED IN OMNIBVS ECCLESIIS NOSTRIS EORVM HISTORIAS ERIGIMVS. Hæc omnia ante illã ſynodum,quam inducit Caluinus,contigerunt.à primis ſanè temporibus,& cõtra impios Iudæos ſuper hac re,nõ contra impudentiſsimos hæreticos ſolũ,à maioribus noſtris antè annos 1300 legitimè certatum eſt.Ne dicat igitur Caluinus ſacratã ſynodum primã in odiũ Satanicæ illius Conſtantinopolitanæ ſub Leone tertio perfido homine coactã aduerſum euerſores imaginũ arma tuliſſe.multò ſiquidẽ antè cõtra Iudæos pugnauerãt iſti patres,quibus annumerãdus eſt Leontius epiſcopus Neopoleos Cypri, cuius & dialogũ legerũt patres illi nimia elegãtia aſperſum contra Iudæos,& quidem probauerunt. Quid referam canonem octuageſimũ primum ſextæ ſynodi longè ante ſeptimam ſynodũ editum? vbi venerabiles imaginũ picturæ à patribus vocantur?Hanc Felicianæ hæreſis progeniem,hanc Iudæorum perfidiam,hiſce deploratiſsimis temporibus,mundi huius & tenebrarum harum magnipotens dux diabolus ſcilicet è vaſto pelagi gurgite per neotericos iſtos hæreticos (nam ad tantam impietatẽ ne Lutherus quidem acceſsit) in orbem emiſit.

Leõtius cõtra Iconomachos.

QVIS non mente errans ignoret formulam fingẽdæ ſimiliſudinis Dei,aut ſanctorum,non niſi quò eorũ memoria animis noſtris firmiùs inſideret, præſtitam nobis fuiſſe?ſerpens æneus rudi populo in ſignum longo poſt tempore ſeruatoris venturi à domino erectus eſt. mirificè laudatur Salomon,quôd in templo Cherubim, & palmas,& malogranata,& in mari æneo boues duodecim, & in baſibus laterum leones cũ bobus fecerit. neque abſimile eſt,quod de conſtruendo tabernaculo cum duobus aureis ac ſolidis Cherubim Deo famulo Moyſi à domino denuntiatur. ſupra oſtium & vſque ad domum interiorem & foris,poſtremò in omnibus vbique parietibus, interiùs & exteriùs,menſuræ monſtratæ ſunt, ceterũ fabrefacti fuerunt Cherubim & palmæ, quæ ſingulæ inter duos Cherubim,duæq; facies ipſis Cherubim,&c. Hinc peſsima calumnia Caluini ſe prodit aſſerentis, impio mendacio imaginum cultu corrumpi Dei gloriam,poſtq̃

Vtimur imaginibus in eorũ memoriã, quos per ipſas veneramur.
Exod.25.
4.Reg.18.
Exod.25.
Ezech.41.
Lib.1. c.11. ſect.1.

præcepit Deus,ne filij Iſrael ſculptile,aut ſimulacrum facerent.non videt iſte, quàm illam gentem huius præmonuiſſe Deum expedierit, tum quòd nimiùm in idololatriam propenderent, tum quòd eam terram ingreſſuri eſſent,quæ deorum cultui,inſuper Lunæ,Solis,maris,ſtellarum,multorúmque animãtium turpiſsimis ſimulacris ſacra ſua peragebat.quod & dominus eo loco,per Moſen locutus, non tacuit adiiciens,quòd meminiſſent omnes, quo pacto Iehoua locutus eis fuiſſet in valle Horeb, vbi vocem audierunt,corpus autem non viderunt.Erras Caluine, erras, ſi parem eſſe cauſſam eccleſiæ & ſynagogæ illius arbitrare.non ignorat ea optimè per euangelium inſtructa,quoniam Deus ſpiritus eſt: & qui adorãt eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. nouit apprimè nõ plus numinis imagini illi adeſſe, q̃ quòd imago illius ſit,cui vni debetur adoratio. Simulacra gentiũ, argẽtum & aurum, canit eccleſia,opera manuum hominum.os habent,& non loquẽtur,oculos habent,& cetera, quæ dulci ibi modulatur auena.pereant qui adorãt ſculptilia,& qui gloriantur in operibus manuum hominum. Deus autẽ noſter in cælo,non ligno,non luto, non auro,non argento incluſus.prudens deridet hæc filij ſponſa gentium ſtultitiam,credentiũ, quòd tam facili opera ex mortua qualibet materia dij immortales conflarentur. O homines, inquit, infelices, quî pro Deo habere vultis metallum? mihi vnus Deus eſt, & extra eum non eſt omnino alius, qui in altis habitat. Hæc omnia totos dies pſallit ſponſa dilecto ſuo.quæ quâm diu à dulci patria exulat, non poteſt eius, quem impensè amat, non ſuſpicere imaginem. neque permagni refert, qualis ſit figura, quæ materia, aurum, argentum, lutum, modò ſuam cogitationem in ipſius recordatione firmet, quem iam ſitit, iam quærit, iam ardenter non in pictura poſsidere cupit. noli à ſponſa potiſsimum genus conſolationis auferre: nihil ibi periculi eſt Caluine: non eſt quod vereare:noli te vano metu cruciare. vnum Deum hæc adorat, num aliquando vitulum ſibi erexit, quantumuis inimicorum preſſuris omni ex parte vallaretur? num Belphegor initiata eſt aliquando? vetus illa ſynagoga,non hæc immaculata columba erat Caluine: quæ Aſtarten Sidonio-

Exod. 20. *Deut.* 4. *Ioan.* 4. *Pſal.* 113.

rum deam holocauſtis perſecuta eſt. hæc verò noſtra neque Baal vnquam coluit, neque idôlis lucos & templa aliquando conſtruxit.

Longè alia eſt adoratio, veneratio imaginum in eccleſia à gentium idololatria, & cultu.

CAP. XXIII.

VT igitur intelligat Caluinus, quantum interſit inter noſtram & gentium adorationem, rem totam exemplo ſatis accommodato aperiemus. Chriſtum adoramus incluſum in hoſtia illa paruula: rurſum Chriſti imaginem veneramur. O quàm diuerſa eſt vtriuſque rei conſideratio. prima ſiquidem adoratione ſic toti in hoſtiam ferimur, non vt Deum, ſeu diuinum numen in figura incluſum adoremus: (abſit abſit: quę enim ibidem videtur, magis panis eſſentiam, quæ ibi iam nō eſt, quàm Chriſti ſubſtantiam, quæ ibi ſola manet, figurant, & oſtēdunt) ſed Deum ipſum adoramus præſentem, eiúſq; infinitum numen, quod ibi adeſt, etſi non videatur: ipſæ verò ſpecies eo modo à me coluntur, quo & rubus viſus ardere à Moſe. (ſi verum eſt, quòd Deus ipſe erat, qui loquebatur, & non magis angelus aliquis) at imaginem adoro quidem, non quòd numen latêre aliquod ibi ſuſpicer, non, ſed quòd eam rem mihi refert, cuius recordari, ſine reuerentia, neque poſſum, neque debeo. illam gentium adorationem execrabatur ſæpe Eſaias. ſed & Paulus de ea re dicebat, Genus cùm ſimus Dei, non debemus exiſtimare, auro & argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum eſſe ſimile. Habes ergo Caluine breui, gentium ſtultitiam notatam, & cur Deus nullam ſibi imaginem à populo illo erigi ne conceſſerit quidem. Non poſſum (ita mihi bene Deus ſit propitius) non ridere, cùm tuam lego reſponſionem ad id, quod noſtri obiiciunt, Deum ſcilicet ipſum certis exterioribus ſignis ſæpe & in veteri lege ſeſe manifeſtaſſe, atque etiam apparente euangelica luce: vt in nube, in fumo, in flamma, in columna, de Cherubim, de Seraphim, de æneo ſerpente, déque multis aliis. veteranus tu theologus his omnibus vnica ſolutione tibi domi plaudis. & quæ illa eſt? *Semper ibidem ſimul cum exteriori apparitione admonitos eſſe Chriſti fideles Deum inuiſibilem eſſe, & ſpiritum. ídque po-*

Eſa.40.45 41.46.
Act.17.
Vide Augu. de ciuit.li.6 c.10.
Deut.4.
Exod.33.
Ezech.41.
Matt.6.

tiſſimùm apparet, quòd cùm ſpiritus ſanctus ſub columbæ ſpecie viſus eſt, protinus euanuit, vt vnius momenti ſymbolo admonitos fideles ſuos redderet, inuiſibilem eſſe credere oportere: ſi tam ſubitò euanuit ſpiritus ille, ne viſibili ſigno adoratus corporeus crederetur, quid eſt, quòd ſub ignitis linguis apoſtolorum capitibus inſedit, qui iam ſpiritus ſpiritalia corda occupauerat? etiam ſi millies depictum ſpiritum ſanctum intueamur ſub pictura columbæ, aut ignis, aut linguę, nunquam intelligemus eum quidquam iſtorum eſſe: ſed magis ad tantam maieſtatem adorandam inde aſſurgemus, his externis ſignis quaſi excitati & inflammati. Sed videte quid dicat. *Præteriit ſæculum illud puerile, (vt ita loquar) cui eiuſmodi rudimenta deſtinata erant, vt per hæc, quæ oculis videbant homines, animus non viſa cogitaret*: quid quòd etiam nunc prodeſſe imagines non rudioribus modò, ſed & ipſis, qui antecellunt omnibus ingenij gloria, viſum eſt Baſilio Magno, Gregorio Nicæno, Gregorio Theologo, Chryſoſtomo, Athanaſio, Sophronio, Maximo, Cyrillo. *At ſanè pudendum eſt, profanos ſcriptores magis dextros eſſe legis Dei interpretes, quàm papiſtas*: quid iſtuc eſt bone vir? *Iudæis per ludibrium exprobrat iuuenalis, Quòd puras nubes, & cæli numen adorent*: adhuc ignoras Caluine, gentiliciis nationibus Hebræos nimiùm ſuperſtitioſos habitos, quòd ſic obſeruarent menſes & annos? qui ignorantes, quæ illis inuolucris myſteria tegerentur, velut ſteriles vanáſque iudæorum cæremonias, deridebant. hîc abs te quæro, an iure id fecerit Iuuenalis? Sed quid vrgeo? forſan non plurimùm diſtat à Iuuenale. quòd ſi times, ne id nobis accidat, quod ne Iudæis contingeret, tanta diligentia Deus curabat: vanus quidem certè eſt tuus iſte metus Caluine. communiter dicitur, Libros idiotarum imagines eſſe. éſtne verum hoc? *Scio illud vulgò eſſe pluſquam tritum*: quid quòd dixit hoc Gregorius, homo non vulgaris? *Concedo, ſed longè aliter pronuntiat ſpiritus Dei, in cuius ſchola ſi edoctus fuiſſet hac in parte, nunquam ita locutus foret*: proh Dei fidem, quis hunc Catonem ferat? ecquæ iſta Dei ſchola eſt? *Nam, cùm lignum eſſe doctrinam vanitatis pronuntiat, cùm Habacuc docet conflatile eſſe doctorem mendacij, certè hinc generalis colligenda eſt doctrina, futile eſſe adeóque mendax*

Etiamnũ tẽpore legis gratiæ neceſſariæ ſunt imagines.

Baſil. in diuerſis opuſc.

Greg. Nic. ſerm. ĩ Abrã-ham.

Greg. Theo. in verſibus de virtute.

Chryſoſt. in oratione funebri in Meletium epiſc. Antioche. & in ſerm. Quòd noui & vet. teſt. vnus ſit legiſlator.

Cyrill. epiſt. ad Achatiũ Athã.

Cal. lib. 1. c. 11. ſect. 5.

Iere. 10.

Habac. 2.

quidquid de Deo ex imaginibus homines didicerint: nónne vides, eos ibi à prophetis ſanctis reprehendi, qui in morem gentium ſimulacris ad impiam ſuperſtitionem abutebantur? at dicis, *Deus & ſimulacra omnino contraria ſunt. ac ſpiritualis Deus perperam ligneo ſimulacro colitur*: quòd viſibilibus vtimur imaginibus, vt excitari ad inuiſibilia, & ex his, quæ ſenſui patent, ad ea, quæ ſola mente concipiuntur, aduocemur, & natura duce facimus, & diuina ſcriptura ad id frequens nos prouocat. ſicut ergo corporalis homo per corporalia Deum, qui ſpiritus eſt, agnoſcit modo ſibi conuenienti, nec ea ſimulacra, per quæ videmus, Deo opponuntur: haud ſecus, (etſi Deus ſpiritus eſt, & ſolo ſpiritu adoratur) nihil pugnat eo vti medio, & quòd nobis ſit maximè conueniens, & quòd alicuius in nos collati beneficij, aut diuini cuiuſdam facti memoriam nobis ſuggerat. Tu obiicis, *Niſi ita res ſe haberet, fallacem eſſe & adulterinam, quæcunque in ſimulacris petitur Dei cognitio, non ita generaliter damnarent eam prophetæ*: immo verò prophetæ non ita generaliter eam damnant, ſed

Ierem. 10. in eo ſenſu, quem ibidem Ieremias expreſsit dicens, A cæli ſignis ne formidetis, nam gentes ab illis formidant: ne metuatis à ſimulacris gentium, quia non malefaciũt, quin nec benefacere illorum eſt. quis te non metuat ô rex gentium. tantùm igitur damnant eam, quæ ad ſuperſtitionem impiam ſimulacris abutitur. fit inde conſequens, vt bona ſit ea, quæ in Dei gloriam & honorem dirigitur. *Saltem, inquis, hoc habeo, cùm vanitatẽ & mendacium eſſe docemus, quòd ſimulacris Deum effingere homines tentant, nihil aliud, quàm de verbo ad verbum nos referre quod prophetæ tradiderunt*: minimè omnium. prophetæ quidem vanitatem & mendacium eſſe docent falſos deos ficticiis

Quis imaginũ cultus à prophetis damnetur.

Ierem. 10. cærimoniis & ſimulacris creare. In Aſcia, inquit Ieremias, fiunt ſimulacra, auro & argento ornantur, clauis ac malleis firmantur, ne vacillent: ipſa verò neque loqui, neque ſe portare, neque incedere poſſunt. ecce de quibus ſimulacris loquantur prophetæ. tu verò Caluine verum Deum non permittis cognoſci ne ab his quidem ſimulacris, quæ in eius diuinæ miſericordiæ, magnificentiæ, iuſtitiæ cognitionem introducere nos poſsint. quod cùm facis, nõ modò de verbo ad verbum, quod prophe-

tæ tradiderunt,non refers, ſed de verbo ad verbum diuinis ſcripturis, quæ corpoream hanc machinam multorum librorum loco nobis eſſe volunt, vt Dei dotes vtcunque attingamus, planè contradicere nobis omnibus videris.

De idololatriæ ortu, & origine. CAP. XXIIII.

POrrò de idolorum origine publico ferè conſenſu receptum videmus,quod in libro ſapientiæ ſic legimus, Acerbo luctu præmaturè abrepti filij dolens pater imagine facta,iam antea mortuum hominem, nunc, vt Deũ cœpit colere,& ſibi mancipatis ſacra cæreminiáſque tradidit. refert Diophantes, Lacedæmonum auctor, Syrophanem quendam Aegyptium familia, ſubſtantiáque locupletem, filium genuiſſe, quem incredibili amore proſequebatur: íſque, cùm aduerſis fortunæ incurſibus raperetur, patri ſuo crudele geminæ orbitatis elogium dereliquit,ſcilicet vt poſteritati æternum ſuffragiũ denegaſſet,& ſubſtantiæ propagandæ ſubitum interitũ obiiceret.quid igitur faceret, aut fecunda paternitas hac ſterilitate damnata, aut felix illa ſubſtantia ſucceſſore priuata? denique doloris anguſtia,quę ſemper inquirit miſeriæ ſolatium, filij ſibi præmaturè erepti (vt dicebat ſapiens)ſimulacrum in ædibus inſtituit. ignorabat homo rudis,quòd miſeriarũ obliuio ea ſit vna medicina. fecit ergo potiùs, vnde paternus dolor,in dies renouatus,magis reſurgeret, quàm in quo luctus ſolatium inueniret. pòſt ergo vniuerſa illa familia, quæ multa Syrophani erat, quò domino adularetur ſuo, aut coronas plectere, aut flores inferre, aut odoramenta idôlo illi ſuccendere conſueuerat: quibus verò domini furorem excitaſſe ſcelere, aut flagitio contigiſſet,mox venia dabatur, cùm ad ſimulacrum confugiſſent. factúmque eſt nõ multò pòſt, vt quos affectus ipſe ad idôlum non trahebat, timor flores, atque tura certiſsimo ſuæ ſalutis collatori offerre cogeret. demum idôdum dictum eſt ἰιδολίνην, quod nos Latini ſpecies doloris dicimus.id etiam probat Mintanor muſicus in Chromatopion libro muſicæ artis. addit ad hæc ſapiens eo loco, Deinde lapſu temporis inualeſcens impia cõſuetudo pro lege ſeruata eſt. vt ſi merita

Cal.lib.1.c.11.sect.8.
Sapien.14.
In 14.lib. antiquitatũ
Mentauor muſicus.

ſatis conſideratione vniuerſa illius capitis verba obſeruemus, tota idóli ratio in eo ſita ſit, quòd quem nuper, vt hominem, honorarant, mox numen exiſtimabant, diuinúmque & nomen, & numen cum nulla re communicandum lapidibus & lignis imponebant. Iam accedat Caluinianum iudicium, cenſoriáque notatio, ac magiſtra ratio.

Cal. ſect. 8. *Et ſanè fateor peruerſum hunc morem fuiſſe vetuſtiſsimum: nec facem fuiſſe nego, qua accenſus hominum ad idololatriam magis exarſit. non tamen concedo hanc fuiſſe primum mali fontem:* at ſcriptura eam primam facit. parum Caluinus eccleſiaſticos auctores morari ſolet, modò ad idôlum ſuum, quod erigere omnium teterrimum & peſsimum iam pridem parat, viam aſtruat. ſed audiamus, quid eum coegerit, hominem ſcilicet antiquitatis obſeruantiſsimum, ab illa hîc recedere. *Iam idôla in vſu erant, quando iſta in conſecrandis* Geneſ. 31. *mortuorũ imaginibus ambitio inualuit:* quî ſcis? *Ex Moſe iſtud conſtat. nam cùm Rachelem narrat furatam eſſe idôla patris ſui, non ſecus ac de communi vitio loquitur. vnde colligere licet hominis ingenium perpetuam (vt ita loquar) eſſe idolorum fabricam:* ô infelix homo, nunquam intermittis recentibus titulis tuam naturam polluere, ingeniúmque noſtrũ omni dedecore maculare. quòd Rachel non malo animo, ſed magis, vt cariſsimum progenitorem ab idololatria auocaret, quem inanium deorum cultu teneri vehementer dolebat, furata fuerit, (ſi id placet furtum, & non magis religionem & pietatem nominare) grauiſsimos auctores teſtes proferre poſſumus. nec pigebit hîc Caluino obiicere, (id quod nõ me fùgit à multis obſeruatum fuiſſe) pro eo, quod tranſlatio noſtra habet Idôla, Eheraphin, in Hebræo legi: volúntque imagines quaſdam hîc ſignificari, quæ peſsima arte dæmonibus etiam puerorum morte conſecrabantur, vt inde cultores ab ipſis reſponſa ferrent. Quidquid illud ſit, mihi ſatis fuerit oſtendiſſe, non plurimùm fuiſſe ſubleuatum his argutiis Caluinum.

Quæ mens Racheli fuerit, dum paterna idôla clàm ſuſtulit.

De vituli aurei adoratione. Iosue 24. IAM videamus, quorſum tam altè repetita hiſtoria tendat. *A diluuio, à nepotibus Abrahæ, ſuperſtite adhuc ſanctiſsimo patriarcha, & antè multò à Phare & Nachör, & de poſteris Cham.* (nimirùm enim laborat pro idololatriæ antiquitate) *hanc porrò eſſe idololatriæ originem, & primam, quòd homines Deum ſibi adeſſe non credũt, niſi carnaliter exhibeat ſe præ-*

ſentem, prodit Iſraelitarum exemplum. Neſcimus, dicebant, quid iſti Moſy contigerit, fac nobis deos, qui nos precedant. Deũ (inquit Caluinus) *eſſe nouerant, cuius experti virtutem erant in tot miraculis, ſed propinquum ſibi eſſe non confidebant, niſi oculis cernerent corporeum eius ſymbolum, quod ſibi teſtimonium eſſet gubernantis Dei. ob idque ab illis grauiter peccatum eſt. Mens igitur idolum gignit, manus parat:* toto erras cælo Caluine. porrò hæc prima & abſoluta idololatriæ origo eſt, quòd aliquot ſimulacris ſuos falſos deos colebant, diuinóſque honores præſtabant. accedit etiam, quòd credebant diuinum numen in eis eſſe ob reſponſa, quæ inde à dæmonibus illi miſeri homines auferebant, alióſque eiuſmodi effectus mirabiliores. quorum duorum criminum rei aguntur Iudæi, quòd & vitulum numen arbitrabãtur, & deos in morem gentium, qui eos præcederent, incredibili clamore ab Aarone flagitabant. præterea particularis genti illi à domino indicta lex erat, quòd ſimulacrum nullum ab eis excogitatum attoleretur, ne ſcilicet homines illi, ex antiqua cum Aegyptiaca gente cõſuetudine, in idololatriam nimiùm propenſi, à veri vnius cultu aduocarentur. ſciebat enim, quem nihil fugit, fore, vt, relicto tot portentorum ac mirabilium patratore, vni vitulo, neque viuenti quidem, ſe ducendos committerent. nos verò adoramus Chriſti noſtri imaginem, qui verus eſt Deus & dominus, non propter ipſam imaginem: (abſit) ſed in eum ferimur motu vno, cuius illa eſt imago. permagni igitur ô homo refert, Deum, aut creaturam ab imagine repręſentari, vbi ad diuinum cultum proſternimur: multúmque intereſt, idôlum ſimpliciter colere, an Deum in imagine. illud certè quidem idololatria eſt: hoc verò ad pietatem, & cultũ ſpectat. illi non eripitur, ſed magis impẽditur quidquid confertur in idôla. Falleris igitur Caluine, dum dicis, miſeros prætextus aucupare nos ad defenſionem execrabilis idololatriæ, qua multis antehac ſæculis vera religio ſubuerſa, ſubmerſáque fuerit. nos neque pro diis imagines reputamus, neque fictis ac commenticiis diis imagines conſecramus. noli Iudæorum cauſſam agere, noli hominibus ceruicis duræ patrocinium præſtare. illi porrò & nouos deos ſibi conſtituerunt, & datum ſibi de non erigendo ſimulacro prætergreſsi ſunt mandatum. Audite

Exod. 32.

S. Th. 3. p. q. 25. art. 3. ad 2.

Filij Iſrael idolatræ fuerunt.

mendacium,quod iſte commentus eſt,vt Iudæis vnicè fa-
ueat,nobis verò ſe opponat. *Nec tam prorſus incogitantes e-*
Cal.ſect. 8. *rant Iudæi, vt Deum non meminiſſent fuiſſe, cuius manu educti*
eſſent ex Aegypto antè, quàm vitulum fabricarent: non legis
Exod.32. Caluine, Fac nobis deos, qui nos præcedant? & rurſum
eodem in loco,Iſti ſunt dij tui Iſrael,qui fecerunt, vt aſ-
cẽderes à terra Aegypti?item,Dominus Moyſi, Populus
tuus,quem adduxiſti,corrupit viam ſuam, & defecerunt
illico à via,quam præceperam eis. en populus duræ cer-
uicis eſt,& præfractæ?dicitúrque ab vtriuſque veteris &
Quis ac qua- noui teſtamenti doctoribus, quòd vitulus erectus fuerit
lis fuerit ille in honorem Aegyptiaci bouis, qui apis dicebatur, & de
vitulus au- quo apud Ciceronem legimus,Apim illum ſanctum Ae-
reus. gyptiorum bouem. non ergo Deum liberatorem opti-
Cicero de mum & maximum colere voluerunt, ſed gentium ſacra
nat. deor. aſcita, atque ab Aegypto accerſita intra ſe retinere ma-
lib.1. luerunt. quidquid hoc ſit, domini legem traſgreſsi, gra-
uiſsimi ſceleris crimine, maieſtatis ſcilicet læſæ, à domi-
no accerſuntur,maximáſq; pœnas tantæ temeritatis pen-
dunt. At de gentibus Caluinus ſic inquit, *Nec ita ſtupidi*
fuiſſe ethnici credendi ſunt, vt non intelligerent Deum alium eſſe,
quàm ligna & lapides: nos Caluine antiquos patres ſequi-
mur,immo Paulum ſanctiſsimum imitamur,qui hoc eis
obiicit,quòd in ſimilitudinibus quadrupedum, & ſerpẽ-
Rom.1. tum falſos deos,quos ſub idólis latêre autumabant,diui-
nis honoribus proſequerentur, commutantes gloriã Dei
incorruptibilis in ſimilitudinem creaturæ,cui ſeruierunt
magis,ſacráque detulerunt,quàm creatori,qui vnus ado-
In pſal.113. randus eſt. Siue igitur (vt eleganter ait Auguſtinus) cre-
derent ſub imaginibus abditos deos, ſiue eos in cælo ha-
bitare fingerent (ſicut faciebant,qui purgatioris religio
nis erant)peſsimè tamen vtrique errabant,etſi illi multò
peiùs,quam iſti,cùm Deos ficticios vni infinito,veróque
Idololatria domino vniuerſorum præponerent. At Caluinus ſubin-
duplex. de redit,idémque inculcat ipſum: *Hoc qui antehac factum,*
& noſtra etiam memoria fieri negant, impudenter mentiuntur:
Cal.ſect.10 quid tibi vis ô religioſiſsime Numa? num dabimus tibi,
nil diſtare inter noſtram & gentium adorationem, dum
ante veri Dei imaginem proſternimur, quem ſcimus in
altis habitare, & à quo exauditum iri nos, non ab ima-

gine, in qua nihil habetur diuiniùs, quàm quòd Dei imago eſt, religioſiſsimè ſperamus?

Quid cauſſæ ſit, quòd maiori deuotione feramur in vnam imaginem, quàm in aliam.

CAP. XXV.

VRget iam nos Caluinus, quærens, Cur inter ſimulacra tantum diſcrimen, vt, altero præterito, aut vulgariter honorato, alterum omni ſolenni honore proſequamur? reſponde tu mihi, Cur inter eiuſdem Dei ſermones tantum diſcrimen, vt, altero præterito, aut vulgariter lecto, alterum omni diligẽtia ſeruari, nos magnopere delectet? cur hic magis ad ea, quæ diuinam potentiam deſignant, frequentiùs euoluẽda animum applicat, cùm ille alius erga Dei noſtri miſericordiam crebra lectione afficiatur? trahit & hîc, ô Caluine, ſine vllo ſcelere, ſua quẽque voluptas. te Deum placatum pænitentia aut legere, aut ſigno aliquo expreſſum intueri ſummè recreat, & ad meliorem mentem reuocat: me verò magnopere in officio retinet dum aſsiduè mente cogito, quàm acerbè iam à condito orbe in ſceleratos & flagitioſos homines diuini furoris impetus animaduerterit. infinitus Deus eſt, quem colimus: infinitos proinde habet dulcedinis ſuæ guſtus: Suntque mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus. tu vno ſcripturæ loco frueris, ego verò meo: & vtrique in domino. Idem eſto de re propoſita iudicium. hæc ipſa ratio incitat ſæpe fideles, vt in viſendis ſanctorũ imaginibus, quorum ſimiles (vt tu dicis) domi ſuæ habent, votiuíſque peregrinationibus ſe fatigent. qua quidem in re frequèns proclamatur à ſanctis, omnem inde abfuturam inanem ſuperſtitionem, omnémque cultum, qui ad idololatriam accedere videatur. Solent, fateor, religionis prætextu ſimpliciores decipi: quorum ruditati in hac parte ſumma diligentia paſtores cõſulere oportet. Aeneus ſerpens, Moſi manu fabrefactus, & domini iuſſu erectus erat. Ezechias rex, dum excelſa diſsipat, ſtatuas conterit, lucos præſcindit, ipſum quoque frangit. conſiderabat namque ſapiens rex, quàm eſſet populus ille idololatriæ deditus. ſed Caluinus non ceſſat malè loqui, quęritque, Cur pro illis hodie, tanquam pro aris & focis, vſq; ad cædes & ſtrages digladiemur, vt faciliùs laturi ſimus

Num.21.

4.Reg.18.

vnicum Deum nobis eripi, quàm noſtra idôla? profectò quidem hoc vltimum verum non eſt, quod affirmat Caluinus. nunquam ſiquidem imagines in pretio apud nos forent, niſi Dei noſtri, atque ſanctorum memoriam continuò renouarent, ac refricarent. magis igitur diligere videmur eos, quorum cauſſa imagines amamus, quàm ipſas. Pro cultu porrò imaginum aduerſum vos non nos primi arma mouemus, cùm potiùs antiquitus iam fuerit hoc bellum inter catholicos & Iudæos, inter veteres patres & Manichæos ac Felicianos initum. pugnarunt patres in concilio Nicæno ſecundo, in cõcilio Francfordiæ, in concilio Romano ſub Gregorio tertio: in quo propè mille epiſcopi conuenerunt. pugnauerunt patres ſuis li-libris, in hoc editis, Hadrianus papa huius nominis primus, Gregorius tertius, Ioannes monachus, tempore Gregorij tertij. ſanctus quoque Damaſcenus libro quarto de fide orthodoxa non nihil de hac re diſſerit.

Damaſc. li. 1. de fide orthod. ca. 17.
Cal. lib. 1. c. 11. ſect. 11.

SED quæ pertractanda reſtant, diſcutiamus: nondum enim omnia percurrimus. *Quanquàm non ignoro, nec diſſimulandum eſt diſtinctione ipſos elabi magis arguta. cultum enim, quem ſimulacris ſuis impēdunt, εἰδωλοδουλείαν eſſe contendunt: εἰδωλολατρείαν eſſe negant. ſic enim loquuntur, dum cultum, quē appellant duliæ, ſine Dei iniuria ſtatuis, & picturis poſſe communicari docent. Ergo innoxios ſe arbitrantur, ſi tantumodo ſerui ſint idolorum, non etiam cultores. quaſi verò non aliquanto leuius colere, quàm ſeruire. nam cùm λατρεύειν, nihil aliud ſignificet, quàm colere, perinde valet, quod dicunt, ſi imagines ſe fateantur colere, ſed abſque cultu. quare, dum in Græca voce latebras captāt, ſecum ipſi pugnant admodum pueriliter:* nónne vides Caluine, ſtulta & omnino à catholicis aliena te illis obiicere? communi conſenſu, & omnium ſcholaſticorum ſuffragiis hæc ſententia recepta eſt, eadem adoratione colere nos imagines, qua & res eiſdem noſtris mētibus repræſentatas. nec ea diſtinctio, qua cultum in latriam & duliam partimur, ad hoc valet, vt imago nobis adoretur dulia, res verò latria: ſed magis vno (vt mihi videtur) eodémq; motu ſimpliciſsimo in Deũ, aut ſanctos per imaginē ferimur. non ſerui, neq; cultores ſumus idolorum, neque vnam & eandē rem duas eſſe probare nitimur. ea ſanè differentia, latriæ ſcilicet, & duliæ, in rebus, quas colimus, non in ima-

ginibus poſita eſt. ſoli vni creatori inuiſibili latria cõuenit, & eius imagini, creaturis verò, quibuſcum ſuã bonitatẽ Deus cõmunicat, dulia, eorúmque imaginibus. Quas hîc nos tenebras, quæſo, ſimplicium oculis offundere conamur? magis tu inſcitiam tuã prodis, qui quod neſcis, loqueris. oſtẽdimus plus ſatis in re diſcrimen, quò vel cæcis apparere potuiſſet, nihil cũ peſsimis idololatris nobis cõmune eſſe. quorſum igitur attinet illud de adultero & homicida, quòd reatum nõ fugiat, ſi aliud aſciticium ſceleri ſuo impoſuerit? Nullas imagines adorandas eſſe dixerat iſte: pingere etiam eas, quæ Dei gloriã & maieſtatem referre, habent, nullo modo permittit: quòd hoc confiteri ſine aliqua gloriæ Dei deformatione nequeat. hoc quidẽ ſic ſe haberet, ſi populus Chriſtianus perſuaſus non eſſet Deum noſtrũ ſpiritum eſſe, eúmque infinitũ. ea verò pingi, aut ſculpi, quorũ oculi capaces ſint, bene licet per Numam noſtrum, vt ex his, quæ ſequuntur, patet. *Item in eo genere partim ſunt hiſtoriæ ac res geſtæ, partim imagines ac formæ corporum, ſine vlla rerum geſtarum notatione: illæ vſum in docendo vel admonendo habent non mediocrem, hæ verò nullum:* en quàm ſibi conſtet legiſlator noſter, qui paulò antè ad veterem legis pędagogiam pertinere dicebat, quidquid per ſimulacra elicere poſſemus: nunc ait, vſum non mediocrẽ habere in docendo, vel admonendo.

Dulia & latriæ diſtinctio.

Multiplex imaginum genus.

Caluinus ſibi ipſi contradicit.

Licere ſatis imagines in templis habere depictas, ſiue quæ res geſtas narrent, ſiue quæ nudam rem oſtendant, contra Caluinum probatur.

CAP. XXVI.

HActenus quid eccleſiaſtica diſciplina obſeruarit, circa tres has negantes aſſertiones, quartam verò affirmantem explicuimus. prima, nulla imago adoranda eſt: altera, nulla imagine Deus effingendus eſt: tertia, nullæ imagines, aut formæ corporum tãtùm depingendæ ſunt: quarta, res verò geſtæ, atque hiſtoriæ, quæ oculis corporeis ſubiici poſſunt, nihil vetat, quò minùs pictura aliqua exprimantur. accedit nunc iſte, vt expendat, an vllas omnino imagines, ſiue quæ res geſtas, ſiue quæ hominũ corpora figurent, habere in tẽplis Chriſtianis expediat. *Principiò ſi quid nos mouet veteris eccleſiæ auctoritas, meminerimus quingentis circiter annis, quibus magis adhuc florebat religio, &*

ſincerior doctrina vigebat, Chriſtiana templa eſſe ab imaginibus vacua. quid? an paſſuros fuiſſe putamus ſanctos illos patres eccleſiam tam diu ea re carere, quàm vtilem & ſalutarem eſſe iudicarent? at certè quia videbant in ea aut nihil, aut minimum vtilitatis, plurimum autem ſubeſſe periculi, repudiarunt magis conſilio & ratione, quàm ignoratione & negligentia prætermiſerunt: nõgentis circiter annis meminerimus, Caluine, Nicænũ ſecundum concilium habitum fuiſſe. non ego de ea ſynodo, quid tu ſentias, hîc anteuertere volo: (ſcio enim quale de ea iudicium tuleris) ſed de hoc ſtatim tantùm refero concilij verba, vt perdiſcas, ante multa ſæcula eam cõſuetudinem, quæ nunc abs te, vt nouitia, reiecta & exploſa eſt, in Chriſti eccleſia viguiſſe. Actione prima ſanctorum patrum traditio hæc nuncupatur à ſynodo: actione ſecunda patres dicunt, ea conſuetudine à patribus imbutos ſe eſſe: actione tertia apoſtolicam eccleſiæ traditionẽ vocant: quarta ex Hadriano papa huius nominis primo lectus eſt codex, cuius verba poſtrema hęc ſunt, Hiſtorias imaginum illorum honoro, & palàm adoro. hoc enim nobis à ſanctis apoſtolis prohibitum non eſt, ſed in omnibus eccleſiis noſtris eorum hiſtorias erigimus. actione quinta tota ſynodus proclamauit, Diuiniloquorum patrum nos doctrinæ inſtruxere. ex illis haurientes fidem hanc & veritatem potati ſumus: illos ſequentes mendaciũ perſecuti ſumus. nos venerandas imagines in templis ſuſcipimus. actione ſexta probatur, quòd ab ipſis apoſtolicis ſæculis in eccleſia imagines fuerint. inducitur canon octuageſimus ſecundus, ſub Leone iuniore papa editus: vbi antiqua conſuetudo depingendi in templis Chriſtũ omnino laudatur, modò non ſub agno, ſed ſub humana forma figuretur. Sed quid ego minutiſſima colligo? audiamus ſanctæ & verè magnæ vniuerſalis ſynodi definitionem. Fatemur, inquiũt patres, vnà vnanimiter nos eccleſiaſticas traditiones ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes & decretas retinere velle, quarum de numero eſt imaginum effiguratio, vt quæ hiſtoriæ euangelicæ promiſsioni conciuat, ad credulitatẽ veræ, & non phantaſticæ incarnationis Dei, & ad vtilitatem ſimilitudinis, quã nobis exhibet, vtiliter inuentam. His ſe ſic habentibus, regiam viam incedentes, & ſanctorum noſtrorum, & di-

Epitome cõcilij Nicæni ſecundi circa imagines

Verba Baſilij Magni ab Hadriano relata.

uinorum patrum doctrinæ inſiſtentes, & catholicæ eccleſiæ, in qua ſpiritus inhabitat, traditionem obſeruantes, definimus cum omni diligentia & cura, venerandas ſanctas imagines & in templis collocãdas, & in ſacris vaſis, & veſtibus, in parietibus, in ædibus priuatis, in viis publicis ſtatuendas, maximè autem imaginem domini & Dei ſeruatoris noſtri IESV Chriſti, deinde intemeratæ dominę noſtræ deiparæ, venerandorum angelorum, & omnium deinde ſanctorum virorum. quò ſcilicet per hanc pictarũ imaginum inſpectionem omnes, qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem & deſiderium veniant, illíſque ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant. imaginis enim honor in prototypũ reſultat: & qui adorat imaginẽ, in ea adorat deſcriptum quoque argumentum. ſic enim ſanctorum patrum obtinet diſciplina, vel traditio catholicæ eccleſiæ, quæ à finibus vſque ad fines euangelium ſuſcepit. Eant nunc Caluiniani, & blaſphemias pulchro prętextu, antiquitatis ſcilicet, inuoluant.

HAEC illa ſynodus eſt, quam deſpicit deſpicit, & nunquam non aſpernatur Caluinus expendítque ſcripturarũ locos, qui ibi à nonnullis pro veteri eccleſiaſtico vſu in cõgreſſu producti ſunt. Refutatoriũ libellum profert ſub Caroli Magni nomine, quẽ ex dictione colligit eodem tẽpore eſſe compoſitũ. Vnóne libello vniuerſæ ſynodo fidem derogatũ iri arbitrare? quaſi & aduerſum Nicænam ſynodũ, multorum hæreticorũ nõ fuerint excepti clamores, ſcripti libri ſine numero. ſed quid effecerint, tu vides. Quòd verò libellũ Chriſtiani principis nomine gaudere dicis: non noua narras. mos eſt hæreticorũ hominum his artibus peſsimis multorũ ſimplicitati inſidiari. liber ille falsò Chriſtianiſsimo Carolo principi magno ſcriptus eſt, qui magis conueniebat Leoni cuidã Iſauro, aut cuidã Conſtãtino Copronymo, non imperatori, pietate & fidei zelo pleno. legatur etiam de his Ionas, Aurelianenſis epiſcopus, qui pro imaginibus contra Claudium Taurinenſem, tres libros ad Carolum ſecundum, cognomento Balbum, filium Ludouici Pij, eiuſdémque Caroli Magni nepotem, ſcripſit. Num Caluine, quia antidotum (nomen ſanè, quòd multos fallere poſsit) tu in Tridẽtinũ cõcilium

De quodã libello, qui falsò Carolo Magno aſcriptus eſt contra ſeptimam ſynodum.

Hæretici ſæpe ſuos libros catholicis aſcribũt, vt ſic alios fallant.

ſcripſiſti, mox vniuerſa fides illi concilio deperit? multæ ſunt ex veteribus magiſtris, & eccleſiaſticis viris ſumptæ, quæ liber ille reticuit. multa, quę patres ex ſcripturis ibidem collegerũt, non vt probarent ex ſcriptura rẽ pendêre, cùm ipſi ingenuè faterentur eccleſiaſticã eſſe tantùm traditionẽ, ſed non ſic execrãdas eſſe imagines, & à tẽplis prorſus reiiciendas, quibus locũ in ſuo templo feciſſet Deus, & apud eoſdẽ quidem, quos ſciebat in idololatriã ſemper propendére. ad hæc loci illi non citantur à tota ſynodo definiente, ſed diſputante. inter quæ duo quantum ſit diſcriminis, norunt optimè, qui ſacrorum cõciliorum morem, quem obſeruant in diſſerendo & in pronuntiãdo diffinitiuè, probè tenent, vel quia legerunt, vel quia vniuerſali concilio interfuerunt. *Venio*, inquit, *nunc ad impietatum portenta, quæ euomere auſos eſſe patres illius concilij mirum eſt: non fuiſſe autem illis reclamatum cum ſumma omnium deteſtatione, bis mirum*: quòd iſtud eſt tam ingens patrum portentum? *Atque hanc flagitioſam amentiam traduci expedit, vt ſaltem fucus antiquitatis, quem papiſtæ obtendunt, ſimulacrorum cultui detrahatur. Theodoſius epiſcopus* (iam incipit) *anathema crepat aduerſus omnes, qui imagines nolunt adorari: alius omnes Græciæ & Orientis calamitates huic ſceleri imputat, quòd non fuerint adoratæ:* quid hoc ad antiquitatem Caluine? hócne eam imminuit, an magis illuſtrat? *Maximè omnium:* cur ita? *Quibus ergo pœnis digni prophetæ, apoſtoli, martyres, quorum tempore nullæ extiterunt?* ſic Deus omnia mea bene vertat Caluine, vt cogor magis ac magis ſemper prudentiam in te deſiderare. omitto apoſtolos & martyres, (quorum tempore, vt ſuprà oſtendimus ex ſanctis, ſumúſque accuratiùs iam iam oſtenſuri, imagines non minoris, quàm à nobis, æſtimabantur. nihil enim ampliùs hîc nos facimus, quàm quod ab eis gerendũ accepimus) ac loquor ſolùm de prophetis. hîc porrò libet Caluinum interrogare, vnde valeat eiuſmodi conſecutio, Sancta ſynodus anathema crepat in omnes, qui per imagines nos idôla colere garriunt: ergo in prophetas? *In illorũ tempore nullæ extiterunt:* vt concedam hoc, at illi nunquã prædixere non à nobis ea coli, & venerari debere, ſicuti nunc colimus, ac veneramur. anathema Caluine in eos ferebatur, non qui non adoraſſent imagines, ſed qui ſentẽtias ſacræ

Multa ſũt à ſynodo nõ diffiniente, ſed inquirẽte & diſputante.

Qui illi ſint quos ſacrata ſynodus anathematizat.

ſcripturæ de idôlis contra imagines adduxiſſent, aut qui ipſas idôla appellaſſent, aut qui dixiſſent Chriſtianos, vt deos imagines ſuas adorare, & demum qui vel eccleſiam catholicam idôla aliquando ſuſcepiſſe mentiti fuiſſent, vel ipſas picturas omni turpitudine fœdaſſent, neq; deinceps eas adorare voluiſſent. tales nõ fuere prophetæ, non apoſtoli, non ſancti martyres, ſed peſsimi Iudæi, infelicisſimi Feliciani, pietatis ac religionis inimiciſſimi Sacramentarij. rectè proinde habetur in ſancta ſynodo, (quãuis irrideat illã Caluinus) quòd, ſi imagini imperiali ſuffitu & thymiamate obuiã proceditur, multò magis hunc honorẽ ſimulacris ſanctorũ debemus. multáq; ſanctè & verè à patribus referũtur, quæ multò ſibi præſtitiſſet complecti cũ obſeruantia, quàm faſtu ſubdolè deridere. non ille ſacratus ſenum conuentus profanũ theatrum erat, non cani illi patres in ſcena verſabantur hyſtriones, nõ fabula narrabatur, vt tu iactares, non caruiſſe ſolenni ſuo, Plaudite fabulam: cùm patres dicerent, Gaudeant & exultent Chriſti fideles, qui per imagines Deũ honorãt. niſi dicere velimus, euangelium tibi fabulam eſſe, & religionem ludum ac iocum. maximáque admiratio eſt, quo pacto vnius prouincialis concilij Illibertini ſcilicet, epiſcoporũ XIX. ſolùm, canonẽ tot cõciliorum generalium præhaberi velis. Quid ſi tunc illi prouinciæ expediebat? quid ſi de imaginibus tãtùm in parietibus depictis canonem loqui (vt veriſsimum eſt) dicamus? quòd eas, cùm eſſet fugiendum ob Chriſtianorũ freqũetes perſecutiones, ſi relinquerent, ludibrio inimicorum fidei reliquiſſent, ceteris aſportatis. ſimilis argumenti eſt, quod in canone ſeptuageſimo tertio ſextæ ſynodi his verbis dicitur, Cùm crux viuifica illud ſalutare nobis oſtẽderit, nos omne ſtudium adhibere oportet, vt ei, per quam ab antiquo lapſu ſaluati ſumus, eũ, qui par eſt, honorem habeamus. vnde & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem tribuentes, crucis figuras, quæ à nõnullis in ſolo ac pauimento fiũt, omnino deleri iubemus, ne incedentium calcatione, victoriæ nobis triumphus iniuria afficiatur. qui ſecus fecerit, excommunicari decernimus. huc etiam accedit, quòd ante annos 1150. Theodoſius iunior imperator, Eudoxio P. P. ſcribens, his verbis ſtatuit, Cùm ſit nobis cura

Sect. 6.

Cõcil. Illib. can. 36.

Synodi 6. can. 73.

Theodoſ. iunior C. Nemini licere, &c. l. Cùm ſit.

diligens per omnia ſuperni numinis religionem tueri, ſignum ſaluatoris Chriſti, nemini licere vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere, ſed quodcunque reperitur, tolli: grauiſsima pœna multando eo, qui contrarium ſtatutis noſtris tentauerit, ſpecialiter imperamus.

Quòd nec Euſebius, Lactantius, Epiphanius, aut Auguſtinus contra catholicam veritatem, quæ de pingendis imaginibus eſt, quidquam ſenſerint.

CAP. XXVII.

Euſeb. li. 7. c. 14. hiſt. Item li. 11. cap. 29. OBiicit nobis Euſebium, Lactantium, Epiphanium, & Auguſtinum. quare æquo animo adeſto, precor te, lector Chriſtiane, dum leuiori oratione ſingulos percurro. Narrat Euſebius noſter Chriſtum, Petrum, ac Paulum effigiatos fuiſſe à veteribus Chriſtianis, dicítq;, Inſignia veterum reſeruari ad poſteriorum memoriã: illorũ honoris, horum amoris iudiciũ eſt. *Lactãtius.* Lactantius etiã poſt imaginis intuitum mentẽ noſtrã in Deum dirigere nos monet. *At hi duo*, inquit Caluinus, *pro certo non dubitãt aſſumere, mortales fuiſſe omnes, quorum ſimulacra viſuntur:* quantũ memoria mea aſſequi poſſum, (quoniam certum locum non citat) in quibus omnibus locis meminit ſimulacrorum Euſebius, de gentilium ſimulacris eum fuiſſe locutum, ipſius verba nobis, etiam audire nolentibus, liquidò inſinuant. *Euſeb. de vita Cõſt. imp.* In vita Conſtantini Imperatoris, vnde credo collegiſſe Caluinum verba, quæ nobis oppoſuit, initio hiſtoricæ narrationis ſuæ ſic habet, Etenim mortaliũ natura mortalis ac marcidi finis conſolationem nacta imaginum anathematibus priorum ſe memoriã immortalibus honoribus afficere putauit. alij quidem adũbratis picturatæ tabulæ floribus, alij ſcripturis inanimatæ materię figuras veriſimiles arte ſua fabricantes, alij tabulis & columnis litteras inſcribẽtes, altiùs virtutes eorũ, quos honorabant, ſempiternæ ſe tradere memorię iudicarũt. erãt autem omnia æquè mortalia, diuturnitate tẽporis abſumenda, tãquam corporum ſimulacra, immortalis animæ formas haud exprimentia. *Cõſtãtini tẽpore vſus imaginũ frequens erat.* verùm iſta ſufficere illis potuerunt, qui nihil aliud poſt finem mortalis huius vitę in ſpẽ bonorum collocabãt. igitur communis ille omnium Deus ac ſeruator maiora pietatis amatoribus bona, quã

mortales ſenſus concipere queant,apud ſe repoſuit:& interim primitias præmiorum in hac vita ex eo præmiſſo harrabone confirmat, quòd mortalibus oculis ſpes immortales omnino certas reddit. Hæc ille. Libebit alicui inde fortè colligere,quæ ſimulacris corporeis videntur,ea omnia peritura,ac fluxa, corporeáque eſſe. quare quæ ſpiritualia ſunt,aut æterna,cum nulla re minùs,quã cum lutea,aut ærea , ſiue lignea pictura quadrare. At q̃ longè ſit Euſebij mens à Caluiniana hæreſi aliena , quis non videt? etſi nos etiam nulla effigie Dei noſtri infinitam illam maieſtatem & æternum numen pingi poſſe fatemur:cum hoc tamen nihil gloriæ ipſius derogatur, ſi aut quoquo pacto eius celſitudo, aut beneficium ab eo collatum,ſiue demum diuinum quoddam factum ſimulacro externo ſignificauerimus,præſertim cùm ea forma depingitur Deus,qua aliquando apparere viſus eſt. Verùm de Deo homine,& de angelis,quos ſæpe ſub imagine humana apparuiſſe legimus,& de ſanctis nemini certè res hæc dubia eſſe deberet. Sed quid ego oratione nimia lectorem detineo? legatur totus liber in ordine tertius Euſebij de vita Conſtantini imperatoris, diſperteam, ſi quid aut diuinius, aut ornatius pro crucis Chriſti pictura,pro templorum mira pulchritudine,ex artificio nata,excogitari poteſt, quàm quod aut pius Conſtantinus religioſè fecit,aut quod Chriſtianus imperatoris Homerus fluida oratione Euſebius ſatis culta & ornata eo loco recenſet. ibi ab imperatore potentiſsimo Chriſtum Dei cum omni parœcia religioſiſsimè ac perquàm piè coli intuebere:ibi fortiſsimi Auguſti animo conceptam ſpem de ſigno crucis mirabere,quando nunc vultum ſuũ ſalutari ſigno communit,nunc victricẽ crucem , ſacrúmque trophæum oſtentat,quod & in picta tabula quadam ſublimiori,ac præ imperialibus foribus ſuſpenſa omniũ oculis adorandum ſanctum ſignum exponebatur : ibi prophetarum voces,glorioſáque de Chriſto preconia, & vaticinia , quòd ſancti ligni haſta confodiendus eſſet Satanas,præclara quædam pictura incredibili venuſtate referebat : ibi cunctis legentibus incenſam pectore verè Cæſareo flammam erga diuinum cultum & religionem ſentire licebit:ibi poſtremò ſacrarũ ædiũ numerus penè

Euſeb. li. 3. de vita Cõſtan.

infinitus occurret, quas columnis ſublimibus, ornatúque eximio imperatoris magnificentia decorauit, omnis generis cultus amplitudine illuſtrauit, immenſa ſublimitate erexit, maxima longitudine ac latitudine vaſtas variegatis marmoreíſque incruſtationibus obtectas, picturatas, vt quaſi quibuſdam lucis radiis vniuerſæ reſplenderent. Sed non vacat ſermone explicare, quæ Auguſtus hic immortalitate dignus Chriſto principi, genitricíſque ſuæ, & martyribus monumenta illuſtria conſtruxerit, q̃ opulenta, q̃ regia ſtructura illuſtrata omnia & exornata. Eat nunc tertius iſte lapſus de cælo Cato, & illi ſæculo ac principi tanto indignetur, non nobis, quærátque ab eo quod à nobis nuper exigebat, *Dicite pontifices, in templo quid facit aurum?* percúctetúrque eum, nõ nos, quídnã ſibi velint pictæ tabellæ, quas pius rex nõ in obſcuro, ſed in bono lumine collocauit. Valeant ergo qui Euſebio noſtro Feliciani ſceleris peſsimam notam inurunt, dabúntque Deo grauiſsimas pœnas ſuorum facinorum.

Pro Epiphanio S. ſynod. Nicena 2. reſpondet.

AD Epiphanium verò, etſi ſatis reſponſum à nobis erat, quod de Cypriano dicimus, hac parte eccleſiam Chriſti, eius non tenere ſententiam, pro qua eccleſia ipſe martyr mortuus eſt: præter id tamen nihil commodius reſponderi poteſt, quàm quod multis retrò ſæculis ſanctam ſynodũ reſpondiſſe ſcimus. Decet, inquit Nicæna ſynodus, omnem Chriſtianum, cùm libros aliquot adulterinos audit, aut legit, reſpuere, nec omnino animum adhibere. nam inter epiſtolas diuini apoſtoli quædam fertur ad Laodicenſes, quam patres noſtri, tanquam alienã, reprobarunt. ad hæc Manichæi euangelium ſecundum Thomam inuexerunt, quod eccleſia catholica, vt impiũ, meritò deteſtatur. ſic etiam id, quod nunc à B. patre noſtro Epiphanio dictum refertur, cùm illius non ſit. diuinus hic pater octoginta capitum librum edidit, in quo cùm Hebræorum, tum poſt Chriſtum natum peſsimorum hominum hæreſes omnes damnauit: vbi proculdubio hanc de imaginibus poſuiſſet, ſi ab hac religione noſtra hoc alienum iudicauiſſet. attendamus nunc, qui patres temporibus illis glorioſè floruere, eccleſiæ tutiſſima monumenta, profectò Baſilius magnus, Gregorius cognomento Theologus, Gregorius Nicænus, quem

De epiſtola ad Laodicenſes, & de S. Thoma euangelio.

omnes patrem patrum appellant, Chryſoſtomus, Ambroſius, Cyrillus Ieroſolymorum epiſcopus. quòd ſi his Epiphanij ſentẽtia minimè probata fuit, quomodo iuxta ſanctorum patrum decreta ſe ibi pronuntiare iactat? apage cum iſta impia & intolerabili allegatione commentarium reiicimus, ipſum verò patrem eccleſiæ ſanctæ doctorem agnoſcimus. Hæc S. ſynodus, atque nos de P. Epiphanio.

¶ VENIO iam ad Auguſtinum. vnde incipiam? vnde primùm exordiar? nimirum quę potiſsimum teſtimonia, aliis prætermiſsis, hic ego proferam, non mihi facile eſt excogitare. vſqueadeo veritas hæc vbique ſuorum ſcriptorum enitet. Credo, ait, quòd ethnici pluribus in locis Chriſtum, Petrum, & Paulum ſimul pictos viderunt, quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem paſsionis diem ſolenniter Roma commendat. rurſus, Habent Chriſtianorũ arcana illius dominicæ crucis, quaſi quoddam venerabile monumentũ, quod de crucis ipſius imagine crucem cognominant. quod & nos digniſsimum veneratione fatemur, & in recordationem crucifixi veneramur. Vſqueadeo (dicebat alibi) de cruce non erubeſco, vt non in occulto loco habeam effigiem crucis Chriſti, ſed in fronte portare cupiam. Sed quid ego maris minutiſsimas arenas annumerare imprudẽs laboro? ſint hæc ſatis, vt veniam ad locos contrarios. *In primis* (inquit Caluinus) *memorabile eſt, quod ex Varrone Auguſtinus citat, ſuáque ſubſcriptione confirmat. qui primi deorum ſimulacra induxerunt, eos & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe. Hoc ſi ſolus Varro diceret, parum fortaſſe haberet auctoritatis: pudorem tamen meritò incutere deberet, quòd homo ethnicus, quaſi in tenebris palpans, ad hanc lucem peruenerit. ideo indignas eſſe Dei maieſtate imagines, quia fructum eius imminuant hominibus, errorémque augeant. Sed Auguſtinus à Varrone mutuatus tanquam ex ſuo ſenſu profert:* ô Caluine, nunc ignoras, de quibus ſimulacris & Varro, & Auguſtinus loquantur? lege apud eundem Auguſtinum Senecæ querimoniam hac de re: & tunc, ſi optimè in nos quadret, expendito. Sacros, inquit, immortales, inuiolabiléſque deos (at nos non niſi vnum, ſacrum, immortalem, inuiolabilem, ſpiritualem agnoſcimus) in materia viliſsima, atque ignó-

Augu. catholicã veritatem de imaginibus ſemper docuit. Aug. de conſen. euange. l. 1. c. 10.

Augu. de viſit. infir. l. 12. c. 3.

Pſal. 141.

Libr. de ciuita. Dei. c. 9. lib. 31.

Lib. 6. de ciuit Dei. c. 10.

bili dedicant, credentes ſimulacro illo ſuam diuinitatem circumfiniri, illiſque hominum & ferarum habitus induunt. Hîc nos optimè ſingula examinemus. num illis habitibus vnquam infinitam deitatem induere vel ſimpliciſsimus Chriſtianus ſuſpicatus eſt? quidam verò miſtes ſexu, & diuerſis corporibus, ac numina vocant, quæ ſi accepto ſpiritu occurrerent, monſtra haberentur. hæc, hæc Caluine ſimulacra & de diuino metu multũ imminuunt, & errorem augent, ſcilicet ſimulacra gentium, non imagines: quarum vſus eſt in eccleſia, & quas ſcimus ne ex minima quidem parte nobis referre inexplicabilem Dei noſtri æternitatem, ſed tantùm de certo diuino munere nos admonere. neque hactenus auditum eſt, ꝙ quiſpiam Deum eſſe corporeum iudicauerit, cùm corporea effigie ipſum figuratum in templis fuerit intuitus, neque quòd de ſuæ celſitudinis reuerentia ne pilum quidem deciderit. illum adoramus in imagine, vbi non eſt niſi in figura. illum timemus ſcientes, quòd ſi aſcenderimus in cælum, illic eſt: ſi contingat in infernum deſcendere, en ipſe adeſt: neque terrarum margine detinetur, vt non ſit timendus in extremo mari. omnia replet, omnia continet, cuius ego paruula imagine admoneor. quòd ſi ea anniteretur repræſentare mihi quodcunque Deus eſt, fallax ac mendax ipſa foret, & nihil omnino ad prototypon accederet. Sed pergamus ad alterum Auguſtini locum. citatur à Caluino totum illud commentarium Aurelij Aug. ſuper pſalm. 113. ſed certè omnis res eſt iam in vado: Et ſi non Atridæ, ſic eſt Agamemnoni viſum. *Legantur* (inquit Caluinus) *excuſationes, quas ab idololatris ſui ſæculi fuiſſe prætextas hic refert Auguſtinus, & in Romanenſes retorqueantur, nec ſe inde ab idolorum cultu facilè extricent*: Mandrabuli more ſemper tuæ res tibi ſuccedent Caluine. agedum accipe excuſationem noſtram, an hanc non admittet ſanctus Auguſtinus? nos verum Deum hominem factum, non in imagine abſconditum, aut latentem, ſed pictura tantùm figuratum adoramus: item nos vnum Deum, quem ſcimus neque mẽbris vllis, neque vlla mortali forma conſtare, inexhauſtum, infinitum, in imagine adoramus corporea: & quamuis nõ ignoremus eam formam parum illi conuenire, nos tamen eò detinet, quò

Quę ſimulacra de diuino metu imminuãt.

Pſal. 113.

Vera & catholica ſententia de adoratione imaginum.

eius memoria preſsius in nobis inſideat, cùm illius aut ſui operis recordari nos delectat. Num ſimile quidpiam in idolorum cultu apud Auguſtinum eo loco notatum legis? ecce duo capita idololatriæ, quæ non minùs, quàm peſtes duas, declinare ſemper & diligenter attendimus: vtpote qui verum Deum in imagine adoramus, atque nullum diuinum numen, imagine impreſſum, ſuſpicemur. *At Auguſtinus alibi, Cum his ſedibus locantur honorabili ſublimitate, vt à precantibus atque immolantibus attenditur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum, atque ſenſuum, quamuis ſenſu & anima careant, afficiunt infirmos animos, vt viuere ac ſpirare videantur:* audi iam, & conſidera Dei noſtri prouidentiam. ne iſto errore tenerentur fideles circa ſuas imagines, hac in re ipſos attentos reddere eccleſia tantopere laborat: nunc verò potiſsimùm peſsimis veſtris clamoribus excitata, & ipſa in ſuas cæleſtes voces prorumpit, ne aut filij ſui (quod abſit) idololatriæ crimine notentur, aut in Felicianorum, aut Sacramentariorum ſentina putiſcant. *Auguſt. epiſt. 49.*

TRIA pater Auguſtinus ſuper eo pſalmo 113. perſequitur, quæ ſi mediocri ſtudio animaduertiſſet, animos noſtros iſto labore iam leuaſſet. principio diuus Auguſtinus hanc theſim copioſiſsimè proſequitur, nempe nihil melius habere gentium ſimulacra, quàm aurum & argentum, è quibus ea conſtant: altero loco, nullum in ipſis numen deliteſcere elegantiſsimè probat, ne hac parte erroris ſui excuſationem prætexerent: poſtremò, neque eos veros eſſe deos, quos cauſſari poſſent adorare ſe in ſimulacris omni numine vacuis oſtendit. quid inde, obſecro, colliges pro eis imaginibus euertendis, quæ nihil minus habent, quàm aurum & argentum? parum ſiquidem eſt, an ex tali materia fiant, vili, aut pretioſa, modò ratio imaginis ſalua perſeueret. quid deinde habebis aduerſum eas imagines, quæ oculos habent, non vt colentes ſe intueantur, aures, non vt audiant, & cetera corporis ſui membra: ſed vt ſolùm eos, qui eis aliquando ſenſibus polluere, nobis referant, & repræſentent? quid inde tibi conſequens fuerit, vt ſic exardeſcas in eas figuras, quæ aut Deo vero, aut ſanctis martyribus Dei eriguntur? *Auguſt. Pſal. 113.* *Explicatur tria, quæ Aug. ibidem refert de ſimulacrorũ adoratione.*

noli tuo vano metu Chriſti ſponſam, exulem & extorrem à ſponſo & æterna patria priuare atque ſpoliare hac incredibili conſolatione. memineris Caluine ſanctiſsimam illam animam, Paulæ ſcilicet, de qua ſcribit Hiero. quòd cuncta loca tanto ardore & ſtudio ea Romana Paula circumibat, vt niſi ad reliqua feſtinaret, à primis non poſſet abduci. proſtratáque ante crucem, quaſi pendentem dominum inde videret, ſupplex adorabat: ingreſſáque ſepulcrum reſurrectionis, oſculabatur lapidem, & ipſum corporis locum, in quo dominus iacuerat, quaſi ſitiens deſideratas aquas, fideli ore lambebat. Hæc Hieronymus, eum cultum attollens, quem tu Sardonio quodam riſu exibilas, atque explidis. Paucis nos expediemus, ſi duo dixerimus, quæ rei huic nimirum conducere exiſtimauimus. vnum quidem de his imaginibus, quibus Dei noſtri maieſtas figuratur, quòd mea quidem ſententia modus certus depingendi adhibendus eſt, ne ſcilicet multiplicentur paſsim: præterea vt ſic depingantur diuina omnia, ſiue ſanctiſsima trinitas, ſiue hiſtoria creationis, ſiue quoduis aliud Dei noſtri myſterium, quò ſic ipſis imaginibus ſpiritualis illa celſitudo in memoriam noſtram reuocetur, vt vndique perfectæ & abſolutæ atque honeſtæ appareant, obſtruamúſque ora impiorum hominum, quibus mos eſt ſanctiſsima quæque corruptiſſimo naſo ſuſpendere. alterum ſpectat ad imagines eas, quæ Chriſto domino Deo & homini, ac ſanctis omnibus eriguntur: quæ ſi formas tantùm corporum referant, aut hiſtorias ſua effigie exprimant, meminerimus, completæ honeſtatis, ac religionis, non perditi luxus exemplaria eſſe. quare omni pudore & verecundia aſperſas eſſe magnopere conuenit. Quid commune virgini ſanctiſsimæ, pudicitiæ numeris omnibus perfectę atque explerę, cum ornatu illo, pænè dixerim meretricio? quid ſanctis martyribus, Chriſtíque confeſſoribus cum pluſquam profano apparatu? hoc quidquid eſt, communicatum oportuit cum patribus ſanctiſsimis, eximiiſque paſtoribus, citra tamen aut eius fidei, quam hîc profeſſus ſum, aut cuiuſque præiudicium. Vide ac perpende, quantum profeceris, dum concilia cum conciliis pugnantia recenſes. conſidera, & omne ſtudium tuum atque ingenium conferre

Hieronym. de Paula.

Duo obſeruāda in depingendis imaginibus

velis, quò ille tuus furor, qui diu tenebatur irretitus, proruperit. *Synodus*, inquis, *cum ſynodo pugnat*: quî ſic bone Caluine? ecquæ iſta ſynodus? & cui contradicit? *Synodus Nicæna arma mouet aduerſum Conſtantinopolitanam ſub Leone imperatore congregatam*: mirabile eſt, quòd Nicęno concilio non oppoſueris Ariminenſe quingentorum epiſcoporum, Mediolanenſe iuſſu Conſtantij imperatoris coactum, Antiochenum (vbi damnatus eſt, & in exilium actus Athanaſius Alexandrinus) ſub Arriano Conſtantino celebratum, Epheſinum denique ſecundum. quemadmodum igitur verum vero cõſonat ſemper, ita profectò quæ legitima ſynodus eſt, in his, quæ ad fidei & religionis noſtrę myſteria pertinent, nõ magis alteri repugnare ſynodo poterit, quàm quòd ſibi Dei ſpiritus non conſentiat. hoc ſanè longè omnium ſtolidiſsimũ foret vel quidem cogitare.

De patribus Niceni concilij, & quouſque in conciliis regnare poßint humana conſilia, atque Leo primus, & Gregorius Nazianzenus producuntur. CAP. XXVIII.

AT nos properemus, vt quæ reſtant de conciliis, perſoluamus. ſi ſemper Chriſtianis ac piis auribus Caluinianus cantus Cyclobri vox habitus eſt, nunc omnes pudoris & verecũdiæ prætergreſſus leges, ab omni vrbanitate longè recedens, ſatis importunum ac moleſtum nobis ſeſe oſtentat. timeo verò, ne, cùm iſtius verba cõmemorare pergo, in ipſo narrationis meæ principio tuus pudor, lector, me detineat, dicentémque impediat. vereor magnopere, ne purgatiſsimæ tuæ aures iſtius blaſphemiis offendantur, vt benignitas tua, quaſi pręter morem coacta, me ad ſilentium prouocet & compellat. quod ſi, vt metuo, euenerit, non erit, quòd aut mihi, aut tibi ſuccenſere Caluinus poſsit: ſed malo ſuo genio potùs iraſcatur, qui in ea verba eum prorumpere coegit, quæ ne patientiſsimi quidem audire paſſuri videantur. *Quanquam*, inquit, *in illis quoque antiquis & purioribus conciliis eſt, quod iure deſideres, vel quòd ſimpliciter, vt homines, falli imperitia poterant, vel quòd nimio affectu nonnunquam præcipites ferebantur. Huius poſtremi (quod omnium duriſsimum videtur) exemplum illuſtre extitit in Nicæna ſynodo,* Cal. lib. 4. ſ. 9. ſect. 10.

cuius dignitas omnium conſenſu ſumma veneratione, vt merebatur, excepta eſt. nam, cùm primarium fidei noſtræ caput illic periclitaretur, ipſi verò patres inteſtinis diſſidiis ſe proſcindere cœperunt, ſtylum, qui in Arrium ſtringendus erat, in ſeipſos dirigebant: quàm ornato & illuſtri ſermone patrum tragœdias inſequitur hîc Caluinus. fingit Hannibalem iam iam ad fores adeſſe, introducit Arrium furore ſuo vniuerſa malè perdentem: contrà vniuerſam Chriſti eccleſiam vel primo ipſo die congreſſus iam iam perditum iri. quàm illi elegans oratio fluit, quàm aurea, aureíque fluuij inſtar exuberans. abeat Cicero, qui nuſquam ſic Catilinam ſuis verbis corripuit, ac tot clamoribus inſectatus eſt, ciuitatémque relinquere, & profugum coegit, atque iſte pugnat, quò omnem obſeruantiam, reuerentiámque conciliorum ab hoc veteri inſtituto officiorum excludat, quò & diabolũ ſuas habere partes in Synodis quamlibet ſanctis, quamlibet legitimis perſuadeat, quò non ibi omnes partes ſpiritum ſanctum occupare, non ibi omni ex parte regnare Chriſtum comprobet. Quídne tu ſic mali dæmonis patrimonium amplificare, Chriſti contrà, & ſpiritus diuini imminuere ſtudebis? quídne tu doles, quòd ſic Chriſtus ibi reguet, vt nullus ſit locus Deo vacuus? ego verò mihi & eccleſiæ gratulor ſubminiſtratam eſſe nobis anſam, vt vulgò dicimus, ad oſtendendum, quouſque in conciliis humani quidquam dominari poſsit, etiam in ſanctiſsimis, & ad explicandum, quando ſanctus Dei ſpiritus, Chriſti eccleſiæ promiſſus, ita præſidere incipiat, vt omne in tenebris perambulans negotium foras mittatur. quo certè loco duo nobis dicenda ſe offerunt: alterum quòd aut noſtris peccatis, aut quia ſic expedit, aut quidem quòd in diuina prouidentia tempus oportunius expectatur, ſæpe quod certè ſtabiliendum eſſe à generali concilio, omnino operæpretium arbitramur, in ſerum tempus reiicitur. eccleſiæ diſciplinam amiſſam funditus omnes fideles ex animo ſitiunt. ad hæc iuſtitiam natalibus ſuis antiquis reſtitui, & cum lacrimis ac precibus ad Deum fuſis Chriſtianus orbis efflagitat: poſtremò templi noſtri pulchritudinem nobis reſarciri, & cum fletibus & gemitibus nos omnes à Deo noſtro vehementer petimus. at hæc noſtra pia

Quatenus dominari poſsit in cõciliis humani quidquã.

vota impediri videmus, vel quòd multum effuderimus ſanguinem, vel quòd futurus expectetur Salomon. quid dicam? quid nobis euenerit, videmus: tanti verò mali radices ne cogitare quidem poſſe videmur. concedimus igitur, multa, quæ aliâs per ſanctiſsimam ſynodum ſpiritus ſuggereret, ob noſtra ſcelera impediri ne fiant. huc accedunt antiqui ſupplantatoris & homicidæ commēta: ibíque fraudes vigent maximè, vbi Chriſti fidelibus multò vberiorem fructum prouenturum non abſque ratione ſperamus: dolos auget, ingenij ſui aciē ille exacuit: omnia mouet, omnia verſat, vires vniuerſas colligit, ne aliquando eò ſponſa perueniat, quò accedere iam diu feſtinat. Alterum eſt, in quo ſanè totus cauſſæ noſtræ ſtatus verſatur, ſic vtique his, quæ à concilio decernuntur, affixum, ſuæque infinitæ bonitatis funibus quaſi alligatum, ſpiritum ſanctum eſſe, vt omnis inde error procul abſcedat. Nicænæ ſynodi patribus, Caluine, (quoniam homines erant, viſiſque tangebantur) contigit antè, quā circa fidei dogmata, quę ab eis eccleſia petebat, ipſi reſpōderent, humanè aliquantulum ferri: at poſtquam iudicaturi ſederunt, ſic eis aſſedit ſpiritus, vt non minùs, quàm ſi vniuerſorum prophetarum & apoſtolorum communibus ſuffragiis ea res tranſacta & profligata eſſet, à nobis ſacroſancta patrum deciſio haberi debeat. hanc auctoritatem nec maiorem deferri ſibi à nobis iure optimo eccleſia poſtulat. vis ſcire? concilium non eos, qui ibi interſunt, ita confirmat, vt nihil iam niſi quod ipſi eccleſiæ ex vſu ſit futurum, deſiderent, aut expetant. ô vtinam ſic eſſet Caluine: verùm vt illud non habeat concilium, hoc tamen, quod eſt in ferendis ſententiis ſuper eis rebus, quæ religionis noſtræ ſunt, deficere non poſſe, non eſt, quòd iure à concilio remoueas. Impediri ergo poteſt fraudibus humanis, diabolicíſque artibus, ne ſpiritus diuinus nos ibi doceat: ſed quòd minùs vera dicat, non magis poteſt, quàm quòd ad mendacium cogatur. cùm hoc dicimus, nec plus exigimus, quàm initiò ſumpſerimus, nec peſsima tyrannide, ac crudeli ſeruitute ſuos filios, quos vnicè amat, pia mater opprimit & coercet. is ſiquidem fuit ab eo ſæculo, quo ſpiritus ſanctus conciliis pręeſſe declaratus eſt, omnium ſanctorum conſtans ac per-

Multa diuinus ſpiritus nobis per eccleſiam reuelaret, niſi ſcelera noſtra impediuiſſet

De patribus Nicæni cōcilij.

petuus ſenſus, nempe vt fateamur omnes vniuerſalem eccleſiam, quam vniuerſale concilium perfectè repręſentat, à vero nobis neceſſario minimè declinare poſſe. præter hæc ſunt multa, quæ vel temporum differentia, vel regionum & prouinciarum diuerſus vſus, abſque eo, quòd ne pilo minus de auctoritate conciliorum decidat, varietate diſtinguunt & mutant. vt hîc etiam verum ſit, quod Comicus ait,

Hic dies aliam vitam affert, alióſque mores poſtulat.

De Leone, et Greg. Naz. IAM hîc Caluine abs te quæro, quando Leo ſanctiſſimus, idémque doctiſsimus vel ſynodo Chalcedonenſi ambitionem & inconſultam temeritatem in definiendo obiecit, vel eam errare potuiſſe palàm (vt magis tu palàm iocaris) aſſeruit? exhibe ſcripturas, refer verba, cedo locum. quid laboras diui Gregorij Nazianzeni doctrinã, mirum in modum commendatam, commenticio crimine polluere & violare? Leo profectò patrum cõuentum, Chalcedone coactum, eleganti epiſtola non minùs commendat, quàm ab eis ipſe vniuerſalis eccleſiæ paſtor acclamatus fuerat. quando, rogo, Leo beatiſsimus ſuſpicatus eſt, potuiſſe ſacratam illam ſynodum, legitimè cõgregatam, & in qua Romani pontificis perſonam ſuſtinentes præſiderent Lucentius epiſcopus, & Baſilius preſbyter, in rebus ad fidei noſtræ & religionis obſeruantiam pertinentibus aut nos fallere, aut falli? putáſne ignorare nos, quæ de ipſius concilii fide & ad Martianum Auguſtum, & Pulcheriam Auguſtam, eorum eximiæ pietati gratulatus, ſcribit, immortales gratias Deo agens, quòd per Chalcedonenſe concilium pax eccleſiæ catholicæ eſſet reddita? credíſne nos fugere, quę ad Theodoritum epiſcopum Cypri poſt Chalcedonenſe concilium, de fidei perſeuerantia, in perpetuam eius ſynodi laudem, non minùs eleganter, quàm piè & religioſè ſcribit? concilium, ſanctum vocat, Chriſti eccleſiam nominat, ſpiritus ſancti organum fuiſſe dicit, atque tandem his verbis ſcribendi fidem facit, in nullo ab illis, quas ſpiritus ſancti diuinitas in Chalcedonenſi concilio protulit, fidei regulis recedamus. opinaríſne Caluine clam nos eſſe, quæ ibidem contigerunt? legimus, atque memoria retinemus ſynodi ſacratæ litteras ad Leonem beatiſſimum:

Epiſto. 42. ad Martiã. Aug. & epiſt. 57. Ad Pulcheriam epiſt. 43. Epiſt. 61.

Actione 3. cõcil. Chalc.

tiſsimum: neque obliti ſumus eas videre, quas ad ſynodum ipſe miſit. in quibus duo ſunt ſumma conſideratione obſeruanda. alterum, quòd etiam atque etiam eos omnes patres hortatus eſt & ſingulos, vt, reiecta penitus impia hæreſis audacia, contra fidem diuinitus inſpiratam vana errantium infidelitas conquieſceret: nec liceret defendi, quod non liceret credi, ſed magis ſecundum antiquas traditiones, ſecundum euangelicas auctoritates, ſecundum propheticas voces, ſecundum apoſtolicam doctrinam ſentiendum nobis eſſe. alterum eſt, quòd, cùm Chalcedonenſis ſynodi decretum non probaret, quo ordinatum erat, vt poſt Romanam & apoſtolicã ſedem locũ teneret Conſtantinopolitana, tria dicit beatiſsimus Leo, quæ & ſynodi maieſtatem augent, & Romanæ ſedis amplitudinem egregiè commendant. primũ eſt, patres eius concilij ob ſolam fidei cauſſam, ex præcepto Chriſtianorum principum, & ex conſenſu apoſtolicæ ſedis fuiſſe congregatos. ſecundum, (quod omni admiratione dignum duco) vt etiam auctor eſt idem Leo ad Anatholium Conſtantinopolitanum epiſcopum, qui fuerant ab apoſtolica ſede legati, in concilium directi, & qui vice pontificis omnium primi præſidebant, conſtanter eidem decreto, vnanimitérque reſtiterunt. quam certè rem non obſcurè idem Leo commendat, nec ſilentio tegi ſuſtinet. tertium eſt, quòd non antè vnius Chalcedonenſis concilij decretũ de præfata præſidentia (re profectò, de qua agere nihil fidei expediebat) reſcindere audet pius & religioſus pontifex, q̃ alterius concilij, Nicæni ſcilicet, (in quo pro vniuerſæ eccleſię pace ea res ſemel fuerat deciſa) legibus & traditionibus ſe muniat, & armet. ait enim, Sancti illi & venerabiles patres in vrbe Nicæna, ſacrilego Arrio cum ſua impietate damnato, mãſuras vſque in finem leges eccleſiaſticorũ canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt: & ſi quid vſquam aliter, quàm illi ſtatuerunt, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur, vt quę ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur, neque ad priuatum trahantur cõmodum, quæ ad bonum ſunt cõmune præfixa. Porrò opus fore non arbitror referre hîc, quas in commenda-

Ad concil. Chalc. epiſt. 45.

Act. 3. Epiſt. 59 ad Iuuen. & ceteros epiſc. qui fuerant Maced. cõgregati.

Epiſt. 51.

Ibidem.

Epiſt. 1. Verba Leonis de cõcil. Niceno.

tionem Chalcedonẽſis concilij Martianus imperator leges tulerit, præcipiens, ne de re, ſemel per ſynodum iudicata, denuò quæſtiones fiant. Ceſſet igitur, inquit, iam profana contentio: nam verè impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſacerdotum ſentẽtiam opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. extremæ quippe dementiæ eſt, in medio & perſpicuo die commẽticium lumen inquirere. eheu quàm malè omnia hęc Caluini & exhortationibus, & decretis conueniunt, Sed ne longiùs eam, reuertor, vt de Gregorio Nazianzeno nonnihil attingam. Naziãzenus etiam, (qui Conſtantinopolitani concilij pars maxima fuit, & quem auctorem eius ſymboli, quod canitur in eccleſia, multi faciũt) cùm Macedonius hæreticus obiiceret, ſpiritum ſanctum Deum non eſſe, quòd nõ ſic eum appellarẽt ſcripturæ, magnus ille theologus hoc ſermone eum compeſcuit, Rerum aliæ cùm non ſint, eſſe tamen dicuntur, vt cùm ſcriptura dicit, Deum dormire, euigilare, iraſci: aliæ cùm ſint, non dicuntur, vt quòd Deum patrem ingenitum vocamus, non quòd ſic legamus in ſcripturis, ſed ſic iuxta patrum interpretationem ex ipſis colligimus: aliæ neque ſunt, neque dicuntur, vt Deum eſſe malum, vel mali auctorem: aliæ tandem & ſunt, & dicuntur, vt Deum eſſe, angelum eſſe, hominem eſſe. concludit igitur in hunc modum, Spiritum ſanctũ Deum eſſe in ſcripturis ſanctis expreſsè non lego: non dicitur, ſed eſt. Hæc Gregorius, non ſine cauſſa à Græcis theologus appellatus: ipſúmque nomen in Latina etiam eccleſia ſemper retinuit: quem tu contra patres in iudicium teſtem examinandum, & rogandum induxiſti. omitto reliqua, quæ in eàm rem tu hìc perſequeris: quoniam nihil niſi conuicia continent. in propria enim verſans arena, natiuóque gaudens ſolo, importuna maledicta in eccleſiam coniicere valde te delectat.

Act.3.

Naziãz.l.5 theol.

Reſpondetur Caluino pro conciliorum auctoritate: locíque nonnulli explicantur, quos ipſe producit.

CAP. XXIX.

IAm ego hìc vnum, quò tanto faſtidio mentes legentium vtcunque leuem, ex Caluino referam. obiicit portò iam iam finiturus, quòd ſi ſanctorum doctrina ſemper accipienda eſſet, patrúmque ſenſus perpetuò ſe-

Cal. lib. 4. c.9.ſect.12.

quendus, quorſum attinebat toties, támque ſolicitè domini voce admoneri nos, ne pſeudoprophetarum ſermonibus auſcultemus? Nolite, ait quodam in loco dominus, audire verba prophetarum: vanitatem enim vos docent, & non ex ore domini. & rurſum, Cauete vobis à falſis prophetis. ad hæc fruſtra Ioannes nos hortaretur, vt probemus ſpiritus, nunquid ex Deo ſunt. quid tandem iſtud, Si cæcus cæcum ducet, ambo in foueam cadent? ô Caluine, quis crucem, aut furcam coram latrone, aut homine, qui mille ſuppliciis ſit dignus vel nominare quidem non timeat? rogo per Deum immortalem, nónne, cùm ore hæc proferebas, ingenti riſu commouebare, quòd ſic noſtra omnia arma, quibus prophetiam omnẽ mendacem & vanam aggredi nos poſſe videbamur, tu veteranus miles, in eiuſmodi bellis ſatis exercitatus, ea omnia nobis antea ſurripuiſti, clepſiſti non quidem ſine dolo? ludis, ludis Caluini ſcripturas ſanctas: ludis, dum vſqueadeo omnibus eas exponis, vt non earum legitimo ſenſu certandum ſit, ſed is per ſcripturas triumphet, qui primus & tulerit, & occupauerit. Per me (optimè tu dices) ſint omnia protinus alba. ſcripturas ſanctas tollat qui volet. nihilne tua refert, ſi eodem ſcripturæ loco hæreticus ſimul cum catholico vtatur: ſitque anteuertiſſe, viciſſe? ô minimè ferendam diuini verbi corruptelam, adulterium nefandum, flagitioſum ſtuprum, inceſta denique Satanica. quare diligenti cura cauendum nobis eſt, qui cum calido homine decertamus, ne dira iſtius contagia ſerpant, nóſque ipſe ſuis palloribus pingat. *Probauimus*, inquit, *contra Romanenſes non eſſe datam poteſtatem eccleſiæ pro noua doctrina erigenda*: quæ iſtæc noua doctrina, quam ex ſuo cerebro, & non magis ab ſpiritu ſancto edocta eccleſia commenta eſſe abs te dicitur? Romanenſium, eorumdémque catholicorum hac in parte mentem perquàm breuiter perſtringam, atque attingam. ſcriptura diuina, quæ, niſi eccleſiaſtica auctoritas accederet, nunquam à nobis diuina haberetur, continet aut in principiis, aut in concluſionibus, expreſsè, vel per conſecutionem, in genere, ſiue in numero, explicatè, aut occultè omnia fidei noſtræ dogmata, & Chriſtianæ religionis obſeruationes. hinc proficiſcitur, vt mater eccle-

Ierem. 3. *Matt. 7.* *1. Ioan. 4.* *Matt. 15.* *Calu. lib. 4. c. 9. ſect. 13.* *Quo pacto in ſcriptura fidei noſtræ myſteria omnia continentur.*

ſia diuinas ſcripturas, tanquam oraculum diuinum, nos doctura, ſemper conſulat, ſemper ſcrutetur, colligens inde multa, quæ noua;& ab ſcripruris longè aliena Caluino habentur. colligit in primis ex Dei verbo, quantum obſeruantiæ apoſtolicis traditionibus debeatur: quæ orthodoxorum mentibus impreſſæ,in eccleſia à primis illis feliciſsimis ſæculis in perpetuum perſeuerant.
Luc.22. colligit deinde per ſcripturas edocta, commiſſam ſibi eam clauem,qua oſtium reſeret profundæ ſcripturarum abyſsi, vt ſibi ſenſus aperianrur, & intelligat ſcripturas.
1.Tim.3. colligit poſtremò ex diuinioribus litteris, quo pacto oporteat nos in domo Dei verſari, quæ eſt eccleſia Dei viuentis,columna & baſis veritatis. Hæc ergo ſpiritus ſancti diſcipula, licèt multa non legat expreſsè: tamen quę deliteſcebant, ſuis oculis intuetur, quod latebat, videt, quod obſcurum erat, interpretatur, rem cum re componit,locum cum loco concordat, verbum cum verbo confert, multa elicit, multa colligit, quæ nobis noua videri poſſent,at ſpiritui ſancto,qui eam regit,veriſsima & antiquiſsima. non ea fidem nouam cudit, aut ſacramentum inſtituit, aut articulum religionis noſtræ vnquam condidit. cum hoc tamen,vnde ne ſperabamus quidem,quid Deus multis in locis nobis ſignificare voluerit, & quomodo legitimus ſacramentorum vſus habeatur,quid poſtremò traditionibus apoſtolicis, auctore eodem ſpiritu, obſeruatum ſemper fuerit,nobis offert,modò hoc,modò illud proponens, ſimplicitati ſuorum filiorum mirè ſeſe aptans, & valde conſulens. ita vt ſemper proficiamus, ac ſatisfuiſſe dicamus,omni ſæculo,& omni ætate ea credidiſſe, quæ Chriſti eccleſia obſeruanda, ac credenda propoſuiſſet. Non hic articulus nouus eſt, aut alius ab illo, Credo in vnam ſanctam catholicam eccleſiam:quem qui credit,non hoc ſolùm credit eſſe eccleſiam,(quod credit Caluinus quoque,& alij ſchiſmatici)ſed ſimul credit extra illam,ſicut olim extra arcam Noe, ſalutem non eſſe. qui hunc articulum verum eſſe credit, credit vtique vera eſſe omnia, quæ in ſcripturis omnibus canonicis ab ea receptis ſcripta continentur. qui hunc credit, credit in ſpiritu ſancto congregatam eccleſiam, per eundem conſeruari & gubernari:quo duce cùm regatur, credit ſimul

Explicatur articulus, Credo ĩ vnã ſanctam eccleſiam.

eam errare non poſſe. quamobrem ſanctiſsimam hanc parentem ſuam ea, qua decet, pietate veneratur, illi ſe permittit, illi credit, illam audit, illam ſuſpicit & honorat. quæ de diuinis rebus ipſa ſentit, ſentienda, quæ de humanis præſcribit, facienda, quæ prohibet, fugienda eſſe ſine vlla dubitatione cenſet.

NOLO tamen hîc ſilentio tranſire, quæ optimè de conciliis iſte docuiſſet, ſi indecoro epiphonemate omnia non inquinaſſet. *Nos certè*, ait, *libenter concedimus, ſi quo de dogmate incidet diſceptatio, nullum eſſe nec melius, nec certius remedium, quàm ſi verorum epiſcoporum ſynodus conueniat, vbi controuerſum dogma excutiatur. multò enim plus ponderis habebit eiuſmodi diffinitio, in quam communiter eccleſiarum paſtores, inuocato Chriſti ſpiritu, conſenſerint, quàm ſi quiſque ſeorſum domi conceptam populo traderet, vel pauci homines priuati eam conficerent*: hæc prima Caluini ratio. *Deinde vbi collecti in vnum epiſcopi ſunt, commodiùs in commune deliberant, quid ſibi, & qua forma docendum ſit, ne diuerſitas offendiculum pariat. Tertiò hanc rationem deſcribit Paulus in diiudicandis doctrinis. nam, cùm ſingulis eccleſiis attribuat diiudicationem, oſtendit, quis in grauioribus cauſſis ſit agendi ordo, nempe vt eccleſiæ inter ſe cōmunem cogitationem ſuſcipiant. atque ita nos ipſe pietatis ſenſus inſtituit, vt ſi quis turbet eccleſiam dogmate inuſitato, atque eò res perueniat, vt periculum ſit à grauiori diſsidio, conueniant primi eccleſiæ, quæſtionem propoſitam examinent. demum, iuſta diſcuſſione habita, diffinitionem ex ſcriptura ſumptam proferant, quæ dubitationem in plebe tollat, & os obſtruat improbis & cupidis hominibus, ne pergere ampliùs audeant. Sic exorto Arrio coacta eſt Nicena ſynodus, quæ auctoritate ſua & ſceleratos impij hominis conatus fregit, & pacem eccleſiis reſtituit, quas vexauerat, & æternam Chriſti diuinitatem contra ſacrilegum eius dogma aſſeruit. cùm deinde nouas turbas mouerent Eunomius, & Macedonius, ſimili remedio eorum inſaniæ per ſynodum Conſtantinopolitanam oportunè occurſum eſt. Epheſino concilio Neſtorij impietas profligata eſt. Hæc poſtremò ab initio ordinaria in eccleſia ratio fuit, vnitatis conſeruandæ, quoties Satan quidpiam machinari cœperat*: ab his omnibus, cùm non multùm à pietate & eccleſiaſtica doctrina ſint aliena, non abhorremus. atque vtinam ſic ſemper iſte loqueretur: non eſſet vtique, quòd orationis noſtræ, aut alicuius alius ſi-

Calu. lib. 4. c. 9. ſect. 13.

1. Cor. 14.

lum, vel eccleſiæ potiùs grauitatem pertimeſceret. ſed, proh dolor, en quàm ſubitò, etſi non inſperatò quidem, vniuerſa hæc veneno illito tabeſcunt. *Sed meminerimus,* inquit, *non omnibus ſeculis, vel locis Athanaſios haberi, aut Baſilios, Cyrillos, & ſimiles veræ doctrinæ vindices, quos tunc dominus excitauit*: bella res Caluine, ſcilicet hominibus eccleſia nititur, & non Deo, & ſpiritu ſancto, qui deficere non poſsit? agnoſco, agnoſco fraudes: agnoſco, agnoſco Satanę dolos. nihílne in conciliis diuinum arbitrare? nihílne, quod veſtris machiuis non ſubiacere poſsit? quid tu? *Cogitemus, quid in ſecunda Epheſina ſynodo acciderit: vbi Eutychiana hæreſis obtinuit, ſanctæ memoriæ vir Flauianus in exilium eiectus cum aliquot piis viris: multa denique eiuſmodi flagitia deſignata ſunt*: & quæ, rogo te per immortalẽ Deũ, tanti mali radix & origo fuit Caluine? *Quia illic Dioſcorus homo factioſus, & animi peſsimi, non autem ſpiritus domini præſidebat.* ô quã Chriſtianè id à te dictum acciperemus, modò verbum vnum ex eadem hiſtoria, quod rei huius cauſſas optimè aperit, non omiſiſſes: & conſultò nimirũ probè callens, quàm tuo inſtituto parum faueat, noſtro verò vnicè. ecquod illud eſt? loquantur, quæſo, paululũ concilij Chalcedonenſis patres, nóſque ambo ingenuè eis in curſu hoc noſtro lãpada tradamus, ipſiſque auſcultando, quid illi narrent, attendamus. Eiectus inde eſt Romanæ eccleſiæ moderator pontifex Leo: nullus illic ſuſcepit Leonis papæ locum: nullus vniuerſalis magiſtri, & primi paſtoris perſonam ibidem ſuſtinuit: nec eius epiſtolæ receptæ, nec permiſſæ ſunt à Dioſcoro legi. audíſne Caluine, cuius rei gratia tot mala ab Epheſina ſynodo ſecũda deſignata fuerint? nempe ꝙ legitimũ & Petri ſucceſſorẽ, & Chriſti vicariũ non adorauerit. vide, quàm tu etiam nolens huius Romanę ſedis primatum & fidem ſemper attollas, & quò magis ſupprimere, & extrudere eam demoliris, eò plus te inuito, & valde dolẽte effertur. durum eſt Caluine niti contra torrentem: quem ſi ſemel arte quadam detinere quiſquam laboret, ne vlterius percurrat, maiori impetu in eum, qui ſe detinet, ferociens euoluitur. nunquam certè aut Epheſinæ ſynodi ſecundæ, aut Chalcedonenſis hîc nos meminiſſemus, niſi de eis cogitare, tua inſtitutio nos impuliſſet.

Solẽne eſt hæreticis, ſcripturæ ſãctæ & ſanctorũ teſtimonia diſcerpere.

Actione prima.

Romanæ ſedis auctoritas vbique cõmendatur

VERVM certandi nobiſcum finem non hîc ſtatuere videtur:ait enim, *Vnum tamen Romanenſes rogabo*. ecquod illud eſt? *Si in eccleſiæ approbatione ſcripturæ auctoritas fundata eſt,cuius conſilij de ea re decretum citabunt?nullum,opinor,habent.* quàm pro nobis colligis: Si nullum de ea re decretum eccleſiaſticum alicuius cōcilij citare poſſumus, quo eam auctoritatē ſibi eccleſia arrogет:quo,cedò,pacto ſic ſemper omnium ſæculorum ætatibus non vni,aut item alteri,ſed vniuerſis hominibus hæc veritas de auctoritate eccleſiaſtica inſedit?quî potuit,toties ad eam recurrere, dū ipſum aliquot anguſtię premerent,Hieronymus ſanctus? quî potuit Auguſtinus? quî Irenæus? vt hos taceam, illos prætercam,alios non commemorem,quî igitur hi homines tam præclarè de ea auctoritate,qua polleret eccleſia, loqui potuerunt,ſi de ea re neque in expreſſo Dei verbo legerent,neque à patribus quidquam tale definitum accepiſſent?quid crebriùs apud Auguſtinum à nobis legitur, quàm, Auctoritas eccleſiaſtica hoc commendat? & contrà,Illud eccleſiaſtica auctoritas condemnat? quid ſibi volunt hæ voces tot patrum, quas ſemper vſurpant, poſtquam nec ex ſcripturis,vt tu bellè arguis, nec ex aliquo decreto eccleſiaſticæ auctoritati auſcultandum nobis eſſe,aut Athanaſius,aut Tertullianus,ceterique huius eccleſiaſticæ auctoritatis obſeruatiſsimi oſtendere quandoque potuerunt?quàm magnum tibi attulerit Caluine adiumētum,ſi ipſe mecum incredibilem Dei noſtri prouidētiam hac de re,ſuper qua certamus,cogitaueris.profectò videbis ab ipſis primordiis naſcentis eccleſiæ abſq; aliqua ſcriptura,nullo à prętore edicto lato,in ſanctarum ſcripturarum poſſeſsionem per Chriſtum eccleſiam miſſam fuiſſe,vt nullus tam audax reperiretur, qui eā è tam antiqua poſſeſsione deturbare moliretur. noli quærere titulos nouos Caluine: ſi tyrannis eſt,quam in nos exercet eccleſia,nimiùm antiqua tyrannis eſt.ſed nec coactio eſt,aut vis vlla,ſed magis nos cum antiquis patribus tot donis cumulatam eccleſiam ſuſpiciamus, & veneremur. Ad hæc quàm tu garrires,ſi in conciliis generalibus, aut alio quouis in loco legiſſes, Decernit ſancta atque œcumenica ſynodus,vt ſolùm ea authentica & canonica ſcriptura habeatur,quæ noſtra approbatione recepta fuerit.

Cal.lib.4.c. 9.ſect.14.

Eccleſiæ auctoritas omni ætate perſpecta, & ſuſcepta fuit

Libēter ſancti patres ad eccleſiæ magiſteriū cōfugiebāt.

Eccleſia nō indiget proprio teſtimonio ad ſuæ auctoritatis regnum ſtabiliendum.

quàm hîc multiplicaſſes tuas ſannas, cachinnos auxiſſes? mille quidem Democritis tibi opus fuiſſet. at nunc quid obſecro, dices? quid obiicies? non præſcriptam tibi legem opponimus Caluine, non pro concilio ex concilio pugnamus: ſed in omniū cordibus impreſſam, in omnium animis & libris exaratam, ſermonibus commendatam producimus, vt ſimul quidem cum Chriſtiano lacte veritatē hanc ſuxiſſe videamur. eadem ipſa, per quam Chriſti fidē accepimus, vt Auguſt. verbis vtar, ſua auctoritate, apoſtolica ſcilicet, quæ catholicæ ſcripturæ ſint, obſignat: vt inde vniuerſa fidei noſtræ ſacramenta nos petamus. quid neceſſe habet ſtatuere, quod mortui clamant, muti codices loquuntur, & tota poſtremò hominum memoria, inueteratáque poſſeſsio pro mille ſcripturis eſſe poſſunt? Tu dicis, *Cur igitur vinci ſe paſſus eſt Arrius teſtimonis ex euangelio Ioannis productis*? ſcis quare? quia & ille intra eccleſiam ſe eſſe iactabat, probéque tenebat membrum nō eſſe eccleſiæ, qui euangelium Ioannis à Deo optimo, & veritatis ſpiritu proceſsiſſe negaret. Inſtas adhuc, *Atque tunc liberum erat repudiare, poſtquam ſuper ea re vniuerſalis concilij cenſura non acceſſerat*: non magis Caluine, quam integrum erat tunc dicere, Chriſtum Deum non eſſe. *Nulla vniuerſalis ſynodi approbatio præceſſerat*: apage iſtas argutiolas: nónne dixi tibi, quòd licet ſcripto nō approbaſſet eccleſia: vigebat tamen per multos annos in eam rem eccleſiaſticus conſenſus? immo verò Caluine, quò planiùs intelligas eundem eſſe ſpiritum, qui loquebatur in Ioāne, & qui manebat in eccleſia, vix euangeliſta ſanctus ſcribere finierat, & iam liber manibus eccleſię ferebatur auctoritate ipſius donatus. Tu tibi ipſi repugnas, nos nobis ſēper conſtamus. tu nihil recipis, quod non ſit ſcriptis celebratum: nos ſiue ſcriptis illuſtretur, ſiue omnium ſæculorum teſtimonio ea res vſque ad nos viguerit, tanquam diuinum & apoſtolicum, ſicut & nos ſancti docuerunt, recipimus. Quid, quod non eſt ſilentio prætereundū, quantos hæc pia mater ſuper iſta re labores ſubierit? ſemper enim ea curauit, poſtquam rabies Satanica nec Dei verbo parcere cœpit, diſtinctas & diſcriminatas canonicas ſcripturas nobis proponere: vt vel inde liquidò conſtet, eam auctoritatem penes vnam eccleſiam ſemper reſediſ-

Idē ſpiritus eſt, qui ſcripturas dictauit, & qui per eccleſiam eas interpretatur.

Sæpe eccleſia explicauit, qui libri ſint canonici.

ſe. Extat concilium Laodicenſe, etſi prouinciale, at in ſexta generali ſynodo confirmatum, anno 364. celebratum. ſubſecutum eſt Carthaginienſe tertium, prouinciale etiã ipſum, ſed eiuſdem ſextæ ſynodi communibus ſuffragiis ſuſceptum: (cui etiam magnum eccleſiæ lumen Aurelius Auguſtinus interfuit) in quo ſic legimus, recenſito eccleſiaſticorum librorum catalogo, Hoc fratri, & conſacerdoti noſtro Bonifacio, magnæ Romæ epiſcopo, vel aliis earum partium epiſcopis pro pro confirmando iſto canone innoteſcat, qui à patribus iſta accepimus legenda. En tibi Caluine decretum, cui & ſubſcripſit Auguſtinus, & œcumenica ſynodus aſſenſa eſt, quod à nobis tam importunè flagitabas. quòd ſi homini ingenuè nato, & probè educato hæc non ſufficiant, concilium Florentinum producemus. atqui, ne homini ſtrenuè liberali, nimiúmque veritati cedenti meo ſermone bene lõgo & rudi moleſtiam exhibeam, Tridentinum concilium, de Caluino optimè meritum, ſub Paulo III, & Carolo Cæſare huius nominis quinto coactum, in medium proponã, quòd ſciam ipſum nimiùm Caluino placere & probari. poſt igitur hæc omnia nouum decretum quærere ad eccleſiaſticam auctoritatem ſtabiliendam, & res eſt ſummæ dementiæ, & ſemper actum aget Caluinus. citamus, verum eſt, veterem & antiquum catalogum, qui à nobis canon eccleſiaſticus vocatur, quẽ & tot patres contexuere: quid tu ad hæc? *Sed rogo iterum*, inquis, *quo in concilio canon ille editus fuit?* dixi tibi Caluine ſæpe, num tu diſcipulus eccleſiæ eſſe vis? *Tu diſcipulus illius ſis*, optimè ſcio dices. *Ego eius boni genij diſcipulus ero, qui ſic me dies, noctéſque malè cruciat, & torquet*. Quòd verò ex Hieronymo citas de libro Machabæorum, & de Eccleſiaſtico, & de Tobia, (bona hoc tua venia dixerim) apertiſsimum mendacium eſt, quo diuum Hieronym. oneras. etenim eius verba hæc ſunt, Machabæorum libri licèt non habeantur in canone Hebræorum, tamen ab eccleſia inter diuinorum voluminum hiſtorias annumerantur. Abſoluimus eam partem, qua polliciti ſumus oſtenſuros, non ſic religionem noſtram totam ſcripturis contineri, quin ex his, quæ ad Chriſtianam profeſsionem ſpectant, multa per eccleſiam explicata ſint, multáque ſola patrum me-

Conc. Laodicenſ. Sexta ſynod. Cõci. Carthag.

Cõc. Florẽt.

Cõc. Tridẽt.

De lib. Machabæorum fuſiùs in quinto lib.

Diui Hier. verba de li. Machab.

moria retenta, quæ quaſi per manus, ipſa voce, non ſcriptura, excepta, in eccleſia cuſtodiantur.

Quòd eccleſiam vniuerſalem concilia generalia, legitimè congregata, ſufficienter exprimant & repreſentent. CAP. XXX.

QVòd autem generale concilium, ritè coactum, vniuerſalis eccleſiæ imago ſit expreſſa, (quod multùm ad rem, quam tractamus, opînor pertinere) ſi ipſius concilij in hac parte valet teſtimonium, citò quod cupimus, aſſequemur. concilium nanque Conſtantienſe diſertis verbis hoc affirmat. Sed quia non cum catholicis res nobis nunc eſt, aliter noſtram aſſertionem firmemus. Primùm, vſu communi, & vniuerſali omnium conſenſione receptum videmus, vt quoties primates omnes alicuius reipublicæ, quibus eſt commiſſum ius decernendi à populo, in vnum quemlibet locum cõuenerint, dicamus totam eam rempub. eſſe congregatam, eò quòd ab ipſis omnes ceteri dependent. ad hunc modum, cùm in generali concilio epiſcopi omnes, quibus tantùm Chriſtiani populi regendi officium eſt mandatum, conueniant, iure & merito congregatam eſſe dicemus Chriſtianam rempublicam. Conuertit rex Salomon faciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael. dicit ſcriptura ſancta, cùm antè dixiſſet, Tunc congregati ſunt maiores natu Iſrael cum principibus tribuum, & duces familiarum, ad regẽ. & tandem concludit, Omnis enim eccleſia Iſrael ſtabat. Vides, voce geminata conuentum illum, in quo fuerant congregati maiores natu Iſrael, & principes tribuum, & duces familiarum, appellatum eſſe omnem eccleſiam. Cogitur Ieroſolymis concilium, conueniunt apoſtoli & ſeniores. tunc placuit apoſtolis & ſenioribus cum omni eccleſia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam. vides, & hîc eum conuentum apoſtolorum & ſeniorum appellatum fuiſſe omnem eccleſiam. Beatus ſimiliter Gregorius locutus de illis quattuor conciliis, Nicæno ſcilicet primo, Conſtantinopolitano primo, Epheſino & Chalcedonenſi primis, ſic ait, Cunctas verò, quas præfata veneranda concilia perſonas reſpuũt, reſpuo, quas venerantur, amplector: quia, dum vniuerſali ſunt conſtituta conſenſu, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit abſoluere,

Cõci. Cõſtã.

Prima ratio. omnis eccleſia dicitur maiorũ cõgregatio.

Act. 20.
3. Reg. 8.

Act. 15.

Greg. verba de conciliis vniuerſalibus.

quos ligant. Secundò, ſi concilia generalia vniuerſam ec- 2.ratio.
cleſiam non referant, omnia prorſus in eccleſia erunt am
bigua, nec via aliqua patebit, qua hæreſes extirpari poſ-
ſint: immo inexhauſta ſuggereretur fidei oppugnandæ ma
teria, cuicunque libuerit nouas hæreſes excitare, aut ſe-
pultas reuocare. Tertiò niſi publica aſtitiſſet Nicæni con 3.ratio.
cilij diffinitio aduerſus Arrium, Conſtantinopolitani, ad-
uerſus Eunomium, & Macedonium, Epheſini, aduerſus
Neſtorium, Chalcedonenſis, aduerſus Eutychen, adhuc
ipſorum hæreſes viuerent: nec, vt arbitror, deeſſent, qui
ſub earum auctoribus militarent, cùm quidquid eis ex
ſcripturis obiiceretur, praua interpretatione in alienum
ſenſum detorquerent. Quartò, non alia ab hac ratione 4.ratio.
factum eſſe exiſtimo, vt tempore illo, quo eccleſia tyran-
norum rabiem eſt perpeſſa, Chriſtianiſmus fuerit in plu
rimarum hęreſum ſciſſuras diuiſus: quia ſcilicet epiſcopi
catholici in vnum conuenire non poterant, vt eis obſta-
rent, vſque ad Conſtantini magni dies: à quo ſanè tem-
pore generalibus conciliis frequenter vſa eſt eccleſia, at-
que ita multis hæreſibus obuiàm itum eſt. Quintò, cùm 5.ratio.
alios docere pertineat ad epiſcopos, quorum intereſt paſ- 1.Petri 5.
cere, qui in ipſis eſt, gregem, ac ſcientiam æquè cuſtodi- Malach. 2.
re, vt de manu eorũ Dei legem populus requirat, & cùm
ij omnes in concilium vocentur: non erit meo quidem
iudicio cuiquam obſcurum intelligere, generali epiſco-
porum cõuentu vniuerſalem eccleſiam repreſentari. Sed
ſupereſt iam nihil, niſi ſcripturis agere: atque, vt ſpero,
hanc veritatem tam claris ſcripturæ teſtimoniis proba-
bimus, vt nullus ampliùs rectè vrgere nos ſcrupulus poſ-
ſe videatur. Primum concilium ab apoſtolis Ieroſolymis 6.ratio.
eſt coactum: conuenerúntque ſimul diſcipuli omnes. vbi Act. 6.
certè plebis atque credentium multitudinis promiſcuæ
iam ipſe poteris videre lector, nullam omnino conſide-
rationem habitam fuiſſe. efficaciùs autem noſtrum pro-
poſitum confirmat id, quod in eodem libro legimus: vbi
etiam cõciliorum forma omni ex parte exprimitur, & ef
fingitur. ſic enim ibi dicitur, Et quidam aſcendentes de Act. 15.
Iudæa, docebant fratres, quia niſi circuncidamini ſecun-
dum legem Moſy, non poteſtis ſaluari. & poſt pauca,
Conuenerunt apoſtoli & ſeniores, videre de verbo hoc.

&,tandem inquiſitione facta inter eos,lata eſt ab apoſtolis & ſenioribus ea ſententia, quam ad hodiernum diem amplexata eſt catholica eccleſia, nempe de non obſeruandis legalibus:additáque ſunt illa verba, quibus ſpiritus ſancti aſsiſtentia ſignificata eſt, Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis. Vides, minimè ibi conuocatam fuiſſe omnem Chriſtiani populi multitudinem:vides, ſolos apoſtolos,& ſeniores conueniſſe: vides, conciliorum generalium traditiones perinde,ac ſi ab vniuerſali eccleſia dimanent,amplexandas eſſe, atque retinendas: vides,diligentem ſcripturarum examinationem,& diſcuſsionem fieri ſolitam à concilio,quamuis expreſſus locus in diuino canone non poſſe inueniri videatur. Hîc nouiſsimè ab eis percunctabor,qui vniuerſalis eccleſiæ locum tenere concilia negant, num nos primi huius rei auctores fuerimus? quòd ſi aſſerere non dubitauerint,omnem eis antiquitatem obiiciemus,quæ à concilio decreta omnia eccleſiæ leges nominare conſueuerit. atqui,cùm non ſint huius aut illius particularis eccleſiæ ſanctiones, colligitur certò ad vniuerſalem eccleſiam ea pertinere. neque aliis pœnis animaduerti voluit antiquitas in eos, qui conciliis generalibus non obtemperaſſent, quàm his, quibus contumaces, & qui vniuerſali eccleſiæ non paruiſſent, plecti conſueuerunt. non enim apud veteres patres res duæ eſſe credebantur eccleſia & concilium, licèt nomina & voces non omnino eædem videantur. Sed eſto iam finis, præſertim cùm in animo ſtatutum atque deliberatum habeamus hoc in loco non agere, ad quem ſpectet concilium cogere: quoniam in libro ſexto huius operis de ea re acturi explicatiùs & copioſiùs ſumus.

Vlt.ratio.

Quòd non omnibus neceſſe ſit,atque expediat vniuerſa fidei noſtræ arcana intelligere, eorúmque rationem penitus perſcrutari: atque etiam oſtenditur,quali & quanta ſcientia eccleſiæ maiores pollere debeant. CAP. XXXI.

TErtio igitur loco omnes nos Caluinus accuſat,quòd cùm tot calamitates impendêre videamus,ſedemus & oſcitamur,nobíſque & aliis diuinas litteras ignorare, deſpicere,negligere permittimus. quo quidem in loco hunc ordinem tenebimus. primùm qualis & quanta

maiorum in eccleſiaſtico ſenatu futura ſit legis diuinæ peritia, breuiter perſequemur: deinde ad minores ſermonem conuertemus: poſtremò & malè præcepiſſe Caluinum circa hos, & non verè locutum contra illos, ſimul ac ſemel planum faciemus. Semper fuit intellectum, Dei noſtri interiora & recondita myſteria cæleſti quodam ordine, ac penè diuino ab iis, qui ſuperiores & primi haberentur, in inferiores certiſsimè ac tutiſsimè deriuari. quem ſanè modum iam à ſua creatione ſupremus ille angelorum ſenatus ſine vlla offenſione cuſtodiuit, vt qui pleniorem de Deo notitiam habent, in alios diffundant. ſic vtique qui nobis verbo & doctrina præſunt, præſtantiorem, quàm nos, ſenſum in arcanis litteris, exercitatiorémque intellectum habere à ſui muneris ratione conſtringuntur. permultùm ergo expedit meminiſſe eum, qui de officij amplitudine ac dignitate nimis gloriatur, primùm ter à Petro Chriſtum petiiſſe, an ipſe ab eo amaretur, neque de quouis amore, ſed de ſummo ac ſingulari Chriſtum quæſiuiſſe antè, quàm gregem ipſi Petro committeret. id profectò hîc ſignificare voluit, non eſſe idoneum ſacerdotio, niſi qui, neglectis omnibus, nihil amet, niſi Chriſtum, hoc eſt, veritatem, innocentiam, pietatem. deinde ante oculos ſuos ponat, oportet, nihil ſibi antiquius eſſe debere, quàm incolumitati gregis, in ſua fide ac religione poſiti, dies totos & noctes ſtudere. meminerit denique, quàm attentè, quibùſque legibus Chriſtus ſuas oues Petro commiſerit: haud enim tradidit deuorandas, ſed paſcendas exemplo piæ vitæ, paſcendas pabulo euangelicæ doctrinæ, ſiue lac deſiderabunt, ſiue ſolidum cibum, paſcendas opum ſubſidio, &, ſi res ita poſceꝛit, ſanguine. Quare eximio iudicio ponderent, neceſſe eſt, paſtores noſtri, quòd ſicut vitam agere omnium ſanctiſsimam, honeſtiſsimam, atque laudatiſsimam debent, eámque conſtanter & ſemper cum virtute colere, ita profectò reliquæ multitudini rerum maiorum ſcientia antecellere ipſos maximopere decet, atque oportet. dixi, maiorum rerum ſcientia ceteris gentibus paſtores noſtros præſtare debere, nimirum vt ſciant omnes fidei noſtræ articulos explicare: nec id modò, verùm etiam qualiter hæreticorum incurſibus reſiſtatur, atque

Diuina myſteria à ſuperioribus tradi ſolent inferioribus quaſi per manus.

Ioan. 21.

Quid ſit oues paſcere.

Maiorum ſcientia.

eius,quæ in ipſis eſt,fidei ratio optima reddatur. neque ignorantia hîc aliquid excuſationis eſt habitura. nullibi porrò moroſior ſancta Pauli anima eſt,quàm cum epiſcopum ſuis dotibus componit, & ornat. ſuper hoc vno negotio mitiſsimus alioqui apoſtoli animus flecti nequit,éſtque omnino inexorabilis. Oportet,inquit, irreprehenſibilem eſſe epiſcopum, ſobrium, pudicum, ornatum, hoſpitalem, prudentem doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum: non litigioſum, non cupidum,ſed ſuæ domui bene præpoſitum. rurſus idem, Oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt,fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana,& eos, qui contradicunt,arguere. & in ſequenti capite, In omnibus fidem bonam oſtendentes,vt doctrinam ſaluatoris noſtri Dei in omnibus ornent. Explicuit, fateor,Leo pont. max. plura alia epiſcoporum munera, quæ huiuſmodi ſunt,Chriſtianorum videlicet populum ſacramentis recreare, atque nutrire, & orare, oppreſſorum, pauperum, viduarum, pupillorum, ceterarum tandem miſerabilium perſonarum indefeſſam curam gerere, totíque Dei populo iura dare, vt tranquillè viuant: at nullum horum adeò epiſcopum aſtringit, atque verbi diuini continua prædicatio, non illa ſolùm, verùm explicatio facilis Chriſtianæ fidei. Non, inquit Paulus, miſit me dominus baptizare, ſed prædicare. vt prædicarent euangelium,præceptum eſt apoſtolis, quorum perſonam nunc ſuſtinent epiſcopi. apud Ioannem etiam dominus apoſtolicos viros ſuę electionis his verbis admonebat, Ego elegi vos,& poſui,vt eatis,& fructum afferatis:& fructus veſter maneat. An ſacramento carere iure quis ſuſpicabitur,quòd gentium apoſtolus paſtoralem curam intimè cum doctrina coniunxerit? Alios,ait,dedit paſtores ac doctores. quod & eleganter diuus Hieronymus obſeruat. quod etiam Auguſtinum ibidem non latuit. extat prophetæ vaticinium,quo paſtoribus improperat Deus, quòd gregis ſui paſcendi,poſthabita cura, magis ſe ipſos lacte, carnibúſque miſerarum ouium paſcerent, quo pacto,qui ſibi non ſapit,iuxta ſancti Ezechielis obiurgationem acrem,

1.Tim.3. *Tit.1.2.3.* *c.Quāuis, diſt.68.* *1.Corin.1.* *Marci vlt.* *Ioan.15.* *Epheſ.4.* *Hieron.ſuper eo loco.* *Augu. ad Paulinum epiſc.* *Tren.4.* *Ezech.34.*

aut infirmum ſolidabit, aut quod perierat, requiret? Vos habet, ſanctiſsimi epiſcopi, grex puſillus paſtores ſuos, quos, noctis vigilias ſeruantes, cæleſti fuſos ſplendore, pulchra allegoria tempore, quo princeps paſtorum naſcebatur, expreſsit. vos ſexaginta illi viri, ex fortiſsimis quibuſque ſelecti, qui noſtri Salomonis (eſt enim Chriſtus pax noſtra) in pulcherrimæ cuiuſdam coronæ modum lectulum, quæ eccleſia eſt, circũcingitis, habetiſque, vt qui ad bella doctiſsimi omnes eſſe debeatis, gladium exertum, id eſt, Dei verbum, & Dei ſermonem, qui omni gladio ancipiti penetrabilior vſque ad ipſas compages, etiam & commiſſuras pertingat. quòd verò ibi dicitur, Supra femur ſuum. ſanctus Dei ſpiritus maiores eccleſiæ inſtruit, ipſorum prædicationem non ſolùm ſcientia inniti debere, ſed carnis mortificatione & cruce. Ne, cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. dixit olim ex noſtris ſupremus ille theologus. & id, Propter timores, inquit ſcriptura, nocturnos. quantum coniectura ipſe aſſequi poſſum, timores iſti nocturni, errorum ſunt caligines, atque hæreſes, quas eſſe oportet, quàm diu per fidem ambulamus, donec optatus nobis dies aſpiret, fugatis vmbris. En veſtrum munus ſanctiſsimi epiſcopi, quo indigniſsimè fungemini, ſi illud omnino vicariis operis commiſeritis. en Dei populus veſtra hæreditas, totúſque cenſus eſt: cui, niſi vobis, oſtiarius aperiet? vocem veſtram oues excipiunt, & libentiſsimè quidem. facite, nocturna verſetis memoria, verſate patres diurna, atque ſemper perſonare aures veſtras huiuſmodi vocibus non eſt profectò inutile, quibus, dum ſuum vobis anulum porrigeret ſponſa, vos allocuta eſt, VADE, PRAEDICA VERBVM POPVLO DEI, CVIVS SIS APVD DEVM RATIONEM EXACTAM. IN DIE HORRENDI TREMENDIQVE IVDICII REDDITVRVS. Quis igitur fluxæ fidei reum agi coram eo iudice, qui multò clariùs noſtri animi receſſus perſcrutaturus eſt, q̃ nos ipſi nouerimus, non vehementer pertimeſcat, horreat, reformidet? nos vobis (fateor ingenuè) obedientiam & obſeruantiam debemus: id enim Paulus præcepit, & ipſa etiam naturæ lux nos docere poteſt, modò tamen, quod neque

Lucæ 2. *Cant. 3.* *Heb. 4.* *1. Corin. 9.* *Paſtorum munus per vicarias operas malè exercebitur.* *Heb. 13.*

Hebr.12. Paulus ibidem omiſit, vos pro nobis vigileris. vt video, non nobis tantùm luditur patres, ſed vobis ipſis: è quorũ manibus miſeræ ouis malè effuſus ſanguis requirendus eſt. primi illi patres naſcentis eccleſiæ apoſtoli ſancti eã nobis fidem diuulgarunt, quam nos poſtmodum explicatiùs doceretis, moréſque noſtros, qui ad immaniſsimas *Ezech.34.* propè feras degenerauimus, ad euangelicam amuſsim redigeretis, & ad Chriſtianæ legis gnomonem vnicè cõponeretis. Hæc ſunt paſtorum officia, hæc ſunt pontificum munia, magno Hieronymo teſte, ſcilicet ſcripturas diuinas apprimè ſcire, meditari crebriùs, & eas, quas didicerint, populum docere.

Super Leuit. & eſt in capit. Si quis. diſtin. 36.

SANCTORVM igitur patrum obſeruantes veſtigia, aſſerimus epiſcopos omnes pollere debere etſi non exactiſsima ſcripturarum peritia, & ſacræ theologiæ cognitione perfectiſsima, verùm ea, quæ ſatis eſſe poſsit ad fidei noſtræ ſacramenta explicanda. noſtra ergo & epiſcoporum æqua eſt Chriſtiana profeſsio, ſi naturam attendas: at verò diſsimilis multùm eſt conditio, ſi dignitatis ratio habeatur, ob quam plura, quàm minores, ſcire conuenit. Hæc non mea vox tantùm eſt Caluine, neque nobis, me ſcilicet, atque te, admonitoribus indigent patres: quos, ſi quemadmodum dixiſſe me antea iam memini, tibi Tridenti conuenire libuiſſet, ſatis certò ſcio, quòd tuæ audaciæ qua ignoratæ, cõtemptæ, neglectæque ſcripturæ eos inſimulas, te pigeret, atque etiam puderet. vt enim multorum ſatis probatam fidem in præſentia ego miſſam faciam, vt multorum erga pauperes & egenos incredibilem largitatem me non vidiſſe diſsimulem, vt multorum laborum, quos publicæ vtilitatis, & reipubl. Chriſtianæ iuuandæ gratia libentiſsimè ſubierunt, me hîc obliuiſci patiar, vt nouiſsimè eorum curam omnem in profectu eccleſiaſtico, religionéque reſarciẽda, vel reſtauranda, cunctóque eccleſiaſtico negotio recreãdo eos collocauiſſe leuiori curſu perſtringam: certus ſum, quòd non mediocris te admiratio teneret, dum quantos fecerint & habuerint in diuinis progreſſus, non iam ex tuis mirmillionibus, qui tibi mendacium ſemper loquuntur, ſed iſtis oculis videres, manibus contrectares, vſu & conſuetudine experireris, intelligeréſque, mox ſuo exemplo

Noſtra, atque epiſcoporũ diuerſa eſt ratio, quãuis omnium æqua ſit profeſſio.

mirabiles

mirabiles nobis appoſitos igniculos, etſi non quidē perueniendi, quo illi felicisſimè acceſſerūt, at ſaltem eorum & induſtriam, & diligentiam imitandi.

Minorum in eccleſia qualis ac quanta cognitio eſſe debeat, & quàm ipſis præſtet nonnulla ignorare.

CAP. XXXII.

CIrca verò fidem explicitam, quam minores eccleſiæ habere oportet (in quo theologi omnes ſibi conſtant) docent omnes Caluine, quòd quamuis velum templi in partes ſciſſum fuerit, id eſt, vt exponit gloſſa, omni ex parte manifeſtata fidei ſacramenta: non tamen ea ſcire, omnes iubemur: ſed ſatis eſt, vt ſtatuat homo in multis apud ſeſe in fide & doctrina, Romanæ eccleſiæ in perpetuum manſurum. Et certè ignorare nonnulla, melius eſt, inquit Tertullianus, ne quòd non debeas, noris: quia quod debeas, noſti. & eius æqualis Clemens, preſbyter Alexandrinus, Fides, inquit, non ſapientum ſecundum mundum, ſed eorum, qui ſecundum Deum ſapientes ſunt, poſſeſsiò eſt. illa autem etiam abſque litteris diſcitur: eius autem ſcriptum, quod ad rudes, ignaróſque homines pertinet, & eſt diuinum, & caritas, vocatum eſt: quæ ſola decretum ſpirituale eſt. & eos ſecutus Hilarius, Habet, inquit, non tam veniam, quàm præmium, ignorare quod credas: quia maximum fidei ſtipendium eſt ſperare, quæ neſcias. ante quos etiam Irenæus, Melius eſt nihil omnino ſcientem quempiam credere Deo, & perſeuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, nec ad aliud inquirere ad ſcientiam, niſi IESVM Chriſtum filium Dei, qui pro nobis crucifixus, quàm per quæſtionum ſubtilitates & multiloquium in impietatem cadere. & alio in loco, Qui relinquunt præconium eccleſiæ, imperitiam ſanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes, quantò pluris ſit idiota religioſus à blaſphemo & impudente ſophiſta. ad hæc etiam ſpectare videntur illa Philonis verba, qui fuit omnibus his antiquior. Omnis motus, ait, abſque diuino fauore damnoſus eſt: & præſtat hîc manere oberrando inter mortales, ſicut magna pars humani generis, quàm ad cælum à ſeipſis elatos ſubuerti per arrogantiam: ſicut plurimis ſophiſtis contigit, ratis ſapientiam

Tertull. de præſcript. hæret.

Clemens li. 3. pædag. cap. 11.

Hilarius libr. 8. de trin.

Iren. lib. 2. c. 43.

Lib. 5.

Phil. lib. de mig. Abr.

inueniri per rationes probabiles,& non per fidem in rebus certiſsimam. Nõ ergo qui quàplurima memoriter è ſcripturis, plerunque etiam pſittaci more non intellecta recitat, ſed qui, quæ ſcripta ſunt,opere complere ſtudet, is eſt, de cuius ſalute ſperandum eſt maximè: cùm pietas diuina non attendat, quanta cognitione credatur,ſed magis quanta deuotione, quod creditur, diligatur. atque ſic etiam ab Hugone ſcriptum legimus.quem ſecutus Ioannes Gerſon, In die, inquit, examinis nouiſſimi non interrogabimur, quantum fuerit intellectus noſter acutus & eruditus, ſed qualis fuerit affectus noſter ad dominum Deum noſtrum,hoc eſt,quàm ſimplex, quàm rectus,quàm pius,quã humilis, & deuotus, quàmque ſpontaneus & fidelis in Dei ſeruitio. Melior eſt fidelis ignorantia, dicit Auguſt.quàm temeraria ſcientia. ſcientia enim inflat,caritas ædificat. Surgunt indocti, dicit idem alibi,& rapiunt cælum, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde,ecce vbi volutamur,in carne ſcilicet,& ſanguine. quapropter ei, qui eſt ex minoribus, hoc eſt, cuius non intereſt alios docere poſteaquam ea crediderit,quæ de patre,quæ de filio, quæ de ſpiritu ſancto nudis verbis in ſymbolo ſunt expreſſa,ſatis eſt,ſi de reliquis ea ſe credere profiteatur,quę credit ſancta eccleſia catholica,etiam ſi nullam de illis explicitam fidem habeat. atque hic eſt articulus, quo præcipuè diſcernuntur à catholicis hæretici & ſchiſmatici: qui ſi crederent ſanctam eccleſiam catholicam,nulla hæreſis,nullum eſſet ſchiſma. crediderunt omnia Nouatiani, quæ in ſymbolo, quæque in ſcripturis canonicis continentur,crediderunt Pelagiani, Donatiſtæ, & alij multi hæretici, neque cum illis aut de ſymbolo, aut de ſcripturis vlla fuit catholicis controuerſia: ſed quia ſanctæ eccleſiæ catholicæ non crediderunt, inde tot hæreſes, tot ſchiſmata,tot ſectæ tam diſſectæ, non prioribus modò ſæculis, verùm & hoc noſtro conflatæ ſunt. nam ſi crederetur ſanctæ eccleſiæ catholicæ,nõ ab ea diſcederetur,neque ſibi quiſquam ſumeret,vt ſuo potiùs priuato, quàm illius ſpiritu ſcripturas interpretari vellet. Hanc igitur mordicus teneamus,quódque ab ipſis apoſtolorvm temporibus vnanimiter ab omnibus obſeruatum eſſe ſummo Chriſtia-

Hug.l.1.p.10.c.6.de ſacramẽtis. *Gerſ.in.l. an monachus conſid.6.* *Auguſt.de verb. apoſt. ſerm.20.* *1.Corint.8.* *Idem lib.3. cõfeſſ.ca.8.*

horum omnium conſenſu conſtiterit, de eo dubitare nefas eſſe putemus. neque nos vlla ratione de eo deduci patiamur, etiam ſi, quemadmodum ipſe per ſe Chriſto quondam, ita per ſua membra Satanas millies nobis dicat. ſcriptum eſt enim, Non illi ſe transfiguranti in angelum lucis, atque ouium veſtimentis induto, verùm eccleſiæ credamus, quæ nunquam ſancti ſpiritus magiſterio deſtituitur: quem ſe miſſurum Chriſtus promiſit, vt ei ſuggerat, atque patefaciat omnem veritatem in perpetuum. ſuus quemque priuatus ſpiritus fallere poteſt, cùm ſcriptum ſit, Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident: eccleſiæ ſpiritus nunquam fallere poteſt. illius itaque definitionibus pareamus: illius, non priuato noſtro ſpiritu ſcripturas eſſe nobis interpretandas exiſtimemus. de quibus, nobis, qui per Dei gratiam catholici ſumus, qui cum Cypriano gloriari poſſumus, quòd non nos ab illis, ſed illi receſſerunt à nobis, nulla eſt cum nouatoribus huius temporis controuerſia: de intelligentia hęreſis eſt, non de ſcriptura. ſenſus, vt eſt apud Hilarium, non ſermo ſit crimen.

Mat.4. 1.Cor.12. Mat.7. Ioã.14.16. Ezech.14.

NE igitur phariſeorum ſupercilium eſſe dicatis, populum diuina cælare ſacramenta, audiãtur etiam magni illi patres, Baſilius, Gregorius Theologus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius pont. Rom. in primis Baſilius, Patres noſtri in ſilentio, quod curioſos & otioſos ſubmouet, quædam ſeruarunt: pulchrè quidem illi, nimirũ docti, arcanorum venerationem ſilentio conſeruari. nam quæ nec intueri fas eſt non initiatis, quî cõueniebat horum doctrinam publicitus circumferri ſcripto? aut quid tandem ſibi voluit magnus ille Moſes, qui non omnia, quæ erant in templo, paſſus ſit omnibus eſſe peruia, ſed prophanos extra ſacros cancellos ſtatuit, & priora atria purioribus permittens Leuitas ſolos dignos cenſuit numinis miniſterio? mactationes autem, & holocauſtomatum oblationes, reliquùmque miniſterium ſacerdotibus aſsignauit, atque vnum ex omnibus ſelectũ in adyta recepit: ac ne quidem ſemper, ſed vno tantùm die quotannis. rurſus & huius diei certam horam, qua fas eſſet ingredi, pręſtituit, quò propter nouitatem & inſuetudinem

Non eſt hoc phariſæorũ ſuperciliũ, ſed antiquorum patrum ſaluberrimum conſilium. Baſil. de ſpiritu ſancto, cap.27.

cum ſtupore intuerentur ſancta ſanctorum, probè ſciens pro ſua ſapientia,res vſu tritas & vndecunque patentes, expoſitas eſſe contemptui : ceterùm ei ,quod ſepoſitum eſt,quódque rarum eſt,huic naturà cõiunctam eſſe ſummam admirationem ac ſtudium . ad eundem profectò modum, & qui in primordiis eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt apoſtoli & patres,in occulto ſilentióque myſteriis ſuam ſeruarunt dignitatem. neque enim omnino myſterium eſt,quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc Magnus Baſilius. Gregorius verò cognomento Theologus ſic habet,Sicut apud priſcos Hebræorum ſapientes, quidam libri ſacri diſcentibus vetabantur,tanquam incommodi infirmis & teneris,ſic non omnibus,nec ſemper,ſed certo tempore ſermo de fide permittendus eſt,iis ſcilicet, qui ſunt omnino negligentes, & remiſsi,atque ignaui,& inexplebiles , & ambitioſi & feruidiores,quàm oporteret,ad pietatem : qui veró tales ſunt,ad id ſtudij genus mittendi ſunt,in quo nec ſibi,nec aliis noceant:iis verò,qui in ſermone modeſti , temperatíque ſunt,libera poteſtas verbi fiat . itaque vulgi multitudo remouenda eſt ab hac via & ratione , eáque , qua eſt,loquacitate & vitio traducenda eſt ad aliud vitæ genus,& virtutis minus periculoſum,in quo ignauia & negligentia minùs noxia,& nimia cupiditas exiſtat religioſior. etenim,ſi vt eſt vnus dominus,vna fides, vnum baptiſma,vnus Deus,& pater omnium,& per omnia , & in omnibus:ſic vna eſſet ſalutis via,ſcilicet per verbi tractatractionem,& ſtudium:& qui hac via non ingrederẽtur, adeò eſſent extruſi & eiecti,vt nihil ꝓfectò periculoſius foret, vel huic conſilio parêre . ſin autem,vt in humanis viis,& rationibus multiplex eſt vitę & ſtudiorum genus, maiorum,minorum, nobiliorum , periculoſorum : ſic in diuinis non eſt vnum genus tantùm ſalutare, neque vna via virtutis,ſed plures:immo quòd ſint multæ manſiones apud Deum,vt eſt vulgatum in euangelio , non eſt alia cauſſa,niſi quia ſunt multæ viæ,quæ ad illas ipſas mãſiones ducunt,alię periculoſiores & excellẽtiores,aliæ ignobiliores & tutiores: quorſum relictis tutioribus ad hanc vnam conuertimur, vſqueadeo difficilem,& lubricam,& neſcio quò ducentem ? ſicut enim in cibis non erit vnus

Gregorius Theol.lib.de bono ordine differendi.

& idem omnibus ſalubris,ſed alius aliis pro cuiuſquæ ætate,& habitudine corporis, ita vita non eadē omnibus, & ſermo idē conueniet. ego verò neque hoc dico,neque ſi quis dicat,aſſentiar. Si igitur mihi creditis,vobis dico adoleſcentes,ſenes,magiſtratus,monachi,plebei:fugite ambitionem,cupiditatémque honoris inutilem, & ſecuriore genere vitæ,& ſermonis ad Deum vos applicate. Hæc magnus Theologus Gregorius. Diuus Auguſtinus, In catholica, inquit, eccleſia, vt omittam ſinceriſsimam ſapientiam,ad cuius cognitionem pauci ſpiritales in hac vita perueniunt: ceteram quippe turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſsimam facit. Hæc Auguſtinus. Sanctus Gregorius etiam verſans illud ſanctiſsimi Iob, Qui ligat aquas in nubibus ſuis,vt non erumpant pariter deorſum: ſic ait, Aquas (vt legis) ligat Deus nubibus ſuis: quia prædicatorum ſcientia infirmorum mentibus loquens, quantum ſentire valet,dicere prohibetur. nam,ſi auditorum corda verbi maieſtate corrumpantur,lingua docentium indiſcretionis pœna mulctatur.vnde ſcriptū eſt, Si quis aperuerit ciſternam,& non operuerit eam, cecidéritque bos,vel aſinus,dominus ciſternæ reddet pretium iumentorum. operiēda itaque ciſterna eſt:quia coram paruulis mentibus tegenda eſt ſcientia,ne vnde cor docentium ad ſumma attollitur,inde infirmitas auditorum ad ima dilabatur. Hæc Gregorius. Verùm iam libet referre iuſtas querelas ſanctiſsimi ſenis Hieronymi.

Aug. contra epiſt. fund. c. 5.

Grego. in Iob 26.

Exod. 21.

Hieron. ad Paulam, de ſacra ſcrip.

-Quod medicorum eſt, inquit,
Promittunt medici,tractant fabrilia fabri.

ſola ſcripturarū ars eſt,quā paſsim ſibi omnes vendicāt,

Scribimus indocti,doctíque poemata paſsim.

hanc garrula anus,hanc delirus ſenex,hanc ſophiſta verboſus,hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent antè, quàm diſcant:alij diducto ſupercilio,grandia verba trutinantes,inter mulierculas de ſacris litteris philoſophantur:alij diſcunt,proh dolor, à fœminis, quod viros doceant,&,ne parum hoc ſit,quadam facilitate verborum, immo audacia incredibili ediſſerunt aliis, quod ipſi non intelligunt. Hæc Hieronymus. Bone Deus,ſcūi beatiſsimo Hieronymo mulierculæ, abiectíque homines

non idonei auditores ſacrarum literarum eſſe videntur, Caluino tamen in præſtantiſsimorum lectorum, &, ſi Deo placet, in doctorum numero ac loco lenones & pellices, ſicarij & mirmilliones ducuntur, cùm ait, diuinam ſcripturam religionis noſtræ myſteriis ſcaturientem omnibus conſtare debere.

Videat ergo, velim, non ab his patribus, qui nunc rempublicam Chriſtianam moderantur, nuper excogitatum verbum de implicita fide, & de mente noſtra pro maioribus myſteriis eccleſiæ iudicio ſummittenda, ſed ab antiquis eccleſiæ magiſtris conſilium nobis omnibus tutiſsimum, remedium ſimplicitati noſtræ oportunum, quaſi per manus continuata ſucceſsione fuiſſe traditum: quo nos admonerent eius notitiæ, quam de Chriſto Domino ſimpliciores explicatam atque expreſſam habere deberemus, & rurſum eius, qua carere, ruſticis hominibus, vt ſemper prodeſt, ſic nunquam obfuit. Neque commouentur patres intemperie illa tua, cæcóque impetu, quo in eos irruiſti, obiiciens, nihil eos affici, ſi Dei gloriam manifeſtis blaſphemiis pollui contingat, modò ne quis aduerſus ſedis apoſtolicæ primatum, & ſanctæ matris eccleſiæ auctoritatem digitum tollat. quoniam iſta omnia conuicia perinde, ac ſi patres non attingerent, facilè & deſpexerunt ſemper, deſpiciéntque perpetuo, propè callentes, quàm iſtiuſmodi homines ad rabiem deſperatio incitet, præcipitéſque mala conſcientia agitet. ſed magis, vt video, ab eis Deus rogatur, vt diabolum, vóſque eius miniſtros compeſcat. ſuarúmque partium eſt, ne veſtris commentis, corruptis iudiciis ac mēdaciis veritas contaminetur: ſed magis tam effrenatæ iſti licentiæ conſiliis, opinionibus, atque iniuriis pro virili parte ſummo ſtudio & robore occurratur, & audacter obſiſtatur. Cōcludis bello epiphonemate, te ſatis digno, *Vt quiſque eorum pro ventre eſt maximè ſolicitus, ita pro ſua fide deprehenditur bellator acerrimus. denique huc ad vnum omnes incumbunt, vel vt regnum incolume, vel vt ventrem refertum retineant. nemo ſinceri zeli dat ſignificationem.* fruere, fruere Caluine Iſmahelis gloria, ſint manus omnium contra te, cuius manus contra omnes: nos verò ſi quid in te iuris

Caluin. in epiſt.

vnquam vendicare nobis potuerimus, libenter remittemus. ſi contra eccleſiam ferociam tuam acuere pergis, ſi maledicere non ceſſas, ea quidem nunc patietur ſanè: tu verò eaſdem, quas olim maximi illi oppugnatores hæretici, ſcilicet antiqui, Arrius, Sabellius, Pelagius, Manichæus, Montanus, & alij, (quorum nomina ſcripta ſunt in libro æternæ mortis, & nunquam finituræ miſeriæ) ſempiternas pœnas ſuſtinebis. ceſſa, quæſo, ceſſa nunc inſidiis, nũc ſcriptis, nunc voce, nunc aperto conatu in tam manifeſtam eccleſiæ perniciem graſſari: ſit iam ſuus modus belluinæ iſti rabiei, perditæ & deſperatæ illi menti. Ergo, vt hîc dicendi finem faciam, te obteſtor, Caluine, & per omnia, quæ te mouere poſſunt, ſacra obteſtor, vt finem tu etiam aliquem maledicendi facias, & religionis, cuius omnem ſenſum delent nefaria iſta conuicia, rationem habeas, nominíſque Chriſtiani, cui æternam maculam inurunt iſtæ contumelioſæ voces, te miſerear. ſine modeſtiæ verò ſenſu, quænam eſſe poteſt, quamuis ea plurima foret, theologia? legiſtíne, cuínam hæretico Theodoritus olim exprobrauerit, factam ab eo eſſe τεχνολογίαν? ſed ſi tu eam mẽtiendi artem efficias, maledicendi, atque tumultuandi, quo eã, opinaris, nomine alij appellabunt? ex fructibus autem ſi de ſchola tua iudicetur, qualem exiſtimas, philoſophiam eſſe, multi dicent? non te pudebit, hominem Chriſtianum, theologum, ſenem, in illorum philoſophorum grege annumerari, de quibus, etſi ethnicus ac gentilis foret, Cicero dicere ſolebat, Quotus enim quiſque philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo ac vita conſtitutus, vt ratio poſtulat, qui diſciplinam ſuam, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet, qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? videre licet alios tanta leuitate & iactatione, iis vt fuerit non didiciſſe melius, alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum ſeruos: vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. quod quidem mihi videtur eſſe turpiſsimum. vt enim, ſi grammaticum ſe profeſſus quiſpiam, barbarè loquatur, aut ſi abſurdè canat is, qui ſe haberi velit muſicum, hoc turpior ſit, quòd in eo ipſo peccet, cuius profitetur ſcientiam: ſic philoſophus in ratione vitæ peccans, *Li. 2. Tuſc. diſp.*

hoc turpior eſt, quòd in officio, cuius magiſter eſſe vult, labitur, artémque vitæ profeſſus, delinquit in vita. Hoc ſi ſolus, Caluine, Cicero diceret, parum fortaſſe haberet auctoritatis: (licèt pudorem meritò tibi incutere deberet, quòd homo ethnicus, quaſi in tenebris palpans, ad hanc lucem peruenerit, ideo multis non didiciſſe fuiſſe melius, quia diſciplinam ſuã, non vitæ legem putant, ſed ſciẽtię inſolentẽ oſtentationẽ) ſed etiã Paulus in pręclara illa ad Epheſios cõcione hoc ipſum huiuſmodi verbis cõfirmat, Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. & nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis. omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicẽ, ſicut vt Deus in Chriſto donauit vobis.

Epheſ. 4.

Coloſſ. 3.

Libri ſecundi finis.

LOCORVM CATHOLICORVM PRO ORTHOdoxa ac veteri fide retinenda,

De vera Dei cognitione, Chriſti merito, atque euangelij præſtantia,

LIBER III.

F. Franciſco Horantio Hiſpano auctore.

PRæclarum atque cum primis firmũ argumentum pro vetere fide retinẽda eſſe videtur, Chriſtiane lector, ſi quod ab aliis traditur, nouum quoddam eſt, non dico inuſitatum, verùm omnino inauditum. nemo profectò pius eſt, qui vocum nouitates non horreat, & caueat. poſtquam enim primus ille homicida diabolus, virtutis hoſtis, inuidus, maleuolus, liuidus noſtris bonis cœpit mærere, & humanæ felicitati inuidere, atque inſidiari, nefario quodã furore, & audacia inſtinctus fidei, pietati, ac religioni, quibus eam gloriam aſſequi nos vehementer dolet, qua ſit ei in perpetuum carendum, bellum ſacrilegum ſemper, impiúmque habet indictum. noctes atque dies in eam curam & cogitationem incumbit, vt nouis doctrinis vetus illud euangelium, quod cælum tot hominibus repleuit, antiquetur, abrogetur, & prorſus conuellatur, ac pereat. ò miſeram temporum conditionem: anti-

quitas à nouitate corrigitur, ſancti à profanis emendantur, vetus patrũ noſtrorum fides à nouitiis hominibus in ordinem redigitur. Hæc cùm dicimus, cùm deploramus, cùm querimur, Caluinus, quaſi eum ceteri defenſorem, propugnatorem, cuſtodem, & demum tutorem, aut parentem habere velint, ipſorũ partes ſuſtinuiſſe, atque cauſſã egiſſe videri maximè cupit. nec dubitat dicere, ab eis euangeliũ ſuum nouum haberi, quibus Deus eſt nouus, Chriſtus nouus, euangelium nouum. vt vel hac parte, eccleſiam Deo, Chriſto, atque euangelio, ne dum antiquitate ſimul ſpoliet. ò tẽpora, ò mores, & adhuc viuere libet? quis quæſtus, quis mæror dignus inueniri in dolore tãto poteſt? quis eſt, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? Primùm, num vetus ille Deus, aut ſceleris auctor, aut malorum cauſſa eſt vnquam habitus? num creditũ eſt aliquando, ipſius voluntate, aut impulſu, & conſilio nos peccare? num ſuam ſcientiam, ac prouidentiã, & ſanctorum prædeſtinationẽ rerũ contingentiæ obſtare, â quoquam anti quorum ſcriptũ legimus? nũ aliquis tam impiè de Deo ſentire eſt auſus, vt diceret, quoſdam creauiſſe, non alio fine, quàm vt peccarent? quàm vt eos ipſe puniret? nũ apud aliquẽ eorũ, qui verum Deũ coluerũt, reperies, quidquid, vel minimũ quidem, honoris ſanctis fuerit impenſum, totũ id de infinita Dei gloria, ac maie-

ſtate detrahi? apage apage iſtas nouitates: Deus iſte, obſcurus, ignotus, inauditus, & omnino nouus Chriſtianis auribus iure & merito æſtimari debet. talis eſt Deus Lutheranorũ, Zuinglianorũ, atque Caluinianorum. Deinde, num Chriſtus ſuo magiſterio omnem docendi rationem abſtulit? ſuo ſanguine noſtrorum operum meritũ obſcurauit? ſuo ſacerdotio eccleſiaſticum (quod idem eſt) deſtruxit? nũ is eſt, qui non tã morte ſua, quàm neſcio quo timore (horreo dicere) ſceleratorum hominũ nos redemit? Nouiſſimè, an nõ multis nominibus nouũ dicetur euangeliũ, quod idẽ ſit in eſſẽtia cum antiqua lege, ſolùm accidentibus aliquot ab ea diſtinctũ? Hæc igitur omnia tam difficilia, támq; ſcitu digna, immo neceſſaria, eo ipſo ordine, quo ſunt à nobis propoſita, hîc proſequemur. Vbi de Dei noſtri prouidentia, ſcientia, ſanctorũ electione, ipſorúmque inuocatione, de Chriſti gloria, ac merito, de euangelij cum lege veteri conuenientiis, ac differentiis multa, Deo approbante, valde breuiter percurremus. quapropter, Deũ oro, atque obſecro, vt qualem ſe iam antea mihi præbuit, talem ſe hoc tempore impertiat: téque lector rogatum vehementer exopto, vt attentè, bonáque cum venia omnia noſtra legas: fide enim, religione, humanitatéque tua fretus, plus oneris ſuſtuli, quàm ferre me poſſe intelligo.

Quòd Caluinus à catholica eccleſia iuſtè in crimen vocetur, cùm nouum euangelium, ac fidem nouam afferat: atque Eſaiæ, & Pauli loci explicantur.

Caput primum.

PRincipiò conſtituimus non plura contra nouum iſtud euangelium pro illo antiquo noſtro, apoſtolica prædicatione aucto, ſanctorũ vigiliis illuſtrato, martyrum ſanguine roborato, tot ſæculis confirmato, comminiſci, quàm ea, quorũ ab omnibus reum citari, inſimularíque vel ipſemet Caluinus teſtis eſt: cuius verba iuxta eum morem, quem hactenus ſecuti ſumus, nunc nobis ſunt recitanda. *Nec ſic tamen* (quaſi multùm ſuperiori ſua oratione apud Chriſtianiſsimum regem profeciſſet) *deſinunt doctrinam noſtram inceſſere, & quibus poſſunt, nominibus criminari, & infamare, quò vel inuiſam, vel ſuſpectam reddant:* noli clamare Caluine, noli importunis vociferationibus cælum implere, noli vniuerſa permiſcere & confundere, non te ſuſpectum & inuiſum reddere eccleſia laborat, cũ tibi ipſi ſis odioſus, inuidioſus, moleſtus, ſed ſuã vicẽ dolet, te tam apertè in orbem tua noua dogmata, quorũ nullũ ſine ſcelere prodi poteſt, inuehentem non ſuſtinet, tot filios, quos vtero geſtauerat, ſinu fouerat, lacte verè euangelico & apoſtolico enutriuerat, legibus cæleſtibus inſtituerat ſubito ac motu repentino, ne ſperato quidem, tuis artibus, dolis, fraudibus è tanta ſublimitate in ſummam cęcitatem delapſos, in corruptiſsimos mores deueniſſe, in ingratiſsimos poſtremò filios degeneraſſe, deplorat, dolet, atque vehementer quæritur. hæc ſunt, inquam, hæc, quæ malè eccleſiam ſanctiſsimam habent: hæ ſunt anguſtię, quibus vndique circumuallata premitur. inflexiſti vulnus, neque licebit ei per te exclamare? éſtne iſta euangelica illa pœnitentia, Caluine, malè actæ vitæ? an theologica eſſe dicetur reſipiſcẽtia hominis alicuius, qui, cùm imbellem & incautam mulierem expoliauerit, atque vulnerauerit, & poſteaquam de ſuo flagitio admonitus eſt, redit, & quã ſauciam, atque ſemiuiuam reliquerat, clamantem iugulat? an hoc maieſtatis crimen eſſe arbitraris, quòd auſa ſit eccleſia queri ſibi à tuis calumniis iniuriam fieri? an,

Cal. in epiſt. [margin, beside "ctenus ſecuti ſumus"]

Caluinus poſtquã cecidit eccleſiã, nõ ſinit eam queri. [margin]

cùm contumelioſus & iniurioſus quis aliquem indignè peſſundet,& proculcet, nefas eſſe tibi videbitur eum dolere,aut ingemiſcere? quis hoc fecit in Scythia tyrannus, vt eos,quibus luctus cauſſam afferret, lugere nō ſineret? cauillator ergo tibi habendus eſt omnis,qui abs te excarnificatus,atque dilaniatus ſuſpirat, totúmque hoc iccirco eos facere criminaberis, & cauillaberis, *Scilicet, per quod ſibi facile ſit apud credulam, imperitámque multitudinem desertæ cauſſæ inſultare?* quàm oportunè loqueris, & nos dicis inſultare,quos crucias,premis,& iniquè exerces:& cauſſam tuam deſertam appellas, quam ſcimus multorū ſicariorum præſidio ſtipatam,& nulla re magis, quàm veritate, & iuſtitia carentem. ô te miſerum & infelicem, quid de te futurum arbitrare, poſtquam tuus iſte ſpiritus carne exutus in teterrimos illos carceres,qui te iam pridē expectāt,detrudetur, viſurus eos,quos illuc præmiſiſti:quando nunc viuus adhuc ne vnum habes, qui tibi, tuæque cauſſæ bene cupiat? Sed veniamus ad noſtra. ſint tibi quoq; mutuæ dicēdi vices:experiamur,ſi placet,an ſic deferueat hæc noſtra acrimonia, qua in te plenis buccis, ac tam licēter,quàm impunè deſpumare nos dicis.Ergo nouam,inuſitatam,dubiam, & incertam eam appellamus: quid tu ad hæc? *Nouam,quòd appellant, Deo ſunt vehementer iniurij cuius ſacrum verbum nouitatis inſimulari non merebatur. illis quidem nouam eſſe minimè dubito,quibus & Deus nouus eſt, & Chriſtus nouus,& euangelium nouum:ſed qui illam Pauli concionem veterem eſſe nouerunt,* IESVM *Chriſtum mortuum propter peccata noſtra,reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtram,nihil apud nos deprehendent nouum. quòd diu incognita ſepultáque latuit, humanæ impietatis crimen eſt: nunc cùm Dei benignitate nobis redditur, ſaltem poſtliminij iure ſuam antiquitatem recipere debebit. ex eodem ignorantiæ fonte procedit, quòd eam pro dubia, incertáque habent. Hoc profectò eſt,quod dominus per prophetam ſuum queritur,bouem cognouiſſe poſſeſſorem ſuum, & aſinum præſepe dominorum ſuorum:ſe non agnoſci à populo ſuo. Verùm vt vt in eius incertitudinem ludant,ſi ſua illis proprio ſanguine, vitaq; diſpendio obſignanda eſſet, liceret ſpectare, quanti ab illis fiat. Longè alia noſtra fiducia eſt,quæ nec mortis terrores, nec adeò ipſum Dei tribunal formidet:* iuſta tua cauſſa videri non poterat,niſi vniuerſos nos cæcos,& talpas fingeres. túnc ſo-

Rom. 4.

Eſa. 2.

Pſal. 75.

lus domini tui præſepe agnouiſti? tibíne ſoli notus erit Deus, non ſecus, atque illi, qui pridem apud vos librum De filio Dei hactenus incognito conſcripſit? tot verò ſæculis nouus prorſus erit, & incognitus? túne vnus penetraſti interiora Pauli? túne ſolus illis apoſtoli verbis aures dediſti, Chriſtus IESVS mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationes noſtras? magno quidem in errore verſaris, ſi tibi perſuadeas, nos fugere, quid Eſaias ſuo vaticinio dicere voluerit, & quorſum ea verba de Chriſto Paulus protulerit. Vide ergo, & conſidera, in perfidos Iudæos, nõ autem in fidelem Chriſti eccleſiam admirandum prophetam verbo illo domini inuectum eſſe, éſtque illi argumento ſimile, quod Ioannes ſuo euangelio verſat, Mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit: in propria venit, & ſui eũ non receperunt. ad Iudæos venit, vineam dilectam, plebẽ ſanctam, populum ſegregatum domino: ad eos, inquam, quibus promiſſus erat, quorum erat adoptio, gloria, teſtamentum, legis conſtitutio, cultus, promiſſiones. venit, id eſt, incarnatus eſt, hominem induit, & in homine ſeſe viſibilem præbuit. ecce præſepe, ecce propria, ecce funiculum hæreditatis: vbi ab aſino, & boue, à gentium populis ſcilicet, agnitus eſt, atque ab exteris regibus adoratus, qui myſticis eũ muneribus affecerunt. mox verò & propheta Eſaias, & euangeliſta Ioãnes vterque querelam admirationi coniunctam adiungit. ille ſiquidem ait, Iſrael autem non me cognouit: hic verò, Et ſui eum non receperunt. deplorat enim vterque Iudæorum dementiam: vterque etiam domini miſericordiam admiratur. quid enim magis admiratione dignum, quàm Iudæos, tanto gratiarum aceruo ditatos, Chriſtum promiſſum, nunc in fœno iacentem, nunc teneræ matris ſugentem vbera, brachiáque dulcia occupantem, nunc demum in præſepio reclinatum, nec cognouiſſe iuxta verbum Eſaiæ, nec recepiſſe, vt euangeliſta loquitur? vbi voculæ illæ, vtrobique expreſſę, Iſrael, &, Sui, emphaſim continent: ac ſi dicerent ambo, Qui non cognouerunt eum, qui non receperunt, ex ſuis erant: populúſque, hæreditas, & domini propria erant. hi Chriſtum pro Elia, illi pro Ieremia, aut Ioanne Baptiſta, aut vno ex prophetis agnouerunt carnaliter, &

Rom.4. *Ioan.1.* *Rom.9.* *Eſaiæ, & Ioannis cõbinatio.* *Matt.2.* *Matt.16.*

non verè Chriſtum receperunt: vt omittamus eos, qui redemptorem & ſeruatorem noſtrum heluonem, voracem, vini potorem, ſeductorem populi, à dæmone oppreſſum, denique neque cum Barraba conferendum & comparandum arbitrabantur. Ecce Caluine, qui illi ſint, qui non cognouerunt, qui non receperunt: nos verò, ducem noſtrum Petrum ſecuti, & cognoſcimus, & recipimus dicentes, Tu es Chriſtus, filius Dei viui. eum cũ Thoma ſic adoramus, Tu es dominus noſter, & Deus noſter.

Matt.11. Luc.7. & Io.7. & 10 Matt.23. Ioan.18. Matt.16. Ioan.20.

AD HAEC verbum illud Pauli de morte & reſurrectione nobis nõ nouum eſt, cùm tamen tua doctrina nobis perquàm noua & inaudita videatur. Reſurrexit ille, inquiunt ſancti, propter iuſtificationem noſtram: quoniã idem ipſe Chriſtus, qui traditus eſt in mortem, partim vt merito paſſionis ſuæ delicta noſtra aboleret, partim vt formam nobis præberet, & exemplar moriendi veteri vitæ, idem, inquam, ipſe reſurrexit, vt reſurrectionis ſuę exemplum, efficeret in nobis iuſtitiam, ſiue rectitudinem vitæ, id eſt, vt exhiberet nobis formam reſurgendi iuxta animam ad nouitatem vitæ, quemadmodũ ipſe iuxta carnem ad immortalis vitæ gloriam reſurrexit. ita omnes ferè interpretes ſicut priorem partem de morte Chriſti ad meritum paſsionis referunt, ſic poſteriorem de reſurrectione, vt de cauſſa exemplari à Paulo dictã accipiunt. Quòd ſi plus tibi arrideat, non modò iuſtificationem, ſed etiam remiſsionem peccatorum ipſi reſurrectioni, non tantùm vt cauſſæ exemplari, verùm etiam efficienti, tribuere: tunc profectò ſenſus erit, abolitio peccati, & iuſtificatió vtraque morti Chriſti, tãquam cauſſæ ſufficienti, debetur, modò reſurrectioni tribuatur conſecutio remiſsionis peccatorum, & iuſtificationis: vtpote quæ ad finem nos perducit virtute paſsionis, & mortis Chriſti nobis applicata, atque etiam ea ad iuſtitiam vehementer excitamur. qui certè ſenſus omnibus viris eccleſiaſticis iam diu probatur. Quòd ſi tertiò velis breui periodo vniuerſa claudere, ſic dicito, Morte Chriſtus percuſſus eſt, vt in perſona peccatoris, peccati miſeria defungeretur, & pretium pro peccatis eſſet. voluit enim Deus aliquam victimam pro veſtris ſceleribus eſſe: nulla placuit, niſi ho-

Explicatio loci illius, Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

Reſurrectio Chriſti exemplar eſt noſtræ reſurrectionis.

Reſurrectio Chriſti eſt iuſtitiæ noſtræ applicatio.

hoſtia filij. reſurrectione autem in vitæ regnum exaltatus eſt, vt iuſtitiam, ac vitam ſuis largiretur. Quartò tandem, quid impedit, vt dicamus eo verbo multum vobis animi attuliſſe ad iuſtificationem noſtram vndique quærendam, iuſtitiàmque ſitiendam, poſtquam non vitã tantùm pro ea patri ſuo impendere voluit, verùm reſurrectionem, quæ ſibi videri poſſet propria, nobis dicauit. Siue ergo reſurrectio Chriſti nouitatis vitæ noſtræ exemplar ſit, ſiue fidei noſtræ finis & perfectio, ſiue iuſtitiæ & vitæ largitio, ſiue incredibilis quædam in noſtram iuſtificationem excitatio, & nouæ vitæ brauium, cum his omnibus vnicè fides antiqua conſentit: quę tibi obiicere iure poterit, Paulum nouimus, ſcripturam nouimus, nihil noui narras, vſitata ſunt omnia, & inueterata: te verò ignoramus, ſenſus tuos execramur, doctrinam demum tuam inuſitatam, nouatam criminamur. Sed ſatis mihi dixiſſe videor de his, quæ ad Eſaiæ & Pauli teſtimonia pertinent.

Reſurrectio Chriſti eſt iuſtitia largitio.

Quis ſit Deus, quem colimus, & quàm ſemper notus fuerit: malorum an ille auctor & cauſſa ſit: quomodo nos ad malum inclinari, nóſque indurari dicamur. CAP. II.

CVm ergo Deum creatorem nobis nouum eſſe aſſeras, & Chriſtum nouum, & euangelium nouum, vt omnia tua antiquitate dones, téque ſolũ veterem tenuiſſe diſciplinã, à qua nos nimiùm degenerauerimus, apud credulam, imperitámque iſtam tuam multitudinem vendites, en tibi quem ordinem hîc nos tenere intendamus. priori ſiquidem loco, quis ſit hic noſter creator, qualis & quãtus, quis redẽptor, quódue nos euãgelium ſequamur, oſtendemus: poſtea non erit difficile cuiquam decernere nouũ Deum ab antiquo, cui credidimus, inauditũ Chriſtũ à veteri, in quo ſpes omnes noſtras collocauimus, inuſitatũ euangelium à vetuſtiſsimo illo, ad quod vnum fidem noſtram, & religionem noſtram exigere, nóſq; totos componere laboramus. altero verò loco, vbi hæc (quæ diximus à nobis teneri) veterrima, & maiorum teſtimoniis, atque exemplis vſitatiſsima eſſe oſtenderimus, & à nouitate vindicauerimus, quàm ſit iſte tuus Deus nouus, quàm inauditus Chriſtus, quàm nunquam hactenus receptum

ceptum euangelium, apertiſsimè & planiſsimè intelligere te poſſe ſatis nobis videtur. Eſt itaque Deus noſter (cuius notitia hominum mentibus naturaliter eſt indita, litteris verò explicatiùs tradita, cuius etiam vnica eſſentia in eiſdem ſcripturis ſic legitur vna, vt tamen tres perſonas contineat) certis notis per ſcripturam Deus verus à ficticiis diſcretus, ſua virtute mundum à ſe conditum fouens ac tuens, ſinguláſque eius partes ſua infinita prouidentia regens. eſt deinde Deus noſter ęternus & infinitus: quem præſtantem eſſe, aliquam æternámque naturam, & eam ſuſpiciendam, admirandámque hominum generi, pulchritudo mundi, ordóque rerum cæleſtium cogit confiteri. noſter poſtremò Deus eſt, qui ęterna ſua electione ſanctos, quos ſit in æterna beatitudine ſecum collocaturus, ab æterno præſciuit, & prædeſtinauit, ſuo verò tēpore vocauit, iuſtificauit, & magnificauit. talis igitur, ac tantus hic Deus notus ſemper fuit in cælo, & in Chriſti eccleſia: cuius nomen magnum habitum eſt ſemper. contrà verò Deus ille, qui ſic fingitur mundum gubernare, & tegere, quò & impiorum animos adeò ad ſua iudicia exequenda flectat, vt eos ad malum adigat & cogat, & in malum non modò labi permittat, verùm idem ipſe ſua efficientia obduret: inſuper, qui ſua prouidentia liberi arbitrij leges deſtruat, & tandem æterna ſua electione & ſcientia ſic quorundam mentes occupet, vt eos neceſſariò in malo firmatos teneat: iſte profectò quidē Deus nobis inauditus eſt, iſte neque ex creatione colligitur, neque oraculis prophetarũ exprimitur, neque apoſtolica prædicatione cognoſcitur, neque tandem vocibus ſanctorum habetur: ſed tantùm in Lutheranis & Caluinianis concionibus auditur, in libris legitur, & in conuentibus verſatur. Quæ duo dum explicatiùs ediſſero, omnes oro atque obſecro, vt & meum Deum antiquum cum nouo iſtius attentiſsimè conferant.

Rom. 8.

Pſal. 8. 47 & 82.

M E A certè fides ſic habet. illa cum primis Fulgentij regula nobis ſemper ob oculos verſatur, ne ſcilicet Deũ auctorem eius habeamus, cuius ipſe vltor eſt. ex quo colligimus, non aliter Deum impiorum corda obdurare, excæcare oculos, tenebras immittere, & id genus reliqua, quã quòd lumen ſuæ gratiæ ſubtrahit, auxiliũ ſubducit:

Deus nō eſt auctor eius ſceleris quod punit.

Auguſt epiſt. 105. ſine quo hominis cor in bonum emolliri non poteſt. hoc quippe ab eis, qui in infernum detruſi ſunt, in hac vita diſtamus, quòd dum viuimus, viatores ſumus. ratio autem viæ hæc eſt, vt nemo ſit ita firmatus in gratia, cui præter priuilegium non immineat periculum decidendi: neque vllus eſt à Deo tam longè abalienatus, cui non ſit paratiſsimus ſuppetias ferre, niſi culpa ſua gratiam reſpuerit: alioqui intelligi non poteſt, quomodo aut peccatum eſſet, aut noua pœna dignum. vt enim ſaluet Caluinus, mala, quæ ab obſtinatis fiunt, peccata eſſe, nunquam tamen nouo ſupplicio digna eſſe, ſi ſemel homo mutandæ mentis poſsibilitatem non habeat, probabit. præterea ſi nihil iſte facere poteſt, niſi malum, cuius cauſſa Deus ſit: quomodo ſtare poterit, quod alibi legimus, *Nehem. 9.* *Iacob. 1.* *1. Tim. 2.* Deum iuſta præcipere, malorum non eſſe tentatorem, velle nos iuſta exequi, & à propria concupiſcentia nos tẽtari? item ſi non modò impiorum opera vtitur Deus, ſed etiam conſilia & affectus gubernat: quomodo Deus peccati auctor non eſſet, &, quod audire aures expaueſcunt, omne peccatum à Deo non erit, ſi nihil inter permittere *Auguſt. li. 83. quæſt.* & facere diſtet? enimuero Auguſtinus ex verbis Iacobi elicit irrefragabilem illam ſententiam, cui ſcholę omnes theologorũ ſubſcribunt, quòd, Deo auctore, aut volente, *Auguſt. de pecc. remiſſ.* nemo ſit deterior. & clarè idem alibi, Ad peccandum, inquit, non adiuuamur à Deo, ſed vt iuſta omni ex parte agamus. iſti tamen dicunt, quòd non ſolùm, volente & iuuante Deo ſed cogente, deteriores efficimur. atqui alibi *Lib. de lib. arb. cap. 2.* ait, quęſtione hac, ſcilicet de cauſſa, quòd malè faciamus, ſe olim fuiſſe vehementer exercitum & fatigatum, atque adeò in Manichæos appulſum & coniectum, vt crederet, vnum eſſe primum principium, quod nos ad malum compelleret, quoaduſque lux illi cælitus effulſit, qua cognouit, vniuerſa noſtra peccata in noſtras ipſorum proprias voluntates eſſe prorſus referenda. hoc tamen diſcriminis verſatur inter Manichæos & Caluinum: illi enim tribuebant Deo falſo, quòd peccati cauſſa eſſet, iſte aſcribit vero. non ergo aliter mala opera Deus in nobis efficit, quàm quòd iuxta leges prouidentiæ ſuæ voluntati humanæ vltro ſe in malum præcipitanti, Deus pro modo liberi arbitrij illi aſsiſtit, tanquam cauſſa

quaſi naturalis,non quòd Deus cogatur:(abſit:à nullo enim ipſe cogi poteſt)ſed quòd ea ſit liberi arbitrij ratio, vt proprios motus agere permittatur. hinc dimanat, vt *Sapien.8.*
Deus te bonũ agere velit,& iubeat: & tibi malum eligẽti nõ deſit.præter hæc noſtris ſceleribus & peccatis offenſus ſinit nos noſtras malas vias ingredi ſubtrahens auxilium:quod tamen non præbere, nunquam ſtatuit. fides hæc,fides antiqua eſt,fides patrum eſt. Auguſtinus ſiquidem,qui alibi dixerat ex teſtimonio Pauli, Tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum, quantum ipſe exiſtimabat manifeſtari,operari Deum in cordibus hominum,ad inclinandas eorũ voluntates quocunque voluerit,ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum,iudicio vtique ſuo aliquando aperto, aliquando occulto,ſemper autem iuſto: idem ipſe optimus ſui interpres,non aliter Deum actu ſuo nos ad malum inclinare, crebrò, explicatiſsiméque agnouit, quàm quòd nos propriæ noſtrę inclinationi permittit.etenim alio in loco ſic ait, Non Deus obdurat impartiendo malitiam, ſed non impartiendo gratiam. vnde apoſtolus miſericordiam appellat gratiæ appoſitionem, indurationem verò eiuſdem priuationem. alibi etiam,Non intelligẽdum eſt, inquit, quòd Deus ita induret, quaſi quenquam peccare cogat: ſed tamen quibuſdam peccatoribus miſericordiam iuſtificationis ſuæ nõ largitur:& ob hoc eos indurare dicitur, quia non eorum miſeretur,non quia vi impellat, vt peccent. rurſum alibi,Indurare, ait, quorundam malorum corda Deus dicitur, ſicut de Pharaone ſcriptum eſt, non quòd Deus omnipotens per potentiam ſuam eorum corda induret: (quod ſanè credere impium eſt) ſed,exigentibus eorum culpis, cùm duritiam, quam ipſi ſibi mala perpetrando nutriunt,non aufert: quaſi demum eos induret non agendo, ſed quia iuſto iudicio indurare ſinit. Quid apertius Caluine? quid magis extollere poterat diuinam prouidentiam,ſeſe optimè accommodantem liberæ hominum facultati? pluſquam triginta auctores ad illud Pauli ad Rom.1.à me lectos fuiſſe recolo,atque omnes patres Auguſtino conſentiunt, videlicet, quòd non induret niſi deſerendo, & quòd Deus nullos ſic deſerat, vt reſipiſcere nequeant: atque ſemper verum eſt, quod

Aug. aduerſus Iulian. lib.5.

De gratia & libe.arb. c.20.21.

Epiſt. ad Xiſtũ quæ eſt.105.

Rom.9.

Ad Simpl.

Eib.de eſſentia diuin.

S. Thom.3. par.q.86. Thomas dicit de Antiocho, non ipſum ha buiſſe veram pænitentiam, qui non propter Deum, ſed propter infirmitatem doleret. idémque multò antè agnouit Hieronymus *Hieron.in Amos. 5.* ad ea verba Amos, Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper quarto non exaudiam eum: nempe quòd ſola impœnitentia in cauſſa eſſe ſoleat, cur Deus iniquis nõ parcat. *Lib.3. de principiis.* Origenes etiã, cùm negarent illi, contra quos diſputabat, libera electione noſtra nos peccare citra diuinam coactionẽ, aut aliam vllam neceſsitatẽ, ducti propter eũ locum, Induratum eſt cor Pharaonis, eos acerrimè vrget, quòd ſi Deus ita induraſſet cor illud miſerũ, auxiliúmq; denegaſſet, vt non eſſet ipſe paratus illud emollire, etiam ſi Pharao conſenſiſſet, certè Deus ipſe cauſſa perditionis *Exod.2.* illius fuiſſet. nec meritò culparet Deum dicens, Tu autẽ quoniam nõ vis dimittere populum, ecce percuciam omnia primitiua Aegypti. Quòd ergo Deus corda induret, nihil aliud eſt, quàm patienter nos tolerare iuxta illud Pauli, An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis *Rom.2.* contemnis, ignorans, quia benignitas Dei ad pænitentiam te adducit? ſecundum autem duritiem tuã theſaurizas tibi iram. quapropter à benignitate, qua Deus nos intendit lenire, & ad ſe allicere, occaſionem nanciſcimur, vt obdureſcere pertinaciùs pergamus. Porrò, vt cũ Auguſtino ampliùs quærere quieſcamus, audiamus omnium poſtremò eum. An, non inquit, ſi piè de Deo, ſicut *Aug.de prædeſt.& gratia cap.14.* expedit, ſentiamus, etiam Pharaoni datam miſericordiã reperiemus? maximè verò. patientia enim Dei valere ad ſalutem ei debuit. item conferens Pharaonem cum Na*Idem c.15.*buchodonoſore, quòd quantùm ad naturam, ambo homines erant, quantùm ad dignitatem, ambo reges, quantùm ad cauſſam, ambo captiuum populum Dei poſsidentes, quantùm ad pœnam, ambo flagellis clemẽter admoniti, Quid ergo, ait, fines eorum diuerſos eſſe fecit, niſi quòd vnus Dei manum ſentiens in propriæ iniquitatis recordatione ingemuit: alter libero contra Dei miſericordiſsimam veritatem arbitrio pugnauit? Abeat Caluinus, triumphet ex Auguſtino, iactet quantum volet, quòd Deus homines ad malum inclinet: nos verò poſt tot ſcripturarum teſtimonia, poſt tot probatiſsimorum patrum etiam Auguſtini monumenta diuinæ bonita-

tis exiſtimationem offendere cauebimus, neque ipſum Deum noſtrorum ſcelerum auctorem eſſe dicemus. deſinat itaque humanum commentum cõtra Deum queri, quòd ſuo coactu, aut certè appulſu noſtris cupiditatibus ſeruiamus, deſinat oblatrare, quòd obſtinata durities, cruditáſque noſtra à Deo, cuncta gubernante & moderante, proficiſcatur: ſed noſtram ipſorum potiùs voluntatẽ Dei patientia abutentium incuſemus, quippe quæ ſola peſsimæ illius obdurationis eſt fons, atque origo. vt enim pluuia eadem in altera terra herbas, quæ maximè vſui ſint mortalibus, progignit, in altera verò ſpinas, & tribulos, & ſicut vno eodémque Sole cæra liqueſcit, lutum verò dureſcit & exiccatur: haud ſecus benignitas eadem & Dei patientia, quæ ſuapte natura vniuerſos ad pænitentiam inuitat, alios in eam perducit, aliis verò obdurationis eſt occaſio: quemadmodum & Orig. pulchrè dicit, Dicitur Deus indurare nos tropo tali ſermonis, quali herus, quò benignior in ſeruum eſt, & clemẽtior, eò inſolentior ipſe & improbior efficitur. & dicere poteſt, Ergo te talem ſerue feci, ergo te perdidi patientia mea, inſolẽtiæ tuæ cauſſa extitit. qua loquendi figura dicebãt illi apud Eſaiam, Quare errare nos feciſti domine de viis tuis? induraſti cor noſtrum, ne timeremus te. ob ídque etiam velut imbribus terram, ita plagis leuioribus cor Pharaonis irrigabat, vt miteſceret, ac molle fieret ad pænitentiam. Eſt igitur tota ratio diuinæ prouidentiæ in hoc, quòd & res cunctas ſuos motus agere ſinit, & bonitatis ſuæ diuitias oſtendit: atque demum noſtra duritie, quam ſua benignitas in nobis auxit, peculiarem ſemper rationem habet in diuina prouidentia.

Heb. 6.

Orig. in Paul. ad Rom. 2.

Eſaiæ 63.

Referuntur Caluini verba & argumenta, quibus demonſtrare nititur, mala ab hominibus, Dei voluntate conſilio & impulſu patrari. CAP. III.

SAtis ſupérque explicuiſſe, qualis ac quantus ſit noſter Deus antiquus, arbitramur: oſtende iam tu nobis tuũ: & videbimus, vter magis nouitius meritò videri poſsit. *Abſurdum*, inquis, *videtur Dei tantùm permiſſu, non etiam voluntate excæcari hominem. ſiquidem, dum ipſe palàm ſe facere pronuntiat, effugium illud repudiat:* id vt probes, multa moues, atque verſas. arguis primò ex vniuerſali Dei prouiden-

Cal. lib. 1. c. 18. ſect. 1.

tia, qua probare niteris nihil efficere homines, niſi arca-
no Dei nutu, nec quidquã deliberando agitare, niſi quod
ipſe Deus apud ſe decreuerit, & arcana ſua directione cō-
ſtituat. Sed quia in ſpecialibus exemplis plus lucis eſſe
Iob 1. dicis, ad ea accedis: atque ex primo capite Iob producis
Satanam ſe coram Deo ſiſtet ad excipienda iuſſa non mi
nùs, quàm angelos, qui ſponte obediũt: diuerſo quidem
id modo, & fine: ſed tamen ne quid aggredi poſsit, niſi vo
lente Deo. deinde ſubiicis, præceptum fuiſſe diabolo, vt
ſanctum virum affligeret: quia, vt dicis, ſemper vera eſt
Iob 1. illa ſententia, Dominus dedit, dominus abſtulit: ſicut
Deo placuit, ita factum eſt. colligis inde, iam eius pro-
bationis, cuius Satan, & ſceleſti latrones miniſtri fue-
rũt, Deum fuiſſe auctorem. perſtas adhuc in inſania tua,
ponderans quo pacto molitur Satan ſanctum virum adi-
gere in furorem: Sabæi crudeliter, & impiè in aliena bo-
na prædando inuolant: agnoſcit Iob, ſe diuinitus exutum
eſſe omnibus fortunis, & ſe pauperem factum, quia ſic
placuerit Deo. atque concludis, quòd quidquid homines
agitent. vel Satan ipſe, Deus tamen clauum tenet, vt ad
exequenda ſua iudicia eorũ conatus conuertat. Poſtea
verò quàm crudelior tu in Iob, quàm flagitioſi illi latro-
nes atque nefarij fuerint, patientiſsimi hominis angu-
ſtiis ac miſeriis valde recreatus & ſubleuatus, de diuina
prouidentia triumphare tibi viſus, ad Regnorum libros
iam tranſuolas, victoriç palmam vndique conquiſiturus.
2. Reg. 22. inducis perfidũ regem Achab, quem vult Deus decipi: o-
peram ſuam offert diabolus: mittitur cum certo mãdato,
vt ſit ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum. Si
Dei (arguis) iudicium, eſt excæcatio & amentia Achab,
nudæ permiſsionis figmētum euaneſcit: quia ridiculum
eſſet, iudicem tantùm permittere, non etiam decernere,
quid fieri velit, & mandare executionem miniſtris. omit-
tis antiqua, ad noua reuerteris, & in memoriam nobis re
Act. 4. uocas, quòd, cùm Iudæis propoſitum eſſet Chriſtum ex-
tinguere, Pilatus, & milites rabioſæ illorum libidini mo-
rem gerunt: fatentur tamen in ſolẽni precatione diſcipu-
li, nihil feciſſe omnes impios, niſi quòd manus, & conſi-
Ibidem 2. lium Dei decreuerãt, ſicuti iam concionatus fuerat Pe-
Ibidem 3. trus definito conſilio & præſcientia Dei traditũ fuiſſe, vt

interficeretur. ac ſi diceret, Deum (quem nihil ab initio latuit) ſcientem & volentē ſtatuiſſe, quòd Iudæi executi ſunt,ſicuti alibi repetit, Deus, qui prænuntiabit per omnes ſuos prophetas,paſſurum eſſe Chriſtum, ita impleuit. Iterum vetera repetere te iuuat,referens, ꝙ Abſalom inceſto coitu patris torum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronũtiat. verba enim ſunt, Tu feciſti occultè, ego verò palàm faciam,& coram Sole hoc. quòd quidquid ſæuitiæ exercent Chaldæi in Iudæa,opus Dei eſſe pronuntiat Ieremias: quòd hac ratione Nabuchodonoſor vocatur Dei ſeruus: quòd clamet paſsim Deus, ſuo ſibilo, tubæ ſuæ clangore, imperio, & iuſſu excitari impios ad bellum: quòd Aſſyrium vocat virgam furoris ſui,& ſecurim,quā manu ſua mouet: quòd cladem vrbis ſanctæ & templi ruinam vocat opus ſuum: quòd poſtremò Dauid non obſtrepens Deo,ſed iuſtum iudicem agnoſcens,ex illius tamen iuſſu prouenire maledicta Semei fatetur. Dominus,inquit,iuſsit eum maledicere. Sæpius in ſacra hiſtoria occurrere inquis,quidquid accidat,proficiſci à domino,ſicuti decem tribuum defectionem, interitũ filiorum Heli, & eiuſdem generis permulta. eos etiam, qui mediocriter exercitati ſunt in ſcripturis, videre dicis, te ex multis pauca tantùm proferre teſtimonia,vt breuitati conſulas: ex quibus tamen ſatis ſupérque liquere eis nugari nos & ineptire,qui in locum prouidentiæ Dei nudam permiſsionem ſubſtituimus, ac ſi in ſpecula ſedens expectaret fortuitos euentus,atque ita eius iudicia penderent ab hominum arbitrio. Hæc tu, immo vlteriùs progreſſus,peſsimarum etiam cogitationum auctorem Deum eſſe voluiſti: atque,vt affirmas,quantũ ad arcanos motus ſpectat,quod de corde regis prædicat Salomō, flecti huc vel illuc,prout ei viſum eſt, ad totum certè humanum genus extenditur,tantũdémque valet, ac ſi dixiſſet, Quidquid animis concipimus, arcana Dei inſpiratione ad ſuum finem dirigi,vt niſi intus operaretur Deus in mentibus hominum,non rectè dictum fuiſſe tibi videatur,auferre labium à veracibus, & à ſenibus prudentiam,auferre cor à principibus terræ,vt errẽt per deuia. atque huc pertinere vis,quod ſæpe legitur, homines eſſe

2. Reg. 16. *Ibid. 12.* *Ierem. 50.* *Ieſ. 5.* *Ieſ. 19.* *2. Reg. 11.* *1. Reg. 2.* *Prouer. 21.* *Ezech. 7.* *Leuit. 26.*

pauidos,prout eius terrore eorum corda occupantur. ſic
1.*Reg*.26. Dauid è caſtris Saulis,nemine ſciente, egreſſus eſt, quia ſopor Dei ſuper omnes irruerat. Horum Caluine veluti pertæſus,ad id, quod ſuperiori argumento tetigeras, reuerteris,nihil clarius deſiderari poſſe exiſtimans,quàm vbi toties pronuntiat,ſe excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere,ſoporis ſpiritu inebriare, amentiam incutere,obdurare corda. Quòd ſi hæc ad permiſsionem reiicere volumus,mox tu obiicis, diſertè ſpiritum exprimere,iuſto Dei iudicio cæcitatem infligi, atque amentiam,vt quàm friuola illa noſtra ſolutio de permiſsione
Rom.7. ſit,intelligatur. Inducitur prętere abs te Pharaonis induratio,cuius cauſſa non illius libera voluntas,ſed magis diuinum imperium in eam obſtinationem miſeri hominis cor flectens & cogẽs,abs te ponitur. Tenebo,inquit
Exod.8. Deus,cor illius. ſic & incolas terræ Chanaam Moſes dicit,fuiſſe in pugnam progreſſos,quia eorum corda Deus
Ioſue 11. roboraſſet. quod idem ab alio propheta repetitur, Ver-
Pſal. 105. tit eorum cor,vt odio populum ſuum haberent. ſimiliter apud Eſaiam contra gentem fallacẽ miſſurum ſe Aſ-
Eſa.10. ſyrios pronuntiat,ac præcepta daturũ,vt ſpolia auferant, & prædam diripiant. neque hoc iccirco eſſe vis, quòd impios & præfractos homines ad ſponte parendum docere velit:ſed quia flexurus ſit ad exequenda ſua iudicia perinde,ac ſi iuſſa eius inſculpta geſtarent. vnde apparet certa deſtinatione Dei,quam pro ſua volũtate retractare nequeunt,impulſos fuiſſe. & ne Deum tantùm mali conſilij ſeminatorem eſſe diceres,diabolum etiam ei adiungis: immo vt video,in malo perpetrando,& exequendo primas partes Deo tribuis,qui eius rei primus auctor eſſe dicitur,quamuis Satan ipſe, tanquam miniſter, ſuas partes ibi agat. *Turbat ſpiritus malus Saulem,excæcat Satan infidelium mentes. Sed vnde hoc? niſi quòd à Deo ipſo omnis erroris efficacia manat,ipſeque in cauſſa eſt præ omnibus, vt mendaciis credatur, veritati verò parère renuatur*. iam verò, vt prius tuum argumentum,quod de opere exteriore erat, cum poſteriori, quod, vt videmus, ad latentes motus ſpectat, vno verbo coniungas, ſic hæc duo connectis, *Secundum priorem rationem dicitur,ſi propheta quiſpiam locutus*
Ezech. 14. *fuerit mendaciter, Ego Deus illum decepi.ſecundum alteram ve-*

rò dicitur, dare homines in reprobum ſenſum, proiicere in fædas cupiditates: quia iuſtæ ſuæ vindictæ præcipuus eſt auctor, Satan verò miniſter tantùm. poſtremò, ne crederemus mala hæc ſine ſtatuta & præfixa voluntate diuina ipſum operari in reprobis, infinitis ſcripturarum teſtimoniis nos oneras, vt probes, hæc omnia flagitia à diuina mente & voluntate proficiſci. *Sicut Deo placuit, ita factum eſt: dicebat patientiſſimus Iob. Non obtemperarunt patri ſuo filij Heli: quia voluit Deus occidere eos: dicit alibi ſcriptura. Deus, qui in cœlo reſidet, quæcunque voluit, fecit: clamat Dauid. Lucem ſe creare & tenebras, Bonum formare & malum, Nihil mali accidere, quod ipſe non fecerit, & voluerit: per prophetas ſuos vbique clamat Deus. Atque ſicuti docet Moſes, eum, qui fortuitò ſecuris lapſu occiditur, diuinitus traditum eſſe in manum percuſſoris: ita tota eccleſia dicit apud Lucam, Herodem & Pilatum conſpiraſſe, vt facerent, quæ Dei manus & conſilium decreuerat. Et ſanè* (plenis buccis perſonas) *niſi Deo volente crucifixus eſſet Chriſtus, vnde nobis redemptio?* & ne tibi difficiles & moroſi eſſemus in hac parte opponentes, quî fieri poſſit, vt aduerſum id, quod ſua voluntate & lege prohibuerat, ne fieret, nunc, mutata voluntate, cogat & flectat ad faciendum, tu homo ingenioſus, in ſacris litteris non ſine maxima omnium admiratione feliciter verſatus, ſic argumẽtum elidis, *Neque tamen ideo vel ſecum pugnat, vel mutatur Dei voluntas, vel quod vult, ſe nolle ſimulat:* atqui nobis ita videtur Caluine, tibi verò, qui oculatior es, perſpicaciorique intuitu polles, quid, rogo, apparet? *Immo, cùm vna & ſimplex in ipſo ſit voluntas, nobis multiplex apparet: quia pro mentis noſtræ imbecillitate, quomodo idem diuerſo modo fieri nolit & velit, non capimus:* ſtatímque imbecillitatẽ noſtram nos admones, quam cupis ſemper nobis in memoriã venire, vt & ſimul reputemus myſterium abſconditum in ſapientia & lucem, quam inhabitat, non fruſtra vocari inacceſſam, quia caligine eſt obducta. & quaſi multùm ad tuum propoſitum faceret præclara Auguſtini ſententia, eã nunc tu vſurpas. ergo huic Auguſtini ſentẽtiæ religioſi omnes & modeſti facilè acquieſcent. Interdum bona voluntate hominem velle aliquid, quod Deus non vult. velut ſi bonus filius patrem viuere vult, quẽ Deus vult mori: ita ineffabili modo nihil ſit præter eius voluntatẽ, illud etiã,

Rom. 1.
Iob 1.
1. Reg. 2.
Pſal. 115.
Ioſ. 45.
Amos 3.
Deut. 19.
Act. 4.
Enchir. ad Lauren. cap. 101.

quod contra eius voluntatem fit. Ad hæc quia te nimiũ vrgebat noſter alter (vt ipſe vocas) cauillus, quòd ſi non modò impiorum opera vtitur Deus, ſed etiam conſilia & affectus gubernat, cùm ſcelerum omnium auctor abs te habeatur, immeritò damnantur homines, ſi exequantur quod Deus decreuerit, immò quòd ſic inſpirat, vt flectat & trahat, quò eius voluntati obtẽperetur: ad hoc reſpondes perperam à nobis miſceri cum præcepto volũtatem, quam longiſsimè ab illo differre innumeris exẽplis pro-
2.*Reg*. 10. bas. *Voluit*, inquis, *Deus ab Abſalone Dauidicum torũ fœdari, non ideo tamen ſcelerato filio inceſtum committere præcepit.*
Oſeæ 8. *Meritò proinde ea Deus facta punit, quæ certo ſuo iudicio fieri*
Oſeæ 13. *vult*: probas ex electione regis Ieroboam, & ex hiſto-
3.*Reg*.12. ria, quæ refert, filios regis Achab iugulatos, totámque
4.*Reg*.10. eius progeniẽ exterminatã. tandẽ verbis Auguſtini, etſi non ſenſu, vniuerſa iſta tua ſic claudis, *Iam antè liquidò, ni fallor, explicui, quomodo in eodem opere tam ſe prodat hominis crimen, quàm refulgeat Dei iuſtitia: & modeſtis ingeniis ſemper hæc Auguſtini reſponſio ſufficiet, Cùm pater tradiderit filium, & Chriſtus corpus ſuum, & Iudas dominum, cur in hac traditione Deus iuſtus eſt, & homo reus, niſi quia in re vna, quam fecerunt, cauſſa non vna eſt, ob quam fecerunt?* Quòd ſi adhuc non ſuſtinemus, nóſque magis impedit, quod nunc dicis, nullum eſſe Dei cum homine conſenſum, vbi hic iuſto illius impulſu agit: quod ſi fiat, non licet: ſuccurrat (tu vis) quod alibi idem Auguſtinus admonet, Quis non ad iſta iudicia contremiſcat, vbi agit Deus in cordibus malorum quidquid vult, reddens eis tamen ſecũdum eorum merita? quibus hoc aſperum videtur, quàm intolerabilis ſit ſua moroſitas, expendis, ſuadens pauliſper à nobis cogitari, quòd rem claris ſcripturæ teſtimoniis teſtatam, quia excedit noſtrum captum, reſpuimus, ac vitio vertimus: quam certè Deus, niſi ſciuiſſet, vtilem eſſe cognitu, nunquam per prophetas ſuos & apoſtolos doceri iuſsiſſet. nec ſapere noſtrum quidquam aliud eſſe ducis, quàm manſueta docilitate amplecti, & quidem ſine exceptione quidquid in ſacris ſcripturis traditum eſt. qui verò ſecus autumant, cùm tibi videantur errare, atque cõtra Deum blaterare, longiori confutatione dignos eſſe non cenſes.

Caluini prænotata argumenta eliduntur, ac veris catholiciſque rationibus demonſtratur, ſic Deum nobis præeſſe, vt prauas operationes noſtras in ipſum refundere minimè poßimus.

CAP. LIII.

ISta nimirum eſt hominis fides, iſta doctrina, iſtiuſmodi eſt Caluinianus Deus, prauorum ſcilicet affectuum educator, & altor, bellorum, & inimicitiarum ſator, inceſti flagitij, & ſtupri auctor, ſcelerum deteſtabilium patrator, ſæuitiæ Chaldæorum, & nefandorum criminum vnicum ſeminarium, ſceleris parẽs, ſuis iniurioſus, homines ad mala impellens & incendens, miſeros excæcans, volũtate ſua ac iuſſu malũ decernens confieri, quod aliâs prohibuit, & ipſum executioni mandãs, ſuo ſibilo, & ſuæ tubæ clangore ad iniuſtum bellum impios, nihil tale cogitantes, excitans, tribus terrę, ac gentes à iuſto, & recto deflectere cogens, his, quos ſemel creauit, & quotidie gubernat, amentiam infligens, corda indurans, mentes aggrauans, ne ſuæ vocis ſonitu tangãtur, quos perdere iam ab æterno decreuerit, vertens homines in malum, flectens in boni odium, ac reluctantes quidem, omni efficacia erroris ſcatens, & manans, in reprobum ſenſum homines tradens, in fœdas cupiditates proiiciens, vltionis, vindictæ, punitionis amantiſsimus: qui quò eius prouidentia in cunctis hominum conſiliis, atque operibus eniteat, electos libertate priuat, neceſsitati eos addicens, reprobos verò in obſequium cogens, & in malum flectẽs. O pulchrã Dei iſtius prouidentiam, quæ ſuum poſſeſſorẽ pluſquam ſicarium, pluſquam homicidam, pluſquã paricidam reddit. Quid ita? Cur quæris? poſtquam filiũ ſibi coæternum, & conſubſtantialem, ſuæ glorię ſplendorem, diuinæ ſubſtantiæ figuram, infinitæ bonitatis imaginem, ſanctorum beatitudinem, angelorum delicias, noſtram omnium ſpem ea prouidentia patrem coegit, tantum ac talem alioqui filium cum Iuda licere, ac vendere, cum iniquiſsimo miniſtro alapis cædere, cum Pilato iniuſtam ſententiam dicere, cum Iudæis mortis reum facere, cum militibus poſtremò mortis ſæuæ ſupplicio appendere. vt omittam interim odium, inuidiam, iram inueteratam, qua perditi illi homines Dei filium pro-

ſequebantur, vt etiam prætercam falſa illius gentis in fidei noſtræ auctorem & conſummatorem teſtimonia, dolos ac fraudes, quas ei intendebant, quorum omnium iſte tuus Deus vſque eò abs te auctor fuiſſe creditur, vt Satanæ etiam vicariis operis, auxiliatibúſque copiis in eam rem vſus fuerit, quaſi minus ipſe in tam egregiam laudem ſufficeret: talémne tu Dei filio patrem prębueris, qualémne iudicem quidem tibi cupias? Quis tyrannus innocentem & iuſtum, qui ſe nuper aduerſariorum calumniis expoſuerat, neque quod illi opponerent, habuerunt, eum pro tribunali ſedens non modò mori permittat, verùm etiam moriturum decernat, & iniuſtam ſententiam executioni mandet, quòd ſui conſilij excellentiorem ſe finem habere in ſua prouidentia cauſſetur? nō enim ſunt facienda mala, vt inde veniant bona, Paulus dicebat. talem Deum ſeruato tibi. Deus noſter optimarum cogitationum ſator & ſeminator eſt, pacis auctor, totius conſolationis pater, ſanctitatis parens, iuſtitiæ exemplar, religionis commendator: lucis fons, omnem hominem illuminans, quaſque tenebras depellens: bonos amplectens, miſeros animans, laborantes reficiens, ad bonum inuitans ſpe præmiorum, à malo auocans pœnæ timore, omnes iuſtis ſuis legibus in officio continens, nihil, niſi quod iuſtum eſt, faciens, nihil, niſi quod ſanctū eſt, faciendū præcipiens, & cōmendans, ſubtrahēs aliquādo ſui cæleſtis fauoris, & diuinę lucis auxiliū pro meritis obſtinatorum hominum, ac ſceleribus, paratiſsimus tamen, & expeditiſsimus ad ſubueniendum, qui ſuæ gratiæ diuitias non modò hominibus malè commeritis non negat, ſed in eos ſæpe diffundit, habens quidem & pro exercendis iuſtis, & pro ſuæ diuinæ maieſtatis bonitate læſa iuſtè vindicanda ipſum Satanam, ſceleſtiſsimóſque latrones, & corruptiſsimos homines, iniquitatis vaſa, apta in interitum, ſuæ iuſtitiæ miniſtros. Tentat Deus iuſtos, hoc eſt, tentari permittit, morbis, bonorum proſcriptione, corporis dolore, quò huiuſmodi calamitatibus atque ærumnis homines exploret, non vt ſciat, qui omniſcius eſt, ſed vt piorum fides ac virtus perſpecta & cognita aliis habeatur. immittit afflictiones, non vt perdat, ſed vt pro ſua bonitate materiam, ſegetémque pietati ſuppe-

Rom. 3.

Qualis ſit eccleſiæ Deus.

Quare Deus iuſtos tentari permittat

ditet, id eſt, occaſionem præbeat augendi & amplificandi præclaras illas virtutes, fortitudinem ſcilicet, conſtantiam, patientiam, fidem,& ſpẽ,quæ præclaræ virtutes in id genus tentationis & afflictionis ſeſe maximè exercẽt. hæc prior tentatio à Deo noſtro non ad malum fit,ſed ad piorum probationem, & cognitionem. Quare in aduerſis & preſſuris ne frangamur, animos ne deſpondeamus, puſillanimes non efficiamur, ſed memores ſimus, (vt ait Iudith) quòd tentati ſunt antiqui patres, vt probarentur, ſi verè colerent Deum ſuum. ſic Abraham tentatus eſt: ſic Iſaac per multas tribulationes probatus eſt: ſic Iacob anguſtiæ,& tribulationes amiciſſimum Deo reddidere: ſic Moſes ipſe anguſtiis & preſſuris creuit, & exaltatus eſt: ſic omnes ij in occiſione gladij, in anguſtiis, in carceribus(dicebat Paulus)anguſtiati ſunt, afflicti ſunt, tentati ſunt: ſic idem ipſe Paulus propter Deũ,& iuſtitiã, patiẽter afflictiones tolerabat,ſpe beatus viuebat,&,cũ in terris malè à ſpiritu Satanæ exerceretur, & tractaretur,eius tamen conuerſatio in cælis erat. ſignum enim,& arrhabonem beneuolentiæ, fauoríſque diuini ad beatitudinem à Deo habebat: quod neque reticuit apud eundẽ Paulum idem ipſe,qui eum per Satanam tẽtabat, dicens, Sufficit tibi Paule gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Tentatio hæc, Caluine,ſiue afflictio Deum non abeſſe indicat,immo amorem Dei erga eum, qui tentatur,exprimit. Beatus homo, qui corripitur à domino,dicebat patientiſsimus Iob. Quem diligit dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit, Paulus inquit. Primus hic & nouiſsimus, qui fuit mortuus & viuit. nouit optimè tribulationem noſtram, & paupertatem noſtram: &, ne tribulationibus noſtris cedamus, aduerſum eas multò antè & fauore præmunit, & verbo ſuo roborat, & ſpe ac præmio victoriæ humaniſsimè conſolatur,& firmat. Eſto,inquit,fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronã vitæ. De hoc genere priore tentationis S.Iacobus apoſtolus in ſua canonica nos hortatur dicens, Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe. mox verò de altero genere tentationis mentionem faciens addit, Nemo,

Duplex genus tentationis.

Iudith 8. *Gen.* 12.22 *Eccleſi.* 44. *Gene.* 27. *et in ſequẽtib*⁹ *Exod.* 1. 2. *Heb.* 11. *Rom.* 5. 1. *Corin.* 4. 2. *Cor.* 1. *&* *alibi ſæpe.* *Philip.* 3. 2. *Cor.* 12. *Iob* 5. *Heb.* 12. *Apoc.* 1. 3. *Apoc.* 2. *Iacob.* 1.

cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminẽ tentat. vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. ad quod ſanè tentationis genus ſpectat, cùm Satanæ ſuggeſtionibus & carnis affectibus tentantur homines, tentationibúſque non rarò ſuccumbunt. vbi alij ad mortem æternam ſic cadunt, vt nunquam reſurgant: alij Dei beneficio poſt lapſum reſipiſcunt, & humiliores, cautioréſque redduntur. ô Caluine, Deus meus hac tentatione nunquam hominem vrget & exercet: vt dicere ſemper caueamus, ad peccatum ab ipſo Deo concitatos nos fuiſſe: nec carnales nos Deum noſtrum iniuſtitiæ arguamus, ſed morbum proprium agnoſcentes, ſalutaris medelæ remedia ab eo quæramus & poſtulemus, qui tẽtari nos permiſit, non autem fecit. faceſſat hinc caro, faceſſat, & ſpirituales nos ſpiritalia amplexemur, nos peccatores agnoſcamus, ac peccati auctores, dæmonem mala ſuggerentem, & ad malum incitantem timeamus. vitã noſtram turpiter actam, quæ in cauſſa fuit, vt in tentationem induceremur, vtque Deus nos ſuis beneficiis priuaret, cum lacrymis deteſtemur, & execremur, Deum tandem ipſum, quem nouimus ad bonum nos ſemper fuiſſe cohortatum, nobíſque ſuis auxiliaribus copiis paratiſsimum, & nunquam ad malum nos excitantem experti ſumus, adoremus, & à malo liberatorem fide viua complexemur. A natura Dei ſanctus Chriſti apoſtolus aduerſus huiuſmodi blaſphemos, qui culpam ſuam in Deum quoquo pacto reiiciunt, argumentatur dicens, Deus intentator malorum eſt. quaſi diceret, Quî fieri poteſt, vt Deus ſuapte natura bonus, atque malorum expers, & qui malus eſſe nequit non minùs, quàm quòd Deus eſſe deſinat, nos tentet, id eſt, ad malum prouocet, concitet, atque præcipitet? certiſsimum eſt, eam epiſtolam aduerſus eos ſcriptam eſſe, qui fidem verbis profeſsi, eandem vita & factis (vti nunc facit Caluinus) negabant: qui, vt interim à malis, & peccatis ſuis ſe excuſarent, totam ſuorum ſcelerum culpam Deo auctori aſcribebant, dicentes, Deus ſic voluit, quis poterit ipſi reſiſtere? at hi vehementer errant: nã etſi Deus omnia in omnibus operetur, non eſt tamen culpa peccati in eum reiicienda, ſed in nos ipſos,

Quotquot in peccata prolabũtur, ſua ipſorum culpa cadunt.

Quæ ſit ſcelerum noſtrorum cauſſa.

& malos noſtros affectus, malámq; voluntatẽ noſtrã, qua deſideriis, & cõcupiſcentiis adhæremus. Deus malũ prohibet: quomodo ergo nos ad peccandũ incitaret? omne, quod iubet, iuſtũ eſt: quomodo ergo ſtare poterit, quod à Caluino dicitur, Velimus, nolimus, animum noſtrũ, tametſi de malo ſit ſermo, à motione Dei & ſuggeſtione potiùs, quàm ab electionis noſtræ libertate pendêre? eſt, fateor, rerum omnium principium Deus, ipſe quidem eſt cauſſa mali, ſed cauſſa, (vt cum doctoribus loquar) ſine qua non: permittit malum, non autem immittit peccatum: hoc eſt, non peccati auctor eſt, ſeu culpæ, & deformitatis, quæ priuatio quædam eſt, non habens (vt familiarioribus theologicæ ſcholæ verbis vtar) efficientem cauſſam, ſed deficientem, voluntatem ſcilicet creatam, vt defectiuam. quare optimè ſequitur, Vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Cùm à Deo culpa non ſit, cui imputabimus peccatum noſtrum? aiunt carnales. at apoſtolus reſpondet, Vnuſquiſque, dum tentatur, (hoc eſt, ad malum & peccatum impellitur) vtique allicitur à propria concupiſcentia, ex ſeminario illo peccati, ſiue à procliuitate illa ad peccandum nobis inſita & innata ex primorum parẽtum vitio. Obſerua Caluine, quemadmodum peccatum noſtrum eſt, quod diuina permiſsione & ex diabolica ſuggeſtione, & concupiſcentia noſtra natum eſt. reiice ergo culpã in teipſum, qui ſuggeſtioni adhæres, qui tentatori ad malum inuitanti, non cogenti, vltro & liberè auſcultas. non in conſiliis tãtùm, & in finibus diuerſitas eſt, verùm & in modo ipſo, quo Deus, & Satan, & homo ipſe in malam operationem concurrunt. Deus ſiquidem præterquam quòd cuncta & animata, & inanimata ad ſuas operationes iuxta à ſua voluntate leges pręfixas ad proprias actiones permouet, præter id ſanè, Deus fons eſt, & origo bonorum omnium, permittens aliquando malum fieri, qui ad opem ferendam præſtò eſt: diabolus verò inuitat, inſtigat, vrget, nunquam tamen in malum cogit: homo denique ipſe peccator & miſer, ſuæ ipſius concupiſcentiæ laqueis irretitus, voluptatíſque blandis illecebris delinitus, vltro tenetur. rurſum Satanæ affligendum ſeruũ ſuum dominus permittit, affligentes eum torquere ſinit, vt, cum per tribulationis ignem eliquatus fuerit ſanctus,

Cal. lib. 2. c. 4. ſect. 7.

Deus cauſſa mali quomodo eſſe dicatur.

Iacob. 1.

Diuerſus finis tentationis Dei ac dæmonis.

Quare Deus ſinat hominem à diabolo tẽtari.

expurgatus, & excoactus, ſolidior conſtantiórque in fide viua euadat. hic eſt à diuina bonitate præfixus finis: Satanæ autem ſcopus eſt, vt tam eos, quorum operis vtitur ad exercendum, quàm ipſum, quem exercet, perdat, & in præcipitium deſperationémque trahat: qui verò malè ſuadenti conſentiunt, aut vindictam, aut voluptates, aut certè diuitias vltimum ſibi finem ſtatuunt: quem pro patrandis ſuis facinoribus, atque ſceleribus ante oculos ſuos collocant, vt ſemper verum ſit dicere, Deum noſtrum ſalutis noſtræ initium, non perditionis fontem eſſe, bonorum omnium originem, non alicuius mali auctorem, aut principium. Velis nolis Caluine, à Deo meo malum ſcaturire non poteſt. habet quidem ſæpe ſceleratos & flagitioſos homines, ipſum etiam Satanam ſuæ iuſtitiæ miniſtros. permittit mala aliquando venire, ad ea tamen nos nunquam prouocat: ne fiant, prohibet, ſed, vt facta æterno ſuo iudicio, infinitáque ſapientia in meliorem finem exeant, perficit: ne calumniari poſſet, aut garrire ſtulta noſtra cogitatio, ſine vllo bono fine ea mala Deum permiſiſſe. hic Deus ſic mundum dilexit, vt filium ſuum vnigenitum nobis daret, quem pro omnibus nobis tradidit. tradidit quidem, illi non parcēs, permittens inſontem, & innocentem cruci ſuffigi, cùm poſſet crucifixores ſuos viuentes in inferni carcerem contrudere, & pluſquam mille legiones angelorum in filij auxilium mittere, ne Iudæis traderetur. ánnon tibi tradidiſſe videtur eum filium, quem, cùm vnicè amaret, in luporum carnificinam mitiſsimum agnum coniecit? qui inter medios gladios aduerſariorum inermem & imbellem filium, vt pacificaret omnia, obtulit? niſi ergo homicidas illos in ſui filij mortem inflammet, eum mori voluiſſe tibi non videbitur? Verùm, ne nos ampliùs iſtæc detineant, non negamus quidem certe, quòd ille tuus Deus nobis nouus eſt: hic verò noſter, vnde bona vniuerſa nobis profluunt, & mali nihil, antiquus Deus eſt, & Deus patrum noſtrorum: in quem quotquot fide viua proſpexerint, omnem ſuam culpam deteſtabuntur, ſeipſos peccati auctores cognoſcent, Deum, vt miſericordiæ parentum, obſeruabunt, colent, & venerabuntur, qui eos è cœno peccati, & morte in puritatem & vitam

Mali homines ſæpe miniſtri ſunt diuinæ iuſtitiæ

Ioan. 3.

Quo pacto ſit intelligēdū, Deū filium ſuum tradidiſſe.

tam

tam feliciſsimè & perhumaniter traduxit. huic ſoli Deo honor & gloria, hic benedictus in ſæcula, hic domino noſtro IESV Chriſto natura pater eſt, nobis verò electione & gratia, ſeu adoptione, huic feſtinè ſemper cum poeta canere licebit.

Nanque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram
Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.

Qui ſint fructus doctrinæ de prædeſtinatione: eius diſquiſitionem perplexam, & periculoſam eſſe: quæ ſcire expedit, nobis eſſe detecta: prædeſtinationis arcana non omnibus ſine delectu eſſe obiicienda, ſed Dei myſteria cum ſobrietate eſſe delibanda. CAP. V.

DIximus, quòd ſicut ad Deum noſtrum infinita ſapientia & prouidentia pertinet, ita ad eius inexhauſtam bonitatem ſpectat æterna ſanctorum electio: oſtendimus copioſè ſatis, vt mea fert opinio, ſic Deum cunctis præeſſe, vt prauam hominis operationem in ipſum reiicere ingẽs habeatur nobis piaculum, neque pars ſit vlla ſuæ diuinę prouidentiæ ad praua flagitia nos miſeros irritare, ſed rectè peccata permittere in vlteriorem finem ea præordinando: nunc verò elaborandum nobis eſſe cenſemus, vt (quod iſte non fecit) æternam ſanctorum electionem, reproborúmque hominum præſcientiam cum iuſtorum meritis, & peccatorum demeritis optimè concordemus, & ipſam æternam prædeſtinationem à ſuperba hæreticorum, inaníque ſecuritate vendicemus. hîc etiam dare operam oportet, vt & ſimul breuitatis nobis ratio habeatur, & nihil etiam omittatur eorum, quæ inſtituto inſeruire videbuntur. Principiò de electione æterna, qua Deus alios ad ſalutem, alios ad interitum prædeſtinauit, quàm ea ſit perplexa, nemo eſt, qui neſciat. addimus etiam, quòd ſi ſuus modus huic doctrinæ præ aliis adhibeatur, eius ſuauiſsimus fructus ſe nobis ſtatim proferet: non quòd dicamus cum Caluino, ex hac diuina prædeſtinatione nobis emergere Chriſti eccleſiam, quæ alioqui inueniri, nec inter creaturas agnoſci queat: (abſit) firmiter ſiquidem credimus multos reprobos huius eccleſiæ membra eſſe, qui ipſius fidem. atque etiam quotquot nunc aut infideles, aut hæretici *Reprobi ſũt membra eccleſiæ.*

ſunt,intra eccleſiam nō contineri fatemur: quamuis eos, conſtituto à diuina prouidentia tempore, vocaturus, iuſtificaturus,magnificaturus tandem ſit Deus. De eccleſia fuit aliquando Iudas,eiúſque pars non omnino minima, vt qui apoſtolica celſitudine excelleret, qui, effuſis viſceribus,in locum pro ſceleribus, commeritum infelicisſimus abiit.contrà Paulus, à Deo ante mundum conſtitutum in æternam beatitudinem deſtinatus, eius eccleſiæ membrum non erat, dum minas & cædes in domini diſſcipulos ſpiraret, pro qua ſæpe mori poſtea vehementisſimè optauit.Sint ergo doctrinæ de prædeſtinatione huiuſmodi fructus: primus omnium, vt nos inde deiiciamus, humiléſque reddamur, dum ſemel cognouerimus non à nobis ipſis,ſed à Deo pendêre nos pro æterna felicitate conſequenda. alter, vt ea doctrina plurimùm valeat, vt quàm ſimus Deo obſtricti, ex animo ſentiamus. poſtremus, vt non alibi noſtræ fiduciæ fultura ſit, quàm in Deo,eiúſque mandatis aſſeruandis, qui nos inter tot diſcrimina, inſidias, conflictúſque nimiùm conſolatur, metu liberat, inuictóſque reddit. Hoc ſit primum, quod hîc conſideratum à nobis fuiſſe initiò voluimus. Rurſum mihi optimè arridet ſanctorum patrū ſæua obiurgatio in eos, qui in eiuſmodi diſputatione de prædeſtinatione ex ſe valde impedita, valde perplexa, atque adeò periculoſa,vana ſua curioſitate, quæ nullis repagulis cohiberi poteſt, ſic per inuectas ambages euagantur, & in ſublime ſe proripiunt, vt nihil ſit arcani, quod non ſcrutari atque euoluere præſumant. Meminerint igitur iſti in prædeſtinationē,dum ſic curioſè inquirunt, ſe in diuinæ ſapientiæ adyta penetrare: quò ſi quis ſecurè ac confidenter prorumpat, nec quidquam, quò ſuam curioſitatem exaturet, aſſequetur, & labyrinthum ingredietur,cuius nullum exitum reperiet. neque enim æquum eſt, vt quæ in ſeipſo abſcondita eſſe dominus voluit, impunè homo excutiat, & ſapientiæ ſublimitatem(quam adorari,& non apprehendi voluit, vt per ipſam quoque admirabilis nobis foret) ab ipſa æternitate euoluat. quæ nobis patefacienda cenſuit voluntatis ſuæ arcana, ea vel verbo ſuo prodidit, vel certè eccleſiæ explicanda concredidit. quæ etiam ea nobis reuelat, quæ

Act.1.

Act.9.

Fructus doctrinæ de prædeſtinatione

Diſquiſitio de prędeſtinatione perplexa eſt & periculoſa.

Quę ſcire expedit, nobis reuelātur

ſcire nos, nobiſque conducere præuidet. Peruenimus in viam fidei, inquit Auguſtinus, eam teneamus. ipſa perducit ad cubiculum regis, in quo theſauri omnes ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi ſunt. non enim ipſe dominus Chriſtus ſuis magnis & ſelectiſſimis diſcipulis inuidebat, cùm diceret, Multa habeo vobis dicenda, quæ nõ poteſtis portare modò. ambulandum eſt, proficiendum eſt, creſcendum eſt, vt ſint corda noſtra capacia earum, rerum, quas modò capere nõ poſſumus; quòd ſi nos dies vltimus proficientes inuenerit, ibi diſcemus, quod hîc non potuimus. Hæc cogitatio, ſi(vt par eſt)apud nos valeat, non ſolùm verbum domini, (vt vult Caluinus) ſed eccleſiæ ſenſus de verbo domini vnica nobis erit via, quę ad inueſtigandum quidquid de Deo teneri fas eſt, nos deducet. hoc vnicum erit lumen, quod, ad perſpiciendum, quidquid de ipſo conſpici oportet, prælucebit nobis: hoc vnum facilè nos ab omni temeritate compeſcet ac cohibebit. ſcimus enim, vbi primùm non verbi fines, Caluine, ſed eccleſiaſticæ doctrinæ terminos exceſſerimus, nobis extra viam, & tenebricoſum eſſe curſum, in quo errare, labi, impingere identidem ſit neceſſe. Eſto igitur primùm nobis hoc præ oculis, aliam prędeſtinationis notitiam appetere, pręter eam, quæ ex verbo Dei ab eccleſia tenenda, & explicanda decernitur, non minoris eſſe inſaniæ, quàm ſi quis vel per inuium incedere, & in tenebris cernere velit. neque verò, vt nos iam olim dicebamus, pudeat homines aliquid in ea re ignorare, vbi eſt aliqua docta ignorantia. quin potiùs ab eius ſcientiæ inquiſitione abſtineamus, cuius eſt cùm ſtulta, tum periculoſa, atque adeò extialis affectatio. quòd ſi nos nimiùm ingenij noſtri laſciuia vrgeat, ſemper illud, quo retundatur, opponere expediet: ſicut nimium mellis non bonum eſt, ita inueſtigationem gloriæ non cedere curioſis, malum eſt. eſt enim, cur ab ea audacia abſterreamur, quæ nos in ruinam præcipitare poteſt. neque probare poſſumus, quod hîc Caluinus, vt vulgatem auram captet, affirmat, cauendum ſcilicet nobis, ne à tanto ſacramento prædeſtinationis æternæ fideles, quoſlibet vulgares ac plebeios arceamus. etenim ſemper in ea fui ſententia, vt coram rudi po-

Prouer. 25.
Orig. hom. 2. in Eſaiã
Coram rudi

populo quæ ſint tractanda. pulo, qui modum tenere neſcit, ſæpius illa vox à nobis inculcetur, Si bene egeris, recipies. &, Ibunt, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala, in reſurrectionem iudicij. &, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. &, Si non es prædeſtinatus, fac prædeſtineris. &, Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. &, Recipiet homo, prout geſſerit, ſiue bonum, ſiue malum in corpore ſuo. &, Reddet vnicuique iuxta opera ſua. &, Gloria omni homini, operanti bonum. &, Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. Nónne ſi bene egeris, recipies? &, Eius ſerui facti eſtis, cui exhibuiſtis vos ad obediendum, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam. &, Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut domino, & non hominibus, ſcientes, quòd à domino accipietis retributionem hæreditatis. domino Chriſto ſeruite. QVI enim iniuriam facit, recipiet id, quod iniquè geſſit: & non eſt perſonarum acceptio apud Deum. &, Igitur non dormiamus, ſicut & ceteri: ſed vigilemus, & ſobrij ſimus, ne repentinus nobis ſuperueniat interitus, ſicut dolor in vtero habenti, & non effugiemus. &, Operamini, dum dies eſt, ne nox vos opprimat. &, Fructus iuſtitiæ in pace ſeminatur, facientibus pacem. &, Pauor his, qui operantur malum. &, Inceſſanter operare, quia diem mortis ignoras. &, Ante mortem operare iuſtitiam. &, Iudicia mea cuſtodite, & operamini. &, Dum tempus habemus, operemur bonum. &, Quærite dominum omnes manſueti terræ. &, Remetiar opus eorum primum, in ſinu eorum. &, Eſt merces operi tuo. &, Opus iuſti, ad vitam. &, Directa ſunt opera tua in conſpectu Dei. &, Opera iuſtorum in manu Dei. &, Iudicatum eſt de ſingulis, ſecundum eorum opera. ceteráque propè infinita, quæ ad ſtudioſos actus, diuináque mandata obſeruanda atque exequenda rudes animos, torpentes etiam maximè ſtimulare atque excitare queunt: præſtátque ſimpliciores, his & ſimilibus ſermonibus à torpore, quo nimiùm laborant, auocare, quàm altis longéque repetitis quæſtionibus, vnde quoque eorum deſidia non nihil occaſionis nanciſci poſſit & venari, miſeros onerare. Suggeſſit ea, fateor, diuinus ſpiritus, Cal-

Geneſ.5. Rom.6. Gal.it.6. Io.in.9. Iacob.3.3, Prouer. 0. Eccleſiaſt.9 Eccleſia.10 Eccleſia.36 1.Theſ.3. 2.Theſ.5. Soph.2. Eſa.65. Ierem. 1. Prouer. 10. 3.Eſdræ 1. Eccleſiaſt. 9 Apoc.20.

uine, ne tanta doctrina Chriſti eccleſia priuata videretur: at ſic cum omnibus communicari, & peruulgari non oportuit, ac proinde idem ſpiritus nunquam voluit. Tu dicis, Permittamus Chriſtiano homini cunctis, qui ad eum diriguntur, Dei ſermonibus mentem, auréſque reſerare: ſit ita Caluine: fiat vti poſtulas: hac tamē adhibita temperatione, vt propriæ ipſius vtilitatis ratio habeatur, in cuius profectum vniuerſa hæc ordinata fuiſſe miſericordi Deo placuit. hic optimus ſobrietatis terminus erit, ſi non modò in diſcendo Deum præeuntem ſequamur, ſed ſi diſcendi finem faciamus, vbi ſapiendi terminum ipſa ratio præſcribit. En tibi non omnino à te propoſita alienum exemplum. Quando te tuæ malæ valetudines ferociùs torquent, ac vexant, quando dirior febris tua oſſa depaſcitur, Caluine: oro obteſtórque, vt reſpondeas, ſi frigidam aquam te ſitire contingat, num medicæ artis peritus, qui tibi medetur, continuò, nulla adhibita maiori conſideratione, ſítne ea corpori tuo obfutura magis, quàm profutura, iubebit præſtò tibi eſſe, vt bibas, & non potiùs ſecum rē ad leges tuæ bonæ valetudinis conferens, timebit iuxta vetus prouerbium, Frigidam ſuffundere, inimicámque febrim acriùs inflāmare, ſola hac ratione permotus, quòd nō minùs tibi, quàm aliis, nec magis in alienos vſus, quàm in tuos Deus aquam creauerit? in hunc, te amantiſsimè obſecro, modum de noſtra hac diuina ſcientia philoſophari velis, quam tu cum Chriſto viuidam aquam in æternam vitam ſalientem optimè nominabis. in ſumma Dei verbum rei huius ſolùm terminus eſſe non debet, ſed eccleſiæ ſenſus ſimul cum eius, cui tradenda eſt doctrina, profectu. At non tanti eſt, inquis, quòd nos timemus periculum, vt à Dei oraculis multorum animos auertere ideo debeamus. immo tanti, Caluine: quandoquidem eius rei magis, quàm vellemus, experientia ipſa nos admonet. Celebre eſt Salomonis dictum, gloriam eſſe aliquando Dei verbum cælare, cùm præſertim de re agatur, vbi ſobrietas opportuna eſt, inſcitia non bruta, ſed docta: ipſa verò ſcientia magis pietati nocere, quàm quòd religioni ex vſu eſſe queat. quod ex Deuteronomio obiicis, haudquaquam nobis aduerſatur. Arcana, inquit Mo

Exēplis oſtēditur nō omnia rudi plebi eſſe indicanda.

Ioan. 4.

ſes, ſua ſunt Deo noſtro: nobis autem & filiis noſtris hæc manifeſtabit. nam manifeſtatio illa multùm commouebat Hebræorum animos, ne aut terroribus inimicorum quaterentur, preſſuris abſorberentur, aut certè à ſeruanda Dei lege minimè deficerent. videmus enim, vt ſtudium doctrinæ legis populo commendet, tantùm à cæleſti decreto, quòd Deo placuit eam promulgare, eámque omnibus notam facere, ipſum inchoaſſe: vt vel hac ratione, quia ſcilicet fas non eſt mortalibus ſeſe in Dei arcana, vt ſibi libitum fuerit, ingerere, ſuum populum intra debitos cancellos contineat. Nónne vides Caluine arripere profanos homines in prædeſtinationis materia, non modò quòd carpant, cauillentur, allatrent, vel ſubſannent, ſed vnde, vel inani de diuina prædeſtinatione concepta fiducia, nihil curent bonis operibus animum intendere, vel bruta quadam deſperatione, parum ſibi ſua opera prodeſſe calumnientur? erítque difficile & operoſum cuique, huiuſmodi conſiderationibus diſtractos animos, ac in anguſtias coniectos, in officio retinere. Quare longè alienum eſt & diuerſum, quod de trinitate addis, & quod de filij & ſpiritus ſancti diuinitate adiungis. nam, vt verum ſit, non propter hominum aliquorum procacitatem protinus cælatum iri præcipua fidei dogmata, quorum ferè nullum à blaſphemia inuiolatum aut ipſi, aut eorum ſimiles relinquunt: immo verò videmus pſeudoapoſtolos non potuiſſe efficere, veram Pauli doctrinam infamando, & violando, vt eum ipſius puderet. neque enim ideo vetitũ eſt euangeliũ, quòd hinc priſci hæretici ſuorum errorũ ſomnia hauſerint: neque ideo prohibẽtur apes à floribus, quòd ex eis aliquãdo aranea venenum ſugat. licèt hoc ſit veriſsimum: lõgè tamen diuerſa ratio eſt eius, quod vel lectionis vitio aliquando accidit ipſis etiam doctis, ac mediocriter exercitatis, ab eo periculo, quod vt plurimùm imperitę multitudini vſu venire videmus. etenim eſt ea diſputatio ſimplicioribus mẽtibus cũ periculoſa, tum exhortationibus aduerſa, & vehementer fidem ipſam quatefaciens, quia cor ignari hominis neſciens vtrunque quadrare, maximè conturbat, atque decoquit. Quòd, ſi Auguſtinus prædeſtinationẽ liberiùs prædicare ſe iactet, faciat ille bonis

Reſpõdetur Caluini exemplu.

auibus, repleat chartas admirāda ſua doctrina, armet nos legitimis ſcripturarum teſtimoniis, ac ſenſibus, acriter vrgeat Pelagianos, qui totum noſtris operibus aſcribebant, ſequātur doctiores tutò ſcripturam, ſcrutētur eccleſiaſtica myſteria, dummodo cum minoribus nolint ea citra delectum communicare. Inquis tu Caluine, *Qui verò tam acuti ſunt, vel timidi, vt prædeſtinationem obrutam cupiant, ne debiles animas conturbent: quónam, obſecro, colore ſuam arrogantiam tegent, cùm obliquè Deum inſimulent ſtultæ incogitantiæ, quaſi periculum, cui prudenter occurrere ſibi videntur, non præuiderit?* Audi, à te maximopere peto & quæſo: nullius nos ſtultæ incogitantiæ incomprehenſam Dei noſtri ſapientiam inſimulamus, qui omiſcium eum vbique acclamamus, ſed malè ſana iſta tua incogitantia, quæ te in miſeros errores præcipitem egit, (vbi Dei electionem neſcio qua neceſsitate atque temeraria pręſumptione obſcuras, & interturbas) nobis exemplo eſſe poteſt minimè obſcuro, quàm in difficili ſcopuloſóque loco verſemur, quoties de prædeſtinatione occurrat ſermo. quamobrem libebit ſic exclamare, O Deum ſanctum, miſerè lapſus eſt hic homo ingenio acri, in diuinioribus litteris ſuo quidē iudicio valde verſatus, & exercitatus, in tam immenſum errorum pelāgus immerſus eſt homo, qui ſibi ſtare videbatur, ſic perditè excæcatus eſt homo in re adeò clara, vir præ aliis acerrimo florens ingenio: quid iure nos ſperare poterimus, quibus nec ea lectio ſuccurrit, nec fauet ſenſus, nec proſunt tranſactæ vigiliæ, quibus poſtremò lacte adhuc, non ſolido cibo, opus eſt? Denique nolumus prædeſtinationis doctrinam inuidia lacerare & extinguere, ſed magis eius cauſſæ ſtudere videmur, quo maiori cura & diligentia idoneum ei auditorem quærimus. eam potiùs tu in inuidiam rapis, prorſus opprimis, tótque nebulis inuoluis, quot huius veritatis de plebe, immo de lapide iudices creare ſtudes. Inſuper ſicut iſtorum temeritatem, vanámque curioſitatem deteſtamur, ſic quorundam tarditatem acerbè ferimus: qui, dum huic malo mederi volunt, tantùm non ſepeliri iubent omnem prædeſtinationis mentionem. iſti reuera à qualibet eius quęſtione, à qualibet eius diſputatione, ſiue ea publica ſit, ſiue priuata, ſiue inter peritiores ea habeatur, ſiue ad rudē plebem

Si multùm & diu verſati in ſcripturis ſanctis in errorē ſæpe incidunt, quātò magis rudiores id vſu venturum timebimus.

proclametur, non ſecus atque à ſcopulo refugere docent. laudo quippe eorum moderationem, quod ſobrietate tanta Dei myſteria delibanda cenſent: quia tamen infra modum nimis deſcendunt, parum proficiunt apud humanum ingenium, quo ſe coerceri non temerè patitur. Ergo, vt hac quoque in parte legitimum finē teneamus, ad eccleſiæ ſenſum de verbo domini redeundum erit: in quo habemus certam & intelligentiæ, & doctrinæ regulam. eſt enim eccleſia ſchola ſpiritus ſancti, in qua vt nihil prætermittit idem ſpiritus ſcitu & vtile, & neceſſarium, quod non doceat, ſic nihil docet, niſi quod ſcire conducit.

Sicut non omnes ad prædeſtinationis inquiſitionē ſunt admittēdi, ita non omnes ab ea remouendi.

Agitur de gradibus diuinæ electionis, & , quæ opera à prædeſtinatione excluſa ſint, demonſtratur: atque etiam de ſanctorum electione, & quomodo nos omnes ſaluos eſſe velit Deus, enarratur.

CAP. VI.

SEd iam propoſitæ rei noſtra oratio ſeſe propiorē exhibeat. de nomine ergo prædeſtinationis, (de ipſa ſiquidem priori loco agendum eſt, poſteriori verò de reprobatione) & de eius eſſentia parū nobis, qui fidei cauſſam pertractamus, pluribus agere expedire videtur, ſitne ea pars quædam ſubiectiua, & ſpecies prouidentiæ, vt volunt nonnulli, an magis decretum quoddam ſit ęternum, quo apud ſe conſtitutum Deus habet, quid de vnoquoq; iuſtorum fieri debeat. non multùm porrò ad catholicam confeſsionem conferre arbitramur curioſiùs inueſtigare, cuius potentiæ ea actus ſit, intellectus ſcilicet diuini, an voluntatis, quando pars vtraque rationes ſuas & auctores habet. nobis tamen, ſi in re dubia noſtrum iudiciū, qualecunque illud ſit, pronuntiare liceat, multò plauſibilior ea ſententia habetur, & diuinis ſcripturis magis appropinquare pars ea videtur, quæ prædeſtinationem ad volūtatem refert. Nunc ergo tres legi diuinæ electionis gradus in ſanctis ſcripturis, quibus Dei noſtri bonitatis, magnificentiæ, liberalitatis, diuinæ demum gratiæ erga electos optimè admonemur, norunt egregiè hi, qui vel mediocres progreſſus in ipſis ſcripturis fecerunt. vbi multiplex ſanè æternæ ſuæ clementiæ, nullo operum noſtrorum habito reſpectu, ſpecimen benignißimus & hu-

Quid prædeſtinatio, & ad quam potentiam pertineat.

Triplex gradus diuinæ electionis.

manifſimus dominus edidit:quos certè gradus percurrere hîc non pigebit,ne quoquo pacto peſſimo ingratitudinis vitio merito ac iure quis nos notare queat, præſertim cùm ad eam gratuitam electionem,quam ſancti omnes ex ſacris litteris colligunt, aſtruendam,nimiùm expediat. nihil tamen nos nunc dicemus de reprobis , in quibus diuina magis præfulget iuſtitia , ſicut in electis regnare dicitur clementia & miſericordia : quamuis non duo,ſed vnus, & idem ipſe clemès ſimul & iuſtus exiſtat.

Primo itaque gradu,ac loco diuina liberalitas & electio in tota Abrahæ poſteritate ſatis exerta in ſacris litteris conſpicitur. permultas enim gẽtes huic vni populo vltro ſua electione dominus poſtpoſuit. Cùm diuideret altiſſimus gentes,canebat Moſes,& ſepararet filios Adã, pars eius fuit populus Iſrael,funiculus hæreditatis eius . Non quia reliquas gentes ſuperaſti numero,idem dux Iſraelitici exercitus dicebat , complacitum eſt ſibi in vobis , vt vos eligeret,ſed quia dilexit vos. En domini Dei tui, alibi aiebat,cælum eſt,terra,& quæcunque in ea ſunt:& tãtummodo cõplacuit ſibi in patribus tuis, & amauit eos, elegítque vos ſemen eorum.rurſum,cœtum à ſe electum vocat dominus Iſraeliticum populum. pſalmi hac vniuerſali electione pleni ſunt . Elegit nobis hæreditatem noſtram,gloriam Iacob,quem dilexit. item, Ipſe fecit nos, & non ipſi nos:qui ſumus populus , & oues paſcuæ eius, ſemen Abrahæ,ſerui eius,filij Iacob electi eius.item,Beata gens,cuius Iehoua Deus eſt, populus , quem elegit in hæreditatem ſibi,item,Dextera tua , & lumen vultus tui patribus noſtris terram dedit : quia complacitum tibi in illis eſt. item, Beatus , quem elegiſti , habitabit in atriis tuis. Miſerebitur,inquit Eſaias,Deus Iacob,& eliget adhuc de Iſrael. idem alibi,Elegi te,& non abieci te. verba ſunt ſanctiſſimi Samuelis hæc, quæ ſequuntur : Non deſeret vos Deus propter magnum nomen ſuum . quomodo placuit ei vos ſibi ſeruare in populum.& apud Zachariam angelus dicebat, Eliget adhuc Deus Ieruſalem. qui mediocriter exercitati ſunt in ſcripturis ſanctis , vident, me pauca ex multis tantùm proferre teſtimonia, vt breuitati conſulam . ex quibus tamen ſatis ſupérque liquet in Dei noſtri arbitrio primùm omnium poſitum fuiſſe,

Primus gradus diuinæ electionis.

Deut.7.

Deut.10.

Pſal.47.

Pſal.105.

Pſal.33.

Pſal.65.

Eſa.41.

Eſa.41.

Zach.14.

qualis futura eſſet omnium gentium conditio, attendendum verò eſt, vbi terræ mentio fit, ſymbolum eſſe viſibile abſconditę illius ſegregationis, in qua continetur adoptio. Sit ergo diuinæ & æternæ electionis primus hic gradus. Additus eſt alter proximè præcedenti multò reſtrictior, & in quo conſpicua fuit Dei gratia magis ſpecialis. quando ſcilicet ex eodem genere Abrahæ, aliquibus omiſsis, certos fouit, oſtendens velle ſe hac electione eos inter filios retinere. ſic, repudiato Iſmahele, in Iſaac ſemen vocatū eſt: durauítque ea vocatio in Iacob. poſtpoſito Eſau, electa eſt tribus Iuda: poſthabita tribu Ephráim, electa eſt tribus Manaſſe. Ceterùm hos duos gradus notandos eſſe non temerè diximus: quia iam in totius gentis electione ſatis Deus oſtenderat in liberalitate ſua communicanda nullis legibus ſe aſtrictum, ſed omnino liberum eſſe, vt minimè ab eo exigenda ſit gratiæ æqualis partitio, cuius inæqualitas ipſam verè eſſe gratuitam egregiè demonſtrat. at ſi ad ſingulas perſonas veniatur, (qui gradus in æterna & libera electione vltimus eſt) dilucidius res ea conſtabit. Dico igitur, nullam in diuina præſcientia noſtra ex parte cauſſam inueniri, præter diuinam miſericordiam, & Dei noſtri gloriam, quæ maximè hîc perlucet, quare Deus in præfixo & certo numero ab æternitate ſua ſanctos ſibi elegerit. & ſicut non alia ratio quærenda eſt, cur homines nos Deus, & nō boues creauerit, cùm in Dei manu eſſet canes nos fingere, quos ad imaginem ſuam formauit, nō ob aliud, niſi quia ipſe voluit, ſic in eadem voluntate quieſcendum eſt, quoties de æterna prædeſtinatione ſermonem fieri contingat. facilè id exemplo de Chriſto ſumpto illuſtrari poterit. Concipitur è ſemine Dauidis mortalis homo, in ipſo vtero factus eſt angelorum caput vnigenitus Dei filius, imago & gloria patris, lux, iuſtitia, & ſalus mundi: quam ſanè vnionem ex ſola Dei beneficentia, & non ex vllis meritis ſanctiſſimæ illi animæ obueniſſe, res ipſa apertiſſimo documento nobis declarat. quamobrem prudenter animaduertit Auguſt. in ipſo eccleſiæ capite, lucidiſſimū eſſe gratuitæ electionis ſpeculum, ne in membris nos conturbet: nec iuſtè viuendo factū eſſe filium Dei, ſed gratis tanto honore fuiſſe donatum, vt alios poſtea ſuo-

Secundus diuinæ electionis gradus, & magis particularis

Geneſ. 16. & 21.

Geneſ. 48.

Tertius diuinæ electionis gradus, & ſummè particularis

Exemplū de Chriſto ſumptum.

rum bonorum participes faceret. quid autem de vnoquoque ſanctorum ſcriptura pronuntiet, operæpretium eſt breuiter attendere. Principiò Paulus, cùm docet nos in Chriſto electos fuiſſe ante mundi conſtitutionem, omnẽ certè dignitatis noſtræ quantùm ad eam electionem & prædeſtinationem, reſpectum tollit. quod & alibi quoq; idem apoſtolus notat, cùm hortatur ad gratiarum actionẽ Coloſſenſes, ex eo quòd diuinitus redditi fuerint idonei ad participandam ſortem ſanctorum. atque in priori loco addit, Elegit nos dicens, antè, quàm iacerentur mundi fundamenta ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, vt eſſemus ſancti & immaculati & irreprehẽſibiles in cõſpectu ipſius. vbi ergo Dei placitum regnat, nulla opera præuiſa in conſiderationem veniunt. Vocauit nos, dicebat idem apoſtolus, vocatione ſancta non ſecundum opera noſtra, ſed ſecũdum propoſitum ſuum & gratiam, quæ data eſt nobis à Chriſto ante tempora ſecularia, vt eſſemus ſancti & immaculati coram eo. Vides igitur à prędeſtinatione non ea opera tantùm excludi, quæ gratiam & iuſtificationem præçedunt, ac meriti rationem habere non poſſunt, ſed ea etiam ipſa, quæ gratiam & iuſtificationem ſequuntur. non enim dicit Paulus, electos nos fuiſſe à Deo, quòd bene vſuri eramus ſua vocatione & gratia, ſed magis, quò bene his vteremur: quamuis certiſſimè (quidquid garriat Caluinus) ipſa opera, que ex gratia profectura ſunt, iuxta diuinam legem ipſos electos in æternam poſſeſsionem mittant. etenim ſicut quos voluit Deus, ab æterno in ſuam felicitatem vocauit, Sic quos ad eam beatitudinem ordinauit, gratia & meritis cumulauit: vt eam felicitatem, ad quam ſolo beneficio prędeſtinationis ſuæ aſciti erãt, ipſam, inquam, iam, quaſi iuſtam mercedem ſuorum laborum pro meritis aſſequãtur. quæ breui quidem oratione, ſumma tamen conſideratione digna, complexus eſt Auguſtinus, dicens, QVI PRAEDESTINAVIT TE SINE TE, NON SALVABIT TE SINE TE. atque idem, NOVIT DEVS MVTARE SENTENTIAM, SI TV NOVERIS MVTARE VITAM. quam quidem ſententiam, eò libentiùs vſurpo, quò magis video propoſito noſtro conuenire. Fulget hîc & diuina electio

Epheſ.1.

Coloſ.1.
Epheſ.1.

2.Tim.1.

Quę opera à prædeſtinatione excludantur.

Auguſt. in pſal.149.
Aug. verba. Sanctorum electio à diuinæ electionis arbitrio pendet, ipſius verò aſſecutio ab operum meritis.

ſimul,& diuina iuſtitia,neque vel minimum quidem au-
ctoritatis aut laboribus ſanctorum, aut libero ipſorum
Ioan.15. arbitrio detrahitur. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi
Rom.11. vos. noſtram ſiquidem electionem ſua ſola miſericor-
Rom.9. dia anteuertit. Quis prior dedit illi, & retributionem
accipiet? prudenter percunctabatur Paulus. iam verò
argumentum hoc in epiſtola ad Romanos Paulus & re-
petit altiùs,& fuſiùs proſequitur. & tandem ex eius ver-
bis habemus, à ſolius diuinæ electionis arbitrio ſancto-
rum electionem pendêre:habemus etiam nullum fauo-
rem electorum prædeſtinationi ſuis operibus conciliari,
ſed ex gratuita electione prouenire: habemus poſtremò
ex Paulino decurſu eius rei propoſitam,quaſi ὑποτύπωσιν.
Geneſ.25. fratres erant Eſau & Iacob iiſdem geniti parentibus, eo-
dem adhuc vtero concluſi, nondum in lucem editi:in il-
lis omnia paria ſunt, de illis tamen Dei iudicium non
idem,ſed diuerſum eſt. aſſumitur alter, reiecto altero.
ſola primogenitura erat, qua alter alterum præcedebat.
atqui,illa quoque præterita,iuniori defertur, quod ma-
iori negatur. immo in aliis quoque, deſtinato conſilio,
primogenituram ſemper contempſiſſe Deus videtur, vt
omnem gloriandi materiam hac in parte carni præcide-
ret. repudiato Iſmahele,animum ad Iſaac adiicit: poſt-
Geneſ.16. poſito Manaſſe,Ephraim magis honorat. maiores natu,
21. plures fratres Dauid habebat, quibus præteritis in om-
Galat.5. nium minimo electio diuina, diuinúmque beneficium
Geneſ.48. illuſtrius apparet. Quòd ſi quiſquam interpellet,ab iſtis
1.Reg.16. inferioribus,& minutis beneficiis non ſtatuendum eſſe
de ſumma futuræ vitæ,vt qui in primo geniture honore
euectus fuerit,ideo reputetur in cæli hæreditatē aptatus:
(ſunt enim plurimi,qui ne Paulo quidem parcant, quaſi
ad alienum ſenſum ſcripturam detorſerit in his teſtimo-
niis citandis) reſpondemus,ſicut antehac,nec inconſide-
rantia lapſum fuiſſe apoſtolum, nec ſcripturæ teſtimo-
niis ſponte fuiſſe abuſum,ſed bene perſpexiſſe, quod ipſi
conſiderare non ſuſtinent, voluiſſe Deum ſpiritalem Ia-
cob electionem,quæ apud inacceſſum eius tribunal alio-
qui latebat, ſymbolo terreno & viſibili declarare. niſi
enim conceſſam illi primogenituram ad ſæculum futu-
rum referamus, inanis profectò fuerit & ridicula bene-

dictionis ſpecies:ex qua nihil ei acceſſerit præter erumnas multiplices,incommoda ſine numero,triſte exilium, multáſque & triſtitiæ,& curarum acerbitates. Cùm ergo Paulus ſine vlla dubitatione Deum externa benedictione teſtificatum cerneret,quam in regno ſuo ſpiritualem & minimè caducam ſeruo ſuo parauerat, non dubitauit ad hanc comprobandam ab illa argumentum petere. nihil igitur ambigi poteſt,Iácob præfata illa electione Chriſti corpori,angelorum choris, electorum numero aſcriptum fuiſſe,vt eiuſdem vitæ ſuo tempore ſocius foret. eligitur ergo Iacob præ Eſau,& Dei ſola prædeſtinatione diſcernitur,à quo tunc nullis meritis differebat. Quòd ſi rei huius rationem,atque cauſſam perquirere libeat,hanc reddit apoſtolus:quia Moſi dictum ſit, Miſerebor,cuius miſerebor,& miſeratione dignabor, quemcũque miſeratione dignabor. quid hoc,quæſo,ſibi vult? nempe clariſsimè dominus prænuntiat nullam eligendorum hominum rationem in ipſis ſe habere,ſed eam totam à ſola ſua miſericordia ſumere: ideóque ſuum eſſe opus ſuorum prædeſtinationem. cùm tuam in ſe vno electionem (non enim hîc loquor de tuę ſalutis aſſecutione,de qua,vt ſæpe diximus,& ſæpius referemus, ſatis ſcio,quòd Qui prædeſtinauit te ſine te,non ſaluabit te ſine te) Deus ſtatuat,cur ad te ipſum deſcẽdes?cùm vnam tibi ſuam miſericordiam aſsignet certiſsimam, & ſolam prædeſtinationis tuæ cauſſam,cur ad propria merita decurres,quæ ſine gratia nulla ſunt, & cùm ipſa prædeſtinationis effectus,non cauſſa,haberi debent? Minor populus præcognitus à Deo ſcribitur à Paulo, non quemadmodum iſti imaginantur præſcire ex otioſa ſpecula, quæ non eligit & facit,ſed quo ſenſu ſæpe legitur. ſic & Petrus,electos iuxta præcognitionem Dei fuiſſe dicens fideles,ad quos ſcribit,propriè exprimit arcanam illam prædeſtinationem,qua Deus filios ſibi, quos voluit, ſignauit. Nunc verò nihil ſupereſt, niſi vt de re tota ſupremus cognitor, ac magiſter ita pronuntiet: Quidquid dat mihi pater,ad me veniet. hæc eſt enim voluntas patris mei,vt quidquid dederit,non perdam ex eo quidquam. obſerua à patris donatione initium fieri, vt in Chriſti fidem, ac clientelam tradamur. in hoc nimium

Rom.9.

Auguſtini verba.

Rom.9.

Ioan.6.

tigiſſet, apoſtolica mercede non caruiſſet: at quia ex electorum illorum numero non erat, qui ante mundi conſtitutionem in æternam iam ſalutem deſtinabantur, & ab officio, & à diuino beneficio miſerè excidit. qui factus eſt nobis exemplum, ne de diuinis donis nimis ſuperbiamus, ſed de Dei gratia, & amore poſſe etiam cadere vereamur. Cecidit is, qui ſola Dei clementia, Chriſti conſuetudine vſus eſt, qui vnà cum eo cibum ſumeret, qui vnà cum aliis prędicantem audiret, qui prodigioſa edentem miracula cum turbis admiraretur, qui ad magiſtri ſui reformatiſsimos mores obſtupeſceret, & ab ipſius latere nunquam recederet: tantus ergo & talis cùm eſſet, ex apoſtolica celſitudine, (quam cęleſte donum in ſua perſona toties agnoſcit Paulus) ex tanta gratia, ex frequenti vſu cum Deo ęterno, ex tam immenſa familiaritate cum auctore vitę, lucis, & veritatis, in tantam ignominiam, in tam profundas tenebras, in miſeriarum omnium ſentinam, breui temporis ſpatio deturbatus eſt. eheu, quis non timebit? eheu, quis de diuinis beneficiis ſupra ius, & fas ſibi blandietur? eheu, quis Deo, aut apoſtolico muneri, aut externę vocationi, aut aliis communicatis donis obiicere pro ęterna ſalute quidquam poterit? cui non niſi integra vita, & pura iuſtitia accepta eſt. Libentiſsimè prętermittenda cenſeo, quę de Saule, Dauide, Salomone, multiſque aliis ſcriptura narrat, quorum factis docemur, neminem (vt nuper ſancta eccleſia edidit) quàmdiu in hac mortalitate viuitur, de longè à nobis poſito diuinæ prædeſtinationis myſterio vſqueadeo debere præſumere, vt certò ſe omnino de numero prædeſtinatorum eſſe ſtatuat: quaſi verum ſit, quòd prædeſtinatus nunquam peccare, aut ſemel iuſtificatus, non ampliùs à gratia excidere poſsit, aut ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere queat. nam niſi ex diuina ſingularíque illuſtratione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi ea, de qua nunc agimus, æterna ſcilicet electione prælegerit, neque promiſsionum vniuerſitas (vult ſiquidem Deus noſter omnes ſaluos fieri) diſcretionem ſingularis gratiæ tollit. eſt quidem Auguſtinus, qui alicubi auctoritatem præfatam in hoc ſenſu legit,

Nihil eſt vnde inani ſecuritate hic turgere poſſimus.

1. Theſſ. 2.

Concilium Trident.

1.Tim.2. Vult fieri ſaluos quotquot ſalui fiunt, de quouis hominum genere & conditione. at mea quidem ſententia apoſtoli verbum vniuersè de omnibus mortalibus intelligendum eſt. qui ſanè ſenſus præclariſsimum eccleſiæ doctorem Auguſtinum non latuit, neque S. Chryſoſtomum, tum ſuper illud Pauli, tum alibi ſæpe. quare cùm in Deo noſtro vna eadémque ſummè ſimplex voluntatis ratio exiſtat, eſt tamē cum hoc eius voluntatis diſtinctio maiori cura conſideranda, conſequentis ſcilicet, & antecedentis. Hanc porrò differentiam cum antiquo Damaſceno theologi meritò celebrant. Conſequens & abſoluta voluntas dicitur, qua cuncta Deus creauit, & condidit, & cui nemo reſiſtere poſsit: ea verò, quæ antecedens dicitur, eſt, qua Deus aliquid vult non in particulari ſimpliciter & abſolutè, ſed ſecundum aliquam generaliorem rationem boni, & (vt ſcholæ more loquar) ſecundum quid. ſolet exemplum ſupponi de iudicis iuſti voluntate, qui malefactorem reum hominem & amicum ſeruare vellet, quem tamen iuſtè ſuſpendit. pariter enim Deus omnes homines vult ſaluos fieri, qua ratione ſuæ ipſius creaturæ imago, æternæque beatitudinis capaces ſunt: vult tamen cum hoc, ſicuti iuſtiſsimum iudicem decet, in iniquos ſceleratóſque homines, & flagitioſos ſæuo ac perpetuo ſupplicij genere animaduertere. accipitúrque diſtinctio hæc non ex parte Dei, in quo nihil prius aut poſterius eſt, ſed à creato obiecto, in quo quidem ipſa ratio boni generalis præcognoſcitur, & præintelligitur, conſideratione ſpecialis qualitatis. Hæc certè Damaſceni conſideratio vniuerſæ ſcholæ plauſibilior habita eſt, quàm illa diui Auguſtini De accommoda diſtributione interpretatio. Quid quòd & diuus Paulus, dum diſcipulum eo loco perſuadet, pro omnibus orare, egregiè indicat, omnium ſalutem Deum ſitire? parum etiam repugnabimus, ſi quis huiuſmodi Dei deſiderium & voluntatem aut condicionalem, aut magis abſolutam, ſuóque modo perfectam appellet: modò eam ſic omnes cōmodiſsimè exprimamus, Deus vult omnes homines, & eorum quemcunque, ſi ſuæ miſericordiæ viſcera conſiderentur, ſaluos fieri, niſi obſtinatorum hominum prauitas ac durities diuinum à ſe fauorem excutiat. quàm rurſum

Omnes nos ſaluos fieri, Chriſtus quomodo velle dicatur.

Augu. interpretatio, & Chryſoſto. ſuper verbis Pauli.

Damaſceni explicatio de duplici Dei voluntate, antecedēte & cōſequente.

Dámaſceni dilucidatio maximè ad Pauli mentem accedere videtur.

rurſum diuina voluntas ſpecialis ſis,& quàm efficax pro ſuis electis vocandis,iuſtificandis,& nouiſsimè magnificandis,diuinis litteris optimè intelligimus. Vt itaque lux hæc fulgôris infiniti omnes illuminet,vt benignitas hæc omnibus hominibus appareat,vt Dei noſtri infinita largitas ſuper omnes pluat,vt omnibus manus expanſas oſtentet:at certè qui minatur, ſi ſuper vnam ciuitatem pluerit,ſuper alteram ſiccitatem fore, non obſtringit ſe certa lege,vt æquè omnes vocet. item qui Paulum vetans in Aſia verbum facere,& eundem à Bithynia auertens in Macedoniam trahit, ſui iuris eſſe demonſtrat, clementiæ ſuæ theſauros,quibus viſum ſibi fuerit,diſtribuere. hoc ipſe per Eſaiam prophetam ſuum apertiùs multò ediſſerit. Colligatio,inquit,teſtimonij, obſignatio legis eſt in diſcipulis meis. Euangelicam lucemperuiam eſſe omnibus,iuxta prophetarum vaticinia, & ſimul Chriſti apoſtolorum oracula, omnes nos fatemur, Caluine: prodeſſe tamen omnibus efficienter, ſuo ipſorum hominum vitio, præter eos,quibus ſua completa & perfecta voluntate Deus profuturam deſtinauit,iure diffitemur cum catholicorum eccleſia. fides præterea Dei donum eſt,quæ licet ſæpe his,qui de maſſa perditionis ſunt,concedatur, at longè efficaciore virtute, ea in prædeſtinatis perlucet. ſicut itaque electorum præcipua eſt prædeſtinatio,ſic vocatio,ſic iuſtificatio, ſic denique omnia,quæ ad deſtinatum finem ſpectare videtur. Quomodo igitur dices,Conueniet, Deum ad ſe vocare quos optimè nouit non venturos?reſpondeat pro me Auguſtinus. Diſputare vis,inquit,mecum?mirare mecum, & exclama, O altitudo. ambo conſentiamus in pauore,ne in errore pereamus. de efficaci electorum vocatione Bernardus ait, Amici ſeorſum audiunt, quibus & ſeorſum loquitur. nolite timere puſille grex:quia vobis datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum. Qui ſunt hi? Vtique quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui magnum ſecretùmque conſilium nouit dominus, qui ſunt eius: ſed quod notum erat Deo, manifeſtum eſt hominibus: neque alios dignatur tanti participatione myſterij,niſi eos ipſos,quos ſuos fore præſciuit, & prædeſtinauit. & poſt pauca, Miſericordia

Ioan.1. Tit.3. Mat.5. Eſaie 65. Amos 4. Act.16.

Clementie ſue theſauros Deus quibus vult, largitur. Eſa.8.

Euangelica lux in prædeſtinatis maximè perlucet.

Verba Auguſt. & Bernardi explicantur.

Rom.8. 2.Tim.2.

Dei ab æterno vſque in æternum ſuper timentes eum: ab æterno ob prædeſtinationẽ, in æternũ ob beatificationẽ: altera principium, altera finem neſciens. Sed q̃ diu diuus Bernardus nos detinebit, quãdo ex magiſtri ore audiuimus, nõ alios ſic ſpeciatim atq; efficienter Dei myſteria excipere, niſi qui ex Deo ſunt? abſolutã hãc & potẽtẽ Dei

Ioan.8. noſtri voluntatem, Chriſti verba in hunc modum alibi

Ioan.6. exprimunt, Hæc eſt voluntas patris mei, vt non perdam quod mihi dedit. Hæc eſt etiam voluntas patris mei, qui in cælis eſt, vt omnis, qui credit in filium, non pereat. Si omnes ſaluos eadem efficacia vellet, cuſtodem vtique illis omnibus filium præfeciſſet, qui in eius corpus ſacro fidei & amoris vinculo insererentur. nunc conſtat dona omnia, quæ electionem ſequuntur, ſingulare quoddam paterni amoris pignus eſſe filiis ſuis, quos dominus adoptauit, aſſeruatum. nec negare volumus in ipſis etiam reprobis aliquando, qua benignitate Deus eſt, plura miſericordiæ ſuæ ſigna & exempla edidiſſe: quò oſtendat dominus ſic in vtriſque regnare, vt tamen de libero noſtro arbitrio ſemper admoneamur. immo verò, etſi in electos hæc præclara elogia conſentiant, quòd oues ſint, quòd paſtorem ſequantur, quòd eius voci auſcultent, quòd eius aures diuinitus perforentur, & his plura: nouimus tamen, non minoribus bonis interdum reprobos gaudere, vt notas faciat Deus gratiæ ſuæ diuitias. ſicuti contrà non impedit rapaces lupos aliquando fuiſſe crudeles ac tyrannos, peccatores ac publicanos, qui nũc Dei beneficio agni pacatiſsimi, manſueti, humiles, iuſti, & ſpiritu pauperes ſunt.

Cum reprobis ſua munera ſæpe Deus communicat.

Ioan.10. *Ibidem.* *Pſal.39.* *Epheſ.1. & 3.* *Mat.9.* *1.Tim.1.*

NEQVE eſt, quòd iure huiuſmodi diuinam prædeſtinationem, quaſi abſurdam, infamare homines audeant, colligentes, quòd ſi res ſic ſe habeat, apud ipſum quoquo modo acceptionem perſonarum regnare videatur: quod vbique ſcriptura negat. ergo vel ſcripturam eſſe ſibi diſſentaneam, vel in electione eſſe meritorium reſpectum, colligere volunt. Primùm alio quidem ſenſu negat ſcriptura, Deum eſſe perſonarum acceptorem, quàm quo ipſi iudicant. ſiquidem perſonæ vocabulum non hominem ſignificat, ſed quæ in homine oculis conſpicua vel fauorem, gratiam, dignitatem conciliare, vel

Act.10.

Perſonarũ acceptor, quomodo Deus non ſit.

odium contemptum, dedecus conflare ſolent. qualia ſunt imperia, diuitiæ, opes, potentia, nobilitas, magiſtratus, patria, formæ elegantia, & alia eiuſdem generis: item paupertas, inopia, ignobilitas, ſordes, contemptus, & ſi qua ſunt ſimilia. ſic Petrus, & Paulus perſonarum acceptorem non eſſe dominum docent, dum dicunt, ipſum non diſcernere inter Iudęum & Græcum, quò ſolius gentis ratione alterum reſpuat, alterum amplectetur: ſic Iacobus iiſdem verbis vtitur, dum aſſerit, Deum in ſuo iudico diuitias nihil morari: ſic Paulus alio loco de Deo loquitur, quòd libertatis, aut ſeruitutis in iudicando nullam rationem habeat. proinde nihil repugnantiæ erit, ſi dicamus, Deum ſecundum beneplaciti ſui arbitrium eligere in filios nullo merito, quos viſum fuerit, aliis reiectis & omiſsis. res tamen explicari ſic poteſt, vt pleniùs ſatisfiat: quòd hominem vnum Deus elegerit altero præterito, id non exoritur ex hominis reſpectu, ſed è ſola eius miſericordia: cui liberum eſſe debet proferre ſe, & exerere, vbi & quoties placet. nam & alibi legimus, non multos ab initio vocatos fuiſſe nobiles, vel ſapientes, vel ſplendidos, vt Deus carnis ſuperbiam humiliaret: tantum abeſt, vt perſonis deuinctus eius fauor fuerit.

Act.10. Cor.12. Galat.3. Iacob.5. Epheſ.6.

Qua ratione eligat Deus hominem vnum, altero præterito.

1.Corin.1.

Conſtituta prædeſtinatione, bene agendi ſtudium minimè aboleri, cùm nulla ex prædeſtinatione, & præſcientia neceßitas, quæ libertati noſtræ aduerſetur, oriatur.

CAP. VII.

SOlent nonnulli hoc quoque ad prædeſtidationem euertendem exagitare, quòd, ipſa ſtante, omnis ſolicitudo, & beno agendi ſtudium concidet. quis enim audiat, inquiunt, æterno & immutabili Dei decreto ſibi fixam eſſe aut vitam, aut mortem, quin protinus in mentem veniat nihil intereſſe, quomodo ſe gerat, quando ſuo opere nihil aut impediri, aut promoueri Dei deſtinatio queat? ita omnes ſe proiicient, & deploratum in morem quocunque libido tulerit, præcipites ibunt. An non vox hæc multorum eſt? Cùm ſemel iam Deus de nobis agere ſtatuerit, ſi ſalutem certè decreuerit, ſuo tempore ad eam nos adducet: ſi mortē deſtinauerit,

fruſtra contendemus. Contra quam ineptiſsimam hominum inſaniam multa mihi ſeſe offerunt dicenda: ſed vna re contentus, cætera præteribo. Scriptura ſanè diuina dum præcipit, ſumma reuerentia, & religione de tanto myſterio nobis eſſe cogitandum, cùm pios in longè diuerſum ſenſum inſtituit, tum ſceleſtam quorundam intemperiem probè redarguit, vt tamen ipſa bona opera certam efficere vocationem, & electionem noſtram ante oculos ſemper ſtatuat, per quæ Deus gloriam nos aſſequi, & ad prædeſtinatum finem nos perducere inſtituit.

Epheſ.4. *2.Petri 1.*

non enim prædeſtinationem eò commemorat, vt in audaciam erigamur, & inacceſſa Dei ſecreta excutere nefaria temeritate tentemus, ſed potiùs vt humiliati ac deiecti ad iudicium eius tremere, & miſericordiam ſuſpicere diſcamus. eò omnia dirigẽt fideles, quò propoſitum aſſequantur. ille autem fœdus porcorum grunnitus à Paulo ritè compeſcitur: ſecuros ſe in vitiis pergere dicunt, quia ſi ſint è numero electorũ, nil obfutura ſint vitia, quò minùs tandem ad vitam perducantur. atqui in hunc finem electos nos eſſe Paulus admonet, vt incorruptam & integram vitam perducamus. qui enim nos miſericors pater ſola ſua benignitate ad tam ſublime beneficium aſciuit, idem iuſtus dominus, & iuſtitias diligens, ad ea ipſa merita, quibus finem aſſequeremur, deſtinauit. quoniam, ſi electionis ſcopus eſt vitæ ſanctimonia, qua ſcilicet æterna vita acquirenda ſit, ſanè magis ad eam alacriter emerẽdam expergefacere, & ſtimulare ipſa electio nos debet, quàm quòd ad enutriendam deſidiam valere videatur. Faceſſant ergo huiuſmodi ſacrilegia, quæ totum electionis ordinem perperã inuertunt, atque meminerimus, oportet, diuina electione & preuidentia nullas nobis neceſsitatis leges præſcribi.

Epheſ. 4. *Pſal. 10.*

HINC etiam non difficile erit colligere, quàm malitioſè & callidè hanc doctrinam de prædeſtinatione calumnientur, aſtruentes, ea ſola omnes ad piè viuendum exhortationes euerti. euerteret illa ſanè, ſi cũ neceſsitate noſtri arbitrij curreret, vt hæretici volũt, aduerſum quos hoc eodẽ argumento nos primo libro egimus. at hîc tutò procedunt omnia: pauca tamen modò delibabo ex tam multis, quæ à patribus dicũtur: &, vt ſpero, probis & non

contentioſis ſatisfacient. Quàm apertus & vocalis prę-co electionis gratuitæ Paulus fuerit, videre facilè omnes poſſunt: quàm etiam is monendo & hortando vehemens & frequens ſit, nemo eſt quem prætereat. atqui certè principium illud ſcrupulos omnes tollit, non eſſe nos vocatos ad immunditiam, ſed vt quiſque vas ſuum poſsideat in honore. deinde nos eſſe Dei figmentum creatos ad bona opera, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulantes eam felicitatem actu conſequeremur, ad quam ſolo ſuo beneficio aſciti ſumus ab æterno. vt enim ſuprà meminimus, prædeſtinatio à diuina clementia manat: conſecutio verò vt multum habeat de diuina miſericordia, non nihil tamen habet de iuſtitia. in ſumma qui mediocriter exercitati ſunt in Paulo, abſque longa demonſtratione intelligent, quàm aptè conciliet, quæ iſti inter ſé pugnare fingunt. præcipit Chriſtus, vt in ſe credatur, neque tamen vel falſa eius eſt diffinitio, vel præcepto contraria. vbi dicit, Nemo poteſt ad me venire, niſi cui datum à patre meo fuerit. Curſum igitur ſuum prædicatio habeat, quæ liberè ſine neceſsitate arbitrij homines ad fidem adducat, & continuo profectu in perſeuerantia, quæ & Dei donum eſt, & à libero noſtro arbitrio pendet, vt ſancta ſynodus Tridentina dicebat, concreſcat. neque tamen impediatur prædeſtinationis cognitio, vt qui obediunt, non tanquam de ſuo tantùm ſuperbiant, ſed ea dona ex cæleſti prędeſtinatione dimanaſſe intelligentes, in domino glorientur. non ab re dicit Chriſtus, Qui habet aures audiendi, audiat. ergo dum exhortamur & prędicamus, hi, quibus aures aptat dominus, hi, qui auribus diuinitus præditi ſunt, libẽter obediunt: qui verò perforari eas à domino paſsi nõ ſunt, in illis impletur, quod ſcriptum eſt, Vt audientes non audiant. Si quiſquam fuerit, qui velit de ea re fuſiùs audire, perlegat diui Auguſtini librum De dono perſeuerantię. illud tamen non ſilebo, plus ſcilicet iuſto huic myſterio indulgere Caluinum, cùm paſsim, & ſemper quibuſlibet inculcandum, diuulgandum, & prędicandum eſſe exiſtimarit. Sed video, quorſum tam effrenis licentia euadat, video, quò tendat, ſcio quid dicere velit. præterquam enim quod ad extinguendam libertatem, & inducendam neceſsitatem

Epheſ. 4.

Epheſ. 4.

Electio à diuina miſericordia ſolùm proficiſcitur, cõſecutio verò beatitudinis non nihil habet de iuſtitia.

Ioan. 6.

1. Corin. 1. & 4.

2. Cor. 10.

Luc. 8.

Mar. 3.

Aug. cap. 15.

Notatur Caluini temeritas circa prædeſtinationis myſterium.

tam in iuſtis, quàm in reprobis viam munit, inani etiam & ſtultæ ſatiſque temerariæ cuidam confidentiæ & præſumptuoſæ ſecuritati lectum ſteruit, fundamento iacit, ac primas (vt dicitur) lineas ducere videtur. quàm autem fruſtra omnis labor ſit ab eo ſuſceptus, ſtatim nos ſumus oſtenſuri.

NEQVE vllæ nos confundant dubitationis tenebræ, nempe quòd cùm Dei nec ſcientia falli poſsit, nec voluntas mutari, iámque Deus ab æterno non modò præſciuerit, verùm certo propoſito conſtituerit, quídnam cuique ſit obuenturum, ſine cauſſa ſubire videbimur quoſcũque conatus, vbi nulla nobis ſupereſſe libertatem æſtimatur, certè diffiteri non poſſumus, quin anguſtiæ ingenij noſtri ægrè hoc capiant: haud tamen ideo omniſcientiam Dei, ſuámque æternam voluntatem abnegare debemus, vel, quam experimur, libertatem noſtram, per totam ſacram ſcripturam explicatam, cum iſtis inficiari ſine iniuria & offenſione diuini verbi poſſumus. at ſi aliud in re difficili non præſtabimus, hoc tamen erit facile oſtendere, quòd vtique eadem difficultas quoſcunque premat, quomodocunque ſentientes de prædeſtinatione. donemus enim gratis (abſit execratio verbo) Deum nihil de rebus prænouiſſe, aut præſtituiſſe, tunc nihilominus (vt à liberis contingentibus exemplum proferamus) altera iſtarũ vera eſt, Catholicus rex vincet, Catholicus rex nõ vincet. ſiquidem propoſitio de futuro nunq̃ incipit eſſe vera, nec falſa. eſt nanque communis hominum ſenſus, natura docẽte nos, quòd ſi modò rex catholicus de Mauris triumphauit, ab æterno verum fuit, eum triumphaturum, contrariùmque falſum. eſt igitur quodcunque futurum verum, aut falſum, indeterminatè tamen. Ad rem reuertor, quamuis Deus vtranque ignoraret, altera nihilominus contradictionis pars vera eſſet. ſit ergo hæc affirmatiua, Catholicus rex vincet cras. vtrùm propterea priuabitur rex libertate ſua, vt neceſſariò vincat, aut operetur? minimè gentium. nihilo igitur plus libertatis Dei præſcientia à nobis eripit. Cogitemus nos, & mente fingamus, ſagittarium dirigentem, flectentémque arcum in ſcopum, quamuis certò iudicarem miſſurum ſpiculum, nihil ei libertatis adimerem.

Propoſitio de futuro contingenti vera, ab æterno fuit vera.

igitur quòd Dei ſcientia certiſsima ſit, nihil omnino mutat libertatis noſtræ. Sed ais, non ſolùm Deus id præſciuit, verùm idipſum per ſuam voluntatem conſtituit. profectò vnum hoc omnium potiſsimum apud ſe in ſua æternitate conſtituit, videlicet concurrere cum vnaquaque re iuxta ſuam ipſius naturam: neceſſariis quippe cauſſis neceſsitatem prǽfixit, contingentibus contingentiam, liberis libertatem. ob ídque ſtatuit alios præuia diuina gratia, per ipſorum libera opera ad gloriam perducere, alióſque propter ſua itidem libera peccata nunquam deſituro ſupplicio mancipare. adde, quòd etſi nullos ab æterno prædeſtinaſſet dominus, hac tamen catholica veritate admiſſa, ꝙ nihil niſi præuio eius numine præſtare poſſumus ei gratum, eandem vim vulgare iſtud argumentum haberet: delirare, inquam, tunc eadem phreneſi quis poſſet hoc pacto, Sine Dei auxilio nihil poſſum: eius auxilium factis meis mereri non valeo: nullam ergo mei curam geram. quidquid enim fecero, ſi ipſe me adiuturus eſt, ipſe faciet: ſin minùs, nil ego poſſum. huic autem reſponderet homo ſapiens, idémque Chriſtianus, quòd niſi qui libertatis compos eſt, ſua ſponte afflatui diuino conſerit, non iuſtificabitur, neque iuſtus factus proficiet. idem ergo dicendum eſt vtique de hominibus ſtatuiſſe ab æterno Deum: ob ídque Petrus ait, Satagere nos debere, vt per bona opera noſtra electionem & vocationem certam faciamus. Meritò porrò exibilãdus eſſet à populo, qui ſic loqueretur, Deus præſciuit futuram victoriam: igitur, ſiue prœlium inietur, ſiue non, victoriam reportabimus. hoc quidem prænouit Deus, quòd ſi armatus prœlium inieris, vinces: vbi ſi cum hoſte nudus congrediare, telo ſine dubio confixus cades. Sed ais vltimò, Non ſolùm prædeſtinationis finem cuicunque conſtituit Deus, verùm & media, per quæ illuc perueniat. fateor equidem, neque negare volo: ſed tamen, vt ea media recipiamus, in arbitrio noſtro poſuit, ſic quòd ea renuere pro libertate noſtra poſsimus. Eſt denique ratio vna, quæ præ omnibus nos maximè conſolatur, de qua & Auguſtinus meminit: nempe quòd vulgi argumentum pari greſſu de Deo, ac de nobis currit. nouit enim ipſe, ſtatuítque iam ab æterno, quidquid in hoc

Certitudo diuinæ ſcientiæ nihil immutat de libertate noſtra

Perditiſſimorum hominum inſanum argumentum.

2.*Pet*.1.

Vulgi argumentum de diuina ſcientia, etiã de ipſo Deo formari poteſt, ſi ut de nobis

tēpore facturus eſt: & tamē quis, cedo, dicere audeat, nō libere eū operari quidquid extra ſe operas efficit? liberè mundum creat, liberè nos redemit, liberè vocat, liberè iuſtificat, liberè poſtremò beatos reddit, & magnificat. quæ ſanè omnia ab æterno, tempore præfixo, ſe facturū ſtatuit. ipſam ergo nobis libertatem ſua preſcientia, & prædeſtinatione Deus reliquit, quam & ipſi ſua prouidentia, aut voluntas adimere non potuit.

At Origenes, Chryſoſtomus, Hieronymus, & Ambroſius cenſuerunt, ſuam Deum gratiam hominibus diſpenſare, prout ea quiſque bene vſurus ab ipſo præuidebatur. vt vt de hac re ſancti pronuntiauerint, illud tamen longè omnium certiſsimum eſt, de operibus ſequentibus gratiam eos fuiſſe locutos. ipſa ſiquidem opera cauſſa finalis ſunt prædeſtinationis. elargitur enim nobis Deus ſuam gratiam ob eius bonum vſum, non quòd nos ea bene vſuros prænouerit, ſed vt ea bene vteremur. aut certè ſi bona opera, bonúſque vſus liberi arbitrij in cauſſa eſt, vt volunt hi ſancti, quò à Deo prædeſtinemur, accipi debet non pro cauſſa propriè ſumpta, ſed quòd ſint diſpoſitiones, quas Deus futuras præuidit in accepturis gratiam & iuſtificationem. loquimur quippe de adultis. Quòd verò diuus Auguſtinus interdum in ea fuerit ſententia, vt abſolutè diceret, opera præuiſa electionis diuinæ cauſſam eſſe, ex multis doctrinæ ſuæ locis colligere licebit. at, cùm melius in ſcripturæ cognitione profeciſſet, non retractauit modò, vt euidenter falſam, ſed fortiter confutauit. quin & poſt retractationem, Pelagianos perſtringens, quòd in eo errore perſiſterent, Quis iſtum, inquit, acutiſsimum ſenſum apoſtolo defuiſſe non miretur? nam, cùm rem ſtupendam propoſuiſſet de illis nondum natis, & deinde ſibi quæſtionem obiiceret, Quid ergo? nunquid iniquitas apud Deum? locus erat quidem, vt reſponderet, Deū vtriuſque merita præuidiſſe: non tamen hoc dicit, ſed ad Dei iudicia & miſericordiam confugit. alibi etiam, cùm omnia ante electionem merita ſuſtuliſſet, ait, Hîc certè vacat vana illorum ratiocinatio, qui præſcientiam Dei contra gratiam Dei defendunt: & ideo dicunt, nos electos ante mundi conſtitutionem, quia præſciuit Deus futuros nos bonos. non

In quā ſenſum intelligēdi ſint ſancti, qui dicūt, merita noſtra cauſſam dediſſe electioni diuinæ.

Auguſtini retractio.

hoc dicit, qui dicit, Nō vos me elegiſtis, ſed, ego elegi vos. nā, ſi propterea nos elegiſſet, ꝙ bonos futuros nos præſciuerat, ſimul etiam præſciuiſſet, quòd eramus illum electuri. Hæc ab Auguſtino ſæpe, & ſæpius habemus.

Qua de cauſſa multi à Deo reprobentur, æterníſque cruciatibus deſtinentur: refertur etiam Caluini falſa opinio, & eliditur: déque reprobatione agitur.

CAP. VIII.

POSTEAQVAM de electorum prædeſtinatione, quæ ad noſtram cauſſam pertinere maximè videbantur, explicuimus: rei ordo poſtulat, vt de reprobis ſermonem faciamus. quo certè loco Caluinus tam crudelem Deum concipit, quàm eum ſuperiori articulo miſericordem prædicauerat. *Si ad opera*, inquit, *oculos conuertimus, iniuriam irrogamus apoſtolo, quaſi id ipſum, quod nobis perſpicuum eſt, non viderit. vbi porrò obiectionem mouit, Num iniquus Deus eſt? illud, quod certiſſimum & apertiſſimum fuiſſet, iuſtitiæ eius patrocinium, non vſurpat, Deum reſpondiſſe, Eſau ſecundum ſuam malitiam: ſed diuerſa ſolutione contentus eſt, quòd in hunc finem reprobi excitentur, vt Dei gloria per illos illuſtretur. Demum ſubnectit apoſtolus clauſulam, quæ vniuerſam hanc controuerſiam dirimit, Deum, cuius vult, miſereri, & quem vult indurare.* Rom.9. *Vides, vt in ſolum Dei arbitrium vtrunque apoſtolus conferat. Ergo ſi non poſſumus rationem aſſignare, cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quoniam ita illi placet: neque etiam in aliis reprobandis habemus aliud, quàm eius voluntatem:* ecce, quo pacto præter illam finalem cauſſam, quò ſcilicet Deus oſtendat iram ſuam ac potentiam in filios diffidentiæ, nullam aliam cauſſam ex parte reprobandorum Caluinus reperiat, ob quam æternis cruciatibus miſeri & infelicisſimi homines ab æterno deſtinentur à Deo, præter vnam ipſius bonitatem: ecce etiam, quomodo non minùs loquatur de reprobatione, qua ſupplicijs ęternis miſeri deputantur, quàm de odio, quo ab æterno Deus eos proſecutus eſt: vt omittamus, nō eós elegiſſe, ſine meritis, atque permiſiſſe in culpam delabi. ſanè ſicut in electis omnia, quę prędeſtinationem ſequuntur, & ipſam beatitudinem præcedunt, effectus eſſe affirmat ęternę illius pręelectionis: ſic mala omnia miſeris his ex illa reprobatione prodire affirmat. ô mentem ſcili-

Sẽtẽtia Caluini rationibus confutatur. cet piam, ô animum religioſum talia de Deo cogitantem, ô humanum ingenium, tam atrocem ſuum Deum fingens. vis audire, qualis Deus iſte ſit, quem mente fingit, & calamo pingit Caluinus? eſt vtique vſqueadeò atrox & dirus, vt, nullis præuiſis ſceleribus, non ſolùm multorum vſum, ac familiaritatem declinet, quod illi liberum eſſe poterat, ſed æternas etiam inimicitias cum his, qui nihil tale meruerunt, gerere & exercere velit. eſt quidem valde ferox, qui, vt ſuam potentiam coram omnibus exerat, pro nihilo ducit, innumeras animas beatitudinis capaces, & in quibus ſuam imaginem expreſſam quotidie intuetur, æternis acerbiſsimíſque tormentis deſtinare, quos adhuc in peccatis & ſceleribus nunquam deprehendit. & quò magis mireris, miſeros homines præcipites in geennam fert, eorum corda in malum flectit, immo in peccatum propellit, ne ſine cauſſa nos puniuiſſe exiſtimetur. Fatetur itaque iſte flagitioſos homines nunquam ſine malis operibus perpetratis à Deo puniri, at bene ſine ipſis præuiſis à Deo illi ſupplicio in æternitate deſtinatos eſſe, ſentit. neque præter verbum illud Pauli de Eſau aliâs per nos inductum, quæ proferat fundamenta, pro hac re ei deſunt, *Hæc verò, dum audit humanum ingenium, admiratur*: (ô quàm verùm eſt Caluine) *ſéque continere nequit eius proteruia, quin velut ad canticum claſsici, variè & ſupra modum tumultuetur. ac multi quidem ac ſi inuidiam à Deo repellere vellent, electionem ita fatentur, vt negent quemquam reprobari: ſed inſcitè nimis & pueriliter*: quî ſic? *Quando ipſa electio niſi reprobationi oppoſita nõ ſtat. Quos ergo Deus præterit, reprobat: neque alia de cauſſa,*
Rom.9. *niſi quòd ab hæreditate, quam filiis ſuis prædeſtinat, illos excludere vult. Quare induratio non minùs in manu Dei eſt, quàm miſericordia. Paulus etiam nefas eſſe admonet figmento, cum fictore ſuo rixari. Iam qui non admittunt, vllos à Deo reprobari,*
Matt.15. *quomodo ſe expedient ab illa Chriſti ſententia, Omnis arbor, quam non plantauit pater meus, eradicabitur? Apertè exitio addici & deuoueri audiunt, quoſcunque pater cœleſtis dignatus non eſt, quaſi ſacras arbores, in agro ſuo plantare. Si hoc reprobationis ſignum eſſe negant, nihil eſt tam liquidum, quod eis probari queat. Obſeruent præterea omnes, vt anſam ſuſurris & obtrectatoribus præcidat Paulus, ſummum dari imperium iræ &*

potentiæ Dei: quia iniquum eſt calculo noſtro ſubiici profunda illa iudicia, quæ ſenſus noſtros abſorbent. Audiſti lector Chriſtiane, quæ pluribus perſecutus eſt Caluinus: ſpero & ego, te æquo etiam animo laturum, ſi quoad potero, facili & clara oratione ſententiam meam paucis inſeruero, quam non minùs tibi probatum iri confido, quàm diuinis ſcripturis, & ſanctorum patrum dictis eam confirmari videris. Hoc ſit primum, Deum ſcilicet, omnes voluntate illa antecedenti ſaluos fieri velle, conſequenti verò, & abſoluta non niſi quoſdam incerto & indeterminato numero præelegiſſe: ſic quòd non omnes efficaci voluntate, cui reſiſtere nemo poteſt, electi fuerint, ſola ipſa diuina voluntas in cauſſa eſt. vt ſi à me quæras, quare iſte cum prædeſtinatis non annumeratus eſt: reſpondere tibi neſciam, niſi quòd diuinæ voluntati ſic placuerit. hoc ſit maximè conſtitutum & certiſsimum. vbi duo notatione digna occurrunt: vnum, quòd nullum Deus actum poſitiuum habet, quo ſtatuat nunquam eos electurum. quî enim iſtud ſtatueret, quem tantopere ſaluare honines delectat, & iuuat? conſequitur hinc alterum, nempe longè diſtare hoc, quod eſt, Deum non eligere voluntate hac abſoluta & perfecta, quæ deficere non poſsit, ab eo, quod eſt quemquam reprobare, æterno odio deputare, vltricibus denique flammis deſtinare.

Quod nõem nes eligãtur ſola diuinæ volũtatis libertas in cauſſa eſt. *2. Tim. 1.*

VENIO ad ſecundum, quod non dubito pari certitudine tibi probatum iri, ſcilicet, quòd Deus ſic miſeros homines in culpam prolabi permittat, quòd & eos ſuis ſceleribus ſubiacere ſinat, non indurando actu ſuo eorum corda, ſed ſubtrahendo præcipua illa filiorũ auxilia ſola, diuina voluntas in cauſſa eſt. quos enim Deus nõ elegit, permittit iuxta ſui arbitrij libertatem turpiter cadere, & tandem in peccato mori. qua ratione hæc ipſa permiſsio à nõnullis ſanctis reprobatio dicta eſt. Vbi duo etiam ſe offerunt accurata diligentia obſeruãda: alterum, quòd nunquã Deus ſtatuit huiuſmodi hominibus nõ ſe ea largiturũ auxilia, quib⁹ à peccato reſurgãt. eſſet enim hoc ab infinita ſua pietate perquã alienũ, qua ſemper paratiſsimus eſt cuicunq; ſubuenire, ad oſtiũ pulſare, excitare, pellicere, atque terrere. quod maximè contemplandum eſt in verbo Oſeæ, vbi dicitur, Perditio, tua Iſrael,

Permiſsio, reprobatio dicta. *Oſeæ 13.*

tantùm ex me auxilium tuum. prætereo innumera alia ſcripturæ ſanctæ teſtimonia, quibus obſtinationem noſtram ſimul, atque diuinum fauorem promptiſsimũ nobis oppidò admonemur. alterum verò, quod ab hoc principio dimanat, eſt latum quidem eſſe diſcrimen inter reprobationem ſic ſumptam, & electionem: quamuis vtraque ſolam diuinam voluntatem pro cauſſa habeat. gratia ſiquidem, & æterna illa præelectio cauſſa dicitur bonorum operum, omniúmque effectuum vſque ad ſanctorũ magnificam gloriam, atque adeò illis natura prior eſt: permiſsio verò Dei non ſic delictorum cauſſa eſt, neque obdurationis, ſed ad eum modum, quem paucis verbis ſic expreſsit Auguſtinus, Non indurat Deus impartiendo malitiam, ſed non impartiendo miſericordiam. neq; cùm hoc vltimùm audis, mentem tuam ſubeat ita peccatores perire ex defectu miſericordiæ diuinæ, quemadmodum à patrono atque ductore deſtituta nauis, ad diros ſcopulos appulſa, naufragium pati ſolet: abſit, vt Deum cuiquam defuiſſe, aſſerere velimus. ſemper ergo quantũ ex ſe eſt, miſericordiã impartitur: dicitur tamen eã ſubtrahere, cùm effreni noſtræ libidini habenas laxat, liberúmque arbitrium hàc atque illac perfluere, huc atque illuc vagari ſinit.

Inter reprobationẽ, atque electionem magnum eſt diſcrimen.

Auguſt. epiſt. 105.

TERTIVM, quod nobis conſiderandum ducimus, & quod rem totam optimè explicat, id nimirum eſt, videlicet aſſerere Deum odio proſequi ſuas creaturas, niſi peccatum præcedat, non modò contra ſcripturas eſt, verùm etiam impium & inhumanum. rem hanc clariùs ſic interpretabimur: Peccatum, ſcelus, atque flagitium, non diuina voluntas (quæ omnes amat, quæ omnibus benè cupit, quæ omnes ſitit, quæ nihil odit eorum, quæ ipſa ſemel creauit) in cauſſa ſunt tanti odij, tanti diſsidij, iræ, indignationis, inimicitiæ inter Deum & nos. vt, ſi iam quæras quæ ſit proxima & prima ratio diuiſionis, qua Deus æterno odio iniquos proſequatur, quos prænouit in eo permanſuros, nos niſi ad peccata, prauámque iſtorũ voluntatem recurrere minimè poſsimus. non elegit eos diuina voluntas: concedo: non tamen eos, niſi merita, prauóſque eorum animos vidiſſet, vnquam odio habuiſſet. permiſit cadere: ſic eſt: ſed non impulit in peccatum, nec

Deus propter ſola peccata noſtra nobis iraſcitur.

coegit.nō ſubleuat:nolo negare: verùm ſi huius cauſſam noſſe cupis,recurre non ad diuinam volūtatem,quæ dies & noctes in plateis clamat,& ad ſe vocat peccatores omnes ad pænitentiam, ſed magis ad humanam duritiem, quæ cùm benignitate Dei ad pænitentiam deduci debuiſſet, teſte Paulo,theſaurizauit ſibi iram ſecundum impænitens cor in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. *Rom.2.*

At dices,Si Deus efficaciſsimis illis fauoribus,quibus ornare ſolet dilectos,ſi iiſdem,inquam,auxiliis & reprobos cumulaſſet,& excitaſſet,fortaſſe,vt ipſemet dominus ait, in cinere & cilicio pænitentiam egiſſent. quid ſi hoc argumentum in te contorſero?nónne vides,ibi erga reprobos etiam homines voluntatis ſuæ & clementiæ exempla edidiſſe minimè obſcura?nō intelligis,nihil ſuis ſubſidiis apud miſeros homines promouiſſe,parúmque profeciſſe? ergo, quò Deus omnibus paratiſsimus ſit auxiliari & opitulari,diuinam ſuam iuſtitiam non minùs decet,quàm clementiam: ne quoquo pacto peſsimi homines & nefandi ſui obſtinati animi duritiam ipſi Deo ſanctiſsimo aſcriberent, propriíque ſceleris in Deum cauſſas prætexerent. quòd verò maioribus præſidiis ſuos muniat,ne cadant,& quò certioribus hamis eos lapſos è peccati cœno prehenſos trahat,electionis ſuæ penitus latens eſt ſacramentum: cuius aliam cauſſam neque eſſe non fingimus, neque inquirere volumus præter ſuam ipſius voluntatem. Dicimus igitur peccato originali,quod verè peccatum eſt & mortale,nos omnes Dei inimicos conſtitutos, natura iræ filios redditos, execrabiles odioſóſq; coram Deo habitos. quo ſanè peccato in æternitate præuiſo inter Deum & corruptam maſſam inde inimicitiæ exortæ ſunt. vt ſi à me quæras, quid ſit cauſſæ, quòd paruulus quiſpiā,baptiſmatis vnda non intinctus, mortuus, exul à regno cælorum perpetuò erret, inimicus Deo, & iræ filius: reſpondebo tibi,quia in primo omnium parente diuinam legē tranſgreſſus eſt.at verò, ſi rurſum inſtes, quare vel cum electis eum Deus nō prædeſtinauerit, vel certè non dignatus ſit baptiſmum ſuſcipere, quo eius macula abſtergeretur, cùm multi alij paruuli ad eum fontem feliciſsimè peruenerint, ſtatim deceſſuri: fateor non aliam rationem à me vnquam quæſitam eſſe, ne

Luc.12.

Deus cur maioribus præſidiis ſuos,quàm reliquos muniat oſtendi non poteſt.

dum inuentam, quàm ſic Deum voluiſſe. peccatum ergo, quod originale dicimus, huius reprobationis cauſſa ſufficiens eſſe poteſt.

Adhuc agitur de reprobatione, qua in ſupplicium æternum reprobi ſunt deſtinati: atque hominum ſcelera huius rei cauſſam eſſe demonſtratur. CAP. IX.

CVm à diuina ſola voluntate iam oſtẽderimus, reprobos homines à Deo non fuiſſe electos, atque huic conſiderationi illud, quod de originali peccato erat, adiunxerimus, nunc quidem quæſtionis noſtræ præcipuũ caput attingamus, oportet: quod totum in ſuppliciis, ac pœnis damnatorum conſiſtit. quare ne quid dicendumupereſſe videatur, quartum & vltimum tribus illis ſuperioribus addemus. Huius profectò ordinationis, qua ſtatuit Deus nonnullos æterno ſupplicio vexandos deſtinare, neque voluntas diuina ſola, neque originalis offenſio tantùm, ſed ſcelera, quæ eos commiſſuros Deus præuidet, in cauſſa ſunt. Hæc noſtra aſſertio diui Auguſtini perſpicua ſententia eſt: ait enim, Quærimus meritum indurationis, & inuenimus: quærimus autem meritum miſericordiæ, nec inuenimus. quia nullũ eſt, ne gratia euacuetur, ſi non gratis donetur. ſed rem altiùs exordiendo, arbitramur, non ab re vaſa iræ dici à Paulo apparata ad interitum, vaſa autem miſericordiæ Deum præparaſſe: quia hoc modo ſalutis laudem Deo totam aſcribit, & vẽdicat Paulus: perditionis verò culpam in eos reiicit, qui proprio arbitrio ipſam ſibi accerſunt. Verùm audiamus, quid hîc Caluinus comminiſcatur, vt argumentum eludat. *Sed vt illis concedam diuerſa loquendi forma Paulum aſperitatem lenire prioris membri: minimè tamen conſentaneum eſt, præparationem ad interitum aliò transferre, quàm ad arcanum conſilium Dei. quòd etiam paulò antè in contextu aſſeritur, quòd Deus excitauerit Pharaonem: deinde quos vult, induret:* dixi

Rom. 9. ducenties, quòd ex duobus hic ſit prælectus, ille pręteritus, quòd ex duobus, quos æquè primus parens infecit, hic per baptiſmum regeneretur, ille verò alius eo priuetur, quòd tandem hunc Deus in peccato iacere patiatur, cùm alterùm, ſemel lapſum, tot donis ac fauoribus cumulet, quò quidem ſubleuet: hoc, inquam, ex immenſitate

iudiciorum Dei noſtri exoriri, & naſci. Hæc profunda eſt Dei abyſſus, hæc altitudo diuitiarū ſapientiæ & ſcientiæ Dei, hęc ſunt tam magna iudicia, vt in ea humanus intuitus nihil poſsit, hęc poſtremò ſunt arcana, quorum vias inueſtigabiles dicit Paulus. Neque quidquam aliud *Rom.10.* in eo contextu aſſeritur, neque vlla conſecutione probabis, Dei abſconditum conſilium obdurationis cauſſam eſſe, niſi permiſsiuam. quod ais, potentiori gratia reformare ſuos electos, vbi ex lupis Deus oues facit, ne dominetur eorū durities, ac proinde obſtinatos ideo non conuertere, quia potentiorem illam gratiam non exerit: iam ipſe vides, quàm parum contra nos faciat, qui vt liberè fatemur hæc omnia à diuina voluntate proficiſci, ita conſtanter negamus odium, aut æternam pœnam aliunde, quàm ex peccato profectam. vbi te mihi iam percunctari libet, quo iure diuinus animus, alioqui perbenign⁹, & in amorem mirum in modum propenſus, ſic iraſcatur, vt odium acerbiſsimum in eos iam diu conceptum cōtineat, æterníſque ſuppliciis deputet, à quibus nulla antè offenſione prouocatus fuerit? nam, vt ex tam multis nōnullos in ſuum conſortium accerſere, diuinóque beneficio ad ſe aſciſcere, ſit opus eximiæ clementiæ & pietatis: (nullo ſiquidem debito cuiquam aſtringitur Deus) ita odio & exitio deuouere, quos ipſi placuerit, tyrannicæ magis libidini, quàm optimi iudicis ſententiæ legitimæ conuenit. neque valet, quod toties inculcas, vna re ſatis nos cōtra huiuſmodi cogitationes armari, ſi reputemus, quantæ ſit improbitatis cauſſas diuinæ voluntatis percunctari. Audi Caluine: diximus ſæpe, eſſe nonnulla in hoc prędeſtinationis negotio, quæ à Deo duntaxat fiunt, cuiuſmodi ſunt, non elegiſſe cum aliis, permittere in peccatum cadere, non ſingularem illam diuinam opem ferre, quam aliis ſine vllis meritis pręſtitiſſe pro cōperto habemus. in his omnibus mirifica improbitas erit, cauſſā diuinę volūtatis percunctari, cùm omniū iſtorum ipſa ſola cauſſa ſit, & meritò eſſe debeat. adeò enim ſumma eſt iuſtitiæ regula Dei voluntas, vt quidquid vult, eo ipſo quod vult, iuſtum habendum ſit. vbi ergo quęretur, cur ita dominus fecerit: reſpondebimus nos, quia voluit. quòd ſi vltrà inſtes, cur voluerit: maius aliquid quæris, & ſublimius

Dei voluntate, quod inueniri non poteſt. neque dubitò (quæ ſua eſt potentia) poſſe ſanctos omnes nunc ęternis afficere ſuppliciis. quod ſi faceret, ſola ſua voluntate iuſtum & rectum iudicaretur. Sed abſit, vt tale quippiam futurum timeamus. longè ſecus nos ſacra ſcriptura de ea re inſtruxit. ita ſanè ſi omnes Deus abſque vllis meritis in æternam mortem prędeſtinaſſet, in ſola ſua bonitate quieſceremus: verùm quò miſericordiam & iuſtitiam ſuam ſimul apud nos commendaret, noluit ſe vltorem haberi, & in eos animaduertere, quos nullius ſceleris reos eſſe pręnoſcebat. Compeſcat igitur ſe humana temeritas, & quod non eſt, non quęrat, ne fortè id, quod eſt, non inueniat. at verò de reconditis Dei ſui myſteriis cum reuerentia philoſophari, quemadmodum nos facimus, nulli prohibitum eſt. Stipendium peccati mors, gratia autẽ vita æterna, dicebat Paulus. Quoties ergo Caluine vel de peccatorum odio, vel de damnatorum pœnis mihi recordari contingit, mox peccatum ipſorum mentem meã occupat: vbi verò ſanctorum gloria recordationem noſtram ſubiit, illico ſeſe omnium prima gratia Dei offert, potiſsima beatæ vitę cauſſa, ſicut & peccatum origo prima eſt miſeriæ ac mortis impiorum. Reſpondet iſte ſecundò rationi noſtri propoſiti, *Ne ſacrum nomen impunè ludibrio haberi patiamur, arma quoque aduerſus eos idem ipſe Deus ex verbo ſuo ſuppeditat.* et quæ iſtęc arma Caluine? *Proinde, ſi quis nos huiuſmodi verbis aggrediatur, cur ab initio Deus ad mortem aliquos prædeſtinauit, qui cùm nondum eſſent, mereri iudicium mortis nondum potuerant: nos reſponſionis loco viciſsim eos rogemus, quid Deum homini debere exiſtiment, ſi eum naturæ ſua æſtimare velit?* ſi natura ſua integra eum æſtimare velit Deus Caluine, vt nihil illi extricta iuſtitia debeąt, ęterni ſic tamen nihil mali ei infliget: ſi verò in primo parente viciata & infecta, fateor nihil debere Deum ei pręter odium, inimicitias, iram, atque etiam æternam pœnam, niſi quòd miſericors Deus noſter puniens ſemper citra (vt dicitur) condignum huiuſmodi ſupplicium ob originalem offenſionem nunquam exercet. Vides itaque & ad peccatum recurriſſe te: non verè tamen es arbitratus, in æternas flammas deſtinatum eſſe quempiam à Deo, quòd filius ſit eius hominis, qui totam ſecum poſteritatem,

Rom. 6.

tē corrupit. Tu dicis, qualiter peccato vitiati ſumus, omnes non poſſumus non eſſe Deo odioſi, idque non tyrannica ſæuitia, ſed æquiſsima iuſtitię ratione. ô quàm pro me colligis, ſi verum eſt Caluine, quod vtique certiſsimū eſt. ex corruptiſsma maſſa ſumptos iam omnes, cùm eos æternę morti ſubiicere potuiſſet, qui tamē ſine remedio hinc receſſerunt, quibus nullum actuale peccatum admiſtum eſt, cuiuſmodi ſunt paruuli, amentes, ceteríque alij, qui cum peccato originis tantùm mortui ſunt, non in æterna ſupplicia eos deſtinauiſſe, ſed priuaſſe beata viſione contentus fuit: quātò magis ſuam miſericordiam dedecet, primā originem damnatę mortis, reprobationíſque clementem eius voluntatem cōſtituere. notum præterrea eſt Salomonis dictum, Magnus creator omnium mercedem reddidit ſtulto, & mercedem trāſgreſſoribus. Poſtremò etiam vbique ſcripturę, quoties de pœnis damnatorum nobis quidquam tradunt, cum primis non ad diuinam, ſed ad prauorum hominum voluntatem confugere. quapropter qui non opportunè, ſed paſsim clamat, O altitudo diuitiarum, O homo qui es tu, aut id genus aliis exclamationibus extra rem, & cauſſam ſępius vtens, (quæ ſuo tempore oportunè ſatis habentur) videtur proinde quaſi deprehenſus ad cuniculos reſpectare. mihi quidem, qui odij diuini & deſtinationis ad pœnam in ipſis reprobis immediatam & proximam cauſſam reperio, permiſsionis verò, & non electionis ſolùm Deum conſtituo, mirè fauent ſcripturæ ſanctę, mihi ſuffragantur ex antiquis patribus, & ex ſcholaſticis, quos tantō ſtomacho deſpectui habet Caluinus, non pauci, mihi nouiſsimè ſummè opitulatur ratio infinitę bonitatis, clementiæ, humanitatis, & eius, quę in Deo eſt, iuſtitiæ ratio. Caluinus verò, omni deſtitus præſidio, clamoribus plenus eſt, exclamationibus omnia illius ſcatent: & dum Deum iuſtum eſſe defenſitare neſcit, ad crudelitatem, & propè tyrannidem adigit.

Epitome omnium rationū, quibus probatur, reprobationis cauſſam eſſe hominum ſcelera.

QVÒD verò ex Paulo obiicit de Eſau, certiſsimum, & apertiſsimum patrocinium hoc iuſtitiæ Dei non vſurpare, ſed magis dicere, Cùm nihil mali egiſſent, parum illi fauet. nam, vt demus non de temporali primogenitura, ſed de æterna hæreditate potiſsimùm ibidem locutum

Paulum,fatemur hominem, ex corrupta maſſa exortum ſine vllis præuiſis meritis à Deo poſtpoſitum eſſe,illo altero electo, & ad æternitatem deſtinato. habetur Eſau odio ab ipſo Deo; reiicitur è regno ſine vlla ſua actuali culpa,priuatur regno,nec omnino ſine cauſſa, non quòd ipſe quidquam feciſſet boni aut mali,ſed primus eius pater ſe,totámque poſteritatem exhæredem fecit. at neque execrabilis eſſet Deo, niſi hæc culpa præceſſiſſet: neque in æternam damnationem ipſum à Deo prædeſtinatum apud Paulum legimus. At electio,inquis,niſi reprobationi oppoſita, non ſtat:cui reprobationi Caluine:non electioni? verum eſt.permiſsioni? etiam fateor. nõ quòd ex rei natura altera alteram inferat, quaſi Deus certos eligere non poſsit, quin permittat ſimul reliquos peccatores mori, (quod patet euidenter de his paruulis,qui contra originalem maculam abſque remedio deceſſerunt) ſed quòd ita factum eſt, vt extra eos,quos in æternitatem ſuam aſſumendos certiſsimò ſtatuit, reliquos in malum ſui arbitrij libertate vti perpetuò ſineret. Cui poſtremò reprobationi opponitur electio, num prædeſtinationi in mortem, & æternam pœnam? hoc Caluine ſine ratione & auctoritate dicitur.quòd enim illi primi in Dei amicitiam aſciti fuerint,amor diuinus effecit (eſt quippe ſuæ naturæ ſanè quàm conueniens)quòd verò iſti alij inimici,& æterni ſupplicij rei à Deo habiti ſunt,non potuit ex diuina mẽte primùm proficiſci: ſed quia ipſi priores inimicitias ſuas,& peccata Deo oppoſuerunt. cùm ergo nõ vna & eadẽ prædeſtinationis & reprobationis cauſſa ſit, ſed ex alia & alia origine vtraque naſcatur,nil coget non eſſe vnam abſque altera. Eſt itaque concludendum,electi dicunt,Non nos primi,ſed ipſe prior dilexit nos. reprobi contrà dicere habent, Non ipſe prior odio nos habuit, non ipſe prior in æternam damnationem nos relegauit: nos primi odio eum proſecuti ſumus, nos ſuam iuſtitiam deteſtati, ſuum honorem aſpernati ſumus, ſua demum ſanctiſsima mandata contempſimus: ecce nunc digna actis noſtris patimur. Neque eſt, quòd aut de eius clementia, aut de diuina miſericordia iure queramur, ſed in nos ipſos, qui talia commeriti ſumus, ſermonis noſtri obiurgationem diſtringamus. *Monet Pau-*

Eſau cur in Deo odium inciderit.

Vnde oriatur,quòd nõ nulli à Deo non eligantur, et quòd ſint inimici, et quod ſint puniendi.

lus nefas eſſe figmentum cum fictore ſuo rixari: & ego, om- *Rom.9.*
néſque, qui piè diuinas ſcripturas edocti ſunt, idipſum cum Paulo monebimus Caluine. immo ſi, vt aliâs dixi, abſque vlla alia cauſſa præter ſuam voluntatem nos Deus perdere vellet, non auderemus tunc figulina vaſa nos cum figulo noſtro, veróque plaſmatore & creatore in iudicium appropinquare, ibíque cum eo contendere: at quia nos non condidit, vt perdat, ſed vt magnificet & ſaluet, non rixantes, ſed ſuam iuſtitiam in diuinis litteris ſatis expreſſam agnoſcentes, audemus aſſerere inimicitias, & pœnam ex peccato profluxiſſe, dona verò, & fauores à gratia nobis proueniſſe.

Diluitur argumentum, quo Deo reprobationem, non humanæ culpæ aſcribendam eſſe, poſſe probari videtur: & quomodo Paulus diuinæ iræ & potentiæ ſummum imperium tribuat.

CAP. X.

QVòd autem ex euangelio vltimo loco ptoponis, non minori facilitate diluetur: ais enim, *Iam qui non admittunt vllos à Deo reprobari, quomodo ſe expedient ab illa Chriſti ſententia, Omnis arbor, quam non plantauit pater meus, eradicabitur? Apertè exitio addici, & deuoueri audiunt, quoſcunque pater cæleſtis dignatus non eſt, quaſi ſacras arbores in ſuo agro plantare*: quaſi verò difficilis ſit exitus à tam inexplicabili labyrintho, & non magis ex euangelico contextu habeamus, quod tibi reſpõdere poſsimus. Primùm Chriſtus dominus de inſtitutionibus ibi agebat, ac de humanis traditionibus, quas homines ad ſuum quęſtum, & gloriam ex ſeſe, non ad veram pietatem commẽti ſunt: quæ ſanè, quia à Deo non ſunt, pereant & eradicentur, oportet. eſt ergo hæc Chriſti ſententia eadem cum illa Gamalielis. Si ex hominibus eſt hoc conſilium, hoc aut opus, diſſoluetur: ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere, ne fortè & Deo repugnare videamini. Deinde Caluine, ſi plantationem hanc ad homines ipſos referas, in quo ſenſu, Chriſti fideles, Dei ædificationem vocabat Paulus, non minùs facilis eſt eius nodi diſſolutio. plantauerat porrò pater cæleſtis electam vineam: quam tamen conuerſam in alienam ac prauam idem dominus queritur. ij, quos Deus non ſit plantauit, vt nemo eradicare queat,

Matt.15. *Act.5.*

ſæpe quidem excidunt:at plantationem hãc nullus alius euellere poteſt, niſi ipſa aſſenſum præbuerit. non eſt ex patre plantatio,de quibus dominus è veſtigio adiungit, Sinite eos,cæci ſunt, & duces cæcorum. ſinite ſuo errore turbari eos,quos in malitia & prauitate fixas radices habere, humíque ſerpentes videtis. eſt itaque eiuſmodi obſtinatio non cæleſtis patris plantatio:nam,vt dixi, omnis boni,lucis,veritatis,ſanctimoniæ,ſator,plantator,& educator eſt Deus. Si triticum,quod Deus ſeminat,hominũ vitio aliquãdo euellitur,vt in vinea electa illa videre eſt, quid mirum,ſi quid ſuggeſtione ſua à diabolo ſuperſeminatum eſt zizaniç,eradicetur, & in æternas flãmas amandetur? Poſtremò damus ingenuè,neminem eorum,quos ſemel Deus prædeſtinatione ſua angelicis choris nõ conſeruit, poſſe ſeſe inter ceteras arbores ſacras plantare. verùm quòd in æternam mortem excidatur,ſola propria culpa efficiet.

QVÒD denique Paulus ſummum imperium dare videtur iræ & potentiæ Dei,non infert ex ſola Dei voluntate, quò iram ſuam & omnipotentiam notam faceret in gentibus, vt abſque culpa vlla in æternam crucem vaſa, quæ ipſe fingit,traiiciat,ſed vt ipſe oſtendat, omnes nos ſub omnipotenti Dei manu poſitos eſſe, vt quoquò voluerit,vertere nos poſsit. intelligamus præterea, opus eſſe ſuæ miſericordiæ non nos perdere ſine culpa noſtra, nóſque in æternam felicitatem ſua prælectione ſine vllis meritis noſtris coaptare.

Ex diuina prædeſtinatione, ac reprobatione nullã nobis à Deo neceſsitatem imponi: Caluiniqúe commenta referuntur, atque refelluntur.

CAP. XI.

DE induſtria poſt omnia, quæ videbantur ad miſericordiam Dei noſtri ſimul, atque iuſtitiam pertinere,duo mihi aſſeruaui ex Caluini inſtitutione deprompta,quæ nunc proferenda cenſeo, vt omni ex parte Caluiniana erga Deum pietas omnibus ſe prodat. Verſabat argumentum vulgare Caluinus,quòd videretur quidem diuina prædeſtinatione,& reprobatione ſummam nobis neceſſitatem imponi.quid enim facerent homines? an cũ diuinis decretis luctarentur? quòd ſi attentaſſent,nónne

id fruſtra facturi ſint cùm omnino non obtemperare nequeant?non ergo iure aut impij ob ea punirentur, quorũ præcipua in Dei reprobatione cauſſa exiſteret, aut iuſti ob ſua opera præmiis afficerentur, quorum potiſſima in Dei prædeſtinatione cauſſa foret. Huic argumẽto reſpõdimus nos iam ſatis cum ſanctis omnibus, qui piè & religiosè tam diuinam prouidẽtiam & præſcientiam, quàm abſolutam & certam Dei voluntatem, cum libertate noſtra, & contingentia optimè quadrare, & conuenire volunt. Verùm iſte, antiquitatis pertæſus, nihil neq; ſanctos, neque eccleſiam, addo etiã neque Deum, moratur. *Abſtinebo hic*, inquit, *à defenſione, ad quam ferè ſcriptores eccleſiaſtici recurrunt, non impedire Dei præſcientiam, quò minùs homo peccator reputetur: quandoquidẽ illius mala, non ſua præuideat Deus:* quare à regia via deflectere vis Caluine? quare faſtidis ſanctorum omnium, qui te præceſſere, ſemitas? credito mihi, quòd ab antiquis viis declinaſſe, iam propè errare fuerit: præcedentium veſtigiis non hæſiſſe, culpa non vacat: concordem omnium doctrinam ludere, nodũ in ſcirpo quæſiuiſſe eſt. Sed iam te audiamus. *Non enim*, inquis, *hìc ſubſiſteret cauillatio, ſed potiùs vrgeret, Deum mala, quæ præuiderit, potuiſſe occurrere, ſi voluiſſet, cùm non fecerit, deſtinato conſilio creaſſe hominem in eum finem, vt ſe in terra ita gereret*: ô lugendam hominis cæcitatem, itáne peccata fouebis, vt à diuina voluntate, & non quidem ſine magno Dei cõſilio ea profecta eſſe ſentias, atque dicere audeas? creauítne quoſdam Deus eo conſilio, vt nequiter in terra ſe gererent? mirari ſatis non poſſum (ita Deus omnia mea bene vertat) in tantum aceruum cæcitatis, ignorationis, erroris, addo etiam inuitus, impietatis hominem quempiam deueniſſe, vt id ſibi perſuadere de prouidentia diuina queat. porrò quæ intentio, quis finis, quis denique ſcopus in hominis creatione diuinæ voluntati præfixus fuerit, ex litteris ſanctis abundè colligimus: nũquam tamen ibidem docemur, certo conſilio, quò diuina celſitudo illuſtrior appareret, in peccatum, aut flagitium deſtinaſſe hominem, quem ſuæ beatitudinis & imaginis capacem creauerat, donis cumulauerat, legibus, quæ ipſum in officio continerent, erudiuerat. At dices, potuiſſe vtique Deum occurrere tot malis, ſi voluiſſet: ſi immẽſam ſuam

Neminem Deus deſtinato cõſilio creauit, vt peccaret.

potentiam ſpectes Caluine,quis iure negabit, omnẽ nequitiam ipſum impedire potuiſſe? quis iure diffitebitur,
Num.26. poteſtatem eum habere,vt vel ſuo imperio cum Dathan, & Abiron,ſeditioſis ac factioſis hominibus, erutis terræ viſceribus,omnes homines perditos ac flagitioſos,viuentes adhuc,infernus abſorbeat,& deglutiat? ſed non facit, ne ipſorum libertati repugnare,ac obſiſtere videatur: verùm ſummo illo ſuo conſilio, & prouidentia omnia mala,quæ nos liberè patramus,in optimum finem, non eis, ſed viris probis,atque eccleſiæ profuturum, perducit. O quot iuſti per malos homines exercentur Caluine: quot fideles, immortalem Deum, veſtrę hæreſes probatiores reddiderunt.quòd ſi veſtro malo verbo multi pereunt,veſtra atque ipſorum culpa eſt:veſtra quidem:qui, cùm to-
Quare De⁹ hæreſes permittat. ties per ſcripturas ſuas, quas luxare vos optimè ſentitis, per apoſtolos ſuos, quibus repugnare vos apprimè cognoſcitis,per antiquos patres & doctores,quos tam apertè ludere,deſpicere,negligere vos videtis, nouiſsimè per eccleſiam,cui inſultatis, in quam peſsimè iocamini, vos vocarit, ad vos clamarit, vos ſitierit, vos verò Deum ipſum ſuam operam ludere paſsi eſtis. fortè multis ex electis,qui vocem eius audiunt,non tam ad aurem locutus eſt Deus,quàm tibi Caluine: & tu interim dormis, eodẽ in luto volutaris,in eodémq; cœno es.aliorum,qui te audiunt,ſcelus agnoſce nõ obſcurum·nam,cùm tuos mores optimè deprehenderint,cùm pectus iſtud infinitis calumniis,dolis, & artibus repletum non ſemel coram eis nudaueris,adhuc lethargum ſuum dormiunt,adhuc non reſipiſcunt,ſed ſponte ſua ferunt ſe captos & comprehenſos diabolicis laqueis teneri. Quòd ſi Dei prouidentia in hanc conditionem homo creatus eſt, vt peccet, & faciat quæcunque facit: non video eſſe ei crimini vertendum, quod neque fugere poſsit, ac Dei voluntate ſuſcipiat. certè, Caluine, ſi huius ratiocinationis prior pars vera eſſet,poſterior meritò negari non poſſet.*Conſtare*,inquis,
Prouer.16. *inter omnes debet, quod ait Salomon, Deum omnia propter ſemetipſum condidiſſe, impium quoque ad diem malum. Ecce cùm rerum omnium diſpoſitio in manu Dei ſit, cùm penes ipſum reſideat ſalutis ac mortis arbitrium, conſilio, nutúque ſuo ita ordinat, vt inter homines naſcantur, ab vtero peccato, certæq; morti de-*

uoti, qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent: cur ſic diuina diſcerpis? cur ſic luxas? cur ſic perdis? obiicis ex eis, quæ vel ad ſpeciem tuæ parti fauere videntur, non ſecus atque diabolus ille detortis ſcripturis, vitæ ac veritatis auctorem aggredi & oppetere veritus non eſt: ea verò, quæ tuam hæreſim optimè conuincere poſſunt, ſcripturarum teſtimonia callidè ſilentio prætermittis. impiorum exitio diuinum nomen glorificari, atque noſtris ſceleribus nimiùm illuſtrari diuinam prouidentiam, quæ ex eis, quaſi occaſione data, meliora ſciat colligere, omniáque in ſe ipſam ſuo modo referre, inter omnes nos conſtat: quòd verò inter homines aliqui naſcantur, ab vtero, peccato certæque morti deuoti, conſilio, nutúque diuino deſtinati, vt nomen Dei per eos glorificetur, nec ſapiens, nec ſcriptura, nec ſanæ mentis quiſquam aſſerere eſt auſus. vnde poſtquam ſapiens multa de diuino timore, de diuina prouidentia & gubernatione, quæ non deficit, præfatus eſt, hoc adiecit, Deuolue ad dominum opera tua, & conſilia tua firmabuntur. ecce noſtri arbitrij libertatem: ſtatim ſubdit, Omnia operâtur dominus propter ſe, impium quoque ad diem malum. &, ne falſa opinione deceptus ſuſpicaretur quiſquam ſapientem ſenſiſſe his verbis malitiam operari Deum, mox addit, Abominatur dominus quotquot ſuperbi ſunt corde, etiam manus manui iuncta non erit exors mali. Sed quid agimus? veniamus iam ad reliqua, téque præeuntem libenter ſequar. *Si quis, cauſſetur nullam rebus neceſſitatem inferri ex Dei prouidentia, ſed potiùs libera conditione ab ipſo eſſe creatos, quoniam futuram eorum prauitatem præuiderit: neque nihil dicit, neque totum*: vtinam vel ex parte verum intueri inciperes Caluine: ſed non ignoro, quàm nihil erit hoc tuum, *Neque nihil, neque totum.* age ergo. *Solent quidem interdum hac ſolutione vti veteres*: Deo certè permagnas agimus gratias Caluine, quòd hęc noſtra doctrina non tibi noua videatur, poſtquam negare nõ potuiſti, principes noſtros & magiſtros antiquos patres ea vſos fuiſſe. Tu verò, quo cœpiſti, perge. *Vſi ſunt quidem illi, ſed quaſi dubitanter*: ô miram Caluinianam prophetiam: non potuiſti expreſſa verba negare, quæ omnibus

Matt. 4.

Diuina prouidentia quo pacto in noſtris ſceleribus ſuo modo præfulgeat.

Ibidem.

Diuina ſciẽtia nullam neceſſitatẽ rebus iudicit.

patebant, legentiúmque oculis peruia, paſsim ſeſe videnda offerebant, ad mentem eorum confugis. ſi diuinandum eſt Caluine, tibi caue, in re hac tam graui, támque populo Dei neceſſaria, temerè id feceris. prophetiæ donum, quod vtique à Deo proficiſcitur, ſuſpicimus, & veneramur, te verò adhuc neque inter prophetas Saulem prophetantem vidimus, neque tuo ore Dei ſpiritum inſediſſe, atque fecit olim, dum iniquiſsimi pontificis linguam mouit, euangeliſta quiſpiam certò nobis tradidit. Dicis, ſanctos antiquos quaſi dubitanter fuiſſe locutos, hac in parte concordantes & componẽtes diuinam prouidentiam cum noſtri arbitrij libertate: nos verò ſumma aſſeueratione eam nos veritatem docuiſſe, vbique prædicamus. quid ergo tu? *Scholaſtici verò, in ea acquieſcunt, ac ſi nihil contrà opponi poſſet*: certè aut parum, aut nihil. *Equidem præſcientiam ſolam nullam inferre neceſſitatem creaturis, libenter conceſſero, tametſi non omnes aſſentiantur. ſunt enim, qui ipſam quoque cauſſam rerum eſſe nolunt*: ne dubita Caluine, catholicis omnibus communis eſt hæc veritas, etiam his, qui diuinam prouidentiam rerum omnium cauſſam eſſe volunt. ſed tu vlteriùs progredere, vt in quo litis noſtræ ſtatus ſit, omnes intelligant. *Verùm mihi acutiùs ac prudentiùs videtur perſpexiſſe Valla, homo alioqui in ſacris non admodum exercitatus, qui ſuperuacuam eſſe hanc contentionem oſtendit: quoniam & vita & mors diuinæ magis voluntatis, quàm præſcientiæ actiones ſunt. ſi hominum euenta præuideret Deus duntaxat, non etiam ſuo arbitrio diſponeret, ac ordinaret, tum non abs re agitaretur quæſtio, & quid ad eorum neceſſitatem valeat ipſius præuidentia. ſed cùm non alia ratione, quæ futura ſunt, præuideat, niſi quia ita vt fierẽt, decreuit, fruſtra de præſcientia lis mouetur: vbi conſtat ordinatione potiùs & nutu omnia euenire. Non dubitabo igitur cum Auguſtino fateri, voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem, atque neceſſariò futurum eſſe, quod ille voluerit: quemadmodum ea verè futura ſunt, quæ præuiderit*: de Valla, Caluine, non eſt, quòd nunc agamus, nec de fide, & mente hominis hîc contendamus: hoc vnum veriſsimè affirmare non erubeſcemus, quod nimirum certum in eiuſmodi hominibus vbique contemplati ſumus, Ne, vt aiunt, ſutor vltra crepidam, &, Quam quiſque nouit, hanc exerceat artem. dolendum ſanè eſt, in-

Quàm temerè quidã in Dei myſteria prorumpant.

genua alioqui ingenia, ſuos terminos prætergreſſa, in vetita non ſine ſui periculo prorupiſſe. hoc dixerim de Valla, non quò aut nomen, aut fidem viri aliqua nota aſpergam, aut gloriam traducam, ſed vt magis ceteros moneam, ne tam repentè ex Quintiliani ſchola, & Vlpiani diſciplina conſummatiſsimos theologos prodiiſſe exiſtimari velint. conſiderent cũ primis in re omni, in cauſſa verò fidei potiſsimùm, oportere eos ſenſus ſuos, multùm & diu excogitatos, & cum antiquis patribus collatos, afferre. Sed ad rem veniamus, & ad tuam iſtam doctrinam. Quid erit, ſi dicamus nos, id præſtitiſſe Deum intellectuali creaturæ, vt liberè ſuas actiones exequi poſſet, neque magis ei defuturum ſe, quàm cauſsis naturalibus, quibus determinata eſt operandi ratio? quid impediet, ſi dicamus, boni & mali electionem ipſi homini reliquiſſe, præſtitiſſéque ad bonum innumera ſubſidia, ac permittere eum, ſuo nos auxilio abuti, dum voluntatem noſtram prauis affectibus fœdamus? an non optimè cõtingentia & libertas cum voluntate Dei ſimul ſtabunt non minùs, quàm cum prouidentia? omnia vult Deus, quæ fiunt ſub cælo, & in cælo: omnium eſt diuina voluntas cauſſa. agnoſce myſterium, intuere ſacramentum, vult omnia, miré ſeſe accommodans his cauſsis, quas ſibi in operationem copulauit. omnium eſt cauſſa, ſed ea ſic in lucem profert, quemadmodum natura ſua habent, à ſuis cauſsis proficiſci: eſt enim res hæc ſic vera, ſic clara, omníque alij vero conſona: producitur ignis à generante ſe igne, vult Deus ignem productum. vbi ſi Deum ſpectes primum producentem, effectus liber eſt: qui tamen ſimpliciter eſt neceſſarius, & naturalis neceſsitate quidem & naturalitate, à ſua proxima & immediata ac particulari cauſſa contracta. rurſum, amor boni, aut odium mali à recta voluntate creata naſcitur, non minùs liberè, quàm ſi Deus nihil ibi prorſus ageret. vult itaque amorem meum, quem mecum vnà producit, ſed ita vult, vt velit etiam me producere, & ita producere, quemadmodum voluntas mea nata eſt ad producendum, nempe libera ad vtranque (vt philoſophi loquuntur) contradictionis partem. Sed id ipſum clarius explicabitur, ſi dicamus, voluntatem diuinam omnium eſſe principium,

Deus rerum omniũ cauſſa, quomodo ſit.

& omnium cauſſam, quæ præbet etiam rebus ipſis virtutem cauſſandi (ita dixerim) & principiandi, atque cum eis operatur. quo igitur pacto ea mens, quæ voluntati creatæ dedit & eſſe, & operari, ſua actione aut libertatem auferet, aut modum operandi inuertet? quare ſicut diuina voluntate non deſtruitur creata voluntas, ita diuina libertas creatam libertatem ſtabilit, & confirmat. tantum abeſt, vt imminuat, aut deſtruat. apud omnes conſtare debet, diuinam hanc voluntatem (quæ nihil temeritatis habet, ſed magis omni conſilio eſt plena, atque ſapientia in diuinis litteris nominata legitur) diſponere omnia ſuauiter. Si ergo effectus naturalis nobis habeatur, etiam is, qui à Deo eſt, non niſi, quòd à particulari cauſſa neceſſariò producatur: quare non etiam liber effectus erit is, qui à proxima libera radice proficiſcitur, quantumuis vna omnium cauſſa diuina voluntas ab omnibus habeatur? Quòd verò Auguſtinus dicat, voluntatem Dei eſſe rerũ neceſsitatẽ, neque ipſe apud eum legiſti vnquã, nec quidquam tale vir ſanctus aliquando eſt opinatus.

Libertas diuina noſtrã nõ deſtruit, ſed perficit.

Sap. 8.

Aliter Caluini error refertur, atque refellitur, Pauli locus de promiſsione, à Caluino, productus, expenditur, & quis piorum de ſalute timor ſit habendus, explicatur.

CAP. XII.

NIhil profectò iam ſupereſſe hîc videtur, quod detinere nos queat, ſi alterum verbum Caluinianum, quod vtique aures piæ atque Chriſtianæ ferre non poſſunt, retulerimus. *Lapſus eſt homo primus, quia dominus ita expedire cenſuerat. cur cenſuerit, nos latet. certum tamen eſt, non aliter cenſuiſſe, niſi quia videbat nominis ſui gloriam inde meritò illuſtrari*: quid tergiuerſando operam ludis? memineris, etiam atque etiam rogo, quòd, cùm hanc quæſtionem magnus Auguſtinus, vt omnes alias, ſcitè pertractaret & expediret, Saluberrimè, ait, confitemur, quòd rectiſsimè credimus, Deum, dominúmque rerum omniũ, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura præſciuit, & ſciuit magis ad ſuam omnipotentiſsimam voluntatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere: ſic ordinaſſe angelorum & hominum vitam, vt in ea priùs oſtenderet, quid poſſet liberum arbitrium, deinde quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium, iuſti-

Auguſt.

tiæque iudicium. ô magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia,calliditatem,ſolertiam, contráque fictas omnium inſidias facilè ſe per ſe ipſa defendat. Pauca igitur ſunt dicenda ex tam multis, quæ Caluinus hîc effutit,dum ex eiuſmodi æterna ſanctorum electione, fidei certitudinem venatur de perſeuerantia vſque ad vitæ finem,& de aſſecutione gloriæ. potiora illius capita perſtringemus,reliquis verò ſuperſedebimus, quò commodius orationis noſtræ filium in finẽ vſque deducere poſſimus. Nota Satanæ fabula omnibus eſt, qui, cùm arte ſua nos ſemper in arena exerceat,ſitque tota vita noſtra nihil aliud,præter initum & inchoatum ab ipſo iam primo ingreſſu in hanc lucem nauale bellum, tot periculis obnoxium, ſupra ſæculi huius non admodum fidas vndas, cum hoc perſuadere nititur, in ſumma quiete, & tranquillitate nos verſari,rem ſaluam eſſe, ac nihil, quod vereri,iure poſsimus. fingit ſe mortuum, neque habere vltrà vires,poſt Chriſti mortem, quibus fideles iam lædere queat. totum hoc eò dirigit,quò ſecuros adoriatur, torpentes opprimat,& nihil tale cogitantes veſana quadam,& ſatis temeraria ſecuritate perpetuò perdat. Dum autem hæc Caluinus molitur,ſcripturis nò parcit,nec ſine ſãctorum teſtimoniis,quò ſub gratiori eſca Satanicus hamus lateat,rem vult tranſigere: ſed vndique colligit copias,quas in has duas acies reducit, vt omnem noſtram curam & ſolicitudinem perdat. In priori acie ordine ſuo eos locos ſcripturarum & ſanctorum diſponit, quibus ſecundum præſentem iuſtitiam fideles omnes Dei filios eſſe,neminémque aduerſus huiuſmodi ſanctos ſtare,quos Deus iuſtificat,facilè ſe perſuadere poſſe arbitratur. iubet in Chriſtum identidem oculos conuertere, in quo ſolo patris anima quieſcit. longa ſua oratione cunctos nos hortatur, ſi ſalutem, vitam, & regni cæleſtis immortalitatem quærimus,non aliò confugiendum eſſe,quàm ad Deum mortuum, qui vnus & vitæ fons eſt, & ſalutis anchora,& regni cælorum hæres. In hunc, inquit,qui crediderit,non eſt,quòd ſuæ gratiæ dubitatione inquietetur. ô quanta diligentia,quanto ſtudio Chriſti meritum per ſuos miniſtros Satan attollit, vt nos omnes,ſi poſsit,à veritate auertat, laudans quod odit,nitens

Vita hæc noſtra, nihil nauale quoddã bellum eſt.

Satanæ fraudes,ac doli.

noſtra ducere ab eo, quod commendat. In poſteriori verò claſſe ea loca ſunt, quæ videntur per diuinam prædeſtinationem vocatione & fide firmatam, quaſi certiſsimis teſtimoniis amoris ſui, nos de felicitate noſtra ſecuros reddere. vbi in abditos diuinæ ſapientiæ receſſus homuncionem perrumpere, & conari inexcogitabili dolo ſatagit diabolus. videmúſque paſsim garrulas anus, mulierculas peccatis oneratas, abiectiſsimóſque homines, iactantes, probè ſe intelligere quidquid de ſe Deus conſtituerit, ad ſupremam vſque æternitatem penetrantes. ſic in profundum immenſæ voraginis abſorbendos præcipitat, ſic innumeris atque inexplicabilibus laqueis eos induit, ſic cæcæ caliginis abyſſo eos adobruit. ita enim æquum eſt horribili ruina ingenij humani ſtoliditatem puniri, quæ ſuopte Marte aſſurgere ad diuinæ ſapientiæ altitudinem enitatur: eóque exitialior temeritas iſta eſt, quòd ad nullam aliam propenſiores ferè omnes ſimus. Nihil dicam hîc de certitudine gratiæ ſecundum præſentem iuſtitiã, (de qua primo libro plura me dixiſſe è memoria non excidit) ſed tantùm certitudinem perſeuerantiæ vſque ad vitæ finem perſequar. Diuus Auguſt. inquit, Iuſti de ſuæ perſeuerantiæ præmio certi ſunt: de ipſa tamen perſeuerantia ſua incerti reperiuntur. quod ſi interpreteris, de incertitudine & ignoratione, quæ ſcientiæ opponitur, quid mihi ampliùs diſputandũ eſt aduerſum tam importunum, atque ineptum ſanctorum interpretem? Te obſecro, obteſtórque Caluine, quando in priori membro Auguſtinus dicebat, certos eſſe iuſtos de præmio ſuæ perſeuarantiæ, vt nobis oſtendas, de qua certitudine ipſe loqueretur. num de certitudine ſcientiæ ſermo illi erat? non iure poſſes hoc affirmare: quia de illo æterno præmio non ſcientiæ euidentiam, ſed fidem nos habemus. vbi itaque negationem ſubiungit Auguſtinus, negans certitudinem nos habere de perſeuerãtia, de fide vtique, & non de ſcientia loquitur. Sed quid te vnius Auguſtini teſtimonio tantopere vrgeo? neque verbum vnũ præteriiſſe paſſus ſum ex his, quæ de ſcripturis depromis, quod maiori conſideratione non expenderim. legi apud te multa de filiorum hæreditate, de æterni patris cuſtodia, de filij cura, qua Chriſtus, ne vnus quidem ex electis

Cum certitudine præmij manet in iuſtis perſeuerantiæ incertitudo.

pereat, nimiùm laborat, de ſpiritu adoptionis, ſigillo, & arrhabone hæreditatis futuræ, de vocatione electorum, de libro vitæ, de fide, de pane vitæ, de fixo conſilio filij Dei, qui æterna patris ſapientia eſt, veritas immutabilis, fixũ conſiliũ: omnia legi, omnia tua ſedulò ſum perſcrutatus, quæ de vocatione noſtra cõiungis pro electionis firmitudine, de cordis fiducia, qua Chriſto electi adhęrẽt, & qua nobis electionis certitudinem ſtabiliri dicis: quid non legi? quid omiſi? &, vt verum fatear, veſtram omnium mentem deſiderare coactus ſum: reputabámque mecum ipſe, ſępiúſque voluebam, vbínam legunt iſti prædeſtinationem noſtram ſic omnibus peruiam, vt ea ſingulis perſonis reuelata fuerit, cùm omnia, quæ iſti coaceruãt, aut generales ſint promiſsiones, aut dona, quę reprobis etiam Deus aliquando impertire non grauatur? Paulus etiam, vbi de illis vterinis fratribus, quorum alterum Deus dilexit, alterum odio habuit, ratiocinatur, adeò reputat inacceſſum prædeſtinationis myſterium, vt inde altitudinem diuitiarum ſapientię & ſcientiæ Dei admirari impulſus fuerit: & tamen noſtri homines volunt, (ſi ſuperis placet) quòd quicunque citra particularem reuelationem & illuſtrationem ſupra eam, quæ diuina ſcriptura ſatis expreſſa eis videtur, eſſe poſsit, & debeat certa ſua perſeuerantia. quod ſi ita eſt, reſpondeãt, quęſo, iſti, quot hactenus inter ſuos experti ipſi fuerint in tanta animi tranquillitate & ſecuritate conſcientię, vt ſi ea pręclara Pauli verba ſibi aſſumant, videantur ea ſuo iure quodammodo vendicare: Viuo ego, iam non ego. & rurſum, Quis me ſeparabit à caritate Chriſti? narrent iſti aliis ſui animi firmitudinem, non nobis, quos probè ſcimus omnia magis, quàm mortem pro Chriſto perpeti, ſe cupere. quæ pro ſua ſecuritate iſti afferunt teſtimonia ſcripturę, communia ſanè ſunt etiam aliis catholicis, qui alia ratione eandem certitudinem affirmant. quibus nos hîc minimè reſpondebimus, quando nullum contra catholicos bellum gerimus, ſed tela omnia in hęreticos intorquere intendimus. eſt certè locus vnus Caluino & Lutheranis proprius, videlicet Pauli ad Rom. vbi ſic ait, Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſsio. ita enim interpretatur hunc locum Cal

In ſcriptura ſacra promiſsiones omnes generales ſunt, ac ſub cõditione poſitæ.

Rom. 9.

Galat. 6.

Rom. 9.

Rom. 5.

uinus, Propterea credendum nobis eſt, fide ſola iuſtificari homines, vt firmam quiſque ſuę proprię ſalutis fidem habeat. Crimine ergo ab vno diſce omnia lector. promiſſio quippe ſalutis, à Deo facta per Chriſtum, non vno, ſed duobus modis, quemadmodum doctiſsimi quique & ſanctiſsimi obſeruant, eſt conſideranda. priori de earum promiſsionum genere, quibus Deus Abrahæ, deinde prophetis miſſurum ſe filium ſuum in ſalutem omni credenti Iudæo etiam & Gręco pollicitus eſt: poſteriori verò modo de ſalute cuicunque per ipſum conferēda, in nnmero intelligitur. de priori ſiniſtrè ſatis Chriſtiani ex Iudaiſmo conuerſi ſentiebant, ſtatuentes apud ſeſe, ob meritum ſeruatę legis redemptorem illis promiſſum. Horum tumorem egregiè diuus Paulus retundit, ſuperbiam deiicit, & cæcitatem depellit, oſtendens continuo euangelij ſui curſu, in epiſtola tamen ad Romanos potiſsimū, neque factam fuiſſe promiſſionem Abrahæ propter aliqua merita legis, neque nobis datum eſſe Chriſtum, tanquam pręmium aliquorum operum totius etiā mundi: ſed vt gratis, & abſque vlla conditione promiſſio facta fuit, ita ea ſola cauſſa Chriſtum veniſſe, quò promiſſionem ſine vllo prorſus reſpectu operum humani generis certam faceret. atque hoc quidem eſt, quod ibi apoſtolus tractat. Non enim, inquit, per legem promiſsio Abrahę, aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei. mox infert, Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſsio omni ſemini: non ei, qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ. Cuius rei, Caluine, hic Paulus meminit, quam ad certitudinem promiſsionis cuiuſque accommodare quis poſsit, & non magis ad promiſsionem venturi Chriſti, & remiſsionem peccatorum in genere, quę ex nullo prorſus opere legis pendebat, vt Iudæi arbitrabantur? aliter itaque conſiderari debet promiſsio hęc generalis, & vt ad ſingulos promiſſum beneficiū applicatur: iuxta quam quidem conſiderationem promiſsionis obſeruatio ex operibus cuiuſque pendet. ſemper autem paruulos excipio, qui ante rationis uſum iuſtificati moriuntur. Hoc porrò modo nō cuiuis abſolutè, ſed ſub conditione, Si pęnitentiam egerimus, Si audierimus, Si didicerimus, Si venerimus, Si

Duplex genus promiſſionum Dei

Ibidem.

Aliter cōſiderari debet generalis promiſsio beneficij diuini, quàm vt ad ſingulos applicatur.

mandata obſeruauerimus, promiſsio nobis facta eſt.hęc promiſsio timorem quoque requirit, non quo conſternati vacillemus, Caluine, ſed qui ad ſuſcipiendum Dei donum humiliter nos inſtituat, boniſque operibus ornet & præparet. conditio etiam ipſa nihil ex ea fiducia, quam nos de Deo habere, ſcripturæ ſanctæ monent, diminuit, ſed optimi cuiuſdā timoris & modeſtiæ Chriſtianæ fons eſt, & origo. vos eſtis, qui non ſimplicem ſecuritatē Chriſtianis ſuadetis, ſed ſupinam ac ſolutam carnis quietem, quæ faſtum, arrogantiam, aliorum contemptum ſecum trahat, humilitatem extinguat, diligentiam omnem perdat, ac reuerentiam Dei, acceptæque gratiæ, & diuinorum mandatorum obliuionem inducat. vos vos eſtis, qui ſuperbè & inhumaniter catholicis inſultatis, & miſerabilium perſonarum vitam & animam luditis. inter vos ventoſi multi, quorum vtilius fuiſſet inanem iactantiam retudiſſe, quàm temeraria iſta præſumptione, ſolutáque carnis ſecuritate in tumorem & in inanem fiduciam animos adieciſſe. terreat vos Chriſti vox illa, Multi ſunt vocati, pauci verò electi. deponite inſomnia veſtra, quando nemo ſcire poteſt, ſítne ipſe ex magno vocatorum numero, ex quo pauci electi ſunt, an potiùs ex ea vocatione, vnde fidelibus æſtimandam ſuam electionem eſſe doces. vt enim vniuerſalis illa vocatio cum impiis etiam communis ſit, hæc verò electis propria, ſecum afferat ſpiritum regenerationis, qui eſt arrhabo & ſigillum futuræ hæreditatis, vt hæc omnia tibi demus Caluine: quis de ſe certò affirmare poterit hac & non illa vocatione à Deo accerſitum? ad hanc, non ad illam æſtimare audeat ſuam electionem? pietatem iactare? ſe verum cultorem, non hypocritam? ex Iſaac promiſsione eſſe, nō Iſmahelitam? commemineritis etiam illum ipſum, qui conuiuium ſolenne inſtituens, vocatores ſuos circumquaque mittit ad magnam turbam inuitandam, circumientem menſas, ſuos hoſpites comiter excipientem, minimè paſſurū eſſe, ſiquem repererit veſte nuptiali non ornatum, vt conuiuij feſtiuitatem ſuis ſordibus maculet: ſed prout meretur hominis turpitudo, detracta larua, cum dedecore extrà proiecturum. certiſsimè ac firmiſsimè nos æternam felicitatem ſperamus, ſemper ad futuræ vitæ deſi-

Iude 1.

Mat. 20.

Matt. 22.

Matt.25. derium, ac meditationem animum grauiter erigimus,
Apoc.21. ſemper nobis ſub oculis dies ille eſt, quo dominus in re-
Eccl.15.45. gni ſui quietem fideles ſuos recipiet, abſterget ab eo-
Pſal.35. rum oculis omnem lacrymam, ſtola gloriæ & lætitiæ ip-
Apoc.3. ſos induet, deliciarum ſuarum inenarrabili ſuauitate
2.Theſſ.1. paſcet, in ſuæ altitudinis ſocietatem euehet, felicitatis
Pſal.23. denique ſuæ participatione dignabitur. Hæc eſt iuſtitia, teſte Paulo, dare miſeris & iniuſtè afflictis relaxationem, reddere verò afflictionem improbis, qui pios affligunt, cùm reuelabitur dominus IESVS de cælo. hæc, hæc profectò vnica eſt conſolatio noſtra, Caluine, certiſsimáque ſpes: quæ ſi auferatur, aut neceſſe erit deſpondere animum, aut vanis & fluxis mundi ſolatiis in exitium noſtrum delinire. hac vna ſpe laboribus, anguſtiis, preſſuris omnibus, miſeriis, ſolicitudinibus, ac calamitatibus, exilio denique ſuo, & morti ſancti Dei homines blandiuntur, timent tamen cum hoc, non quò diuinæ promiſsioni, quaſi deſperantes, diffidant, ſed Dauidicũ pſalmum quotidie in ore habentes, Innocens manibus & puro corde habitabit in tabernaculo tuo, domine: timent, inquam, ne inter impios, qui in terra floruerunt, in extremam ignominiam à facie domini (vt verebatur rex Dauid) proiiciantur. timent etiam, ne terrenas de-
Pſal.50. licias cruciatibus, riſum & lætitiam fletu ſtridoréque
Mich.2. dentium Deus permutet, pacem diro conſcientiæ tormento perturbet, mollitiem plectat igne ineſtinguibili.
Apoc.8. timent demum, ne timor hic eos abſorbeat, ſed ad bo-
Matt.8. num erigat, atque curant ſancto domini timore in re-
Luc.13. cto & iuſto, in officio denique ſuo retineri. Quantò, opinaris, hæc diuinis litteris conformior doctrina eſt, quàm illa tua Caluine omni vanitate vanior? nos ita
Deut.7.33. Chriſtianam plebem compellamus, Fidelis eſt Deus, qui
1.Cor.1.10. negare ſe ipſum non poteſt: nolite dubitare, reddet quod
2.Cor.1. promiſit: laborandum tamen & enitendum eſt, ne vobis
1.Theſſ.5. ipſis defuiſſe videamini. Deus ſiquidem veſter non ma-
Heb.10. gis à diuinis pollicitationibus poſthac deficiet, quàm hactenus fecit. tui verò miniſtri, Caluine, quo pacto plebem compellent, audi: Si non creditis, ideo fit, quia iam diuino decreto exitio deſtinati eſtis. rurſum, Qui audiũt, credituri non ſunt, quia reprobati ſunt. ô doctrinam

bellam

bellam ex Caluiniana officina profectam. prior compellatio non modò ignauiam fouet,ſed etiam malitiæ indulget:poſterior verò imprecatio eſt magis,quam doctrina. tales certè Auguſtinus non immeritò,tanquam doctores inſulſos vel ſiniſtros & ominoſos prophetas, ab eccleſia faceſſere iubet. tenendum quidem verè alibi contendit, quòd tunc correctione homo proficit,cùm miſeretur,atque adiuuat,qui facit,quos voluerit ſua correctione proficere. ergo ſic de præmio atque diuino fauore certi ſimus,vt tamen Chriſtiana ſolicitudine, curáque in eam conditionem aſſeruandam & præſtandam incumbamus, ſine qua in feliciſsimam poſſeſsionem Deus ipſe nos nũquam mittet,nec introducet.Multa de his pręclara in diuinis libris habemus:hæc tamen duo, quæ nunc proferã, in primis obſeruabimus, ac conſtanti meditatione verſabimus. alterum eſt,quod apud Lucam de diuinis fauoribus,ac paterna erga nos beneuolentia in hunc modum legimus. Quis veſtrûm habebit amicum,& ibit ad illum media nocte,& dicet illi,Amice,commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus vênit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: & ille deintus reſpondens,dicat,Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt,& pueri mei mecum ſunt in cubili: non poſſum ſurgere,& dare tibi. Et ſi ille perſeuerauerit pulſans: dico vobis,etſi non dabit illi ſurgens eò quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. Et ego dico vobis, Petite,& dabitur vobis:quærite,& inuenietis:pulſate,& aperietur vobis,Omnis enim qui petit,accipit:& qui quærit,inuenit: & pulſanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem,nunquid lapidem dabit illi? aut piſcem,nũquid pro piſce ſerpentem dabit illi?aut ſi petierit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos, cum ſitis mali,noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe! alterum eſt contra inanem quorundam ſecuritatem à Paulo dictum, De temporibus autem & momentis fratres,non indigetis vt ſcribamus vobis. ipſi enim diligenter ſcitis,quia dies domini,ſicut fur in nocte,ita veniet.cùm enim dixerint,Pax & ſecuritas:tunc repentinus

Luc.11.
Matt.7.21
Marc.11.
Ioan.14.16
Iacob.1.
Matt.7.
1.Theſſ.5.
Pet.2.3.

Apoc.3.16 eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis: &
nõ effugient. Vos autẽ fratres, nõ eſtis in tenebris, vt vos
dies illa, tanquã fur, cõprehendat. omnes enim vos filij lu
cis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis, neque tenebrarũ.
igitur nõ dormiamus ſicut & ceteri: ſed vigilemus, & ſo-
Eſa.59. brij ſim⁹. Qui enim dormiũt, nocte dormiũt: & qui ebrij
Epheſ.6. ſũt, nocte ebrij ſunt. nos autẽ qui diei ſum⁹, ſobrij ſimus,
induti loricam fidei & caritatis, & galeam ſpem ſalutis:
quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitio-
nem ſalutis per dominum noſtrum IESVM Chriſtum,
qui mortuus eſt pro nobis: vt ſiue vigilemus, ſiue dormia
mus, ſimul cum illo viuamus. Vides, eundum eſſe me-
dia nocte ad amicum: vides, dari panes importunè pul-
ſanti, quotquot fuerint neceſſarij: vides, quærendum no-
bis eſſe, pulſandum eſſe, atque petendum: vides, petenti
dari, à quærente inueniri, & pulſanti aperiri: vides, patrẽ
noſtrum cæleſtem magnificè largiturum nobis petenti-
bus ſpiritum, non erroris, non ſpiritum malitię & nequi-
tiæ, ſed ſpiritum bonum. vides rurſum, domini diem, ſi-
cut ſoleãt fures, noctu venturã: vides, credendum nobis
minimè eſſe dicentibus, Pax, pax, atque ſecuritas, ne re-
pentino & inſperato interitu tabeſcere incipiamus: vi-
des, nos diei, & lucis filios eſſe, non noctis, aut tenebra-
rum, vt ſemper vigilemus: vides, nos poſitos in acquiſi-
tionem ſalutis: vides, corripiendos eſſe inquietos, conſo-
landos puſillanimes, ſuſcipiendos infirmos, atque ad om-
nes patientes eſſe oportere: vides, enitendum nobis eſſe,
totíſque animi viribus elaborandum, vt integer ſpiritus
noſter, & anima, & corpus, ſine querela, in aduentu do-
mini noſtri IESV Chriſti cõſeruetur. Hæc ſunt, quę nos
crebrò loquimur: hæc ſunt, quibus fideliũm populos ex-
hortamur, iuxta apoſtolicum præceptum ibidem tradi-
tum: hæc ſunt, quæ quotidie meditamur: quibus adiun-
1.Tim.6. gimus eiuſdem Pauli verba ad Timotheum, Tu autem
ô homo Dei, hæc fuge: ſectare verò iuſtitiam, pietatem,
fidem, caritatem, patientiam, manſuetudinem. certa bo-
num certamen fidei: apprehende vitam æternam, in quã
vocatus es, & confeſſus bonam confeſsionem coram mul
tis teſtibus. præcipio tibi coram Deo, qui viuificat om-
nia, & Chriſto IESV, qui teſtimonium reddidit ſub Põ-

tio Pilato bonam confeſsionem, vt ſerues mandatum, ſine macula, irreprehenſibile vſque in aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti: quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, rex regum, & dominus dominantiũ, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſsibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, cui honor & imperium ſempiternum. Amen. Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublimè ſapere, neque ſperare, in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. O Timothee, depoſitum cuſtodi, diuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

Sanctorum honore ac veneratione nullam diuino cultui & honori deceſsionem fieri, ſed potiùs Dei laudes hac ratione illuſtrari, ex ſcripturis & ſanctis optimè oſtenditur. CAP. XIII.

TAm nouis coloribus Deum tua pictura exprimis Caluine, tam longè diuerſo penicillo ab antiquo illo patrum noſtrorum creatorem ipſum pingis, vt mirari non debeas, ſi is nouus Deus recens, inauditus, omninóque inuſitatus, immo aſcripticius nobis eſſe videatur. vniuerſi, qui in diuinis literis (vnde diuina eius ſpecies, forma, & pulchritudo transfertur) mediocriter ſunt verſati, vt ſumma maieſtate, & infinita grauitate eum exprimunt, ſic infinita bonitate, ſanctitate, humanitate, & liberalitate ornatum eum ſua pictura nobis referunt & repræſentant. fit inde, vt ſicubi vel dicatur, vel legatur, nobis eum eſſe auctorem mali, tanquam is in peccatum propellat, mox exclamare cogamur, ementitã eſſe imaginis formam, non Deum noſtrum referre, cui odio eſt iniquitas. rurſum ſi quis toruis, & horribilibus oculis ſua tabella eum nobis exhibeat, vt qui ad miſerrimam mortem homines, nihil de eo malè meritos, ducere velit, ſtatim ora noſtra oratio occupet, neminem ſcilicet ipſum (qua eſt humanitate & manſuetudine) malo pœnæ deputaſſe, quem non priùs ſua ſcelera, atque fla-

gitia præuiſa, æternæ maledictionis reũ fecerint. ſi quis etiam ſuo ſceptro, atque imperio fingat rerum naturas perdere,& neſcire,dominari, ac rerum potiri abſq; iniuria & offenſione eorum omnium, quæ condidit, illico mentem noſtram ſubibit nihil ſimulacro huic cum Deo noſtro conuenire,cuius in moderandis rebus ſumma eſt ſuauitas, ſumma concordia, ſeruans perpetuò fœdus illud, quod initiò cum ipſis iniuit. quare ceſſa admirari Caluine, ſi ad picturæ tuæ intuitum, non ſtatim ad verũ Deum contemplandum animi noſtri viſi ſunt aſſurgere: eſt ſiquidem nimiùm immutatus ab illo antiquiſsimo Deo patrum noſtrorum. quòd ſi inuidioſum eum, nigrum, maleuolum, liuidum,iniquum,alienis bonis mærentem,ieiunio animo & anguſto eum formare pergas, ac tam pulchra & bella forma figures, nemo picturæ iſti tribuet, quod commune eſt imaginibus omnibus, prototypum ſuum referre.

DEVM vſqueadeò ſuæ gloriæ cupidum & amantem eſſe,vt nihil honoris ſanctis,quos ipſe in gloriã ſuam magnificauerit, impendi poſſe arbitremur, quod de diuinis laudibus, æternáque celſitudine imminutum mox non ſit, cum omni ratione pugnat,ne dum infinitæ ipſius bonitati contradicit. ſuper qua re, ac precibus, quas ſanctis altero poſt Deum gradu adhibemus, ſimili compendio paululùm agemus, Caluini veſtigia inſecuti, parcentes multis, quæ ab aliis copioſiſsimè de hoc negotio coaceruata & congeſta ſunt. te etiam, lector, per eos ſanctos obteſtor,vt benignè & patienter me audias: qui non nouus glorię ſanctorum aſſertor haberi laboro,ſed antiqui eorum iuris, à quo Caluinus deturbare eos molitur,vendicatorem & defenſorem me libentiſsimè præbeo. eſt enim articulus hic poſtremus in primo membro libri huius vbi reſpondemus Caluino, quàm bonis temporibus Deus noſter à nobis agnitus ſit,ſuúmque Deum nouitatis inſimulamus. priore ergo loco oſtendemus,nihil de diuinis laudibus deperire,cultu & veneratione ſanctorum,ſed magis eas inde illuſtrari:mox verò rogãdos eſſe ſanctos,aſsiduiſque precibus promerẽdos proſequemur, citra vllam offenſionem aut eius amoris & curę,quam de nobis indefeſſã gerit Deus,aut eius muneris, quod apud

Ordo dicendorum deſcribitur.

patrem perpetuus ille noſter aduocatus Chriſtus Ieſus, exhibens nobis ſuas operas paratiſsimas, nunquam non exequitur. Quoties ſcriptura vnicum eſſe Deum aſſerit, certum eſt non pugnare de nudo nomine, ſed hoc etiam præcipere, ne aliò transferatur quidquid in diuinitatem competit. vnde etiam ſcimus, quid pura religio à ſuperſtitione differat. valet enim εὐσέβεια tantundem, ac cultus rectus: quia ſemper cæci ipſi in tenebris palpando, certam regulam eſſe tenendam, ne Deus præpoſterè colatur, cenſuerunt. ipſum itaque religionis nomen etſi verè ſcitéque Cicero à relegendo deducit, coacta tamen eſt, & longè petita, quam aſsignat, ratio, quòd probi cultores ſæpius relegerent, ac diligenter pertractarent, quid verum cultum deceret. exiſtimauerim potiùs vagæ licentiæ nomen hoc opponi, quod maior pars mūdi, quidquid obuium eſt, temerè arripit, immo etiam huc, atque illuc tranſuolat: pietas autem, vt in firmo gradu conſiſtat, ſeſe intra fines ſuos releget: ſicuti inde mihi dicta videtur ſuperſtitio, quòd modo, & præſcripta ratione non contenta, ſuperuacuam rerum inanium congeriem accumulet. *Quid ſit religio, & vnde dicta.* *Quid ſuperſtitio.*

Ceterum, vt voces omittamus, ætatum omnium conſenſu receptum ſemper fuit, ſicut optimo cultu diuinum honorem celebrari, coli, & adorari, ita falſis erroribus pietatem & religionem vitiari, fœdari, peruerti: ac quamuis in omnium ore hæc confeſsio perſonet: incredibilis eccleſiæ tamen Ieſu Chriſti optimè diſpoſita ſe prodit religio. qua certè vni vero Deo ſuo ac ſoli ſic adhæret, ſic etiam Dei ſanctis honorem defert, vt omnem delectum in huiuſmodi cultibus adhibeat. ſcit bene mater prudentiſsima ac valde pia, quàm Deus ipſe clamet, ſe æmulum eſſe, ac ſeuerum fore vltorem, ſi cum vllo Deo commenticio miſceatur, vt vel hac ratione ius ſuum ſibi vendicet. hæc etiam mater eccleſia legitimū cultum, à Deo diffinitum, ſic obſeruat, vt Chriſtianos omnes, eodem non alio, ſub obſequio ſcilicet diuino contineat. frenum illis imponit, ne aut ad fictos deos tranſuolent, aut ad veri Dei vitioſos cultus declinent. hæc ſpiritus ſancti diſcipula apprimè cognouit, niſi in vno Deo quidquid proprium diuinitatis eſt, reſideat, honore ſuo ipſum ſpoliari, turpitérque eius cultum violari. Iam proferat

Caluinus, ſi quid habet, quod hîc (vbi ſomno illi latriæ cultui, & honori, Deo ſoli debito, ſanctorum ſuorum adiuncta eſt veneratio) ſuum animum offendat. *Neque enim*
Sect. 1.
diſſimulandum eſt: quibus aſtutiis aliquot retrò ſæculis in eccleſia luſerit ſuperſtitio. ſancti ſiquidem, qui hac vita exceſſerunt, & in Dei ſocietatem euecti ſunt, pro illo & coluntur, & inuocantur, & celebrantur. tali abominatione ne offuſcari quidem putant Dei maieſtatem. cùm magna ex parte ſupprimatur & extinguatur: niſi quòd frigidam de ſuprema eius potentia opinionem iam retinent, intereáque inuolucris ſuis decepti, in vanos deos ignorantes deducuntur: nónne te pudet tam inſolentis conuicij? nónne cogitas redditurum te de tuis factis & dictis rationem, & eam exactam quidem iudici adeò conſtanti & integro, vt neque tuæ orationis fuco tantam eius maieſtatem deludere, neque tuis copiis ſuam potētiam frangere, neque tua verſutia infinitam illius ſapientiam contemnere poſsis? ô homo crudeliſsime, more Iudæorum non vis tu antè in crucem agere Chriſti ſponſam eccleſiam, quàm mendacibus teſtimoniis apud iudicem immaniter traducas? vtriuſque ſanè, ſponſi ſcilicet, & ſponſæ hac parte æqua conditio eſſe videtur: vterque ad mortem poſcitur: vterque coram iniquo iudice vitæ & capitis cauſſam dicit: ille coram Pilato, hæc verò apud Caluinianos miniſtros: à quibus eā in mortē addici clamoroſis vocibus, & ſatis importunis efflagitatur, haud ſecus, quàm olim Iudeorum maiores minoribus perſuadebant, eos vehementer, quaſi ignibus iniectis, inſtigantes, vt, poſtpoſito Chriſto, vitæ & lucis auctore, Barrabam peterent, IESVM verò perderent. poſtremò vterque ſuos habet accuſatores iniquos, habet & qui ſua teſtimonia dicant, quibus reos eos mortis iure ſe probaſſe exiſtiment. clamabant illi in ſponſum, Audiſtis blaſphemiam? filium Dei ſe fecit. acclamabant alij, Maieſtatis læſæ reus eſt. clamat contra ſponſam Caluinus, Mulier hæc multis retrò ſæculis in adulterio deprehēſa eſt. quare contendo iuxta Moſaicum præceptum ſaxis & lapidibus, donec animam exhalet, obrui eam oportere. Quid hæc mali fecit, Caluine? quicum crimen cōmiſit? Rogas? ſe amatoribus multis immiſcuit, vnius Dei gloriam & ſponſi fidem grauiter læſit, varios deos

Matt. 27.
Marc. 15.
Luc. 24.
Ioan. 18.

cum vero & vno permiſcuit.. Et qui ſunt iſti dij, rogo te per Deum immortalem? Sancti, qui hac vita exceſſerunt, qui in Dei ſocietatem euecti ſunt: eos, inquam, colit, eos inuocat, eos celebrans veneratur. ô horrendum facinus, neque ſine ſanguine vindicandum. ánnon vobis videtur ream eſſe mortis? Ergo Chriſti eccleſiam idololatriæ, vnius omnium grauiſsimi criminis, inſimulare túne auſus es propter eum, quem ſanctis tribuendum eſſe docet, honorem? Sed expendatur res accuratiùs.

TRIPLICEM Deo cultum deberi, nos eccleſia docuit, imitationem, honorem, & inuocationem. quatenus igitur & hi ad ſanctos rectè transferri queant, paucis ediſſeram. Ex his præcipuus & Deo gratiſsimus cultus imitatio eſt. vidit hoc etiam ethnicus ille, qui dixit, Vis Deo propitiari? bonus eſto. ſatis deos coluit, quiſquis imitatus eſt. Auguſtinus verò noſter, religionis noſtræ ſummam eſſe dicit, imitari quem colimus. hunc adeò à nobis Deus exigit & requirit, vt filium ſuum vnigenitũ de cælo ad nos deſcendere, & in terris cum hominibus verſari voluerit, quò in illo facto homine, quẽadmodũ nos Deũ imitari oporteret, diſceremus. neque verò propterea tantùm incarnari Chriſtus voluit, vt eſſet vita noſtra, verùm etiam via, per quam peruenire ad vitam nobis liceret: quò ſicut ipſe ambulauit, & nos ambularemus, non ſatis eſſe exiſtimantes, ſi credamus, quòd vita noſtra ipſe ſit factus, quòd pro peccatis noſtris ſatisfecerit, quòd nos à morte liberauerit, niſi etiam fateamur, nos à Deo accepiſſe ducem, quem ſequamur, doctorem, quem audiamus, magiſtrum, quem imitemur: ſi quidem, veritate cognita, in vitam ingredi cupimus. ad hunc nos cultum inuitat Paulus, Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſsimi, & ambulate in dilectione, ſicut Chriſtus dilexit nos. inuitat Petrus, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt veſtigia eius ſequamini. inuitat Ioannes, Qui in Deo manere vult, debet, ſicut ipſe ambulauit, & ille ambulare. inuitat demum idem ipſe, via noſtra, oſtiũ ſimul, & oſtiarius noſter, dominus IESVS Chriſtus: ſic enim clamat, Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. ac rurſus alio in loco, Ego ſum oſtium: per me ſi quis

Triplex cultus Deo debetur.

Epheſ.5.

1.Petri 2.

1.Ioan.2.

Luc.9.

Ioan.10.

introierit,ſaluabitur. En tibi Caluine præcipuus cultus, quo Deus colitur, propter quem & ipſe homo fieri voluit? ad quem etiam identidem per ſe, ac per ſuos apoſtolos nos inuitare dignatus eſt. ſi quis gradũ iſtum, & quidem primum in diuino cultu ad homines etiam transferre velit & ſanctos, affirmans, altero poſt Chriſtum gradu imitandos eos eſſe, num hæreſis nota, aut idololatriæ ſcelere iure abs te criminandum eſſe cenſeres? quod, cedo, crimen eſt, ſi ſanctos ita colamus? quid, quæſo, de abſolutiſsimo illo exemplari, Chriſto IESV, perfectáque eius vita detrahimus, ſi ſanctorum exempla, qui ſe ad Chriſti vitam compoſuere, nobis imitanda ſub oculis ſtatuerimus? quòd ſi & hoc nefas eſſe arbitrare, nefarium profectò ſcelus Paulus commiſit, qui dixit, Volo autem omnes vos eſſe, ſicut me ipſum. ac rurſus, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. & alibi, Eſtote, ſicut ego. Quid inquis ô Paule? Chriſtus dicit, Ego ſum via, Ego ſum oſtium, Qui vult venire poſt me, ſequatur me, nõ Petrum, non Paulum, non Dominicum, non Franciſcum: tu autẽ, Eſtote, ſicut ego, Volo omnes eſſe, ſicut me. quem temetipſum facis? nunquid tua in nobis imago, ſicut Chriſti, reſtaurari debet? nunquid tu, via noſtra es, qua nobis incedendum, aut oſtium noſtrum, per quod nobis ad vitam ſit ingrediẽdum? quid eſt per immortalem Deum, ſi hoc non eſt Dei tibi gloriam vendicare? ſoli Deo debitum cultum in ſe trãsferre velle? qui præcipuus, Deóque multò gratiſsimus in imitatione conſiſtit. Hîc facilè quiuis perſpicit, ſi quis iſtiuſmodi verbo vrgeat (quod hoc tempore videmus fieri) à nefario ſcelere defendi Paulum nõ poſſe. ſed cedant vanæ vmbræ, procul abſcedant Satanica commenta, poſtquam ſic Deus nobis iuſsit ſe ipſum imitari, vt hominem etiam rectè imitemur. non itaque ad ſe Dei gloriam Paulus tranſtulit, neque ſoli Deo debitum cultũ ſibi arrogauit, immo potiùs ſe ipſum ad Chriſtum retulit, cùm ait, Sicut & ego Chriſti. ac ſi diceret clariùs, Imitamini me, non eccleſiæ perſecutorem, non blaſphemum, non cõtumelioſum, ſed miſericordiam Dei conſecutum: qui mihi iam non viuo, ſed in me Chriſtus, cui mundus crucifixus eſt, & ego mundo. imitamini me, immo verius dixerim, Chriſtũ in corpore & anima mea

Cultus imitationis ad ſanctos trãſferri poteſt.

1. Cor. 7. 1. Cor. 4. 1. Cor. 11. Philip. 3. Ioan. 14. Ioan. 10. Luc. 9. Coloſ. 3.

1. Cor. 11. 1. Cor. 15. Act. 22. 1. Tit. 1. Galat. 2. 6.

viuentem. quicunque igitur honor ex ſanctorum imitatione ipſis accreſcit, cum totum ad ſolum illum, qui via noſtra, quam teneamus, qui imago pietatis, quam exprimamus, qui omnis virtutis ſpecimē, quod referamus, qui denique dux noſter & anteſignanus eſt, quem nos ſequamur, referri debet. eſt quippe in illo vno perfectum pietatis exemplar editum, & à patre propoſitum: cuius exprimendi ſanctis omnibus cura eſt tradita, qui ex cæleſti ſimulacro pro viribus multa tranſtulere, prout vnuſquiſque à Deo diſpenſatam gratiam habuit. factúmque eſt, vt, dum vnus quidem partem vnam huius prototypi ad ſe transfert, alius verò aliam, tota iam eccleſia myſticum Chriſti corpus eſſe iure optimo dicatur. Verùm dices, Quid eſt homo, vt poſsit ſequi regem factorem ſuum? quomodo præſtare poſſum ego, puluis & cinis, vt veſtigiis creatoris mei inhæream? ô Dei noſtri inexplicabilē prouidentiam, ne fortè cauſſari poſſemus in noſtra poteſtate non eſſe poſitum, quòd Deum, hominem factū propter nos, ſequamur, ecce puri homines proponuntur, vt in ipſis viuentem Chriſtum & operantem imitemur, neque deſperemus, ea nos præſtare poſſe, quæ illi ſancti eadem, qua nos, infirmitate vexati quandoque præſtitiſſe commemorantur. ſic à Baſilio verè Magno ſcriptum legimus, Reſpicientes igitur in Chriſtum, animi noſtri alacritatem glorioſo imitandi ſtudio intendamus: vbi verò ſanctos conſideramus, docemur, ſtudium hoc imitandi impoſsibile non eſſe, vt per illorum conſiderationem alacriores facti, ſincerum & immaculatum domini mandatum omne, ad mortem vſque ſeruemus. atque ita in vitam æternam ingrediamur, regnum cælorum, hæreditate poſsideamus, quemadmodum pollicitus eſt, qui mentiri neſcit dominus, ac Deus noſter IESVS Chriſtus, vnigenitus Dei viuentis filius. Nihil igitur, nihil profectò quidem detrahitur Caluine primo exemplari, quod eſt in Chriſto IESV, ſi ſanctos imitemur, ſed magis augetur illius gloria, quàm quòd vel minimùm minuatur.

Eccleſ.2.

Baſil. Mag

Honorandos eſſe ſanctos, eorúmque reliquias venerandas à nobis, & colendas probatur, atque ipſorum nomini dicata loca, citra diuini honoris offenſionem, ſanctè viſitare nos poſſe, ac debere ſignificatur. CAP. XIIII.

SEcundum genus in honore conſiſtit, ac veneratione, quod nunc potiſsimùm in dicendi controuerſiam, aut in diſceptationem vocatur. dicebat Paulus, quod & frequenter eccleſia refert, Soli Deo honor & gloria. rurſum idem alibi, Gloria & honor omni operanti bonum. Num apoſtolorum decus Paulus his verbis ſibi contrarius eſt? minimè gentium. qui, cùm nõ ignoraret ſummum illum cultum, & gloriam omnem ſoli Deo deberi, primámque venerationem ad eum ipſum in primis referendam eſſe, docet ſua etiam gloria, ſibíque ſatis debito honore proſequendos nobis eſſe ſanctos: ob ídque dicit Gloria & honor omni homini operanti bonum. Quæ iſta eſt temeritas, vt à ſanctis Dei honorem auferre quidem excogitẽt? qui iſtud curant, nihil aliud agunt, quàm ſi quoquomodo eum cultum, qui ſoli Deo debetur, ſacroſancti ſcilicet corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificiũ abrogare queant, vt omni nos ſacrificio, atque ſacerdotio ſpolient, Deóque omnino priuent. id nimirum eſt, quod paulatim Satanas machinatur: primò vt amicos filióſque Dei, & nobiliſsima mẽbra corporis Chriſti aſpernemur, deinde, vt Deum ipſum contemnamus, atque poſtremò, vt omnem beneficiorum Dei memoriam ſempiterna quadam obliuione deleamus. neque alij ſunt, qui cultum hunc ſanctis deberi negãt, quàm qui ſacrificium ex eccleſia ſublatũ eſſe cupiunt. Quanta eſt admirabilitas iſtorum, qui, cùm videant, ac ſæpe & ſæpius legant, per eos, qui impiè & iniquè ſe gerunt, quíque nequiter viuunt, ſemper perperam agentes, ſacroſanctum Dei noſtri nomen mirum in modum & pollui, & blaſphemari, vſqueadeo torpent, ac cæcutiunt, vt credere non audeant, contrà ſanctificari, egregiéque illuſtrari ipſum Dei nomen perpetua memoria, ac commemoratione ſanctorum. porrò ſi illorum male acta, quorum Deus auctor non fuit, in diuinum dedecus traiicere mortales ſolent, cur non etiam bene & ſanctè actis, quorũ Deus cũ primis ſator, altor, educator, fons & origo eſt, ipſius gloria illuſtriùs decorabitur? ego ſanè, quare id non liceat, non video. quid, cedo, aliud in ſanctis honorari nos & venerari putas Caluine, niſi Dei dona, niſi Chriſti vitam, niſi filij Dei mortem, demum niſi Chriſtum ipſum viuentem in ſuis ſanctis, & operantem cum

1.Tim.1. *Epheſ.3.* *Rom.2.* *Rom.2.*

cis? Athanaſium laudans, Gregorius Nazianzenus dicebat, virtutem laudo: virtutem autem laudans, Deum vtique laudo. Dei nanque donum eſt virtus hominis, à quo proficiſcitur omne datum optimum, & omne donũ perfectum. Qui honorat dominum, inquit Epiphanius, honorat etiam ſanctum: qui verò contemnit ſanctum, ignominia afficit etiam ipſum Deum. ad eundẽ modum Baſilius, Honos erga bonos conſeruos noſtros, & Christi martyres collatus, beneuolẽtię ſignificationẽ apud cõmunẽ dominum habet. quod totidẽ propè verbis & à Ioanne Damaſceno, & in decretis ſanctæ ſynodi ſecundæ Nicænæ repetitum legimus. neque abſimile eſt, quod diuus Auguſtinus hac de re pronuntiat. Oſtendatur, inquit, mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ego oſtendo ibi memoriam Petri. in Petro quis honoratur? quis, niſi ille defunctus pro nobis, à quo non Petriani, ſed Christiani dicti ſumus? tolle à martyribus, & iuſtis hominibus, quòd imitatores Chriſti fuerint, nõ plus illis honoris impendam, quàm vel Ariſtidi iuſto, vel Phocioni, vel Zenoni: quorum vitæ ſanctimoniã ab his, qui Græcorum hiſtorias conſcripſerunt, plurimùm eſſe commendatam legimus. Quàm igitur malè tibi conſentiunt patres antiqui Caluine, tu ſanctorum cultu, martyrum veneratione, Dei maieſtatem offuſcari prędicas, Dei gloriam ſupprimi dicis, & cultum extingui arbitraris: illi contrà ſanctorum honore Deĩ gloria augeri docent, Dei nomen ſanctificari ſentiunt, in eis diuinum donum agnoſcunt, Chriſtum viuentem ſuſpiciunt, & venerãtur. ſanctorum honore Deum coli dicunt, pietatem noſtram, quam erga ipſum gerimus, apertè nos teſtari clamant, denique in memoriam reducit, inquiunt, cultus hic, veneratióque ſanctorum, neque obliuiſci ſinit eius, qui pro nobis mortuus eſt IESV Chriſti domini noſtri. Si mihi linguæ centum eſſent, & ferrea vox, vix explicarem, quot bona ſanctis exhibitus cultus ſecũ afferat. affert primùm Dei honorem, & gloriam, affert deinde venerationem diuinam, affert præterea beneuolentiæ ſignificationem apud communem Deum, affert nouiſsimè mortis Chriſti, qua nihil melius habemus, commemorationem continuã. Veneratio ſanctorum Deo plena eſt, Dei & Chriſti

Greg. Nazian. de laudibus Athanaſii.

Epiphan.

Baſilius.

Ioan. Damaſc.

Nicena ſecũda ſynodus.

Aug. lib. 21. de ciuit. Dei, ca. 28.

Quot fructus ex ſanctorum veneratione naſcantur.

gloriæ ſeruit, caritatem ædificat, proximos excitat, ſanctorum promeretur fauorem, omnia, quibus tam incredibili ſplendore commendantur beatæ illæ mentes, vni Deo concedit, annumerat, & appendit. Valeant ergo, qui inter diuinum cultum, ac ſanctorum honorem diſsidia volunt.

De venerã-dis reliquiis. TANTA fuit priſcis illis ſæculis ſanctorũ, atque ſuarum reliquiarum veneratio, vt ad martyrum ſepulcra nõ niſi cum tremore & pallore mortales homines accederent. ô beate Chryſoſtome, cuius, niſi tua aurea verba hęc ſunt? *Chryſoſt.* Qui ducebantur & circũferebantur, qui contempti erant & vincti, qui innumera patiebantur viuentes, vbi defuncti ſunt, regibus ipſis erant magis venerabiles: etiã Romæ, quæ vrbium eſt regaliſsima, relictis omnibus ad ſepulcra piſcatoris & pellionis, currunt & reges, & præſides, & milites. & Conſtantinopoli reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi prope apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula corpora ſua ſepeliantur, fiántque piſcatoris oſtiarij reges, neque hinc in morte confunduntur, ſed honeſtantur ipſi, & eorum nepotes. Túque etiã beatiſsime Hieronyme iuua orationis noſtræ curſum, & recrea feſtiuis illis, tibíque præ aliis propriis verborum ac ſententiarum ornamẽtis, luminibus, & ſchematibus, quibus vel ſepulcra illuſtraſti, vel cineres commendaſti, vel ab hæreticis defenſaſti, vel certè erutas ſanctorum reliquias à profanis hominibus oratione, quæ vel lapides raperet ac moueret non minùs illuſtraſti, quàm piè fleuiſti, & ad lacrymas legentes nos ſimul & audientes quotidie cogis. *Hiero. contra Vigilãtium hæreticum.* Te item, ò magne Auguſtine, cuius auctoritatem neque ipſi peſsimi canes attrodere ſunt auſi, te, inquam, iudicem omni exceptione maiorem appello, te in iudicium teſtem vocatum rogo, atque abs te peto, vt quanta fidelitate ac certitudine ſoles cetera enarrare, nunc quantos hominũ concurſus factos videris & audiueris, ad reliquias ſanctiſsimorũ Stephani, Gelaſij, & Prothaſij martyrum, quot & quanta Deus ediderit miracula, referre nõ dedigneris. *Augu. lib. 21. de ciuit. Dei, c. 28.* non ſolùm hoc præſtat Auguſtinus, eccleſiæ Chriſti illuſtre lumẽ, verùm moris fuiſſe enim ſcribit, vt recitaretur in templo quid quiſque beneficij accepiſſet. *Ruff. lib. 2. eccle. hiſt. c. 22.* De Theodoſio Ruffinus narrat, quòd is, contra Eugeniũ

prœlium initurus, circumibat cum ſacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante martyrum & apoſtolorũ thecas iacebat, cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida ſanctorum interceſsione poſcebat. ſuo quoque tempore factum eſſe narrat, vt votorum rei dona perſoluerẽt, atque alij oculorum, alij pedum, alij manuum ſimulachra ſuſpenderent ex auro argentóve confecta. Sed ſi recèns natus vſus hic de colendis & venerãdis ſanctorum reliquiis alicui videbitur, nouitióſque deos nos introducere garriat, rem ad ipſa etiam apoſtolorum tẽpora traiiciamus, vt, cùm idipſum primis illis temporibus in vſu fuiſſe cognouerit, quiſquis veritati tam apertæ contradicit, nihil nos noui excogitaſſe, ſed maiorum veſtigiis preſsiùs hęrere fateri cogatur. Euſebius denique ſua hiſtoria teſtatũ reliquit, noluiſſe iudicem cõcedere Chriſtianis beati Policarpi corpus, ne defunctum illũ pro Deo colerent. Huiúſne tu crudelis tyranni, impiſque iudicis perſonã poſt 1500 fermè annos ſuſtinebis Caluine? auferéſne ſanctorum cineres? nos idololatriæ inſimulabis? Sed audiamus iam te de voculis diſceptãtem, tam aridum, tam teſtimoniis ſcripturarum ac ſanctorum deſtitutum, vt penitus ſit mirandum omnibus ſæculis ſe oppoſuiſſe hominem, ſolis conuiciis, ac fabulis armatum. *Quinetiam in hunc finem inuenta eſt latriæ, & duliæ, quam appellant, diſtinctio, quò impunè viderentur, angelis & mortuis transſcribi honores. Quem ergo ſanctis cultum deferunt papiſtæ, nihil re ipſa differre à Dei cultu palàm eſt. promiſcuè enim & Deum, & illos adorant: niſi quòd, dum vrgentur, exceptione hac euadunt, Deo ſe illibatum ſeruare, quod ſuum eſt, quia latriam illi relinquant. atque de re, non de voce cùm ſit quæſtio, quis illis permittat tam ſecurè in re omnium maxima ludere?* ante 1200 annos, quod tibi reſponderemus, nos docuit Auguſtinus: quo etiam reſponſo Fauſtũ Manichæum, maximum Madurenſem ab eodem Chriſti doctore profligatos ſcimus. non vtique grauabimur nos eadem reſpondere cum Auguſtino ſæpius, quàm diu vos non grauamini illorum hæreticorum inſaniam imitari. igitur ſimilia olim cùm obiectarentur Auguſtino, pluribus in locis idololatriæ notam, quam catholicis illi propter ſanctorum cultum inurebant, ſic quidẽ delet, vt omnem infamiam prorſus abſtergat. Verùm libet hîc pro-

Theod. libr. 8. de curat. græc. affe.

Caluin. ca. 12. sect. 2.

Augu. cõt. Fauſtũ libr. 21. c. 21. idẽ lib. 8. de ciuit. c. vlt.

ferre caput vltimum octaui libri de ciuitate Dei ad Marcellinum. ſcio enim, quàm ſit gratū vniuerſis Dei ac ſanctorum cultoribus Auguſtinum ſemper, nunc verò maximè pro ipſorum honore, atque eccleſiæ innocētia diſſerentem audire.

Idem li. 10. cap. 1.

Auguſtini verba de ſanctorum honore, & cultu.

NOn certè nos eiſdem martyribus tēpla, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. honoramus ſanè memorias eorum, tanquam ſanctorum hominum Dei: qui vſque ad mortem ſuorum corporum pro veritate certarunt, vt innoteſceret vera religio falſis religionibus, fictíſque conuictis. quod etiam ſi qui antea ſentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audiuit aliquando fidelium ſtantem ſacerdotē ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus martyris, ad Dei honorem, cultúmque conſtrictū, dicere in precibus, Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane? cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cæleſti honore ſociauit: vt e[illegible] celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur. quæcunque igitur adhibentur religioſorum obſequia in martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra, vel ſacrificia mortuorum, tanquam deorum. Quicunque etiam epulas ſuas eò deferunt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſque terrarum nulla talis eſt conſuetudo: tamen quicunque id faciunt, quas cùm appoſuerint, orant, & auferunt, vt veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur ſanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine domini martyrum. non autem iſta eſſe ſacrificia martyrum nouit, qui nouit vnum, quod Deo illic offertur ſacrificium Chriſtianorum. Nos itaque martyres noſtros nec diuinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, ſicut colunt illi deos ſuos, nec ſacrificia illis offerimus, nec eorum probra in eorum ſacra conuertimus. nam de

Iſide, vxore Oſiris, Aegyptia dea, & de parentibus eius, qui omnes reges fuiſſe ſcribuntur, quibus parentibus ſuis illa cùm ſacrificaret, inuênit hordei ſegetem, atque inde ſpicas marito regi, & eius conſiliario Mercurio demonſtrauit: vnde eandem & Cererē volunt: quæ, & quanta mala non à poëtis, ſed à myſticis eorum litteris memoriæ mandata ſint, (ſicut Leone ſacerdote prodente ad Olympiadem matrem ſcribit Alexander) legant qui volunt, vel poſſunt, & recolant qui legerunt, & videant quibus hominibus mortuis, vel de quibus eorum factis, tāquam diis, ſacra fuerint inſtituta. abſit, vt eos, quamuis deos habeant, ſanctis martyribus noſtris, quos tamē deos non habemus, vlla ex parte audeant comparare. ſic enim non cōſtituimus ſacerdotes, nec offerimus ſacrificia martyribus noſtris: (quia incongruum, indebitum, illicitum eſt, atque vni Deo tantummodo debitum) vt nec criminibus ſuis, nec ludis eos turpiſsimis oblectemus, vbi vel flagitia iſti celebrant deorum ſuorum, ſi cū homines eſſent, talia commiſerunt, vel conficta delectamēta dæmonum noxiorum, ſi homines non fuerunt. ex iſto genere dæmonum Socrates non haberet Deum, ſi haberet Deū, ſed fortaſſe homini ab illa arte faciendi deos alieno & innocenti, illi importauerunt talem Deum, qui eadē arte excellere voluerunt. quid ergo plura? non eſſe ſpiritus iſtos colendos propter vitam beatam, quæ poſt mortem futura eſt, nullus vel mediocriter prudens ambigit. Sed fortaſſe dicturi ſunt, deos quidem omnes bonos, dæmones autē alios bonos, alios malos, & eos, per quos ad vitā in æternum beatam perueniamus, colendos eſſe cenſebunt, quos bonos opinantur. quod quale ſit, iam in volumine ſequenti videndum eſt.

Soli Deo ſacrificia offerimus.

NAM, QVOD etiam hinc nobis calumniatur Fauſtus, quòd martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idôla conuertiſſe, nō tam me mouet, vt huic calumniæ reſpondeam, quàm vt ipſum Fauſtum oſtendam ſtudio calumniandi, etiam ab ipſius Manichæi vanitatibus exorbitare voluiſſe, & in vulgarem atque poëticam Paganorum opinionem, à quibus ſe alieniſsimum cupit videri, neſcio quomodo incautum incidiſſe. cū enim dixiſſet vertiſſe idôla in martyres, quos votis, inquit,

ſimilibus colitis, defunctorum vmbras vino placatis, & dapibus: ſunt ergo vmbræ defunctorum? nunquid hoc in veſtris ſermonibus audiuimus? nunquid in litteris legimus? immo contradicere ſoletis talibus opinionibus, aſſerentes animas mortuorum, magis minúſve purgatas, aut in reuolutiones ire, aut in grauiores aliquas pœnas, bonas autẽ in naues imponi, & in cęlo nauigantes tranſire hinc in illud phantaſma terræ luminis, pro qua pugnando perierant: ita nullas animas circa ſuorum corporum ſepulcra detineri. vnde igitur vmbræ defunctorum? quæ ſubſtantia earum? qui locus? Sed maledicendi cupiditate Fauſtus quid profiteretur, oblitus eſt, aut fortè dormitans, vmbras dormiendo dictauit, nec, cùm verba ſua legeret, euigilauit. POPVLVS AVTEM CHRISTIANVS MEMORIAS MARTYRVM RELIGIOSA SOLENNITATE CONCELEBRAT, ET AD EXCITANDAM IMITATIONEM, ET VT MERITIS EORVM CONSOCIETVR, ATQVE ORATIONIBVS ADIVVETVR: ITA TAMEN, VT NVLLI MARTYRVM, SED IPSI DEO MARTYRVM QVAMVIS IN MEMORIAS MARTYRVM CONSTITVAMVS ALTARIA. quis enim antiſtitum, in locis ſanctorum corporum aſsiſtens, altari aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? ſed quod offertur, offertur Deo: qui martyres coronauit, in memorias eorũ, quos coronauit, vt ex ipſorum locorũ admonitione maior affectus exurgat ad acuendam caritatem, & in illos, quos imitari poſſumus, & in illum, quo adiuuãte poſſumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro euangelica veritate paſsionem paratum eſſe ſentimus: SED ILLOS TANTO DEVOTIVS, QVANTO SECVRIVS POST INCERTA OMNIA SVPERATA, QVANTO ETIAM FIDENTIORE LAVDE PRAEDICAMVS, IAM IN VITA FELICIORE VICTORES, QVAM IN ISTA ADHVC VSQVE PVGNANTES. at illo cultu, quę Græcè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædã propriè diuinitati debita ſeruitus, nec colimus

limus,nec colendum docemus,niſi vnum Deum.cùm autem ad hũc cultum pertineat oblatio ſacrificij,vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idôlis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus vel cuiquam martyri,vel cuiquã ſanctæ animæ, vel cuiquam angelo. & quiſquis in hunc errorem dilabitur,corripitur per ſanam doctrinam,ſiue vt corrigatur, ſiue vt caueatur. ipſi enim ſancti vel homines, vel angeli exhiberi ſibi nolunt,quod vni Deo deberi norunt. apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt,Lycaonij, tanquam dijs, immolare voluerunt: conſciſsis enim veſtimentis ſuis confitentes & perſuadentes ſe deos non eſſe, iſta ſibi fieri vetuerunt. apparuit & in angelis,ſicut in Apocalypſi legimus, angelum ſe adorari prohibentem,ac dicentem adoratori ſuo, Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum. iſta ſibi planè ſuperbi ſpiritus exigunt, diabolus, & angeli eius, ſicut per omnia templa,& ſacra gentilium:quorum ſimilitudo in quibuſdam etiam ſuperbis hominibus expreſſa eſt, ſicut de Babyloniæ quibuſdam regibus memoriæ commendatum tenemus. vnde S. Daniel accuſatores ac perſecutores pertulit,quòd regis edicto propoſito, vt nihil à quoquam Deo peteretur, niſi à rege ſolo, Deum ſuum,hoc eſt,vnum & verum Deum adorare, deprecaríque deprehenſus eſt. Qui autem ſe in memoriis martyrum inebriant,quomodo à nobis approbari poſſunt,cùm eos, etiam ſi in domibus ſuis id faciant, ſana doctrina cõdemnet?ſed aliud eſt,quod docemus, aliud,quod ſuſtinemus,aliud,quod præcipere iubemur, aliud, quod emẽdare præcipimur,& donec emendemus,tolerare compellimur:alia eſt diſciplina Chriſtianorum, alia luxuria vinolentorum,vel error infirmorum. verũtamen & in hoc ipſo diſtant plurimùm culpæ vinolentorum,& ſacrilegorum:longè quippe minoris peccati eſt ebrium derideri à martyribus, quam vel ieiunum ſacrificare martyribus. Sacrificare martyribus dixi, non dixi ſacrificare Deo in memoriis martyrum:quod frequentiſsimè facimus, illo duntaxat ritu,quo ſibi ſacrificari noui teſtamenti manifeſtatione præcepit,quod pertinet ad illum cultum, quæ latria dicitur, & vni Deo debetur. Sed quid agam, &

*Act.*14.

Apoc. 22.

*Dan.*1.

tantæ cæcitati iſtorum hæreticorum quando demonſtrabo, quam vim habeat, quod in pſalmis canitur, Sacrificiũ laudis glorificabit me: & illic via eſt, vbi oſtendam illi ſalutare meum? HOC SACRIFICIVM CARNIS ET SANGVINIS ANTE ADVENTVM CHRISTI PER VICTIMAS SIMILITVDINVM PROMITTEBATVR: IN PASSIONE CHRISTI PER IPSAM VERITATEM REDDEBATVR: POST ASCENSVM CHRISTI PER SACRAMENTVM MEMORIAE CELEBRATVR. ac per hoc tantum intereſt inter ſacrificia Paganorum & Hebræorũ, quantum inter imitationem errãtem, & pręfigurationem prænuntiantem. ſicut autẽ non ideo contemnenda, vel deteſtãda eſt virginitas ſanctimonialium, quia & veſtales virgines fuerũt: ſic non ideo reprehendenda ſacrificia patrum, quia ſunt & ſacrificia gẽtium. quia ſicut inter illas virginitates multum diſtat, quamuis nihil aliud diſtet, niſi quæ cui voueatur, atque reddatur: ſic inter ſacrificia Paganorum & Hebræorum multum diſtat, eo ipſo, quòd hoc ſolũ diſtat, quæ cui ſint immolata & oblata: illa ſcilicet ſuperbę impietati dæmoniorum, idipſum ſibi ob hoc arrogantium, quò haberentur dij, quia diuinus honor eſt ſacrificium, illa verò vni Deo, vt ei offerretur ſimilitudo promittens veritatem ſacrificij, cui erat offerenda ipſa reddita veritas in paſsione corporis & ſanguinis Chriſti.

Pſal.49.

SILENTIO præterire vtroque loco cõmemoratam à diuo Auguſtino conſuetudinem deferendi ad ſepulcra ſanctorum epulas, vinum, panem, & carnes non poſſum. hic ſanè mos præcipuè inualuit in Africa, ſicut idem ipſe Auguſtinus teſtatur, matrémque ſuam refert ad memorias martyrum Mediolani attuliſſe pultes, panem, atque merum, dediſſéque oſtiario. ſed hæc Ambroſius fieri vetuit, & Auguſtinus hîc à melioribus Chriſtianis & ſapiẽtioribus non factum dicit, & ſe tempus commodius pro eo vſu corrigendo expectare liquidò demonſtrat.

Reſpondetur rationibus & argumentis Caluini, contra honorem ac venerationem ſanctorum productis: atque adhuc ratio duliæ & latriæ explicatur.

CAP. XV.

QVouſque igitur perditæ frontis erũt iſti? quouſque
furore iſto inhumano, atque intolerando innocen-
tem Chriſti eccleſiam perſequentur? audacia offendent?
calliditate vrgebunt? mendaciis denique, ac lapidibus cę-
dendam eſſe acclamabunt? quam quidem rem hæc Cal-
uiniana verba, quæ iterum referre non pigebit, ſatis in-
dicare nobis poſſunt, *Quinetiam in hunc finem inuenta eſt* *Cal. ſect. 2.*
*latriæ & duliæ, quam appellant, diſtinctio, quò impunè videren-
tur angelis & mortuis transſcribi diuini honores. quem enim ſan-
ctis cultum deferunt papiſtæ, nihil re ipſa differre à Dei cultu pa-
lam eſt. promiſcuè enim & Deum, & illos adorant: niſi quòd
dum vrgentur, exceptione latriæ & duliæ euadunt. verùm (vt
hoc quoque omittamus) non aliud tandem conſequentur ſua
diſtinctione, quàm cultum ab ipſis vni Deo præſtari, aliis au-
tem ſeruitium. λατρεία enim apud apud Græcos valet, quantum
apud Latinos cultus: δουλεία verò propriè ſeruitutem ſonat. &
tamen in ſcripturis interdum confunditur hoc diſcrimen. Porrò,
vt demus eſſe perpetuum, nempe inquirendum eſt, quid vtrunque
valeat. δουλεία quidem ſeruitus eſt, λατρεία cultus. iam quin
maius quiddam ſit ſeruire, quàm colere, nemo dubitat. nam ei
ſeruire durum eſſet ſæpenumero, quem colere non recuſares: ita ini-
qua eſſet diſtributio ſanctis aſſignare, quod maius eſt, Deo, quod
minus eſt, relinquere. At complures ex veteribus hac diſtin-
ctione vſi ſunt. quid tum, ſi omnes eam perſpiciunt, non modò
impropriam eſſe, ſed penitus friuolam?* λατρεύω, vt Suidæ
probatur, id ipſum eſt, quod δουλεύω, quaſi ſeruio: ſed
poſtea factum eſt (vel eodem Suida teſte) vt pro σέβο-
μαι vſurpetur. Valla etiam docet λατρείαν & δουλείαν
idem eſſe, vt vtrũque ſignificare ſeruitutem: quod & nos
ex Suida oſtendimus, qui ait, λατρείαν δουλείαν εἶναι ἐπι-
μισθον. id eſt, ſeruitutẽ eſſe mercenariã. nam apud Xeno-
phontem in tertio Cyri pædiæ loquitur maritus, ἐγὼ μὲν
ὦ κῦρε κἂν τῆς ψυχῆς πριαίμην, ὥστε μήποτε λατρεῦσαι
ταύτην. hoc eſt, ego verò Cyre vel animã redemerim, ne
vnq̃ hæc ſeruiret. Tũ vxor, ἑαυτοῦ ψυχῆς ἂν πρίαιτο, ὥς τε
μὴ δουλεύειν. id eſt, ſua ipſius anima emerit, ne ſeruiat.
Quin & in ſacris litteris λατρεύειν de ſeruitute dicitur, vt
in Leuit. Omne opus ſeruile non facietis λατρεύσον. & *Leuit. 16.*
iterũ, De ſemine tuo non dabis ſeruire principi λατρεύειν.
& in Iob, mendica λάτρις dicitur. Diuus tamen Augu-

ſtinus,poſtquam tres aut quattuor voces illas,quibus diuina ſeruitus & cultus exprimitur, recenſuit, ſcilicet λατρείαν,θρησκείαν,εὐσέβειαν,ſeu θεοσέβειαν,ſic ait, Hic eſt enim diuinitati,vel ſi expreſsiùs dicendum,deitati debitus cultus,propter quem vno verbo ſignificandum. quoniam ſatis mihi idoneum non occurrit latinum, Græco, vbi neceſſe eſt,inſinuo,quid velim dicere. Latria verò ſecundum conſuetudinem,qua locuti ſunt,qui nobis diuina eloquia condiderunt aut ſemper, aut tam frequenter, vt penès ſemper ea dicta ſit ſeruitus non quæcunque, ſed quæ ſola ad colendum Deum pertinet, cui annexa ſunt ſacrificia,oblationes,cæremoniæ,ceteríque diuini ritus: quos ſi quis non vero Deo deferat, idololatria ſit. dicimur enim etiam colere homines. ſed ea quippe ſeruitus, quæ hominibus debetur: ſecundum quam præcepit apoſtolus ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe debere, duliæ nomine nuncupari ſolet, ſicut & religio, & pietas: quamuis ad parentes,patriam,ſanctos,legéſque paternas aliquando referantur. ipſæ verò Græcæ voces, θρησκεία, & εὐσέβεια,ſicut & λατρεία non ſolēt niſi diuinæ ſeruituti,cultui,atque pietati Dei accommodari. Vides Caluine diſtinctionem noſtram non heri à nobis excogitatam & fictam,ſed ante 1200 annos veterem & antiquam ab ipſis etiam diuinæ ſcripturæ auctoribus frequentiſsimè & propè ſemper maximo cum conſilio obſeruatam.quare nullum hîc apud te lego verbum, quod à veritate non ſit alienum.Dicis primò hac noſtra diſtinctione præſtare nos Deo cultum tantummodo,hominibus verò ſeruitutem.hæc aperta fallacia eſt,quando nos & Deo, & hominibus vtrunque exhibemus, & ſeruitutem & cultum, in diſpari tamen gradu per omnem modum. Deo ſiquidem ſeruimus,tanquam Deo vero, pietate, & religione, ſacrificiiſque ipſum colentes,ac venerantes: ſanctis verò (vt ſeptima ſynodus dicebat) ſeruimus, atque eos colimus veneratione,qua decet creaturas colere, proſequentes.vitam eorum magni æſtimamus,nunquam tamen eis aut oblationes offerimus, aut ſacra facimus. Deinde, quòd aſſeris apud Græcos latriam perinde valere, ac ſi Latinè cultum nominaremus,duliam verò propriè ſeruitutem ſonare:clarè indicat,aut te parum in eiuſmodi vo-

Augu.lib. 10.de ciuit. Dei,c.1.

cibus exercitatum eſſe,aut certè data opera, quod probè noueras,diſsimulaſſe.vtraque enim vox,quemadmodum ex Suida ſuprà referebamus,ſeruitutem ſonat:vſus tamē obtinuit,vt latria non niſi diuinam ſeruitutem ſignificet. Non ergo durum & graue iugum ſeruitutis hominibus imponimus,dum duliæ cultu dicimus teneri eos pro veneratione ſanctorum.vnde quàm vanum ſit iſtius commentum , dum quaſi incredibili correptus zelo pro Dei gloria ſic de nobis pronuntiat, *Iubent nos iſti Deum colere, & hominibus ſeruire,cùm contrà ei ſeruire durum ſit ſæpenumero,quem colere non recuſaris* : hoc,inquam,cōmentum quàm ſit vanum,& quàm perperam ex his,quæ diximus , colligatur,optimè omnes vident. Illud idem poſtremò , quo quaſi certa concluſione orationis ſuæ periodum abſoluit,ſimulatio eſt non vulgaris. ita iniquam, inquit, eſſe diſtributionem, ſanctis aſsignare quod maius eſt , Deo quod minus eſt,relinquere.Nolo pluribus de vna hac re agere , cùm conſtet ſupremam nos ſeruitutem , ſupremúmque cultum ſoli Deo deferendum aſſeruaſſe . quòd etiam veterum antiquitate huiuſmodi diſtinctionē obſeruantium nihil ſe tangi Caluinus dicit, profectò mirabilem iſtius hominis arrogantiam clarè commonſtrat. *Omiſsis*, inquit, *argutiis,rem expendamus*: expendamus Caluine,quod ſanè iam pridem licere nobis per te ſatis optauimus *Paulus,cùm Galathis reducit in memoriam,quales fuerint priùs,quàm eſſent illuminati in Dei notitia , dicit eos duliam exhibuiſſe his, qui natura non erant dij. Vtcunque latriam non nominet,an ideo excuſabilis eſt eorum ſuperſtitio ? ipſe quidem nihilominus peruerſam illam ſuperſtitionem damnat:cui nomen duliæ imponit,quàm ſi exprimeret latriæ nomen* : de qua ſeruitute Paulus ibidem loquatur,quémque cultum , tanquam ſuperſtitioſum,eo in loco condemnet, apoſtolicus textus euidenter oſtendit:vt nihil quidquam inde contra ſanctorum venerationem,niſi omnino iſte mente erret, colligere poſsit. ait enim, Sed tum quidem, cùm ignoraretis Deum , ſeruiebatis iis, qui natura non ſunt dij. at nunc, poſteaquam cognouiſtis Deum , quin potiùs cogniti eſtis à Deo,quomodo conuertimini denuò ad infirma & egena elementa,quibus iterum ab integro ſeruire vultis ? vbi de deorum cultu , qui vanis & ſuperſti-

Cál.ſect.3.
Galat. 4.
Pſal.ibid.

tioſis ſacrificiis fiebat, apertè Paulus loquitur. quòd verò ibidem Paulus & ἐδουλεύσατε dixit, hoc eſt, Seruiebatis, parum ad rem facit. nam, cùm verbum ſeruitutis præmiſiſſet toties in eodem capite, placuit ſibi eodem ibi vti: vbi ex his, quæ præceſſerant, & quæ ſubſecuta ſunt, facile intelligere eſt de idololatria, quam hîc nomine ſeruitutis idolorum intelligit, eum fuiſſe locutum. præmiſerat nanque Quàm diu hæres puer eſt, nihil differt à ſeruo. & rurſum, Sub elementis mundi eramus in ſeruitutem adacti. & rurſum, Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius. ac mox tunc ſequitur, Seruiebatis iis, &c. Accedit ad hæc, quod (vt ſuprà nos retulimus) frequentiſsimum, non perpetuum inter has voces diſcrimen eſt, maximè vbi locus ipſe manifeſtam ſecum expoſitionem affert. quo loco, ſicut ſolet alibi, noluit Caluinus ſtare ꝓmiſsis, quibus pollicitus eſt, omiſsis argutiis, ſe rem expenſurum. At hæ argutiæ quàm vndique pateant, quæ ſubiungit, euidenter demonſtrant. *Cùm Chriſtus*, inquis, *Satanæ inſultum repellit hoc clypeo, ſcriptum eſſe dominum Deum tuum adorabis, non veniebat nominatim in quæſtionem latriæ. Satan enim non niſi* προσκυνάσειν *exigebat*: num hoc, Caluine, eſt velle omiſsis argutiis, rem expendere? ſed vide, quàm contra te idem locus ſcripturæ faciat: poſtquam enim dixit, Dominum Deum adorabis, ſubiunxit illico, Et illi ſoli ſeruies. vbi in Græco ſic habetur, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. omitto, quòd in Hebræo vox ponitur תעבוד: vtrique verbo cõmunis, ſcilicet λατρεύειν & δου-
Mat. 4. λεύειν, quam Paulus vertit, Seruire: ſeptuaginta verò λατρεύειν transferunt. Hæc, inquam, miſſa facio: quoniam non ad ipſas origines, ſed ad verè Græcas tantùm voces tranſmittere nos Caluino libuit. Verùm perſequamur, quæ reſtant.

Cal. ſect. 2. SIMILITER arguis, quòd, cùm reprehenderetur Io-
Apoc. 19. annes ab angelo, quòd in genua coram eo procidiſſet, nõ debemus intelligere Ioannem tam fuiſſe amentem, vt debitum ſoli Deo honorem vellet ad angelum transferre. Sed quia, ais, fieri aliter nequit, quin diuinũ aliquid ſapiat cultus, qui cum religione coniunctus eſt, προσκυνεῖν ille angelum nõ potuit, quin ex Dei gloria detraheret. legimus, dicis, quidem ſæpe adoratos fuiſſe homines,

ſed ille ciuilis honor ſuit, vt ita dicam: religio autem aliá habet rationem, quæ ſimul atque coniuncta eſt cum cultu diuini honoris, profanationem ſecum trahit. idem & in Cornelio videre licet. neque enim tam malè profecerat, inquis, in pietate quin ſummum cultum vni Deo tribueret. Quòd ergo ſe coram Petro proſternit, non facit certè hoc animo, vt Deum adoret loco Dei: ſeuerè tamen Petrus ne hoc faciat, prohibet. cur, niſi quia numquam tam articulatè homines inter Dei & creaturarũ cultum diſcernunt, quin promiſcuè transferant ad creaturam, quod Dei proprium erat? proinde ſi volumus, concludis, vnum Deum habere, meminerimus, ne tantulũ quidem ex eius gloria delibandum, quin retineat, quod ſibi proprium eſt. itaque Zacharias vbi de eccleſiæ reparatione concionatur, diſertè exprimit, non modò vnum fore Deum, ſed vnum quoque fore eius nomen, ne quid ſcilicet cum aliis commune habeat, Sed quia non iudiças expedire, multa miſcendo, onerare lectores, hoc tenere, dicis, ſufficiat, quæcunque pietatis officia aliò transferuntur, quàm ad vnicum Deum ſacrilegio non carere. Vt demus tibi Caluine ciuilem eum honorem fuiſſe, nullá que cum religione coniunctum, quò Iacob ſepties humi proſtratus fratrem a orat, vt extraneus ſit & alienus à pietate & religione cultus ille, quem prudentiſsima Iudith Holoferni, in Conopœo ſedenti, detulit, & quem Nathan, quem Berſabee Dauidi regi exhibuerunt, vt, inquã, nihil habeat religionis, aut pietatis ueneratio hæc: at oratio illa, qua à Nabuchodonoſore & à patriarcha Abrahamo, & à Ioſue glorioſo duce angeli adorantur, multũ ſanè habet pietatis & religionis, multum certè diuini honoris ſapit is cultus, qui totus in Deum recidit. tantum abeſt, vt aut ex Dei ipſius gloria quidquam hîc detrahatur, aut diuini honoris aliquam profanationem, vel minimam quidem ſecum trahat. Optimè nouerunt ſancti, Caluine, articulatè etiam inter Dei & creaturarum cultum diſcernere, vt non tam promiſcuè ad creaturas, quod Dei proprium erat, transferant. nullius rei cura magis eos ſemper torſit, quâm quòd ne tantillum quidem ex eius gloria delibatum per ipſos iure quis ſuſpicari poſſit. in hac vna re dies, noctéſque laborant fideles, vt ſci-

Act.10. *Zach.14.* *Gen.23.* *Iudith 10.* *3.Reg.1.* *Gen.19.* *Ioſue 5.*

Cur angelus adorari ſe à Ioanne non ſinerit, nec Petrus à Cẽturione.

licet quoquo pacto infinita illa maieſtas, quod ſibi eſt ꝓpriũ, illibatũ retineat. non fuit amens Ioannes, neq; parũ in pietate profecerat, neque ſi Cornelius multum in ea profeciſſet, qui vixdum cathecumenus erat, non ſic adorare potuiſſet. etenim ſi nolebat apoſtolus efferre Dei arcana ſibi oſtenſa, aut de eis gloriari, Ne quis, inquit, me exiſtimet ſupra id, quod videt: quid mirum, ſi Ioannes, poſtquam vidiſſet, & audiſſet angelum, qui tanta illa, quæ vidit, oſtendebat, exiſtimaret eum ſupra id, quod vidiſſet, aut audiſſet ex eo. idem in Cornelio, qui Petrum ſuper hominem exiſtimauit. longè à pietate eſt remota Vigilantis opinio, qui omni honore & angelos, & ſanctos priuabat: ſtulta Eunomij, qui, ne cogeretur adorare mortuos, templa martyrum non ingrediebatur. Venerandæ ſunt igitur hæ beatiſsimæ mentes, non, ſicut Deus, adorandæ: vt & ſui honoris terminos hîc agnoſcat creatura, quemadmodum aduerſum Vigilantium perquàm piè & eleganter diuus Hieronymus ediſſerit. quòd ſi aliquando nimio affectu, neque ſatis omni ex parte moderato pius colentium animus in eum honorem feratur, infra ipſum etiam adorationis genus, quod ſanctis deberi diximus, illico diuinitus corriguntur, vt dicebat Auguſtinus. præterea, cùm apoſtolica celſitudo, quæ in Ioanne perlucebat, nulla ex parte angelica præſtantia inferior foret, mirari quis non debet, ſi hæc ab illa adorari permiſſa non eſt. cui nimirum rei ſacer ipſe contextus optimè conſentit. ait enim, Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium IESV: Deum adora. ac ſi diceret, Noli me, tanquam multò ſuperiorem, tanta adoratione & honore proſequi, cui mihi ſatis eſt, ſi ad parem quidem, ne dicam, ſuperiorem, tecum ac cum fratribus tuis coapoſtolis dignitatem accedam. apoſtolicum ſiquidem faſtigium Deum vnũ ſuperiorẽ habet. vos porrò eſtis, quos magis nobis liceat adorare, ſpiritus primitias habentes, per quos nobis in cæleſtibus etiam ſacramentum hoc innotuit, eccleſiæ vtriuſque & principes, & duces, à Dei latere legati in orbem vniuerſum miſsi. ſimiliter nullus miraculo relinquitur locus, ſi eccleſiæ princeps Petrus humilitatis perlucidum ſpecimen adorari ſe non permi-

Hier. cõtra Vigil.

Apoſtolicæ dignitatis celſitudo.

ſerit, cùm videret maiori affectu, quàm par eſſet, à Cornelio ſe coli. quare optimè idem ipſe Petrus, cur id prohibuerit, verbo illo explicat, Surge, quoniam & ego ipſe homo ſum. Hæc à nobis de veneratione ſanctorum, quæ ſecundum gradum tenet eius cultus, quem triplicem eſſe ſuprà diximus, dicta fuiſſe, ſufficere aliquo modo poterunt.

Sanctos inuocandos eſſe, & orandos multis rationibus probatur, atque Christi gloriam, ac meritum, & aduocati munus, eiuſmodi precibus illuſtrari declaratur. CAP. XVI.

TErtio atque vltimo loco, quo pacto nobis ſint ſancti orandi, ſimili compendio, ſupereſt, vt explicemus. Hoc vnum inter nos conſtitutiſsimũ haberi cupio, quòd ſcilicet Chriſtus IESVS, ipſe ſolus, via prima & vna, acceſſúſque vnicus eſt, quo nobis ad Deum ingredi datur. qui ab hac via deflectunt, & hunc acceſſum deſerunt, iis via nulla, neque acceſſus ad Deum ſupereſt, ij in eius throno nihil reliquum faciunt præter iram, iudicium, ac terrorem. nam ſimul ac in mentem venit horribilis Dei maieſtas, fieri non poteſt, quin expaueſcamus, ac nos indignitatis propriæ agnitio procul abigat, donec medius occurrat Chriſtus, qui ſolium formidabilis gloriæ in ſolium gratiæ commutet: ſicuti etiam docet apoſtolus, vt cum omni fiducia apparere audeamus, miſericordiam conſecuturi, & gratiam inuenturi, in auxilio oportuno. *Heb.4.* cùm porrò nemo foret hominum dignus, qui ex ſe Deo nos repræſentaret, atque in eius conſpectum prodire nos faceret, ipſe cæleſtis pater, vt nos pudore ſimul & metu eximeret, qui noſtros omnium animos deiicere debebant, filium nobis ſuum IESVM Chriſtum dominum noſtrum donauit, qui apud ipſum nobis aduocatus, & mediator ſit, cuius ductu ad Deum patrem ſecurè accedamus, tali interceſſori confiſi, nihil, quod eius nomine petierimus, nobis denegatum iri, vt illi à patre nihil denegari poteſt. atque huc referri omnino neceſſe eſt, *1.Tim.2.* quidquid de diuinis repromiſsionibus legimus. vt e- *1.Ioan.2.* nim lex de inuocando Deo poſita eſt, & promiſsio data, exauditum iri, qui inuocauerint, in Chriſti nomi-

ne inuocare peculiariter iubemur: & promiſsionem habemus propoſitã impetraturos, quòd in eius nomine
Ioã.14.16. petierimus. Hactenus, inquit, non petiiſtis quidquam in nomine meo: petite & accipietis. &, In illo die, in nomine meo petetis. &, Quidquid petieritis, faciam: vt glorificetur pater in filio. certum eſt, ab initio non fuiſſe exauditos quicunque precati ſunt niſi mediatoris gratia. hac etiam ratione inſtituerat in lege Deus, vt ſolus ſacerdos, & ſanctuarium ingrediens, geſtaret in humeris
Exod.28. nomina tribuum Iſrael, & totidem pretioſos lapides ante pectus: populus autem procul ſtaret in atrio, atque inde vota ſua coniungeret cum ſacerdote. quinetiam huc valebat ſacrificium, vt ratæ eſſent ac firmæ preces. ſanguinis ſiquidem aſperſione impinguatas preces, teſtis
Pſal.19. eſt Dauid, dum inquit, Recordetur oblationis tuæ, holocauſtum tuum pingue reddat. hinc colligitur, Deum ab initio fuiſſe Chriſti deprecatione placatum, vt piorum vota ſuſciperet. Quòd verò nouam horam Chriſtus aſsignat, qua in ſuo nomine orare inciperent diſcipuli, quantò hæc gratia hodie illuſtrior ſit, quàm quæ plus commendationis apud nos mereatur, non obſcurè indicat: atque hoc eodem ſenſu paulò antè dixerat, Hactenus nõ
Ioan.14. petiiſtis quidquam in nomine meo: petite. non quòd de mediatoris officio nihil prorſus tenerent, (cum his rudimentis imbuti eſſent omnes Iudæi) ſed quia non liquidò cognouerant, Chriſtum ſuo in cælum aſcenſu certiorem, quàm antè fore eccleſiæ patronum. ergo abſentiæ ſuæ dolorem, vt aliquo non vulgari fructu cõſolaretur, munus aduocati ſibi vendicat: & docet præcipuo hactenus beneficio eos caruiſſe, quo frui illis dabitur, dum eius patrocinio fulti liberiùs Deum inuocabunt. ſic & apoſtolus dicit, viam eius recentem diuino ſuo ſanguine
Heb.10. dicatam eſſe. quò minùs excuſabilis eſt noſtra prauitas, niſi tam inæſtimabile beneficium, quod nobis propriè deſtinatũ eſt, vtroq;, vt aiunt, brachio amplectamur. hinc ſine controuerſia clarũ eſſe fatemur, eos, qui in alio, quàm in Chriſti nomine, Deum inuocant, & illius iuſſa contumaciter præuaricari, pro nihilo voluntatem diuinam reputantes, & nullam promiſſionẽ ibi haberi quidquam impetrandi. ſiquidem, vt Paulus ait, omnes Dei

promiſſiones in Chriſto ſunt etiã amen. id eſt, confirmãtur, & implentur. Hanc fidem, poſtquam ſemel edocta eſt Chriſti eccleſia, inuiolatam atque incorruptam ſemper retinuit: nihil dari ſibi aut petit, aut vult, quod non ſponſi ſui ſanguine ſit oblitum, cæleſtibúſque illius medicamentis delibutum: vniuerſa ſua beneficia non per Petrum, non per Paulum, aut per quenquam aliorum ex ſanctis, ſed per ipſum auctorem gratiæ, Chriſtum Ieſum, concedi ſibi poſtulat: in nomine eius petens ſemper, & vbique orans, illius paſſionis & mortis meritum ſub paternis oculis identidẽ ſtatuit. cùm hunc denique vnigenitum ſuum pater, eccleſiæ ſanctorũ pro capite ac duce aſſignauerit, & deſtinauerit, qui ab hoc nullo modo declinant, nõ ipſum præ oculis, quaſi omnis exauditionis principium, ac fontem ſibi ſtatuant, & præfigant, ſed obliquant ab eo, hi ſanè conantur, quantum in ipſis eſt, notam à Deo impreſſam delere, & adulterare. ipſe enim eſt, in cuius nomine orantes petimus, ipſe vnus eſt redemptionis noſtræ mediator, ipſe denique paratiſsimus eſt aduocatus. Si quis peccauerit, inquit Ioannes, aduocatum habemus apud patrem, Chriſtum IESVM. quem ſedentem ad patris dexteram pro nobis intercedere Paulus affirmat. vnde Auguſtinus dicebat, Qui pro omnibus interpellat, & pro quo nullus, hic eſt verus mediator Chriſtus IESVS. Sed id duxi maiore diligentia obſeruandum, & maiore cura intelligendum, atque fideliore memoria retinẽdum, quòd quamuis ſummus hic patronus noſter, promptiſsimúſque aduocatus ſemper appareat coram facie Dei, vt mortis eius virtus ad perpetuam pro nobis interceſsionem valeat: tamen hoc inuocationis genere nemo pius, nemo catholicus Chriſtum inuocauit vnquam, Ora pro nobis ſancte Dei genite, ne cum Arrio creaturam eſſe Chriſtum ſentire, aut aliquid eius poteſtati detrahere videamur: quaſi non æquè ipſe largior ſit, vt pater, aut ſpiritus ſanctus. etenim quatenus homo eſt, pontifex eſt noſter, pro nobis interpellans: quatenus autem æqualis eſt patri, non tam preces fundit, quàm preces exaudit. cùm enim ſit vnus ex diuerſa ſubſtantia, ipſe eſt, inquit Claudianus, qui quodammodo petit: ipſe eſt, qui ſe quodammodo pro nobis

2. Cor. 1.
1. Ioan. 2.
Rom. 8.
Contra Parmen. l. 2. c. 8
Epheſ. 4.
Cla. de ſtat. animæ li. 1. c. 3.

exaudit. vnde ipſi nō dicimus, Sancte vnigenite ora pro nobis: ſed, Fili redemptor mundi Deus miſerere nobis, Parce nobis, Exaudi nos. quæ verba ſine blaſphemia alij à Dei filio quamlibet ipſi Dei genitrici accommodari non poterunt. percupio enim ſemel, vt diſcat Caluinus, quàm longè abſimus à crimine, quo nos notat, ſcilicet diuinum & Chriſti honorem nos in ſanctos transferre. at de re ac clariùs in ſequentibus ediſſeremus. Habemus ergo hoc vnum, in quo nobis omnibus conuenit, quòd ſcilicet omnis oratio ac petitio, quæ Chriſti nomen non inuoluit, diuinis auribus inſipida & inſulta omnino eſt. relinquũtur cum hoc ſuæ interceſſiones ſanctis, & eccleſię Chriſti, quibus alij aliorum ſalutem, vitam, & ſpiritulia dona Deo ipſi commendant: de quibus ſcriptura toties, & Paulus tam frequenter meminere. quæ ſanè ſanctorũ interceſſiones, Chriſti merito & nomine innixæ, ab vnica illa aduocatione dependent, à qua ſancti habent, quòd tanquam interceſſores admittantur, & quòd ſæpe exaudiantur. tantum abeſt, vt delibent, aut diminuant ex illa quidquam. eo ſiquidem dilectionis affectu multi in eccleſia tenentur, (nihil hîc diſtinguimus ſanctos, qui iam cum Chriſto regnant, & qui nunc nobiſcum verſantur: id enim pòſt fiet) vt ſanctum illum amorem, vniuerſúmque ſuum affectum, quo in Dei imaginem & facturam flagrant, ceu in vnius corporis membra, in ipſum omnium noſtrũ caput admirabili conſilio referant. vbi ſtultiſsimè porrò quis philoſophabitùr, his precibus nimiũ derogari Chriſti officio, & aduocationi: cùm contrà magis ea tollatur, & exaltetur. vt ſi quis gloriæ & potentiæ diuinæ detrahat, quòd cauſsis ſecundis pro ſua liberalitate vti velit. qui enim ſolus poterat, creaturas ab auxilio aſciſcit, vt & eius liberalitas vndique pateat, & creaturæ ipſæ etiam non mediocrem apud nos honorem retineant. non ergo Chriſti nomen ſanctorum precibus obſcuratur ſed magis illuſtratur, cùm deprecantes creaturas pro creaturis admittit. neque hoc negare vult Caluinus, aut debet. quare, vt nō obſtat ſua interceſsione Chriſtus, quò minùs in eccleſia precibus alter alteri patrocinetur, ita fixum maneat, omnes totius eccleſiæ interceſſiones in illam vnicam eſſe dirigēdas: immo hoc maximè

Omnis oratio, aut noſtra, aut ſanctorũ, Chriſti vniti debet.

Act. 12. 1. *Tim.* 2. *Rom.* 15. 2. *Cor.* 1. *Coloſſ.* 4. 2. *Theſſ.* 3. 1. *Tim.* 2. *Epheſ.* 6. 1. *Cor.* 12.

Cal. ſect. 19

nomine exaltãdus Chriſtus eſt, eiúſque extollẽdum meritũ, quòd Deus indignitati noſtræ conſulens, non tantũ ſingulis pro ſe orare permittit, neque ſolùm Chriſtum aduocatum nobis proponere cõtentus eſt, ſed etiam alios pro aliis deprecatores admittit. quis, cedo, hac Dei noſtri liberalitate abuſus, Chriſti nomen obſcurare velit? præter igitur Chriſtũ alios deprecatores admittit Caluinus, qui nihil de ſuprema illa interceſsione delibent, atque in hoc nobiſcum conſentit. dicit tamen, huiuſmodi interceſſores nullo modo mediatores appellandos. Audiamus Auguſtini verba, quæ recitat iſte pro ſe. Paulus, inquit Auguſtinus, apoſtolus, quanquàm ſub capite præcipuum membrum, quia tamen membrum erat corporis Chriſti, & nouerat, non per figuram in interiora velli ad ſancta ſanctorum, ſed per expreſſam & firmam veritatem in interiora cæli ad ſanctitatem, non imaginariam, ſed æternam intraſſe, maximum ſcilicet, & veriſsimum ſacerdotium eccleſiæ, ſe orationibus fideliũ ipſe quoque ſæpe commendat. nec mediatorem ſe facit inter populum & Deum: ſed rogat, vt omnia corporis Chriſti membra inuicem pro ſe orent: quoniam inuicem ſolicita ſunt membra: & ſi patitur vnum membrum, reliqua compatiuntur. ac ſic membrorum omnium adhuc in terra laborantium, mutuæ, pro ſe inuicem, orationes aſcendunt ad caput, quod præceſsit in cælum: in quo eſt propitiatio pro peccatis noſtris. nam ſi eſſet mediator Paulus, eſſent vtique & reliqui apoſtoli: ac ſic multi mediatores eſſent, nec cõſtaret Pauli ratio, qua dixerat, Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus IESVS, in quo & nos vnum ſumus, ſi ſeruamus vnitatem fidei in vinculo pacis. item alibi, At verò ſacerdotem ſi requiras, ſuper cælos eſt: vbi interpellat pro te, qui in terra mortuus eſt pro te. At ego intelligere profectò quidem non ſatis queo, cur tantopere timeat Caluinus, mediatores eos nominare, quos interceſſores adhibere pro ſe ad Deum, non erubeſcit. ſicut enim vnus eſt mediator, ſic vnus eſt aduocatus noſter. quòd ſi Chriſti interceſsioni non obſtant ſanctorum preces, (non enim in eodem ponuntur gradu, ſed hæ omnes illi ſubſunt) quare magis mediationes ſanctorum ſuo modo vnitatem illius noſtri

Cal. ſect. 20
Aug. li. cõtra Parm. 2. c. 8.
Rom. 15.
Epheſ. 6.
Coloſſ. 4.
1. Cor. 2.
Augu. in pſal. 49.

mediatoris deſtruent? atqui certè in quo ſenſu quiſque interceſſor accedit, in eodem cur nō & mediator habeatur, ego non video. Sed audiamus Cyrillum, Leonem, immo ipſum Auguſtium, & ſanctos alios, qui optimè & explicant illa Pauli verba, Vnus mediator, & ſatis non inſtruunt, ad quem ſenſum ea ſint à nobis accipienda. recitemus Cyrillū. Mediator inquit, Dei & hominū IESVS Chriſtus eſt, non ſolùm quia reconciliauit homines Deo, verùm etiam quia naturaliter, & cōſubſtantialiter Deus & homo in vna ſubſtantia eſt. hoc enim modo naturam noſtram ſibi Deus reconciliauit. nam aliter quomodo vnum mediatorē Chriſtum Paulus dixiſſet? multi enim ſanctorū mediationis miniſterio vſi ſunt: & ipſe Paulus clamat, Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Moſes quoque mediator fuit: miniſtrauit enim filiis Iſrael legem datam à Deo. mediator etiā fuit beatus Ieremias, præcipuè quādo clamabat ad dominum, Recordare mei ſtantis coram te ad loquendum pro ipſis bona. quid multa? ſinguli prophetarum fuerūt mediatores, apoſtolorum quoque ſinguli, quomodo igitur mediator Dei & hominū vnus Chriſtus? niſi noua inauditáque in aliis mediatio ſua ſit: ſed modum quoque perſtringere nō alienum eſt. quod igitur duo quædam, ſicut medium, coniungit, ab vtroque neceſſario tangitur. hoc modo diuerſa per medium coniunguntur. eſt autem Chriſtus mediator Dei, & hominum, quia in eo vno Deus & homo coniunguntur. Verùm & ipſe Paulus, qualem vnum mediatorē eū intelligi vellet, poſt ea verba, Vnus eſt mediator Dei, & hominum vnus Chriſtus IESVS, declarat mox illa ſubiiciens, Qui dedit ſemetipſum redemptionē pro omnibus. Talis ergo mediator Caluine, qui pretioſo ſanguine ſuo nos redemerit, non eſt niſi ſolus dominus noſter IESVS Chriſtus. immo beatus Leo pereleganter ait, Quamuis in conſpectu multorum ſanctorum pretioſa ſit mors: nullius tamen niſi Chriſti inſontis occiſio, propitiatio fuit mundi. acceperunt iuſti, non dederunt coronas: & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ. ſingulares quippe in ſingulis mortibus fuerunt, neque alterius quiſquam debitum ſuo munere ſoluit: cùm inter filios hominum ſolus dominus

Chriſtus quo pacto ſit dicendus vnicus mediator.

Cyril. li. 12.

2. *Co.* 5.

Ierem. 18.

Leo ſerm. 12 *De paſſione domini.*

Epiph. 33. 34.

noſter IESVS Chriſtus extiterit, quo mediatore, omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſuſcitati ſunt. de quibus ipſe dicebat, Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum. Cyrillus etiam ſic, Vnũ mori oportuit, ſufficientem pro vita omnium redemptionẽ, vt, & mortuorum, & viuorum imperiũ acciperet, ne quis illud ridiculum, verum eſſe putaret, apoſtolorum mortẽ ad deſtructionem interitus aliquid contuliſſe. cum liberatis enim ab interitu, etiam apoſtoli iure connumerantur, vnius illos naturæ nobiſcum fuiſſe conſtat: in quos mors imperium ſuum exercuit. ſic æqualis illius Auguſtinus, Solus Chriſtus pro nobis ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, vt nos per illum, ſine bonis meritis, conſequeremur gratiam. rurſus, Etſi fratres pro fratribus moriamur, tamen in fraternorum peccatorum remiſsionẽ, nullius martyris ſanguis effunditur: quod fecit ille pro nobis. ſic & qui præceſsit hos Hilarius, Domino, inquit, ſæculi motus, tempeſtatéſque calcanti non eſſe, quiſquã paſsionis particeps poterat: ſolus enim paſſurus pro omnibus, omnium peccata ſoluebat, nec ſociũ admittit: vniuerſorum ipſe redemptor eſt, à quo Petrus erat antè redimendus, quàm ipſe in Chriſti martyrem reſeruaretur. Ambroſius etiam, Nullius ſanguis profuit, ſicut Chriſti ſanguis. neque enim redimere nos potuit ſanguis prophetarum, neque redemit nos Petrus, aut Paulus, Chriſti ſolius paſsione redempti ſumus: ſolus ille nos redimere morte ſua potuit, qui & Deus eſt & homo, qui ſi purus homo fuiſſet, præſtare id nunquam valuiſſet. Theologi etiam omnes, vno conſenſu, Chriſti paſsionem cauſſam eſſe pronuntiat ſalutis noſtræ: quod de nullius paſsione dicere auderemus: nullius enim paſsione redẽpti ſumus, niſi Chriſti. Profuerunt, inquiũt omnes ſacræ theologiæ candidati, quidem & proſunt nunc non modò iis, qui eas paſsi ſunt, verùm etiam aliis fidelibus fideliũ paſsiones: at noſtra redemptio non eis conſtat. Hoc enim, inquit Petrus Lombardus, paſsio illius ſola potuit, qui Deus eſt & homo. Vides ergo Caluine, non alium redemptionis noſtræ auctorem præter vnum Chriſtum IESVM nos prædicare, aut tenere, cuius ſolius liuore ſanatos nos eſſe, nõ hominis alius cruore, ſemper & gloriamur, & vbique

Cyrill.li.11. in.Ioã.c.12

Aug. ad Bonif.li.4. c.4.tract. 34. in Ioã.

Hila.c.14. in Matth.

Amb.li.7 in Luc.

Theologorũ ſententia de merito Chriſti.

Eſaia 53.

iactamus, huius primi ac ſummi mediatoris meritis cuncta nobis à patre ſuo concedi petimus, ac poſtulamus, quantumcunque ea merita proponamus æterno patri, quæ ſancti, huius mediatoris ſanguine & ipſi redempti, habuerunt. Non igitur grauemur mediatores ſuo modo eos ſanctos appellaſſe, quos intercesſores nobis aſſumimus & accerſimus: ita tamen vt ſicut nullius niſi Chriſti intercesſione redempti ſumus, ſic nullius niſi filij Dei mediatione à morte liberemur. Sicut ergo iam redempti per ſuam mortem, alios pro aliis intercedere præcepto compellimur, cui hæret diuina promisſio: ſic aduocatos & mediatores aſſumere optimè poſſumus.

Sanctos, qui de hac vita deceſſerunt, inuocare, tantò meliùs licere nobis, quantò ipſi de ſua gratia certiores ſunt facti, quàm fuerint, dum hîc nobiſcum verſarentur, apertè oſtenditur.

CAP. XVII.

DE his ſanctis, qui in eadem nobiſcum nunc exercentur arena, non dubitat Caluinus, poſſe eos ſuis precibus multùm prodeſſe nobis: quare totam ſui ingenij aciem eò ſolùm dirigit, quò probet, mortuis nihil eiuſmodi poſſe cõuenire. quare loquamur, neceſſe eſt, de eis, qui iam mortali corpore exuti regnant cum Chriſto, ab

Sect. 21. omni miſeria alieni. *Quantum ad ſanctos attinet, qui carne mortui, in Chriſto viuunt, ſi quam illis orationem attribuimus, ne iis quidem ſomniemus, aliam eſſe rogandi Dei viam, quàm Chriſtum, qui ſolus via eſt, aut alio nomine Deo eſſe acceptas illorum preces*: vtinam tam facilè tu nobis, quæ petimus dares, quàm id, quod in principio tu poſtulas, libenter nos concedemus: qui non aliam viam ſomniamus, neque niſi in Chriſti nomine, eos petere volumus. quaſi turpe ſit ſanctis, non tam ſe ſuis meritis à Deo exaudiri, quàm quòd in filij Dei nomine, in quo cuncta agere ſe profitentur, petentes accipiant. nihil illis melius iſto dulci nomine occurrere poteſt, in quo ſalui facti ſunt credentes. humano more de ſanctis aut cogitare, aut loqui, turpe eſt. per filium habent acceſſum in introitum: & quidquid petũt, Deo gratisſimæ mentes in filij dilectionis paternæ nomine, quod identidem repetere gaudent, poſcunt & accipiunt. poſtquam enim ſcriptura diuina, totáque ſancto-

rum

tum cohors ad Chriſtum vnũ nos ſemper reuocat, poſtquam cæleſtis pater voluit omnia in ipſo recolligere: nimij ſtuporis fuerit, ne dicam inſaniæ, nobis per ſanctos acceſſum ſic velle moliri, vt ab illo abducamur, ſine quo nullus eis aditus patet. quamobrem, quoties aut ſancti ſe Deo offerunt pro nobis preces adhibituri, aut nos illorũ operas apud Deũ nobis aſciſcim[9], ſemper ante diuinę clementiæ oculos obſeruabitur filius ille æternus, cuius fratres iſti ſunt, qui & dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ac nominari: per quem etiam acceſſum habẽt ad Deum, atque non minùs noſtras mentes idem Chriſtus cõtinuò occupabit. ſcimus enim nihil eos ſic apud cæleſtem patrẽ commendare, quàm quòd æterni filij imaginem gerant, innocentiam referant, ſanctitatem exprimant, ipſum denique Chriſtum ſuo modo repræſentent. itaque oratio ſanctorum, & æterni patris exauditio, noſtra demum inuocatio, qua eos nobis fautores & deprecatores acceſſimus, Chriſto eſt plena. tam longè à nobis abeſt, vt hîc à Chriſto ad homines reuocari cupiamus. Sed audi lector Chriſtiane calumniam, accipe iniuſtam iſtius vexationem, fraudulentámque interpretationem. *Id autem aliquot ſeculis factitatũ quis neget? hodiéque, vbi Papiſmus viget, factitari? ad conciliandam Dei beneuolentiam eorum merita ſubinde obtruduntur, atque vt plurimùm Chriſto præterito, per eorum nomina Deus obſecratur. ánnon hoc, quæſo, eſt munus vnicè illius interceßionis, quam Chriſto ſuprà aſſeruimus, ad illos traducere?* optimè tu Caluine erroris huius fontem oſtendiſti. non ergo miremur, ſi nullus eſt ſanctorum patrum, qui à Chriſto in cælum tranſlato ad hæc vſque noſtra tempora vixerunt, cuius calculo ſanctorũ cum Chriſto triumphantium intercesſio approbata, & expetita non fuerit. illi ſanè quia ſub Papiſmo vigebant, Chriſti gloriam obſcurantes ad ſanctos totam traducebant. viguit itaque ſub Papiſmo Origenes, qui beatum Iob, ſanctóſque omnes precibus ſibi conciliabat patronos, ac, vt cum lacrymis ac gemitibus pro ſe intercederent apud Deum, ſupplex deprecabatur. ſub Papiſmo viguit beatus ille eccleſiæ Ediſſenę diaconus Ephrem, qui ante mille trecentos annos humiliter ſanctorum martyrum apud Deum interpellationes poſtulabat pro miſeris & afflictis

Origen. li. 2 in Iob.
Idem in lamen.
Ephrem in ſerm. de laudibus ſanctorum.
Idem in Treno.

hominibus,& Mariam θεοτόκον alloquẽs orabat, ESTO noſtra cõciliatrix,& aduocata, in hora iudicij libera nos à futuro igne & tenebris: tu nanque es ſpes apud Deum Chriſtianorũ.ſub Papiſmo igitur viguit Gregorius quoque Nazianzenus, quem theologum Græci vocant, qui ſanctum Baſilium ſic ad preces prouocat, TV AVTEM ô magne Baſili,ſacrum ac diuinũ caput,ex alto nos reſpice,& carnis ſtimulũ,inſtructionem noſtram à Deo nobis datam,aut tuis ſiſte precibus, aut fortiter nos ferre, ora. viguit ſub Papiſmo Hieronymus Gregorij diſcipulus, qui Paulam ſic precabatur, VALE ô Paula,& tui cultoris ſenectutem orationibus iuua: fides & opera tua Chriſto te ſociant,præſens faciliùs quod poſtulas,impetrabis. viguit ſub Papiſmo Synchronus huius Auguſtinus, ob id falſus dicebat, ORATE dominũ,orate piiſsimi,orate omnia agmina ſanctorum. viguit ſub Papiſmo Victor Auguſtini æqualis,qui ad patriarcharum, apoſtolorum, martyrũ,beatarúmque omnium mentium pedes proſtratus,ab eis,vt pro ſe orarent,petebat. viguit ſub Papiſmo eccleſiaſticus poeta Prudẽtius,qui,ſanctos omnes ſibi patronos poſcebat.ſub Papiſmo viguit magnus ille Baſilius, ob id deceptus dicebat, QVI ALIQVA premitur anguſtia, ad hos confugiat, qui rurſus lætatur, hos oret,ille vt à malis liberetur,hic vt duret in rebus lætis.viguit ſub Papiſmo Gaudentius,qui imprudens hortabatur ſanctorum martyrum tenere veſtigia, vt ipſis intercedentibus, vniuerſa, quæ poſcimus, adipiſci mereamur. viguit ſub Papiſmo Ioannes Chryſoſtomus,qui ſic deceptus in laudibus ponebat pij imperatoris, quòd is purpura indutus ad martyrum ſepulchra accederet, ipſos velut viuentes amplexurus, &, imperatorio faſtu poſthabito, ſtaret ſupplex ſanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Deum intercederent. Quid plura? ſcenarum fabrum & piſcatorem etiam mortuos,vt patronos & protectores ſuos,orabat, qui diademate incedere ſolitus erat. ſed & Chryſoſtomus nimiùm errabat, & imperator Chriſti gloriam obtrudebat, vterque ſub Papiſmo. ſed quid per ſingula infantia mea propè infinita proſequetur? viguere hi omnes ſub Papiſmo; fateor Caluine, quemadmodum aliquando ex nobis audies, & his multò plures, quos hîc

Nazianzen. in monodia Baſilij.

Hieron. in epitaphio Paulæ.

Aug. in medit. c. 23.

Victor li. 3. de perſecutione Vandalica.

Paulinus, Prudentius in Panegyrico de obitu Celſi.

Baſil. ſerm. 40. martyrum.

Gaudẽtius in ſerm. quẽ habuit in dedicatione Baſilicæ cõcilij ſanctorum. Chryſoſt. hom. 66. ad populum Antioch.

referre operæpretium fore minimè arbitratus ſum: qui omnes ad ſanctorum intercesſionem ſupplices confugerunt ipſi, & aliis, vt confugerent, auctores fuerunt. Mirum ô Caluine, quòd dum mutuò à proximis, qui nobiſcum etiam in agone verſantur, iuuari nos orationibus petimus, non munus illius intercesſionis vnicæ. quã Christo ſuprà aſſeruimus, ad creaturas traducimus, nec timeamus videri, Christum præteriſſe, atque noſtram diffidentiam prodere, dum ſubſidia nobis ita quæritamus: ſi verò apoſtolos & martyres poſt coronas, victorias & triũphos inuocemus, ſtatim tibi videamur, non aliunde ſanctorum intercesſione delectari nos, niſi quia anxietate laboramus, perinde ac ſi hîc Christus deficeret, aut nimiùm ſeuerus foret? Vinculis tenebatur apoſtolorum princeps, eccleſiæ paſtor Petrus, fiebant orationes pro eo ab eccleſia: num id factitatum eſt, quòd Christi patrocinio diffiderent? commendat ſe Paulus fidelium precibus, num tantus animus apoſtolicáque celſitudo aliqua perplexitate Christum inhonorabat, aut ſolius mediatoris titulo ſpoliabat, qui vt illi in ſingularem prærogatiuam à patre datus eſt, ita neque alio transferri debet? ſi mortales & peccatores, cùm pro regibus, pro regnis, pro magiſtratibus, pro ſingulis poſtremò perſonis orãt, neque ipſi Christi munus iniquè vſurpant, neque qui ab eis eiuſmodi preces extorquent, venia dignum committunt, ſed magis laudantur: quare, te precor, nos, qui æternum æuum viuentes, intercesſores nobis aſciſcimus, eo ipſo quidem gloriam natiuitatis Christi obſcuramus, quia iuſtos aduocatos, & qui diſplicere nunquàm Deo, & Christo poterunt, nobis aſſumimus? crucémne euacuamus, cuius fructus maximè in illis perlucet? num quidquid aut fecit, aut paſſus eſt, (quod omne propter ipſos electos fuiſſe eum operatum, ſcripturæ nihilo magis tradunt) ſua laude exuimus ac defraudamus? *Siquidem huc tendunt omnia*, inquit Caluinus, *vt ſolus ſit, & habeatur mediator*: huc tendunt diuina omnia Caluine, ſcilicet vt à Christo vno redemptionis noſtræ mediatore, & omnis boni perenni fonte ipſas etiam ſanctorum preces pendêre oſtendant. at tu aliorſum tendis, aliud longè diuerſum moliris. nempe, pri-

Manifeſta repugnãtia oſtenditur in doctrinâ Caluini.

Act. 10.

Rom. 15.

1. *Tim.* 2.

mùm vt amicos, filióſque Dei, & membra Chriſti corporis obſcures, deinde, vt Deum ipſum à nobis contemni facias, omnem demum beneficiorum memoriam ſempiterna quadam obliuione obruas. huc huc ſimulara iſta tua omnia, neque aliorſum tendunt. Sed ad te redeo. ſi peccatorem ſimilem mei patronum mihi eligere voluero, ſi meã cauſſam illius orationi comiſero, laudabor vtique abs te: ſi verò ſancto, qui iam cũ Chriſto regnat, eum ſequitur quocũque ierit, ſemper videt faciem patris cęleſtis, qui denique vnigeniti oratione ſatis præclara apud patrẽ iam commendatus eſt. ſi, inquam, huic negotiũ meum tradidero, illicóne clamabis, Dei me benignitatẽ abiicere, qui ſe mihi in patrem exhibebat, amotis interceſſoribus? ô homo, nobis Deus pater eſt, Chriſtus dominus & frater primogenitus mortuorũ, & princeps regum terræ, corona & anteſignanus ſanctorũ: cuius dulce nomen niſi fronti appenſum, menti impreſſum geſtarent ſancti, nunquam ad ſupremũ iudicem ſibi aditũ parauiſſent. anathema ſit cuicunq; IESVM diuidenti: oratio ſanctorum, quorum rex Chriſtus eſt, & in quibus Chriſtus viuit, oratio Chriſti eſt. neque illi quidquam nobis impetraſſent, niſi priùs Chriſti meritum æterno illi patri eos gratos reddidiſſet. vox ſanctorum, vox Chriſti eſt: dum ſanctos interpello, Chriſtum per eos loquentem intelligo. Fratrẽ ergo Chriſtũ nobis eſſe agnoſcimus, fraterno eſſe erga nos affectu, (quo nihil mollius, aut tenerius eſſe poteſt) cogitamus. quare ſicut eũ vnicè nobis ſcriptura offert, ad ipſũ nos mittit, & in ipſo ſiſtere nos vult, ita eũ vnicè in omnibus quærimus, in ipſum aſpiramus, in eo vno quietem noſtrã totam collocamus. ipſe, inquit Ambroſius, os noſtrum eſt, per quod patri loquimur, oculus noſter, per quem patrem videmus, dextera noſtra, per quem patri nos offerimus, quo niſi intercedente, nec nobis, nec ſanctis omnibus quidquam cum Deo eſſet. Quid ais? quid dicis? Chriſtóne præterito, per noſtra ora Deus obſecratur? quis ferre poterit iſtud tuum ingeniũ, tam ferox, tam parum verax? quo pacto obliuiſci poterit ſponſa viri ſui, quem præ ſe diligat? quem præ ſe amet? virginem hanc caſtam, puram, ac verecundam, quo pacto putas, delectaret, neque ore quidẽ ſuo attigiſſe ſanctos, niſi

Apoc. 14.

Sanctorum inuocatione, Chriſti patrocinium & preces roborant.

Ambr.

in iis expreſſam illius effigiem cerneret, quem amat, carúmque habet? quî præteriſſe poterit eccleſia eum, à quo non præterita ipſa ſit, ſed omnium ſponſi bonorum ex aſſe hæres teſtamento filij Dei, ſanguinis etiã & corporis eſt ſcripta? Chriſti nomen fidelibus ſemper memoriæ hæret, vt nuſquam ſanctos alloquamur, quin priùs ſuam miſericordiã à Dei filio in publicis litaniis expoſtulemus, omnéſque orationes noſtras, quas collectas vocamus, ad patrem ferè dirigamus, per Chriſtum dominum noſtrũ, per illius, inquam, ſolius paſsionis ac mortis meritũ, qui nos redemit. iſtúdne eſt, contempto Chriſto, eiúſque nomine præterito, per ſanctos Deũ ſolicitare? ſed ſcio, quid adhuc calumniator obiiciat. quoniam duo opponit: primum, *Non minùs profanatur Chriſti interceſsio, dum mortuorum precibus & meritis miſcetur quàm ſi ea penitus omiſſa ſoli mortui in ore eſſent:* quia igitur rectè intelligebas, falsò nos accuſari, quòd Chriſtum cuiquam ſanctorum poſtponamus, coactus es, vt video, æquipollentiarum leges repetere, quas ſenio oblitum iam fuiſſe te, non nihil vereri poteramus. deinde ſanctos in tuis æquipollentiis mortuos vocas, de qua re mox agemus. ſunt ſiquidem omnia ſuo ordine perſequenda, & ſuis in locis collocanda, non ſicuti Caluinus in vſu habet: qui, cùm probaturus eſſet, nullam nos mentionem in orationibus noſtris Chriſti IESV facere, vt hoc oſtendat, mortuos, ſanctos eſſe dicit. certè tuum argumentum non quattuor terminis conſtat, ſed multò pluribus. arguis enim ſic, Iſti prætereunt Chriſtum: probo: nulla eius mentio illis habetur: ergo prætereunt Chriſtum. nego antecedens. quid negaſti? miſcent, & annumerant cum mortuis, ergo. O bone Deus quam acutus, immo quàm importunus ſenex. Alterum, quod nobis à Caluino obiicitur, id eſt, *Deinde in ſuis omnibus litaniis, hymnis & proſis, vbi ſanctis mortuis nihil non honoris defertur, nulla Chriſti mentio:* non te tui & piget & pudet? in litaniis non dicimus, Chriſte ora pro nobis, (fateor) ſed bene, Fili redemptor mundi Deus miſerere nobis. & hoc, quia Dei gratia, non ſumus Arriani, ſed catholici. deinde, ſanctiſsimi hymni, qui in eccleſia decantantur, quid crebriùs quàm Chriſti nomine percrepant? diſperearn, ſi vel

In litaniis ſemper Chriſti nomen præponitur: atque eo terminantur orationes noſtræ omnes.

vnus legatur, qui dulciſsima Chriſti nomenclatione non perſonet, Chriſte ſanctorum, decus angelorum, rector olympi. &, Tibi Chriſte ſplendor patris, vita virtus cordium, in conſpectu angelorum, voce, corde pſallimus. &, Hi ſunt, quos retinens mundus inhorruit, téque ſecuti ſunt, rex Chriſte bone cælitus. &, Hi pro te furias, atque ferocia calcarunt omnia, ſæuáque verbera, rex Chriſte bone cælitus. &, Rex glorioſe martyrum corona confitentium. &, Tu vincis in martyribus, parcendo confeſſoribus, tu vince noſtra crimina, donando indulgentiam. itaque omittamus plura in hanc rem adducere teſtimonia. de proſis etiam quid attinet dicere, omnes nihil tam ſapiunt, quàm Chriſtum, nihil tam ibi frequenter auditur, quàm Chriſti & nomen, & gloria, atque inuicta dextera, quæ ſeſe pro ſuis ſanctis & electis mirabiliter & potentiſsimè exeruit.

Sanctos eſſe fidos cuſtodes noſtros, à quibus liceat bona etiam temporalia nonnunquam poſtulare, innumeris antiquorum patrum locis palàm oſtenditur.

CAP. XVIII.

PRima igitur oppoſitio, quòd ſcilicet ſanctorum precationibus munus vnicæ illi⁹ interceſsionis, qua pro nobis Chriſtus apud patrem precator accedit, iniquè traducatur, quantum nos debeat mouere, omnes vident Caluine. venio ad alteram, quæ tota poſita eſt in criminatione, quòd ſua procuratio cuique ſanctorũ attributa ſit, vt pro negotij diuerſitate nunc hic, nunc ille aduocetur interceſſor. *Aſciuerunt*, inquit Caluinus, *ſinguli peculiares ſibi diuos, in quorum non ſecus atque tutelarium Deorum, fidem ſe contulerunt: neque modò (quod olim Iſraeli exprobrabat propheta) ſecundum vrbium numerum, dij ſunt erecti, ſed ſecundum capitum multitudinem. Atque cùm in vnam Dei voluntatem deſideria omnia ſua referant ſancti, hanc intueantur, in ea acquieſcant, ſtolidè & carnaliter, atque etiam contumelioſè, de iis cogitat, qui aliam ipſis orationẽ aſsignat, quàm qua Dei regnum aduenire expetant, à qua longiſsimè abeſt, quod illis affingũt, vnumquẽque priuato affectu in ſuos cultores eſſe propenſiorem. tandem, neque ab horrendo ſacrilegio abſtinuerunt plurimi, non vt ſuffragatores iam, verum vt ſalutis ſuæ præſides inuocando. En quò rece-*

Ierem. 2.
2. Calũnia.
3. Calũnia.

dant miſeri homines, dum à legitima ſtatione, hoc eſt Dei verbo, euagantur. Accedit vltimò, quòd vt tam fœdi criminis inuidiam à ſe deriuent, hoc tamen nullo colore defendent, rogari Eligium, vel Medardum, vt ſeruos ſuos reſpiciant, & iuuent è cælo, ſanctam etiam virginem, vt filium facere iubeat, quod petunt.

His tribus tuis calumniis, ô Caluine, non ego reſpondebo, ſed ſupra centum patres vtriuſque eccleſiæ, Græcæ & Latinæ, ab ipſis apoſtolicis temporibus, tecum congredi ego oſtenderem, niſi quòd vereor, ne in infinitum hæc res abeat. ſed circa ea quæ primo loco de tutelaribus diis commentus es, & quomodo ſanctorum fidei nos committamus, ſine offenſione diuinæ illius maieſtatis Dei noſtri (qui niſi ciuitatem noſtram, nóſque cuſtodierit, parum vtique orbis totius, etiam angelorum, ſanctorúmque omnium tutela nobis proderit) audiatur magnus Baſilius: O SANCTVM chorum, (glorioſiſsimos vtique quadraginta illos martyres alloquitur) ô ſacrum ordinem, ô cuneum inexpugnabilem, ô communes humani generis cuſtodes, optimi curarum ſocij, precum ac votorum inuicem ſuffragatores, legati apud Deum potentiſsimi, aſtra mundi, flores eccleſiarum, vos vos non terra contexit, ſed cælum excepit: apertæ ſunt vobis paradiſi portę: dignum profectò exercitibus angelorum, patriarchis, prophetis, & iuſtis omnibus ſpectaculum: nobis autem peccatoribus facti eſtis apud Deum aduocati. Si communes humani generis (auctore magno Baſilio) cuſtodes ſancti martyres ſunt Caluine, ſi curarum ſocij, votorum ſuffragatores, legati apud Deum potentiſsimi, quid impedit, quò minùs nos, qui per imbecillitatem noſtram non ſatis nos ipſos defendere à Satana, eiúſque mēbris impunè graſſantibus poſſumus, ſanctorum fidei committamus, qui, velut ſub tutelari præſidio, fratres ſuos contineant? in iſtorum tutelam libenter venimus, non minùs, quàm in angelorum, quibus mandatum eſt, vt nos cuſtodiant: ſicut non minùs potentes ſunt, quàm illi, ad cuſtodiendos nos. ſub horum tutela, Caluine, magna regna, nationes potentiſsimę, magiſtratus, immo ipſi Chriſtiani reges ſemper fortunatiſſimi fuerunt. De magno Baſilio, ſuæ gētis & ciuitatis patrono ac defenſore, Gregorius Nazianzenus dicebat,

Sancti, cuſtodes ſunt à Deo conſtituti ſingularium locorum.

Baſil. in vita S. 40. martyrum, tom. 1. operū, fol. 128.

Greg. Nazianz. oratione 8. ET NVNC archiſacerdos noſter in cælis degit, vbique pro nobis, pro ciuitate ſua, pro populo ſacrificia offert, ac pro nobis omnibus, quorum gerit curam, orat. licèt enim nos reliquit, non tamē animo, & patrocinio reliquit. Lege, lege ſanctorum inimice, Baſilius degit in cælis, ibi pro ſuis ſacrificia offert, pro populo orat, quem *Idē orat. 8.* non animo reliquit. Idem etiam, in ſanctiſsimi ſenis Hilarij vita, hac appendice orationem ſuam finit: CETERVM, ô amicum & ſacrū caput, quod & ſermonis & ſilentij menſuram inter reliqua tua bona excellenter honoraſti, hîc nobis ſermonem ſiſte, qui ſi veritate minor fuit, non tamen meis viribus inferior. Tu autem ô magne Hilari è ſupernis propitius nos reſpice, & populum hunc ſanctum dirige, trinitatis ſanctæ adoratorem, (quæ in patre & filio & ſancto adoratur ſpiritu, contemplatione que comprehenditur) & nos in pace quidem foue, & compeſce, in certamine autem dirige & ſuſcipe, & cum te ipſo ſtatue, & iis, qui tales ſunt, vt tu, etiam ſi magna ſit petitio, in ipſo Chriſto domino noſtro, cui omnis gloria, honor, potentia in ſæcula ſæculorum. amen. Credemus ne Caluine, Gregorium verè theologum blaſphemaſſe hîc, aut iniuriam feciſſe domino noſtro IESV Chriſto, quòd in vnius mortui Hilarij fidem ſe contulerit, non ſecus, atque tutelaris Dei? credemúſne, iniuriam feciſſe domino noſtro IESV Chriſto, inuocando pro populo ſuo Athanaſium in auxilium, ac firmiſsimam tutelam? euolue ſæcula omnia, maiorum luſtra monumenta, res geſtas percurre, pro comperto ſatis habeo, reperturum eſſe te, hanc vnam in tota eccleſia Chriſti omni ætate fidem *Petrus Damianus ſermo. in feſto omniū ſanctorum.* fuiſſe, quam ante quingentos annos Petrus Damianus teſtatus eſt, antiquiſsimam eſſe, & cum ipſis apoſtolis natam. Iſti, inquit, ſunt aduocati, & patroni, quos apud iudicem habemus: pro quo iſti interceſſerint, ſententiā non timebit capitalem. confugiamus ergo ad probata ſuffragia, nec nos deterreat enormitas peccatorum, quia maior eſt eorum pietas, quàm impietas noſtra. conſiliarij ſunt regis noſtri, & ipſius iræ ſæpe reſiſtunt, nec quos cuſtodiunt, deſerunt in tempore malo: ſciunt enim, vbi clientes ſuos reliquerint, quantis hoſtium inſidiis pateant. ſuſpiremus igitur ad illorum & memoriam, & fa-

uorem, vt eccleſiam Chriſti, quod hactenus fecerunt, ſub vmbra alarum ſuarum protegant, donec tranſeat iniquitas, & eos, quorum gerunt indefeſſam curam, perducant ad ipſius eccleſiæ ſponſum, qui Deus eſt benedictus in ſæcula.

IAM alteram iſtius calumniam, quòd ſcilicet à ſanctis ſtolidè & carnaliter (ſic loqui ſolet Caluinus) pręter Dei regnum multa priuato affectu poſcamus, teſtimoniis etiã ſanctorum, breui diluamus. Narrat ſacer Ambroſius de Conſtantia, Conſtantini filia, quæ prudentiſsima virgo ita obſeſſa vulneribus erat, vt a capite vſque ad pedes nulla membrorum pars à dolore libera remãſiſſet, quòd ſic accepto conſilio, ſpe recuperandæ ſalutis in vnã ſanctiſsimam Agnetem propenſior fuerit: cuius precibus ſanam (inquit Ambroſius) Chriſtus IESVS eam reddidit, vt neque ſignum in eius membris alicuius vulneris remaneret. narrat diuus Auguſtinus, ſenem Florentium, Hypponenſem, religioſum hominem, atque pauperem, oratione fuſa ad viginti martyres, quorum memoria apud Hypponenſes longè celeberrima habebatur, anulo, mirabiliter intra grandis cuiuſdam piſcis viſcera reperto, ingenti miraculo ſubleuatum fuiſſe. refert idem, quòd cùm ad martyris Stephani reliquias innumerabilis gentium concurſus fierent, diuinis beneficiis cultores ſancti Deus cumulauit. orat cæca mulier ad ſancti viri reliquias, adſunt innumeri, adeſt loci epiſcopus. ibi cùm flores ſacris pignoribus ſuperpoſiti infirmis oculis admouerentur, mox ſancti interceſsione (mirabile dictu) cæca videt, ſtupentibus qui aderant, præit exultans, viam carpit, viæ ducem vlteriùs non requirens. Illius etiam piæ ſarcinæ reliquias Lucillus epiſcopus (narrat Auguſtinus) vbi attigit, fiſtula, cuius moleſtia iam diu laborauerat, repentè ſanata eſt: nam deinceps eam in ſuo corpore non inuènit. Sed quid ego minutiſsima colligo? longæ orationis proceſſu, quamuis dulcore plenæ, perſequitur ibidem Auguſtinus, conſecutos homines fuiſſe gratiſsima etiam in hac vita dona ſanctorum martyrum interceſsionibus, dum eos fideles inuocabant, ſe ſuáque omnia illis committebant. vbi quò iſtorum noſtri temporis hæreticorum inſaniam iam ante mille ducentos

A ſanctis aliquãdo bona tẽporalia licet poſtulare.

Ambr. ſermo. 90. in ordine ſerm. eius tom. 3. fol. 402.

Auguſt. de ciuit. Dei, li. 22. c. 6.

Ibidem.

annos retunderet Auguſtinus,aſſerentium, ſanctos non inuocandos eſſe,quòd mortui ſint,quòd opem ferre non poſsint,ob idque neque reliquias venerari,neque ad eorum memorias peregrinari,aut ſepulcra inuiſere licere, immo his omnibus Deo & Chriſto eius, non paruam irrogari iniuriam,vt, inquam, iſtorum mendacia conuinceret,impoſturas & falſitates capite ſequenti eiuſdem operis ac libri vniuerſa hæc miracula, quæ per mortuos martyres in Chriſti nomine fiunt,& gloriæ Dei & Chriſti fidei,qua in ipſum martyres crediderunt,teſtimonium ferre,elegantiſsimè affirmat. audiamus ergo ipſius Auguſtini perilluſtre teſtimonium. Siue enim Deus, inquit,ipſe per ſe ipſum miro modo,quo res temporales operatur æternus,ſiue per ſuos miniſtros ita faciat, & eadem ipſa, quæ per miniſtros facit, ſiue quædam faciat etiam per ipſorum martyrum ſpiritus, ſiue per homines adhuc in corpore conſtitutos,ſiue omnia iſta per angelos,quibus inuiſibiliter, immutabiliter & incomparabiliter imperat, operetur, ſiue quæ per martyres fieri dicuntur,eis orantibus tantùm,& impetrantibus fiant, ſiue alia fiant iſtis, alia fiant illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus poſſunt: ei profectò atteſtatur hæc fides, in qua carnis reſurrectio, in æternum prædicatur. Hactenus Auguſtinus. ſequenti etiam capite elegantiſsimè oſtendit, quanto digniùs honorentur martyres, qui ideo multa à Deo obtinent, his, qui eos mundo affectu inuocant, vt Deus verus colatur, quàm dæmones,qui ob hoc quædam faciunt,vt ipſi dij eſſe credantur. antiquum etiam fuiſſe morem Auguſtinus ſcribit (vt referre me iam memini) recitari in templis martyrum, quid quiſque ab eis beneficij accepiſſet. refert, vt dixi, Theodoritus,qui claruit anno 390. iam ab antiquis temporibus receptum, vt votorum rei dona perſoluerent, atque alij oculorum,alij pedum,alij manuum ſimulacra ſuſpenderent ex auro,argentóue confecta. tu verò, Caluine,queritaris, ſi noſtræ ſalutis patronos inuocemus ſanctos, miraris, ſi ad imagines ſanctorum procidamus, atque eorum aduoluamur pedibus, quos ſcimus regi ſuo, & domino noſtro gratiſsimos fuiſſe. *Coram ſanctis*, inquis, *obmurmurant, Pater noſter*: quid ha-

Auguſt. de ciui. Dei, lib. 22. c. 9.

Quot ac quibus modis Deus ad preces ſanctorũ in nobis operetur.

Mos peruetuſtus eccleſiæ circa venerationem ac inuocationem ſanctorum, & ipſorum reliquias.

Theod. li. 8. de curat. græc. affect.

bet ſinceritas iſta, ab antiquis noſtris patribus contracta, erroris? quid habet furoris? quid habet vitij? domini oratio ad Deum dirigitur, qui vnus pater eſt, cuius ſolius nomen diuino cultu ſanctificamus, cuius ſolius voluntati diuina ſeruitute tenemur aſtricti. omnes vnum regnum expetimus, omnes vnum panem præberi nobis, humiliter ei ſupplicamus. cùm hoc ita ſit, cùm plebs eius rei ſatis ſit admonita, quod piaculum magne cenſor, ſi eam ipſam orationem, aut angelicam ſalutationem in eius ego honorem toties repetam, quem ſcio, ea ipſa deprecatione, aut ad virginem ſanctiſsimam affectu, aſſecutum quidquid habet? deinde quid impedit, vt ſi mihi diffidam, vtpote quem innumera ſcelera onerant, ſi eam orationem, quæ mihi à Chriſto tradita eſt, per me relatam beatiſsimæ illi menti offerendam tradam? non quòd paternæ miſericordiæ diffidam, (abſit abſit) ſed quòd nimio horrore coram diuina maieſtate ſtare pertimeſcam. Cogita tu Caluine iratum tibi pro tuis ſceleribus Chriſtianiſsimum regem: ſanè, ſi ſaperes, eſto ille miſericors eſſet, eſto formulam, qua placandus eſſet, ſcripto tradidiſſet, niſi omnino impudens eſſes, fideles patronos acceerſendos curaſſes, eos præſertim, de quorum gratia meritò dubitare non poſſes, per illóſque ſuæ pietatis admonuiſſes. neque crudelitatis notam aliquam humaniſsimo principi inuſsiſſe te, quiſquam ſana mente diceret, ſed contrà magis regiam celſitudinem, ſimul cum incomparabili ipſius benignitate, ſuſpexiſſe, ac coluiſſe te, omnes ſummo iure dicerent. Liceat ſic & nobis philoſophari Caluine, vt vel hac duplici conſideratione ab omni ſuperſtitione, & errore pius fidelium animus vendicetur. quòd ſi aliquando is vſus apud ſimpliciores craſſior ac rudior fuit, piè eos docuiſſe magis debuiſſes, quàm turpiter ab omni religione cogitationem tuam ad iſtam impietatem tuendam traducere. Sed non deerunt in eccleſia integerrimi paſtores, qui ſimplicioribus verum ac legitimum ſanctorum & imaginũ cultum tradant, eóſque in eam rem legitimè inſtruant. ſicubi patrum noſtrorum in re hac rudiores aliqui terminos tranſgreſsi ſunt, non deſunt, neque deerunt, qui corrigãt,

Similitudo hominis offenſi, quem interceſſores placant.

qui, omni procul ſuperſtitione amota, eccleſiam purgent, vt ſicut animus purus eſt, ſic munda, caſta, inuiolata, inuiolata, integra, liquidáque omnia ſint O Caluine, quid apponit eccleſia hîc, quod non purum ſit, ſi idipſum animo non impio inde haurire velis? agnoſce agnoſce, candida eſſe hîc omnia, modò tuus animus integer ac candidus ſit. verùm hoc ſit ſatis pro ſecunda tua calumnia refellenda: venio ad vltimam.

ROGAS, quo colore defendere poſsimus, rogari Eligium, vel Medardum, vt ſeruos ſuos reſpiciant, & iuuent è cælo, ſanctam virginem, vt filium facere iubeat, quod petunt: idipſum profectò ego quæram ab antiquis patribus: & quod illi mihi reſpõderint pro ſe, hoc ego tibi reſpondebo pro me. at non hoc æquum eſt? ſi hîc ab infinitis, eíſque non contemnendis, peccatum eſt, quid in nos ſæue iudex tam dirè animaduertis, cùm aliis veniam des? ô ſanctiſsime Cypriane, martyrio ac doctrina ornatiſsime, ô inclite Athanaſi, ô magne Baſili, ô laudatiſſime Gregori theologe, ô Mediolanenſis Ambroſi, ô Chriſtianiſsime Hieronyme, ò eccleſiæ lumẽ Auguſtine, ô Chryſoſtome verè aureũ os habens, ô ſanctiſsime monache Ioannes Damaſcene, ô dulciſsime Bernarde, ô ſummæ ſanctitatis exemplar Gregori papa & pater clementiſsime, ô Ignati apoſtolice ſenex, ô eruditiſsime Dionyſi, ô venerande presbyter Origenes, ceteríque vos omnes, qui ſanctorum vitas, curſus, martyria, vigilias, orationes tam eleganti ſtylo perſecuti eſtis, vos appello, vos conuenio: quid, rogo, cauſſæ fuiſſe potuit, quòd omnibus ætatibus mortuos honoraſtis? iam defunctos mortali vita inuocaſtis? orationibus vobis conciliaſtis? quem non fefelliſſent voces illæ veſtræ, O diuinum caput, nos ex alto reſpice, ô ſanctiſsima Maria, θεοτόκον, eſto nobis propipitia, ô ſanctiſsimi martyres, nos in in certamine ſuſcipite, fouete in pace, & cum nobis ipſis ſtatuite, iube ſanctiſsima mater, ad tuum filium nos venire, ô Paule, eſto noſtri memor, ô amicum & ſacrum caput, iuua nos, foue nos, reſpice nos? quid nos tam craſſum impietatis monſtrum, quo & vos ſimul, atque nos angelis & hominibus redderetis execrabiles, docuiſtis? tu etiam Beda venerabilis, Ruffine presbyter, clariſsime Euſebi, Maxime

Omnibus ſeculis ſancti iam Chriſto fruentes in viuentiũ auxiliũ accerſebãtur precibus ac orationibus.

epiſcope Taurinenſis, Caſsiodore illuſtris ſenator, Theodorite Cyrenſis epiſcope, Victor Vitenſis antiſtes, Iuſtiniane, Pauline Nolane, Poſsidoni Calamenſi, Egeſippe, Petre Damiane, vos, inquam, appello, quo colore defendetis toties à vobis rogatos fuiſſe ſanctos? quo nomine ipſorum geſta referebatis, petentes ab eis, vt pro præſtito ac collato in eos à vobis obſequio, & pro labore impenſo vos ſeruos ſuos, nóſque filios veſtros ex alto reſpicerent, & è cælo iuuarent? adeſt vnus Caluinus tantę impietatis exigens pœnas, tam fœdi criminis ſupplicia, & cum ſanguine poſcens. quem non mouiſſent, ô beatiſsime Ephrem, cultor eremi nobiliſsime, tantopere à Hieronymo commendate ſenex, quem non mouiſſent ad ſanctiſsimam virginem inuocandam verba illa abs te, ad eandem emiſſa, ante 1300. annos? O CELEBERRIMA VIRGO, (ſic enim eã nominas benedicte homo) tu, peccantiũ & auxilio deſtitutorũ adiutrix, tu, procella vexatorum portus, tu, carcere clauſorum liberatrix celeberrima: tu, ægrotantium exultatio, & omnium ſalus, tu, mundi lætitia. ecquid non? ô domina, princeps præſtãtiſsima, regina, & perquàm benedicta, puella veneranda, dominorum domina, puriſsima, ſub alis tuis cuſtodi me, & protege, miſerere mei, qui ſum luto inquinatus, qui ſceleribus quamplurimis creatorem meum, filium tuum, ac iudicem viuorum ac mortuorum offendi. non mihi alia fiducia, ô virgo ſincera, ex vlnis equidem maternis tibi domina mea deditus ſum, miſerabilis, & cliens tuus vocatus ſum, ne maleuolus Satanas, me ad inferni portas abducat. tu enim meus portus ô virgo inuiolata, & præſens auxiliatrix, denique ſub tutela, & protectione tua totus ſum: crebris te lacrymis, ô celeberrima mater, imploro, tibi, tuiſque pedibus aduoluor, domina mea, ſuppliciter clamans, ne dulcis filius tuus, & vitæ omnium dator ob multa, quæ patraui ſcelera, tollat me de medio, & miſeram animam, ceu leo, diripiat, vel, velut ſterilem ficum, infeliciſsimè excidat: ſed obſecro, pro me Chriſtum adeas, vt ſubeam ego aulas illas beatorum: vbi non ſunt lacrymæ, non vexatio, non moleſtia, non mors, non tormenta, non locorum anguſtiæ, ſed lætitia, & exhauſta voluptas iuſtorum, delitiæ, exultatio, gloria,

Ephrem. de laudib. bea. Mariæ vir.

ac ſplendor. imple os meum gratia dulcedinis tuæ ô Maria, illumina mentem ô gratia plena, moue linguam, vt te laudem. tandem ſic omnia terminas, PRECIBVS DEI GENITRICIS, SEMPER VIRGINIS, & exercitus cæleſtium, & cœtus angelorum, cherubim, ſeraphim, prophetarum, martyrum, hierarcharum, ſanctorum ſtudioſorum interceſsionibus, & omnium beatorum ſupplicationibus miſerere tuæ creaturæ mi Deus clementiſsime. ſcripſiſti etiam pari elegantia de laudibus martyrum orationem, in qua neque verbum vnum præteriſſe paſſus es, quo non te ipſis martyribus commendatiſsimum redderes. Pater ſancte, quid nos ſic fefelliſti? diacone fortunatiſsime, quale euangelium nobis filiis tuis decantaſti? ad te venio optime: (cuius integram fidem, ſanctam vitam, eruditionem diuinam dum ſanctus Hieronymus laudat, vix ſibi ſatis totus eſſe videtur) quid, cedo, in cauſſa fuit, quòd hunc antiquum errorem non cohibuiſti ac coercuiſti, ſed tuis ſcriptis fauiſti, dum multorum martyrum pariter, ac pontificum, poſteritati calamo tradens hiſtorias, eorum imagines adorandas, ſepulchra viſenda, memorias recolendas, ac denique pro nobis miſeris ipſos orandos eſſe, facile vnumquenque doces, qui tua legerit? De Epiphanio, nobiliſsimo antiquitatis teſte, eſt, quòd queramur, ac de Gregorio Nicæno epiſcopo, atque de Paladio Helenopolitano præſule, qui omnes ſanctorum laudibus, ſanctorum hymnis, ſanctorum honoribus, ſanctorum demum inuocationibus pleni ſunt. legant qui volent, de me affirmare poſsim, neque vnum omiſiſſe, quem non & legerim, & ſimul cum eo honorem ſanctis martyribus non detulerim, méque cuſtodiendum tota mente cum ipſis auctoribus non commiſerim, Iam ego ex eis didici Caluine, quid huic tuo cauillo reſponderem. rogas, quo colore inuocetur ſancta Maria Dei mater, reſpondebo cum Bernardo, quia mater eſt: rogas, quo colore inuocentur martyres, reſpondebo cum Auguſtino, quia pro Chriſti honore animas ſuas dederunt: rogas, quo colore inuocentur mortui, reſpōdebo cū magno Baſil. quia viuūt cū Chriſto: rogas, quo colore ad ſtatuā & picturā martyrū ſanctorū proſtratus iaceā, reſpondebo cū Cypr. quia pretioſa ſunt pignora, quæ terra noſtra futuræ regenerationis retinet: ro-

Verba Ephren beatiſsimi, quē tantopere laudat Hieronymus.

Idem de laudibus martyrum.

Quo colore inuocetur à nobis ſancti Ber. de lau. virginis.

Auguſt. in vita Stepha & Laurētij Baſil. in vita Hilarij. Cypri. in vita 40. martyrū. Petrus Damian. in ſerm. ſanctorū omnium.

gas, quo colore dominicam orationē ſancto recitemus, respondebo cum petro Damiano, quia ipſi offerunt eam pro nobis, & cum ſanctiſsimo Ephren, quia per ipſos poſt Dei filium acceſſum habemus ad iudicem, quem timemus: rogas, quo colore ſanctorum ſepulcra, & cum lacrymis viſitemus, reſpondeo cum ſancto Hieronymo, quia nos iuuare poſſunt, & noſtris præcibus ſuas adiungunt, atque optimè obſequium beneficio rependere ſolent. nulla in re magis conueniunt ſancti doctores, quotquot ſcripſerunt à Chriſto paſſo Caluine, omni ſæculo, omni ætate, ac tempore, quàm in ea re, cuius tu quæſiuiſti rationem. quòd ſi fortè ipſe dicas, me nondum attuliſſe, quod ſacrilegum iſtum tumorem compeſcere poſſit: ego verò ne id poſſe effici quidem fateor, quin ſemper fremat impietas, atque obmurmuret: mihi tamen dixiſſe videor, quod ad obloquendi, non rationem tantùm, ſed prætextum quoque adimendum ſufficeret. at verò ſi pergas dicere, nondum tuum ſcrupulum ſolutum eſſe, eodémque cardine adhuc verſari nos: non aliud reſpondebo, quàm illud ſapientis, Peruerſi difficilè docentur, & corriguntur. Sed quia ad maiora feſtino, libens multa prætermitto, atque in vlteriores Caluini obiectiones diſſoluendas toto animo incumbam.

Ephren de lau. b. virg.
Hierony. de laud. Paulæ
Eccleſiaſt. 1.

Reſpondetur Caluino obiicienti nobis concilium Carthaginienſe tertium, atque multa ex conciliis Carthaginienſibus pro orthodoxa fide producuntur. CAP. XIX.

CVm ea doctrina, quæ de inuocatione, precibus ſanctorum eſt, in ore fuerit ſemper omni populo Chriſtiano: non tamen ceſſat Caluinus, pro ſe antiquitatem obtendere: atque concilij Carthaginienſis teſtimonio nobiſcum congredi vult. *Olim vetitum fuit in concilio Carthaginienſi, ne ad altare directa fieret precatio ad ſanctos: ac probabile eſt, cùm ſancti viri impetum prauæ conſuetudinis non poſſent in totum compeſcere, hanc ſaltem moderationem adhibuiſſe, ne hac forma vitiarentur publicæ orationes, Sancte Petre pro nobis. quantò autem longiùs euaſit diabolica eorum inportunitas, qui ad mortuos transferri non dubitant, quod Dei & Chriſti erat?* concilium Carthaginienſe allegas quotum autem in ordine ipſum legatur, præteris. mos eſt iſte tuus, quò vel indoctos dolo malo teneas, vel peritiores multa lectione

óneres, vt laborem faſtidientes facilè tibi credant. ſed nō hîc ſecuti in aliis diuinis permiſsionibus, ratio optima cæleſti conſilio defuit. ecce enim eos, qui veræ fidei zelo nihil omittunt, vniuerſa cogis maiore cura legere, atque imprudens ſatis ad eam lectionem mittis, vnde ſanctorũ patrum ſententiis aduerſum hæreticam prauitatem armati atque muniti paratiores redeant. eſt vnum Carthaginienſe ſub Cypriano, quod etſi per Cornelium & Stephanum, ſummos orbis pontifices, correctum ſciam: nimiùm tamen hæreticos deſtari ibi iubemur, à quibus neque baptiſmum quidem accipiendum cenſebat martyr Cyprianus. hoc etiam certum eſt, nihil ibi actum contra venerationem, & inuocationem ſanctorum, præſertim cùm ibi Cyprianus præfuerit, qui eximius fuit ſanctorum cultor. Venio ad primum celebratum tempore Silueſtri primi. hujus ſecundus canon de martyrum ſepulcris, & honorificẽtia ita decernit, Martyrum dignitatem nemo profanus infamet: at ſi quis ad iniuriam martyrum, caritati eorum adiungat infamiam, placet eos, ſi laici ſunt, ad pænitentiam redigi, ſi autem ſunt clerici, poſt communionem, & poſt cognitionem honore priuari. Vidéſne te omni honore priuatum Caluine, vel eos patribus auctoribus, quorum teſtimonium in nos reiicere volebas? præter hunc canonem nihil ampliùs lego. tranſeo ad ſecundum Carthaginenſe, habitum anno 428. citra tempora Siricij papæ, cuius certè concilij ſecundo canone, cælibatus epiſcoporũ & ſacerdotum, iuxta quod apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, cuſtodiri præceptus eſt. Ecce, quid fecerit Caluinus, dum ſine certo numero, & citatione Carthaginienſe conciliũ producit. ibi de chriſmate agitur, quod vos irridetis, ibi de ſacrificio altaris, de celebratione miſſarum, de excommunicatione, & anathemate non pauca legimus: quæ omnia importunis ſannis iſta progenies viperarum, ac dira genimina contemnunt. quòd verò non dicatur publicè, Ora pro nobis ſancte Petre, nihil tale lego. accedo ad tertium: fortè hîc reperiam, quod obiecit Caluinus. vbi profectò quidem canon ſecundus magnopere annotandus eſt contra noſtri temporis hæreticos, qui volunt, in concilium vocandos eſſe, & admittendos laicos homines,

Cõc. Carth. ſub Cypria. *Cõc. Cart. 1.* *Cán. 2. cõc. Carth. 1.* *Cõc. Cart. 2* *Can. 2.* *Can. 3.* *Can. 1. 8. 9.* *Cõc. Cart. 3.*

mines. canon porrò ſic habet, Placuit, vt propter cauſ- *Can. 2.*
ſas eccleſiaſticas & fidei, quæ ad perniciem plebis ſæpe
veteraſcunt, ſingulis quibúſque annis concilium conuo-
cetur: ad quod omnes prouinciæ, quæ primas ſedes ha-
bent, de conciliis ſuis binos, aut quantos elegerint, epiſco
pos mittãt: vt & minùs inuidioſi, minúſque hoſpitalibus
ſumptuoſi exiſtant: atque, congregato conuentu, ple-
na poſsit eſſe auctoritas: de Trypoli autem, propter *Can. 19.*
inopiam epiſcoporum, vnus epiſcopus veniat: de laicis,
οὐδεὶς λόγος. etiam in eodem concilio pro cælibatu ſta-
tuitur, vt lectores, cùm ad annos pubertatis venerint, co-
gantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri. Vi-
de, quanta nos legere coegeris, tibi tam contraria, &
cum tuo iſto inſtituto ex diametro pugnantia, antè,
quàm perueniendum nobis eſſet ad canonem 23. vbi *Can. 23.*
agitur de precibus & orationibus. quem canonem, eum
ipſum eſſe, quem tu nobis obiicis, cogor aſſentire: quòd
de ſanctis martyribus, & de eorum precibus toto iſto
concilio mentio non fiat, niſi canone 23 & canone 47. at
non tam ſtolidus & inſanus eris, vt poſteriorem horum
canonem contra martyres militare oblatres, quem vides, *Can. 47. de*
eorum honori tam apertè fauere. Placuit, inquit canon, *libris cano.*
ſynodo, vt præter ſcripturas canonicas nihil in eccleſia
legatur ſub nomine diuinarum ſcripturarum. ſunt autẽ
canonicæ ſcripturæ, Geneſis, Exodus, Leuiticus, (audi pa-
tienter Caluine: multa enim hìc referentur, quæ auribus
iſtis ingrata ſatis erunt. ſed tibi, non nobis, ſucceuſeas,
oportet, qui nos ad patres iſtos amandaſti, eóſque, ſan-
ctos viros, & veraces nominaſti) Numeri, Deuterono-
mium, Ieſus Naue, Iudicum, Ruth, Regum libri quat-
tuor, Paralipomenon libri duo, Iob vnus, Pſalteriũ Daui-
dicũ, Salomonis libri quinque, libri duodecim prophe-
tarum, Eſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith,
Eſter, Eſdræ libri duo, Machabæorum libri duo. ô ſan-
ctum Deum, quis iſtos patres ferat Caluine? ecce, inter
eccleſiaſticos libros duo annumerantur Machabæorum
valeant patres iſti: quorſum eos in iudicio teſtes, & ro-
gatos quidem induxiſti? vniuerſam, vt video, cauſſam
tuam ipſi deſtruent. ſed reuertamur ad reliqua. noui au-
tem teſtamenti, viginti ſeptem, (neque hoc multùm

Caluino meo fauet: ſed quid faciendum? ipſe vulnera patietur, ſuis facta telis) euangeliorum libri quattuor, actuum apoſtolorum liber vnus, Pauli epiſtolæ tredecim, eiuſdem ad Hebræos vna, (neque hoc adhuc certum eſt Caluino, ſed meo iure facio, ſi teſtes ab eo productos examinari ſatis, atque ſatis volo) Petri apoſtoli duæ, Ioānis apoſtoli tres, Iudæ apoſtoli vna, Iacobi vna, (bene ſit iis patribus, quamuis malè Caluino, qui tam imprudenter eum, qui ſe interficeret, hoſtem, teſtem inuexit) Apocalypſis Ioannis, liber vnus: qui omnes ſunt viginti ſeptem. ſequitur in canone, Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, pro confirmando iſto canone, innoteſcat, qui à patribus iſta accepimus in eccleſia legenda. nónne intelligis iſtos patres ſub Papiſmo viguiſſe Caluine? cur igitur eos contra ſanctos in iudicium vocaſti? liceat etiam (ſtatuit concilium) legi paſsiones martyrum, cùm anniuerſarij dies eorum celebrantur. O homo, quid oblatras? quid obgannis? vidéſne, dies dicari ſanctis martyribus? ſed reuertamur ad canonem 23. qui ſic habet, Nemo in precibus vel patrem pro filio, vel filium pro patre nominet: & cùm ad altaria ſiſtitur, ſemper ad patrem dirigatur oratio: & quaſcunque preces ſibi aliquis deſcribit, non eis vtatur, niſi priùs eas cum inſtructioribus fratribus contulerit. Hæc canon. qui ſanè apertè tuam impietatem damnat Caluine: tantum abeſt, vt vel latum pilum ab antiqua conſuetudine declinet. nam pari ratione, ſi bona tua conſecutio eſſet, liceret nobis inferre, filium non eſſe orandum. quæ quàm ſit importuna blaſphemia, ſatis vides. approbat igitur canon publicas preces, quæ ad patrem, filium, & ſpiritum ſanctū, immo quæ ad martyres fiunt, poſtquam modum ſancta ſynodus ibi præſcribit, ad quē eiuſmodi preces & ſupplicationes nobis adhibendæ ſunt. quod etiam in altera canonis parte ſimpliciorum preces per peritiores diſcuti, atque examinari præcipitur, manifeſta eſt approbatio inuocationis ſanctorum, modò debita lege, & antiquo more martyres inuocentur. qui enim modum, quo Deus honorandus ſit, explicat, non diuinum cultum prohibet, ſed magis ſtabilit.

Anniuerſarij dies martyrum iubētur fideles celebrare.

Cano. 23.

Verus ac legitimus ſenſus cano. 23. cōc. Cart. 3.

Sanctos, qui mortui ſunt, caritatis præcepto orare pro nobis aſtringi, ipſos mortuos Deo non eſſe, nec vocandos eſſe vmbras, ac quo pacto preces noſtras intelligant, explicatur.

CAP. XX.

VLtimo iam tu Caluine inſtas contra ſanctorum inuocationem, & preces, *Qui vel angelus, vel dæmon vlli hominum de eiuſmodi, quam fingunt, interceßione, ipſorum ſyllabam vnquam renuntiauit? in ſcriptura enim nihil tale extat. Quæ ergo eius comminiſcendæ fuit ratio? nam, quod efficere ſtudent, vt ſcripturæ auctoritate videatur ſubniti eiuſmodi interceßio, fruſtra in eo laborant*: ecce rationem fortẽ, & multarum hæreſum parentẽ. non legitur in ſcriptura, nõ legitur in ſcriptura, ergo commentum eſt, ac figmentum humanum. ſed, ne clamites deſtitui etiam nos teſtimoniis diuinis, audi patienter. primò, loca omnia, quibus præcepto mandatur fidelibus, vt pro ſe orent cum exauditionis diuinę promiſſione, ego omnia congeſta haberi hîc volo: iam infero, quantò maiorem illi erga Deum caritatem retinet, tantò propenſiore amore in nos feruntur: inſuper, quò Deo coniunctiores ſunt & gratiores, magis ſecuros eſſe eos de exauditione conuenit. ſpiritus igitur ille diuinus, qui miſerabilium perſonarum, & fidelis cœtus preces apoſtolicis etiam viris multùm prodeſſe explicuit: idem ipſe, pro nobis ſanctos orantes meliùs à Deo exaudiri, diuina ſcriptura teſtatum reliquit. ſic argumentatus eſt diuus Auguſtinus, inquiens, Si exauditus eſt ſanctus Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum, quod cõmiſerat Saulus, commendemus ergo nos orationibus eius: multò enim magis tunc exauditur pro oratoribus ſuis à regnante domino noſtro IESV Chriſto. ſic etiam argumentatus eſt glorioſus Hieronymus, qui libris duos iſtum Vigilantij errorem, quo & nunc Caluinus Chriſti eccleſiam recens vexat, & premit, optimè confutauit. Si apoſtoli & martyres, ait, adhuc in corpore conſtituti poſſunt, & debent orare pro ceteris, cum promiſſione exauditum iri à Deo, quando pro ſe debent adhuc eſſe ſoliti, quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Si piè dicebatur à Paulo, inquit, in terris degenti, Ora pro me dominũ, cur impius habeatur, qui

Cal. ſect. 21 & 22.

Cal. 31.

Prima probatio ex ſcr.

Aug. 1. S. Stephani et in lib. de ciuitate Dei vbi ſuprà.

Hier. aduerſus Vigilã.

Max. epiſ. Tau. in ſer. 1. natalis Petri & Pau.

totidem uerbis eum nunc appellet, in cælis degentem? ſic argumẽtatus eſt Maximus epiſcopus Taurinẽſis, qui claruit anno 420. Tenentes, inquit, itaque fratres tantæ huius promiſsionis fidem, de ſuppliciis patrum noſtrorum, pro Chriſti confeſsione ſuſceptis, fidelibus gaudiis exultemus: quoniam, qui de martyrum morte lætatur, martyres nõ dubitat cum Chriſto regnare poſt mortem. nos verò eccleſiarum omnium reuerendiſsimos patres, Petrum dico, & Paulum, piiſsimis ſtudiis honoremus, quibus Chriſti præſtantæ gratia, & vera nos docente fide, factus eſt hodie de morte natalis, quibus finis vitæ, viuendi initium dedit, quibus (vt idem Paulus dicebat) videre Chriſtus erat, & mori lucrum. erat vtique Chriſtus eis viuere, quibus vita non erat ſine Chriſto, erat eis Chriſtus viuere, quia totum proficiebat Chriſti eccleſiis, quod viuebant, erat eis mori lucrum, qui tali morte vitam ſibi mercabantur æternam, erat eis mori lucrum, quorum corruptioni incorruptio ſuccedebat, & damna præſentium temporum, lucra perpetua ſequebantur. quòd ſi viuẽtes, claues ambo Petrus & Paulus à domino acceperunt, ſcientiæ hic, ille potentiæ: ergo è cælis diuitias immortales ille diſpenſat, ſcientiæ verò theſauros copioſius nunc iſte largitur. ſunt enim ſcientiæ theſauri, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, abſconditi. ſed quid ago? quò pergo? non eſt ſanctus, Græcus, neque Latinus, non antiquus, non medio tempore, non nouiſsimè natus, qui verè ſanctus ſit, qui non conſideret ſanctos, qui mortui ſunt, abſque macula iam & ruga, omni de ſe cura ac ſolicitudine vacuos, ea iam ad quam nos ſic anhelamus, cæleſti patria potiri. quare, cùm fratres noſtri fuerint, cùm eiuſdem, cuius & nos membra ſint, cùm nos non diligere non poſsint, cùm fides ac ſpes deſituræ ſint in patria, caritas autem perficietur, nedum non intermittetur: profectò nulla ratione vacare poterunt, quin plurima cura pro nobis vrgeantur. preces autem eorum tantò plus ponderis obtinere apud Deum dubium non eſt, quantò certiùs ſcimus eos apud illum gratia plurimùm valere. quod de iis vix certò ſciri poteſt, qui nondum ſunt de corpore mortis huius liberati. Sicut igitur qui in terris pergunt homines, viciſsim alij aliorum pre-

Phil. 1.

Idem ſer. 5. natalis apoſtolorum.

cibus ſe commendare poſſunt, (hoc enim alendæ in ipſis caritati officium ſeruit, dum ſuas inter ſe neceſsitates veluti partiuntur, & mutuò ſuſcipiunt: atque id quidem faciunt ex domini præcepto, neque promiſsione deſtituuntur) ita ſanè neceſſaria conſecutione ſequitur in ſanctis: vbi maior viget caritas, qua nos vnicè amant, cupiẽtes illuc omnes transferri, maiore vinculo ad intercedendum pro nobis aſtringi. deinde, quò gratia apud Deum maiore pollent, vidéntque cariores Deo ſe eſſe, eò maiori certitudine, quam de promiſsione diuina habent, lætantur. igitur perfectior illa caritas, qua Deo & nobis proximis ſuis tenentur, eos conſtringit, vt pro nobis intercedant apud æternum Deum, gratia verò, qua apud Deum pollent, ſe exauditum iri ſecuros reddit. nónne meritò rem ſtultam tu iudicares, ſi quis aſſerere auderet, quòd præceptum hoc de paſcendo proximo, ac ſuſtentando, & de inuicem ſubueniendo non obliget eum, qui iam diues effectus eſt, vt qui mutuas vices à proximo accipere non poſsit? vtcunque igitur pauper inedia tabeſcat, & abſumatur, diues hic erit liber à præcepto ſola ea ratione, quòd ſcilicet extra eiuſdem periculi aleam ſit poſitus. ſi verò vlteriùs addas, hoc ipſo præcepto de ſubueniendo proximo nos quidem teneri, ſed quàmdiu incerti ſumus, ope noſtra, ac ſubſidio nos ei patrocinari debere, longéque ſecius ſe rem habituram, ſi diues hic certò ſciat, ſe id facilè præſtare poſſe: ô pulchram theologiam. dicis ergo, illo præcepto intercedendi eos tantùm teneri, qui adhuc in agone certant, non qui repoſita corona fruuntur: dicis, illo præcepto obligari tantùm, qui, ſicut & nos, egentes ſunt, non qui diuites viuunt, promiſsionem eos habere exauditum iri à Deo, quibus incertũ eſt, an Deus gratus ſit eis: eam autem conuenire negas, quib⁹ gratus nõ eſſe nõ poteſt: poſtremò interceſſione mortalis hominis & qui à Deo deficere poſsit, aſſeris, vnigeniti filij Dei Chriſti domini morti, cruci, & orationibus, ne minimum quidem derogari, ac ſancti immortalis, qui à Deo nunquam auocandus ſit, huius, inquam, precibus velle nos iuuari, omnem protinus diuinum honorem ad creaturas traduxiſſe criminaberis? Ecce igitur, Caluine, præceptum hoc de orando Deo pro-

Caritas in ſanctis, loco præcepti eis eſt, gratia verò promiſsionis.

ximis noſtris, à caritate natum eſt: vbi caritas maiores radices immiſerit, magis ibi præcepti vis, & obligatio vigeat, neceſſe eſt. præceptum etiam hoc in promiſsione terminatur. quò itaque gratia maior eſt, quæ ipſam promiſsionem firmat, eò regnum ipſi præcepto firmius ſtabilietur. noli Caluine tãto pietatis voto ſanctos exuere, qui nihil toto vitæ decurſu magis, quàm pietatem, & miſericordiam ſpirarunt: noli diffidere, ſanctorum caritas in cõmunione corporis Chriſti continetur: noli vereri. quamuis enim pro nobis eos intercedere dicamus: nõ tamen ideo à ſua quiete diſcedunt, vt opus ſit diſtrahi ipſorum animos in terrenas curas. quare inuocabimus bene eos, ſed nunquam ab eo, cui in æternitate hærent, auocabimus, oratione mutua, qua pro ſe, in terris degentes homines, viciſsim orant, caritas & acuitur, & augetur: at, quæ ſanctorum eſt pro nobis deprecatio, à caritate perfecta & conſummata proficiſcitur. illa caritatem auget, hæc verò, non niſi ab aucta, atque perfecta profluit. igitur illa duo, quæ primas tenere in oratione ſemqer Caluinus docet, ſcilicet, quòd ex præcepto fiat, & quòd promiſſione non deſtituatur, eadem etiam duo primas maximè obtinere in oratione ſanctorum, palàm & euidenter oſtendimus. quo loco ferre non poſſum, ſed ſatis acerbè & moleſtè patior Caluinianam impietatem, importunámque in Deum cæli blaſphemiã, & in ſanctos inexcogitabilem impudentiam. ait enim, *Omnes eiuſmodi rationes à mortuis abſunt, quos à noſtro cõtubernio, dum ſubduxit dominus, nullum nobis cum illis reliquit commercium, ac ne illis quidem nobiſcum, quantum aſſequi licet coniecturis. quod ſi quis cauſſetur, fieri non poſſe, quin eandem erga nos caritatem retineant, vt ſunt vna nobiſcum coniuncti: quis tamen eouſque longas illis eſſe aures reuelauit, quæ ad voces noſtras porrigantur? oculos etiam tam perſpicaces, qui neceſsitatibus noſtris aduigilent?* vidéſne quanta fuerit vis argumenti, poſtquã te coegit, eos mortuos appellare, qui meliorẽ vitã viuunt, quã nos, quorũ vita magis mors dicenda eſt, q̃ vita. nos quotidie morimur, neq; eſt hora vlla, qua non fiat aliqua vitæ noſtræ diminutio. ſcilicet mortui ſunt, à quibus dæmones pellũtur? morbi fugãtur? qui mortui ſunt, vitæ reſtituũtur? ſcilicet mortuorum Deus eſt, & nõ magis viuentiũ?

Si intercesſionibus viuorum nihil abrogatur Christi precibus, neque etiam orationibus ſanctorum.

Sãcti à beatitudine nõ poſſunt obſtrahi.

Cal. ſect. 24

Obdormiuit,inquit ſcriptura de ſancto Stephano,in pace. ſuper quib⁹ verbis Auguſtinus ſic ait,O ſomnũ pacis, quid iſto ſũmo trãquillius?quid iſto ſomno quietius?qualis ibat ad amicos,qui ſic diligebat inimicos?poſt hæc autem verba , ait de ſanctiſsima virgine & martyre Potamiena Euſebius Cæſarienſis, Conſtanter ſuſcepit ſtatuta ſupplicia picis calidæ paulatim per artus ac membra diffuſæ:& hoc modo beatiſsima virgo nõ tam mortua fuit, quàm è terris migrauit ad cælum. SANCTORVM mors,dicebat Magnus Baſilius,olim planctu & lacrymis cohoneſtabatur: vehementer Ioſeph mortuum Iacob fleuit , Moſis mortem Iudæi haud parum planxerunt , Samuelem quoque multis lacrymis ornarunt: nunc verò, morientibus ſanctis , exultamus. triſtium nanque , poſt crucem domini, immutata eſt natura . iam non ampliùs ſanctorum obitus lamentationibus proſequimur,ſed tripudiis diuinis circum ipſorum ſepulcra veluti coreas ducimus. ſomnus autem iuſtis eſt mors , immo magis migratio ad vitam meliorem . hinc eſt , quòd ſic martyres exultant,dum trucidantur:nam deſiderium felicioris vitæ iugulationis dolorem extinguit,& emortuum reddit. pericula non reſpicit martyr, coronas reſpicit, plagas nõ horret, quaſi iam iam ad futura præmia enumerat . non videt lictores,infernè flagellantes , ſed angelos , ſupernè lætis omnibus,acclamantes audit. non ſpectat quod leue & momentaneum eſt tribulationis ſuæ,ſed ad præmiorũ æternitatem,ſed ad ſplendidum arrhabonem,ſed vt diuinis acclamationibus ipſi applaudatur ab omnibus,& innumeros vinctos è ſepulcris viuus ipſe conuertat & attrahat. Hæc Baſilius . Trahebatur capſula , inquit diuus Chryſoſtomus de Babila glorioſiſſimo martyre , & epiſcopo iam paſſo,per totam viam , reuertebatur autẽ martyr,athletæ alicuius exemplo coronam alteram in ſuam vrbem ferens,in qua priorem coronam reportarat . quãobrem ſi quis eſt fortè, qui mortuorum reſurrectionem neget , cùm videat,martyris noſtri facta poſt obitum illuſtriora eſſe,in poſterũ erubeſcat.viuit martyr, qui ſtrenui alicuius bellatoris more , trophæis trophæa coniunxit,magnis maiora,& mirabilibus mirabiliora. tum certamen illi cum imperatore ſolùm fuerat , nunc cum im-

Matt. 22. *Act. 7.* *Sancti non ſunt dicendi mortui, ſed viui.* *Euſeb. li. 6. hiſt eccl. c. 4* *Baſil. tom. 1 operũ f. 125* *Chryſoſto. hom. contra Gentiles de vita Babilæ epiſcopi & mar. tom 3. fol. 614.*

peratore pariter & dæmone: tum imperatorem à ſacro templi exitu exegit, nunc ex omnibus Daphnes locis peſtilentiſsimum humani generis hoſtem, expulit, non manum admouens, quemadmodum & priùs fecerat, ſed virtuti inuiſibili inuiſibilem & incorpoream vitam viuens, inuiſibilem virtutem debellans. illius quidem viuentis liberam orationem non tulit homicida, mortui verò neque dæmon, neq; imperator vel cineres ſuſtinere potuit.
Cal.ſect.27 Hæc Chryſoſtomus de meliori vita martyrum. O Caluine quis te, miſer, impulit, vt in tam manifeſtam ſanctorũ iniuriam preceps rueres? omitto hîc referre Ambroſiũ? Auguſtinum, Hieronymum, & alios: tantùm reſpondebo iſtius quæſtioni, qua putat nimiùm nos vrgeri, atque premi. quærit enim, vt ſancti viuant, quis tamen Deus reuelauerit nobis, tam longas eas aures, támque perſpicaces oculos habere, vt nos audire & videre poſſint, huic quæſtioni antè, quàm ego reſpondeam, dicat ipſe quî fa-
4.Reg.6. ctum eſt, vt abſens etiam, quæcũque egit Giezi cum Na-
4.Reg.5. haman Syro, Eliſeus nouerit? dicat etiam, quo pacto tam perſpicaces habuerit oculos, tam extentas aures, vt videre & audire potuerit omnia verba, quæ locutus eſt in cõclaui ſuo rex Syriæ? nec illud ignorauerit, miſſum ſcilicet eſſe ab rege Iſrael, qui caput ſuum præcideret? quis diuo
Act.5. Petro tribuit, vt tam certò ſciuerit Ananiæ & Sapphiræ fraudem? quis conceſsit Ioſepho, vt eius oſſa conſeruata, & poſt obitum vaticinarentur? quis dedit corpori magni
Eccleſ. 48. Eliſei, prophetam agere, etiam poſt mortem? nónne hoc
Eccleſi.49. parum videbitur, ſi ad reliqua diuina beneficia, quę multò maiora ſanctis ſuis Deus elargitur, oculos conuertamus? diuinæ huic illuſtrationi & inſpirationi atq; ſplendori, qui verè diuis debetur, accedit ſecundò ſingularis quædam rerum ſcientia, qua pollent, atque vis magna ſubtilitatis, qua præditæ ſunt animæ à corporibus abſtractæ, non minùs, quàm dæmones, quos non omnino latêre
Aug.lib.9. re cordis noſtri cogitationes auctor eſt Auguſtinus, & a-
de ciui. Dei pud Caſsianum Serenus. annotauit hoc etiam diuus Gre-
c.20.& 22 gorius, & ante eum Auguſtinus. Erunt, inquit ſaluator,
Caſſ, col.7. ſicut angeli Dei. Dionyſio prior via magis placet, vt co-
c.1.Greg.li. gnoſcãt per angelicas illuſtrationes, & diuinas: poſterior
4.dial.c.25 verò de celeritate percipiendi, cùm ſimiles angelis ſint

redditi, plurimùm probatur Hieronymo. quòd ſi tertiũ adiungamus, Caluiniana quæſtio profligata, atq; ad exitum omnino deducta ſatis apparebit. et quod illud eſt? facialis illa quippe Dei viſio. de qua diuus Gregorius dicit, Quid eſt, quod ibi ſanctorũ animæ neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt? Quis ibi aliquid neſciat, dixit ante Gregorium Dionyſius, vbi omnes, fontem ſcientiæ, Deũ vident? certè qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, aliquid foris erga eos geri, quod ipſi ignorent. placet & hic modus Athanaſio doctiſsimo, & antiquo patri, placet & Prudentio feſtiuiſſimo, ac ſimul graui & Chriſtiano poetæ. non eſt quiſquã ferè ſanctorum patrum, qui à Chriſto in cælum tranſlato ad hæc vſque noſtra tempora vixerunt, cuius calculo hæc Chaluiniana propoſitio, tanquam deteſtabilis, Deo ac ſanctis iniurioſa non fuerit condemnata. *Nullum nobis,* inquit, *cum ſanctis Deus nobis reliquit commercium, dum eos à noſtro contubernio ſubduxit dominus, ac ne illis quidem nobiſcum:* quid differs vniuerſam ſanctorum gloriam exhaurire? quid cunctaris? quid tergiuerſaris? nónne præſtabit, verbo vno vniuerſam rem abſoluere, quàm ſic cunctando, tuorum animos appenſos tenere? quid clãculum ſanctos mordes? quid ſecretò arrodis? procede in medium Caluine, ac de ſanctorum beatitudine iudicium ferre nõ graueris. *Nugantur quidem in ſuis vmbris neſcio quid de fulgòre diuini vultus, ipſos irradiante, in quo, ceu in ſpeculo, res hominum ex alto deſpiciant: verùm id affirmare, (qua præſertim confidentia illi audent) quid eſt, niſi per temulenta cerebri noſtri ſomnia velle in abdita Dei iudicia ſine eius verbo penetrare, ac perrumpere, ac ſcripturam conculcare? quæ toties carnis noſtræ prudentiã, ſapientiæ Dei inimicam eſſe pronuntiat, vanitatem ſenſus noſtri in vniuerſum damnat, proſtrata omni ratione ſolùm Dei voluntatem à nobis vult ſpectari. etenim vt curioſius excutere nolim, quid agant, aut quid meditentur: ita nequaquam eſt probabile, variis & particularibus votis huc illuc circumferri, ſed potiùs ſtata atque immota voluntate in Dei regnum aſpirare. quod non minùs impiorum interitu, quàm fidelium ſalute conſtat:* dici ſolet, lector Chriſtiane, Quoniam nemo ſummus repentè, neque turpiſsimus repentè: at hic vno momento, vides, hominem iſtum ad ipſos fines impietatis fuiſſe progreſſum. ô ani-

Aug. ſuper Gen. ad lit. c. 26. li. 12. Matt. 22. Dion. c. 4. de cæl. hier. Hier. cont. Vig. Greg. lib. 4. dial. c. 32. & lib. 12. moral. c. 13. Dion. li. de cæl. hierarc. ca. 11.

Cal. ſect. 24

Rom. 8.

ma infelix,& miſera,num ſancti mortui,num vmbræ,nũ
Origen.in Leu.hom.7 Dei regnum adhuc non poſsident,ſed in id aſpirant?num Dei faciem non vident; ſed fidei ænigmate adhuc detinentur?quòd,ſi in tantam inſaniam olim Vigilantius patriarcha tuus prorupit,amens ſim.inſuper ſomnia temulenta noſtri cerebri vocabis,quæ concordi ſatis,ſummóque conſenſu ſancti tradiderunt? quid? ſomniauítque
Bern.lib de diligendo Deo. Hieronymus toties? toties Auguſtinus? toties Athanaſius? ſomniauerúntne omnes, quotquot nos docuerunt, ſanctos Deo frui,non in regnum aſpirare,ſed in illius eſſe pacifica,ac quieta poſſeſsione, non mortuos, ſed cum
Cyril. li. 2. de recta fide ad reginas. Chriſto viuentes,non vmbras,ſed clariſsimas mentes,ſuper quas Dei lumen ſplendeat per ſe quotidie? ſomniauit igitur & Paulus.qui(vt optimè aduertit ſanctus Hie-
Hieron. ad Helyo.tom. 1.epiſt.fol.7 vbi multa leges præclara in hanc rem. ronymus)cùm dixiſſet, Id, quod in in præſenti momentaneum eſt,& leue tribulationis noſtræ,ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: ſtatim poſt pauca,Scimus, inquit, quoniam, ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, ædificationem ex Deo habemus,domum non manu factam,ſed æ-
2.Cor.4. ternam in cælis. quibus verbis neque obſcurè quidem indicat, quòd vt ſimul ex diuerſorio corporis huius anima migrauerit, ad æternam illam ac cæleſtem domum transferatur: vt ſit multò melior conditio animæ ſeparatæ,quàm eius,quæ corpore adhuc eſt coniuncta· ſom-
2.Co.5. nians dixit alibi, Audentes ſemper, & ſcientes, quoniam dũ ſumus in hoc corpore,peregrinamur à domino. (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore,& præſentes eſſe ad dominum. ſuper quæ
Baſil.li.de ſpiritu ſancto. Pauli verba ita magnus Baſilius, Annón extremi ſtuporis eſt,ſanctos,fateri,cum Chriſto non eſſe:quandoquidẽ Paulus peregrinans à corpore, præſens eſt ad dominum: iſtos verò non concedere ſpiritui ſancto,quantùm in ipſis eſt,vt vel eodem modo,quo homines,cum Chriſto ſit? ſcilicet per ſomnium idem Paulus dicebat, Nulla in re pudefiam, ſed cum omni libertate vt ſemper, ita & nunc
Philip.1. manifeſtabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem. nam mihi vita Chriſtus eſt, & mori lucrum.quòd ſi viuere in carne,ea res mihi fructus eſt ope-

ris,& quid eligam,ignoro. coarctor enim ex his duobus, deſiderans diſſolui, & eſſe cum Chriſto,multò longéque melius eſt:ceterùm manere in carne, magis neceſſarium propter vos . ſomniauítne etiam Chriſtus ipſe , dum latroni dicit, Hodie mecum eris in paradiſo? ſuper quibus verbis diuus Hieronymus ſic ait, Ante Chriſtum Abraham apud inferos,poſt Chriſtum latro in paradiſo.Parco pluribus,ne longior fiam:ſatis ſit indicaſſe iuxta patrum & ſcripturæ traditionem , poſt Chriſti mortem ſanctos omnes,qui in domino moriuntur,cũ IESV Chriſto eſſe. Hæc eſt gloria euangelicæ lucis , vt intra nos ſit Dei regnum,hæc eſt præſtantia noſtræ conditionis,qui ſub melioribus repromiſsionibus viuimus, hæc fortitudo mortis Chriſti eſt,vt mox atque ſolutum fuit pretium,aditus redemtis pateret ad cælum , hic principatus mediatoris & regis noſtri eſt,poſt quẽ nullus Meſsias ſit expectãdus, qui defunctorũ animas ex inferno cælũ verſus ducat. duxit ille , qui è cælis veniens ſupra omnes eſt,&qui id meruit,vt vbi ipſe eſt,illic ſit & ſu⁹ miniſter.Deus viuens eſt factus homo mortu⁹,& ſepultus,vt homo mortuus ac ſepultus,viuus & felix fieret. gratias tibi, Chriſti ſaluator, nos tuæ creaturæ agimus, ꝙ tam potentẽ aduerſariũ noſtrũ,dum occidereris,occidiſti.quid antè,ꝗ paterere ô domine rex cęli & terræ,miſeri⁹ homine,qui æternę mortis immani terrore proſtratus , viuendi ſenſum ad hoc tantũ acceperat , vt periret ? poſtquam verò animam pro ouibus dediſti in mortem , ô optime paſtor , generoſi regis fili , quid homine felicius, qui, cùm moritur, viuit, cùm humi iacet,triumphat,cùm videtur victus, regnat ? mors tua interitum meum deſtruxit : occiſio tua vitam meam peperit : dolores tui ſanitatem meam ſunt operati . tu euangelizaſti,Non eſt mortua puella,ſed dormit. &,Lazarus,amicus noſter,dormit. à te accepit apoſtolus, tuus vnicè dilectus Paulus,quòd tuos fideles dormientes ſemper nominaret. ô felicem ſomnum , ô quietem deſiderabilem, ô dormitionem dulcẽ.qui in te, Chriſte, requieſcunt,& in tua pace dormiunt, etſi oculis inſipientium ac impiorum videantur mori,ipſi autem ſunt in pace,nempe tecum, qui pax noſtra es . tu etiam ô mors , quæ fratres diuidebas , & amore ſociatos crudelis ac dira diſſo-

Hier. vbi ſupra.

Iuſti mortui dormiunt.

Marc.5. *Luc.8.* *Ioan.11.* *1.Cor.15.* *1.Theſſ.4.*

Sapien. 3. *Epheſ.1.*

ciabas, iam peregrinos facis domeſticos & conciues, eos, qui ſe amant, copulas, & loco ſeiuncto pia ac mitis copulas & aſſocias: hoc certè non niſi, quia adduxit vrentem
Oſeæ 13. ventum dominus de deſerto aſcendentem, qui ſiccauit venas tuas, & deſolauit fontem tuum. deuoraſti quidem
Ionæ 2. Ionam, ſed in vtero tuo viuus fuit, portaſti quaſi mortuum, vt tempeſtas mundi conquieſceret, & Niniue noſtra illius præconio ſaluaretur. ille, ille te vicit, ille te iugulauit. fugitiuus propheta, qui reliquit domum ſuam, dimiſit hæreditatem ſuam, dedit dilectam animam in manibus quærentium eum. hic ille eſt, qui tibi rigi-
Oſeæ 13. dus minabatur per Oſeam quondam, Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus inferne. illius morte tu mortua es, illius morte nos viuimus: deuoraſti, & deuorata es: dúmque aſſumpti corporis ſolicitaris illecebra, & auidis precibus prædam putas, interiora tua adunco dente confoſſa ſunt. ſcimus quidem dominum noſtrum IESVM Chriſtum viuere, neque ampliùs in illius bonis te domi-
Rom. 6. nari poſſe. Quòd enim mortuus eſt peccato, inquit Paulus, mortuus eſt ſemel: quòd autem viuit, viuit Deo. ſcimus, ſanctos cum Chriſto eſſe, angelorum immiſtos cho-
Pſal. 47. ris: ſcimus, eos dicere, Sicut audiuimus, ita & vidimus, in ciuitate domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri. Si diutius immoratus ſum lector, veniam oro: nam ſanctorum felicitati non gratulari minimè potui. Sed quia ſatis ſupérque euagata eſt oratio, reprimenda hîc tandem videtur. bene igitur proinde nos ex eiſdem locis, quibus fideles pro ſe inuicem orare præcipiuntur, huiuſmodi ſanctorum, qui viuunt Deo, qui Deo grati ſunt, qui Deum vident, inuocationem cum promiſsione, quòd orantes pro nobis exaudiantur, firmatam ac teſtatam oſtẽdimus, vt nõ ſit vltra opus ſpecialioribus locis ſcripturarum. ſed quoniam veritas vbique triumphat, etiam per ſuos hoſtes non raro, perſequar ſingulares locos, quos pro catholica veritate hîc colligemus ſimul cum Caluini iniquis interpretationibus.

Loci ſcripturarum prò hac inuocatione ſanctorum ſimul cum iniquis Caluini interpretationibus, quibus eas eludit, proponuntur.

CAP. XXI.

AGe nunc refer animum tuum,narra, obſecro, quid tibi videtur de ſcripturis,quas antiqui patres ſumma dexteritate in eam veritatem aſſerendam collegerunt. num eas nos denuò comminiſcimur? num confingimus? dic,quæſo,an ſatis probent id,ad quod ſtabiliendum introductæ ſunt? *Quòd autem efficere ſtudent,vt ſcripturæ auctoritati videatur ſubniti eiuſmodi interceßio, fruſtra in eo laborant*: immo magis ipſe Caluine, qui oſtendere moliris.vt ſcripturæ auctoritate deſtituta videatur eiuſmodi interceſsio,fruſtra laboras. *Angelorum, inquiunt, orationes leguntur ſæpius,neque id modo, ſed in Dei conſpectum per eorum manus perferri dicuntur eorum preces*: ſic eſt Caluine, ſic inquimus,ſic legimus. *Verùm ſi angelis ſanctos præſenti vita defunctos conferre libet*: immo maximè libet,poſtquam ſanctos ſuos angelicis ſpiritibus is,qui eos creauit,æquare dignatus eſt. *probandum fuerit eſſe adminiſtratorios ſpiritus,quibus delegatum ſit miniſterium curandæ noſtræ ſalutis, quibus demandata ſit prouincia cuſtodiendi nos in omnibus viis noſtris,qui nos circumeant,qui moneant,& conſolentur,qui pro nobis excubias agant. quæ omnia illis deferuntur, his autem minimè*: vt ita ſit Caluine, non haberes ex ſcripturis, vnde probare poſsimus huiuſmodi miniſteria,& ad eos etiam ſanctos, qui cum Chriſto beati viuunt, eſſe tranſlata: (quod ſanè quàm falſiſsimum eſſe,iam iam ſumus oſtenſuri) an non tutò nos committemus eorum patrociniis, ac miniſterio,quorum nonnulli in ſcripturis angeli ſunt vocati? quorum nonnulli angelos docuerunt? quorum nonnulli angelos iudicabunt? Nuſquam,dicebat Paulus, angelos apprehendit,ſed ſemen Abrahæ. natura quidem maiores ſunt angeli, Dei tamen miſericordia homines, gratia & beatitudine vtrique pares: ipſa igitur maxima ipſorum caritas,noſtra ſumma neceſsitas,communis inſuper naturæ conditio,ſanctos,qui nihil ſibi timent, & omnia poſſunt,adminiſtratorios ſpiritus nobis reddunt. caritas,qua flagrant,ad Deum & proximum, noſtræ ſalutis curandæ miniſterium ipſis delegat: ſors verò hæc noſtra miſerrima,atque miſeranda prouinciam illis demandat cuſtodiendi nos in omnibus viis noſtris,ne quid inſidiosè,ne quid ſceleratè, ne quid fallaciter patiamur: communis poſtremò omnium noſtrûm natura, nobiliſſ-

Cal.ſec.23. c.20.lib. 3.
Pſalm.33. 90.
Zach.1.
Apoc.6.
Matt. 22.
Mar.1.
Hebr.1.
Pſal.91.
Pſal.34.
Pſal.138.
Marc.1.
Epheſ.3.
1.Corint.6.
Hebr.2.
Non minorem curã de nobis ſancti gerũt,quàm angeli.

que conſanguinitas,atque illuſtris affinitas, quibuſcum copulati ſumus,eos pro nobis ſolicitos efficiunt, vt nos circumeant, nos moneant, nos conſolentur, pro nobis excubias agant. ſed tu veterem cantilenam tuam crebrò nobis inſuſurras:quam totam ex hoc pendis, vt ſcilicet beatarum mentium gloriam perdas. *Quàm præpoſterè angelis ſanctos mortuos inuoluant, ſatis ſupérque ex tot diuerſis muneribus patet, quibus alios ab aliis ſcriptura diſtinguit*: immo verò contrà ſic nos fabulam inuertemus, Quàm egregiè angelis ſanctos, qui Deo ſuo viuunt, inuoluamus, non ſine gloria & honore ipſorum angelorum, ſatis ſupérque patet ex tot diuerſis muneribus, quibus illos cum iſtis ſcriptura coniungit:vt quòd ſint cum Chriſto, quòd ſint apud Deum, quòd Deum videant, quòd aſtent illi throno expeditiſsimi ac paratiſsimi miniſtri; quòd ſint tandem ſicut angeli Dei, cauſidici partibus apud cæleſtem iudicem fungentes pro nobis. neque tanta licentia à cineribus his aſſumeretur, vt eos patronos Deo obtrudere auderemus, niſi ipſis munus hoc eſſe iniunctum certi eſſemus. voluit itaque Deus,non angelos tantùm, ſed & eos, qui nobis ſanguine coniunctiores ſunt, nihilo minùs angelis imminutos, curandæ noſtræ ſaluti præficere. vnde & ſacros cœtus frequentant: & eccleſia, in qua olim tenerè verſati ſunt, quæ eos fouit, quæ docuit, quæ cæleſtibus diſciplinis, & diuinis legibus inſtruxit, illis theatrum eſt,in quo mirantur variam & multiplicem Dei ſapientiam, & pro collatis in nos beneficiis, Deo noſtro ipſi gratias referunt,quod illis cum angelis commune eſt. ab eis, qui hæc auferunt,
3.*locus.* certè ordinem à Deo poſitum, qui inuiolabilis eſſe de-
Cal.ſec. 23. bebat, ingrati confundunt, ac peruertunt. ſed propere-
*Ierem.*15. mus ad reliqua ſcripturæ ſanctæ teſtimonia. *Eadem dexteritate pergunt in citandis aliis teſtimoniis. Ieremiæ dicebat Deus, Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. quomodo ſic de mortuis, inquiunt, locutus fores, niſi pro viuis intercedere illos nouiſſet?* argumentum mea quidem ſententia, Caluine, multùm extorquet, tu verò quanti ipſum æſtimas? *Ego verò contrà ſic colligo, cùm inde appareat, neque Moſem, neque Samuelem interceſſiſſe pro populo Iſraelitico, tunc nullam fuiſſe prorſus mortuo-*

rum interceſsionem. quis enim de ſalute populi laborare credendus ſit, ceſſante Moſe, qui alios omnes in hac parte longo interuallo, dum viueret, ſuperabat? Ergo, ſi minutulas iſtas argutias ſectantur, mortui pro viuentibus intercedere, quoniam dixit dominus, Si interceſſerint, ego longè ſpecioſiùs argumentabor in hunc modum: In extrema populi neceſsitate Moſes non intercedebat, de quo dicitur, Si interceſſerit: ergo neminem alium intercedere veriſimile ſit: cùm omnes à Moſis humanitate, bonitate, & paterna ſolicitudine procul abſint. id ſcilicet cauillando conſequentur, vt iis armis vulnerentur, quibus ſe pulchrè munitos putabant: diligenter atque attentè iſtud longè ſpecioſius tuum argumentum excepi, atque tacitus ipſum mecum crebrò meditatus, tuam duritiem, & contumaciam ſum admiratus, vtpote qui nulla ratione duci patiaris, tantâne hebetudine eris, vt quid tibi patrocinetur, neque quid tuæ cauſſæ noceat, ſatis intelligas? quale eſt iſtud argumentum Caluine? quàm ſpecioſum? Éſtne iſtud, Moſes orans pro populo non eſt exauditus: ergo non effunduntur à mortuis preces pro viuentibus? immo verò Caluine eo ipſo, populi ſcelus atrox declaratur, quod tam præſtantis patroni preces non luant, & expient, neque lacrymæ abſtergant, neque quidquam Deum moueant illius clamores, quem exaudire aliàs ſolitus ſit dominus. finge te modò, ſemel atque iterum nobiliſsimi cuiuſpiam exiſtimationem offendiſſe, grauitérque læſiſſe, aſciuiſti tibi ſæpe hominis illius filium interceſſorem, ac mediatorem, qui vel ſui recordatione abs te illatas iniurias in paterno animo facilè obliterare potuit: tu verò, quo es ingenio, vt non multa circumſpicias, ne quid vltrà offendas, ne in malum ruas, nouam adiunxiſti offenſam, qua cæteræ, quæ conſenuiſſe videbantur, illico recrudeſcere cœperunt. quò te conferes? quò confugies? quem interceſſorem pro offenſo placando adhibebis? amicos? ij tibi infenſi ſunt. ſeruos illius? ij de te vindictam ſumere, & abs te pro meritis exigere pœnas iam iam intentant, quid igitur facies? ſcio, inquis, quid agam: illius filium adibo, ad illius pedes prouoluar, eius ego miſer implorabo opem. nihil ages, ne hàc quidem Caluine. quid ita? cur? ſtat ſanè eiuſdem ſententia,

Ob atrocitatē criminis aliquādo non exaudiuntur iuſti, ac ſancti.

quòd etiam ſi ſuus natus, dulcis alioqui, ac gratus, ſemperque exauditus roget, non remittet noxam, non veniá dabit. rogo te Caluine, vtrum ex hoc colliges, quòd nullæ vnquam apud patrem ſui filij preces valuerint? an non magis hoc ipſo oſtenditur, quanta ſit patrati criminis grauitas, atque atrocitas, quam oratio, alioqui grata, vincere non potuit? & ne ab ſcripturis ſanctis recedamus, per Ezechielem Deus inquit, Si fuerint iſti tres in ciuitate viri, Noë, Daniel, & Iob, filios & filias non liberabunt in ſua iuſtitia. itaque diuinæ animaduerſionis & indignationis augendæ gratia, ea phraſi loquendi vtitur Deus. Lege Hieronymum ſuper eo ipſo loco Ieremiæ, & noſtram ſententiam comperies magni æſtimari, argumentationem verò tuam, quam tu longè ſpecioſiorem dixiſti, omnino poſthaberi videbis. ergo exauditus non eſt Moſes, non quòd mortuus eſſet, ſed quòd ipſius ſuffragium (vt optimè ſacer contextus indicat, populus ille non merebatur. Sed quia, vt video, vſurpatæ dialecticæ te, Caluine, iam pœnitet, audiamus quid ſecundò dicas. *At verò ſimplicem ſententiam ſic contorqueri valde ridiculum eſt: quia tantùm pronuntiat dominus, populi flagitiis ſe non parciturùm, etiam ſi Moſes aliquis patronus illis contingeret, aut Samuel, quorum precibus ſe tantopere indulgentem præſtiterat*: igitur, Caluine, non de mortuis Moſe, & Samuele id intelligemus, ſed de viuentibus hominibus, qui pari cura, ac ſolicitudine ad ſuum populum afficiuntur. quaſi verò Vixerint, dixerit dominus, & non magis, Steterint coram me. in euangelio legimus, quòd ſtetit Moſes coram domino, loquens de exceſſu, quem paſſurus erat. viuus, viuus ipſe coram domino ſtetit, per ſe dominum alloquebatur, non in ſymbolo, non in tropo, ſed facie ad faciem, vltro citróque verba conferebant, loquebantur de exceſſu, & non poterant illi preces, ſuo colloquio adiungere pro populo, pro quo exceſſum dominus paſſurus erat. bella theologia eſt tua iſta Caluine. audis ac legis ſanctos viros viuere, loqui, diſceptare de morte innocentis & indemnati, & criminaris, ſi ab ipſis auxilium exquiramus. ſuperſtitionem eſſe clamas, contempto Chriſto, ad laruas ac mortuos confugere. ſi patrum animos, in limbo degentes, in ſuum conſilium ſenatores magni

Ezech. 14.

2. ſolutio.

De Moſe, Elia, & Samuele mortuis dominus loquebatur.

Matt. 6.

Dei filius aſciſcit, (neque enim dicendum arbitror, ſacrum illud concilium, in quo primas tenebat Chriſtus, ex vmbris, laruis, ac mortuis coactum fuiſſe) quantò magis Moſes ipſe, ac Samuel glorioſi nunc coram domino ſtabunt pro Chriſti populo? *Eos* (inquit, hac appendice omnia finiens) *igitur omittamus, quos ſcriptura clarè demonſtrat curſum ſuum conſummaſſe*: quare non addidiſti, poſt conſummatum curſum repoſitis coronis ipſos frui? optimè intelligebas, nō iure eorum nos obliuiſci poſſe, quos ſcriptura tradit, eo iam fine peroptato potiri, in quem nos aſpiramus, eóque patre benigniſsimo perfrui, quem venturum iudicē omnes nos horremus, ac denique quos eadem ſcriptura non tantùm patronos, ſed iudices noſtros fore crebrò commendat. expendiſti ne ſatis verba illa ſanctiſsimi Iacobi, Inuocetur ſuper eos nomen meū, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Iſaac? & illa Moſis, Quieſcat ira tua, eſto placabilis ſuper malitia populi tui, recordare Abraham, Iſaac, & Iacob, ſeruorum tuorum? item Danielis, quem vel in primo ætatis ſuæ flore conſtat incomparabile dediſſe pietatis ac religionis ſpecimen, Ne auferas à nobis miſericordiam tuam domine Deus noſter, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum? quid igitur dices? num negabis, ſub tutela adhuc mortuorum populum illum viguiſſe, cùm hæc à viris ſanctiſsimis diceretur? negabíſne, licuiſſe illis ad vmbras mortuorum, ac laruas confugiſſe? audebis fortè, diffidentiæ hos patres inſimulare, quòd diuinam benignitatem abiicientes, ad hominum & mortuorum quidem bene facta confugerint? quòd coram Deo mortuorum memoria ſe protexerint? quòd eorum merita, ſeruitutem, dilectionem, ſanctitatem allegauerint? at productis eorum nominibus, quod petebant, facilè impetrarunt. ſi ſola quidem mortuorum (ſic enim tu appellas) memoria licet Deum obteſtari, vt & illos reſpiciat, & nobis ignoſcat, quare non magis ſuis precibus id à domino ipſi ſancti aſſequentur? quòd ſi grata eſt ſanctorum memoria ipſi creatori, & adhuc ſancti ei viuunt, quare Deo non grata erit oratio? quòd ſi ſic, nimiùm exempla hæc nobis patrocinabuntur, qui ad ſanctos ipſos ſermonem habemus, quorum obli-

2.Tim.4. *Sancti curſum cōſummarunt, ac coronis fruuntur viuētes.*

1.Cor. 6.

Gen.48.

Exod.32.

Dan.3.

uiſci dominum non poſſe, hiſce ſcripturæ locis perele-
ganter inſtruimur. quamobrem mirum eſt, quòd tā tur-
piter debacchatus fueris, & importunè conuiciatus or-
thodoxis omnibus, qui ex his locis inuocationem ſan-
ctorum colligunt. niſi quòd tu aut non ſatis intellexiſti,
aut te non callere finxiſti, quorſum ea teſtimonia produ-
cerentur à catholicis. Scimus optimè, quid ſit Iacob no-
men inuocare: & cur inuocandum ſit, rectè capimus. lo-
cutio ſiquidem ea non ſemel in ſcripturis occurrit. Eſaias
autem virorū nomen inuocari ſuper mulieres dicit, dum
eos habent maritorum loco, ſub quorum fide & tutela
degant. ergo inuocatio nominis Abraham, vt ex locis
inductis patet, in hoc ſita eſt: primùm, quòd ſui generis
originem ad eum referant, deinde, quòd eum pro aucto-
re & parente ſuo memoria celebri colant, nouiſsimè, ꝙ
adhuc ſub illius fide ac tutela degant. non enim eſt fœde-
ris ſucceſsionem ad ſe tranſmittere ſolùm, (vt tu ſentis)
ſed fidem, pietatem, obedientiam, diuinúmque amorem
tanti patris ſuo tempore filiis prodeſſe. patrum memoriā
dum illi eiuſmodi precibus inducebāt, non tam domino
fœderis ſui recordationem iniiciebant, quò clemedtiſsi-
mus pater (vt tuis verbis agam) illis ſe propitium, ac be-
neficum oſtenderet, vt eos in Abrahæ, Iſaac, & Iacob gra-
tiam reciperet, quàm quòd horum patrum merita ob di-
uinos oculos frequenter ſtatuerent, ſuorúmque ſcelerum
veniam impetraturos ſe ſperarent. vigebat igitur apud
Deum ſicut & fœdus, ita eorum ſanctitas, pietas ac fides,
quam filij fore ſibi auxilio ſperabant. id optimè decla-
rat inter cetera Danielica illa oratio, Propter Abraham
dilectum tuum, &c commemoratur enim ibi non mo-
dò dilectio Dei, ſed ſeruitus ac pietas hominum erga
Deum. Dices fortè, quòd quamuis ſuorum patrum iſti
memoriam, & diuini fœderis his precibus celebriter co-
lerent, Deúmque his nominibus placare tentarent, im-
mo ſub meritorum vmbra vellent deliteſcere ſecuri, ad-
huc tamen non habeamus, quòd ad eorum interceſsio-
nes confugerint, qui ſanè controuerſiæ noſtræ vnicus
eſt ſtatus. immo quòd ſatis parum in patrum merita ſan-
cti communiter reclinauerint, teſtari tibi videbitur pu-
blicanorum eccleſia apud prophetam, Tu pater noſter,

Quid ſit nomē alicuius ſancti ſuper nos inuocari.

Eſa. 4.

Reſpōdetur aliquot obiectionibus.

Eſa. 63.

& Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos, tu domine pater noſter, & redemptor noſter. ac dum ſic quidem loquuntur, ſimul addunt, Conuertere domine propter ſeruos tuos. vbi cogitare poſſes, ad nullam interceſsionem eos confugiſſe, ſed ad fœderis beneficium animum applicuiſſe. Reſpondeo, in eccleſia illa antiqua, vbi populus propenſus erat in idololatriam, ac patres erant in limbo, fateor, non eam conſuetudinem fuiſſe patribus compellandi mortuos & inuocandi ſanctos. noluit enim Deus, Moſis corpus vbi quieſceret, hominibus illis oſtendere, ne, tanquam diuinum numen, adorarent: voluítque ab idololatria gentem, alioqui propenſam auocare. immo verò tota filiorum Iſrael eccleſia, ſic apud Baruch orat, Reſpice nos ex ſede ſancta tua, & attende aurem tuam: inclina domine, & audi, aperi oculos tuos, & vide. neque enim iuſtè factis patrum, aut regum noſtrorum, preces noſtras coram te domine Deus noſter effundimus: ſed quia indignationem & iram tuam immiſiſti nobis, quemadmodum per ſeruos tuos prophetas denuntiaſti. ad hæc cùm Machabæus narrationem ſui ſomnij (de qua re ſtatim non nihil attingemus) quòd Oniam ac Ieremiam orantes pro eccleſia vidiſſet, vt nimiùm quidem præfatæ viſiones eos animarunt, ſic profectò res ſatis noua cunctis eſt viſa. ſub euangelio etiam inuocatio ſanctorum explicitè præcepta non eſt, ne gentiles conuerſi crederent, ſe iterum ad cultum terrigenarũ trahi, vt pro veteri more ſanctos, non vt patronos, ſed vt deos adoraſsẽt: ſicut Lycaoniæ Paulo & Barnabæ ſacrificare volebãt. ſatis porrò eſt, ꝙ ea ſint in ſcripturis expreſſa, ſiue in vetere, ſiue in nouo teſtamento, vnde liquidiùs colligere eiuſmodi veritatem poſsimus. cùm enim audimus, eorum nomina Deo eſſe gratiſsima, opera probatiſsima, viuere cum Chriſto, & eſſe apud Deum, eſſe angelis ſimiles, nos cognoſcere, nos amare, noſtri curam gerere, & rurſum audimus plurimum ponderis apud Deum habere orationes, quas pro nobis ipſi mutuò adhibemus: ſtatim concipimus, inuocandos eos eſſe, quibus perfecta caritas loco præcepti eſt, & gratia, qua apud Deum plurimùm poſſunt, certiſsimæ cuiuſdam promiſſionis locum tenet.

In vetere eccleſia non tam frequẽs ſancti inuocabantur.

Baruch 2.

2. *Macha.* 15.

In euangelio ſanctorũ inuocatio nõ eſt explicatè præcepta.

Act. 14.

ptura, qui inuocauerit nomen domini, ſaluus erit. Me *Pſal.142.*
expectant, dicebat Dauid, iuſti, donec rependas mihi. *Pſal.52.*
item, Videbunt iuſti, & gaudebunt, & ſperabunt in domino. Ecce, pauper iſte clamauit ad Deum, & reſpondit ei. multæ in pſalmis ſunt eiuſmodi preces, quibus fide- *Pſal.34.*
lis animus ad precandum, quod poſtulat, hac ratione Deum prouocat, ne pudefiant iuſti, ſed ſuo exemplo erigantur ad bene ſperandum. Propterea orabit ad te om- *Pſal.32.*
nis ſanctus in tempore oportuno, dicebat vates hic cæleſtis. Ecce igitur ſecundus fructus, qui ex Dei clementia ac facilitate prouenit, vbi ſanctus exauditur. non enim vulgare adminiculum eſt ad confirmandam promiſsionum diuinarum fidem ipſa experientia gratiæ, atque exauditionis tam erga nos, quàm erga alios. & hoc quantum ad ſecundum. Quòd ſi diuina beneficia nobis proponimus in fiduciæ materiam, quantò maiorem nos ſingularem hanc ſpem & fiduciam in eis vigere credemus, qui ſemel in ſe experti ſunt, quanta ſit orationis virtus, vt ſanctis ſæpe exauditis contigit? Ad te clamauimus tota die, inquit ſcriptura, & non exaudiſti: te deprecati ſumus, & non intellexiſti. Paulus etiam, Quid oremus, ſicut *Rom.8.*
oportet, neſcimus. ſic ei contigit dum audit, Sufficit tibi gratia mea. Auguſtinus in epiſtola ad Probam de o- *Auguſt.*
rando Deo, quæ eſt numero 121. de hac re longo ſermo- *epiſt.121.*
ne agit. Si igitur non omnes norunt, quid oporteat petere, quídve expediat, an non experientia gratiæ Dei ſingularem ſancto prærogatiuam conciliabit? Minor ſum, aiebat Iacob, cunctis miſerationibus tuis & veritate, *Gen.32.*
quam præſtitiſti ſeruo tuo. in baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior. Vides, promiſsionem quidem commemorare, ſed non ſolam: quin ſimul affectum coniungit, quò animoſiùs in futurum confidat, eundem erga ſe Deum fore. En tertio loco diximus de prærogatiua eorum, qui ſæpe exauditi ſunt, & qualiter nobis ad eos optimè liceat confugere. quamuis enim toties ſpecimen ac probationem dederit bonitatis ſuæ & fidei Deus, vt timendum non ſit, ne ſpes noſtra pudefiat, vel nos fruſtretur: tamen nihil nocet, ſi cōfugiamus ad ſanctos, vel quia Deo grati ſunt, vel quia multò nobis meliùs nouerunt, & quid nobis expediat, &

quo pacto ſit petendum. ſunt enim magis verſati in eo genere contentionis, quàm nos, quíque & apud iudicem bonum locum obtinent, & inter cauſſarum patronos, cuſtodes ac defenſores non multo numero ſedent à præſide ſupremo. itaque qui ſæpe exauditus eſt, qui ſæpe extitit aduocatus & patronus, aſſumendus nobis eſt, & inuocandus in auxilium.

Locus libri Machabæorum de orationibus Ieremiæ pro Dei populo ponderatur, atque de illius libri auctoritate nonnulla, ſub compendio tamen, proponuntur.

CAP. XXII.

2. *Macha.* 15. VLtimò expreſſa eſt ſcriptura de re hac in libris Machabæorum: vbi ſic legimus, Machabæus hortabatur ſuos, ne reformidarent aduentum gentium, ſed mente tenentes lata ſibi prius auxilia de cælo, nunc quoque dandam ab omnipotente victoriam, & auxilium expectarent. præterea eos conſolabatur ex lege ac prophetis, prœliorum, quæ confeciſſent, commonitos alacriores effecit, & animis erectos incitauit, ſimul in medium vocans nefariam impietatem gentium, ac iuramenta violata, ita ſingulos armauit, non tam clypeorum & haſtarum munitione, quàm exhortatione eximiæ orationis, adiectâque demum digna fide narratione ſomnij, mirificè quidem lætos reddidit. erat autem illius tale viſum, Oniam olim ſummo pontificatu functum, virum bonum & ornatiſsimum, aſpectu venerabilem, ſuauémque moribus, tum eleganti præditum facundia, atque à puero ad omnes virtutis partes exercitatum, eum, inquam, manibus extentis orare pro toto cœtu Iudæorum: deinde ſimiliter alium ſibi viſum virum, canicie & maieſtate eximium, mirabili quadam & excellenti magnificentia vndique adornatum, de quo rogatus Onias dixerit, Hic ille fratrum amator eſt, qui multa pro populo, ſanctáque ciuitate precabatur, Ieremias ille Dei propheta. ibi tum Ieremiam, porrectum dextra gladium aureum, Iudæ tradidiſſe: atque inter porrigendum, hæc locutum, Accipe hunc ſanctum Dei munere gladium, quo hoſtes conuulneres. His præclaris Iudæ ſermonibus ad ciendam virtutem, & ad animos iuuenum erigendos ef-

ficaciùs incitati decreuerunt,non caſtra facere, ſed inuadere animosè, & cum ſumma fortitudine inuecti conſerta manu decernere: quandoquidem & vrbis, & ſacrorum, & templi periculum augeretur. Hactenus diuina ſcriptura. Ad tam ſplendidam lucem Caluiniana mens obſcuras cæcáſque tenebras non modò non excuſsit, ſed magis præcipitem cæcúmque eum ferri obſtupenda amentia,atque furore percitum Deus permiſit.& quidem iure:qui enim malè ſuum curſum ab initio inſtituit per loca innumeris diuiſa ſepibus, quas omnes tranſiliens rumpere habet, ſi nunquam pedem referre apud ſeſe ſtatuit,nihil profectò tam clarum, tam apertum eſſe veritatis exemplum poteſt, quod maiore cum dementia & deſpectu nō rumpat,demoliatur,& perdat.mirabilis reuera quædam in homine iſto iræ magnitudo exardeſcit,eccleſiæ odio incredibiliter inflammatur. *Negare non poſſum ea verba ibidem legi,at quòd ſit eccleſiaſtica ſcriptura, auctoritate donata diuina, fateri non poſſum*: cur ita homo difficilis? *Quoniam,vt alia omittam,quæ diuinam auctoritatem huic libro abrogare poſſunt,vnum illud abundè nos eius rei admonet: auctor ſiquidem, quiſquis ille fuerit,vltimis verbis veniam petit, ſi quid ibi legatur, quod minùs placeat*: hoc verò quàm longè abſit ab ſpiritus diuini præſtantia, & ab eccleſiaſticorum auctorum phraſi, norunt omnes, qui ſcripturam diuinam nouerunt. antiquiora concilia, prouincialia, atque generalia, ipſáque Petri ſedes,doctores omnes, omnis ætatis & omnis gentis, qui diuinorum librorum catalogum contexuerunt, inter diuina volumina duos illos libros collocauerunt.eius operis teſtimoniis vſus eſt Origenes, vt ſæpius Innocentius de eo refert,vſus eſt Cyprianus nō ſemel,vſus eſt Chryſoſtomus,vſus eſt,vt authentica ſcriptura, Tertullianus, vſus eſt Auguſtinus qui omnes patres ex his libris,tanquam canonicis & diuino ſpiritu editis, fidei noſtræ ſententias ſtabilire conati ſunt.De hoc igitur libro eſt nobis ſciendum, quòd Machabæorum geſta ac facta,quæ ibi deſcribuntur,olim,tanquam veriſſima, apud veteres Hebræos fuiſſe habita etiam ante Christum: quamuis non ab initio cum ſupputationibus temporum digeſta fuerint, & ordinata, ſicut poſtmodū collecta ſunt in hæc duo volumina non ab eodem, ſed à

Multa de libris Machabæorum.

Inn.in epiſt. ad Exup.

Carth.3.cui interfuit Aug.Cōc. Laodic.Euſeb.eccl.hiſt. lib.6.c.11.

Cypr. in epiſtola ad Rogat.& in li. de exhor. martyrij.

Nō fuit idē auctor duorum lib. Machab.

diuerſis duobus auctoribus, nobis quidem incertis. huiùs quidem rei ſi indicium quæratur, hoc ſanè apertiſsimum eſt. primus (ſi Hieronymo credimus) Hebraicè, alter verò Græcè ſcriptus eſt: item ſecundus epitome eſt cuiuſdam libri, à Iaſone Cyrenæo magno volumine editi, vt
2. Mac. 2. ex eodem auctore ibidem patet. quis fuerit auctor, quibus item temporibus congeſſerit, non facilè occurret.
Hierony. de viris illuſt. Hieronymus dicit, librum magnum elegantem, in quo Machabæorum ſunt digeſta martyria, à Ioſepho ſcri-
Idem cõtra Pelag. lib. 2. ptum: quem idem auctor alibi Machabæorum hiſtoriæ ſcriptorem vocat. Ioſephus Annius ab iſto Ioſepho dicit
Ioſ. Annius. apocryphos redditos, adiectis temporibus: ponit enim,
Soluitur obiectio. vt lib. 2. cap. 2. videri poteſt, Anthiochum illuſtrem regnaſſe anno 137 regni Græcorũ, qui tamẽ regnauit anno
Euſeb. li. ſuæ Chronogor. 153. quod ſatis patet in annalibus Græcorum, per ſingulos Aſiæ & Syriæ procedendo, poſt Alexandrum, quos
Ni. Lyran. 1. li. Mac. c. 2. Euſebius de temporibus eruditè notauit. ſed eam difficultatem Euſebius diſſoluit, tradens, quòd Hebræa Machabæorum hiſtoria non ab Alexandro, ſed à Seleuco, qui cognominatus eſt Nicanor, Græcorum regnum ſupputat. Nicolaus etiam, ab Alexandro ſupputans, difficultatem eandem diſſoluere conatur. ſed mihi ſtandum videtur ſententiis patrum, qui à Seleuco regnãte in Syria, anno à morte Alexandri exacto vndecimo, ſupputandum eſſe volunt: cui numero ſi addãtur quinque anni, quibus Alexander, tanquam monarcha, imperauit Græcis, conſurget numerus annorum 153. Sciſcitaberis iam, quánam ratione magis à Seleuco, quàm ab Alexandro inchoet: deinde, qua etiam ratione Alexandrum Macedonem primum regnaſſe in Græcia dicat, cùm Græci longè antè habuerint reges, & Argiui, Lacedæmonij, Athenienſes. in Macedonia quoque, quæ pars Græciæ eſt, non primus, ſed 24. rex extitit Alexander. Hæc ſanè eſſe poterant, quæ obiiceret Caluinus ad illius libri fidem labefactandam atque infringendam: neque decebat virum maiori
Soluuntur quæ cõtra libros Mach. ſunt dicta. ſæculo natum ſic pueriliter ludere, Finit ad hunc modum, vel ad illum. ridiculæ ſcilicet obiectiones. Sed nos reſpondeamus ad priorem, Machabæorum hiſtoriæ ſcriptor annos illius regni ſupputauit, quòd peruênit ad Anthiochum illuſtrem: ſed illud regnum non ab Alexãdro,

qui fuit multorum regnorum imperator, ſed à Seleuco initium habuit. is enim poſt Alexandrũ ſuper ſolam Græciam Iudææ vicinam, ſcilicet Syriam, primò regnauit, ac tandem iunxit Aſiam ſuo regno. Alexander nanque dum adhuc viueret, monarchiam pueris ſuis diuiſit imperij: quo ſanè mortuo, ex vna monarchia per varias alterationes innumera regna proceſſerunt, è quibus regnum vnũ fuit Syriæ, quod anno duodecimo poſt eundem Alexandrum primus obtinuit Seleucus in hoc regnum, reuolutis ab eius initio 137 annis, Anthiochus Epiphanes ſucceſsit, id eſt, illuſtris: qui Ieroſolymam occupauit, ritum Moſaicæ legis deſtruxit, ſuillam carnem in templo mactari, & ſimulacra deorum venerari iuſsit, omnémque ſacrum vaſorum apparatum ſuſtulit. Ad poſteriorem verò reſpondemus, quòd regnauit Alexander primus in Græcia, tanquam imperator, ac Græciæ totius ampliſsimus dominator. vnde fideliſsimus hiſtoriæ ſcriptor Metaſthanes tempore illo florens, Magnus, inquit, Alexander tranſtulit imperium in Græcos, Seleucus Nicanor ſucceſſit toti Aſiæ & Syriæ. Hæc ſunt, quæ reſpondebimus his, qui vrgentiùs contendunt, Machabæorũ libros inter apocryphos ſcripturas eſſe deputandos, & nonnulla eſſe aſſerta ibi falſa de regum & temporum ſupputationibus. duxi etiam hîc aduertendũ maiore cõſideratione, (ne quid deſit ad fidem aſtruẽdam ſanctis illis libris Machabæorum) quòd ſecundi Machabeorum hiſtoria non conſequenter ſe habet cum geſtis deſcriptis in primo libro, ſed quaſi à latere iungenda illi eſt. cõtinet nimirum prioris libri geſta, ſed diffuſiùs, vtpote virtutes & bella Iudæ Machabæi contra gentium principes, conantes occupare terram ſanctam, deſtruere Dei leges, & diuinum Iudæorum cultum. verſat alia multa præclara eiuſdem Machabæi, fratrúmque eius opera quæ ab auctore primi libri non erant ſcripta, quemadmodum demonſtrari poteſt ex capite nono eiuſdem libri, ceteráque verba bellorum ac virtutum Iudæ, & quas magnitudines fecit, etenim deerant quamplurima. item quæ de zeloſiſſimo Mathathia, Machabæorum frarum patre, prioris libri narrat hiſtoria, prætermiſit ſcriptor ſecundi libri: qui breuitati ſtudens, in quinto capite prætermiſsis per Mathathiam

Metaſthanes.

geſtis, & morte illius, ſeſe contulit ad Iacobum Machabæum, eius filium. deinde capite ſeptimo tranſit ad inclita geſta, diráque martyria, quæ Eleazarus, duæque mulieres, & ſeptem fratres Machabæi vnà cum matre perpeſſi ſunt pro conſeruandis patriis legibus. ſubſequenter præclara acta Iudæ Machabæi vſque in libri finem commemorat, ſilentio præteriens, quæ poſt mortem Iudæ Machabæi contigerunt: quæ tamen à capite nono vſque in finem prolixè ſatis perſequitur prioris libri hi-

Iſid.li.6.etimol.c.2. ſtoria. Intellige iam Caluine, quòd quamuis Iudæi ſapientiam Salomonis, Ecclesiaſticum, Iudith, Tobiam, & Machabæorum libros inter apocrypha ſeparent, eccleſia tamen Chriſti inter diuinos libros honorat, ac prædicat.

Aug. 8. de ci. Dei. c. 36 hanc aſſertionem, prout legeram apud Iſidorum, ſic eam mihi hîc vſurpaui. & Auguſtinus de libris Machabæorũ dicebat, Machabæorum libros non Iudæi, ſed eccleſia Chriſti, pro canonicis habet. quare ex eiſdem idem pater demonſtrat, eccleſiam fidelis populi longè ante Chriſtum pro defunctis orare conſueuiſſe, quæ & ſuo ſæculo, effluxis iam annis mille & fermè ducẽtis, per vniuerſum orbem ad altare in communione corporis & ſanguinis

Aug. li. 2. de ciuit. Dei c. 9. pro defunctis memoriam faciebat. cuius & meminit libro illo De cura pro mortuis gerenda. rurſum idem doctor, dum omnia diuina volumina in quatuor ordines

Idẽ Aug. li. de cura pro mortuis agenda. optimè diſtribuit, horum librorum meminit. vnde illud diui Cypriani verbũ, & ſimiliter Hieronymi, ſapientiam Salomonis, ſapientiam filij Sirach. librũ Tobię, Iudith, & Machabæorum libros, patres in eccleſia legi voluiſſe, nõ

Aug. de doctri. Chriſti c. 2. tamen proferri ad auctoritatem fidei ex eis confirmandam, vt non canonici, quamuis eccleſiaſtici ab antiquis patribus fuerint appellati: illud, inquam, ſic intelligendũ

Cyp. in exp. ſymboli. Hierony. in epiſt. ad Crõ. & Eliodor. Idẽ in prologo Galeato. eſt, (ne ſancti ſanctis pugnent: vtuntur ſiquidem eis pro fide confirmanda Tertullianus, Origenes, Euſebius, atque Auguſtinus) huiuſmodi libri tametſi non ſint idonei ad confirmandam fidem contra Iudæos, qui eos extra canonem locant: verùm in Chriſtianorum eccleſiis, & contra hæreticos habentur canonici, ac diuino ſpiritu editi. iam tantum ſupereſt, vt vno verbo argumento Caluini reſpondeamus. cùm enim quæ ibidem continentur Machabæorum geſta, etiam Hebræorum omnium ſepten-

tia veriſsima ſemper credita fuerint, quid eorum certitudini collectoris humilitas, quæ vltimis illis verbis habetur, nocere poterit? inſuper ea ipſa verba referamus, vt optimè lector videre queas, an digna ea ſint ſpiritu diuino, qui non niſi humiles erudit. Rebus itaque, inquit ibidem auctor ille, Nicanoris ita geſtis, cùm vrbs ex eo tempore fuerit in poteſtate Hebræorum, ego quoque finem faciam narrationis: & ſi quidem rectè, & commentario congruenter, hoc & ipſe volebā: ſin exiliter, ac tenuiter, hoc eſt, quod potui. alioqui enim vt vinum per ſe bibere, atque item rurſum aquam, odioſum eſt, vinum autem aqua temperatum, ſuaue eſt, ac iucundam & gratam affert voluptatem: ita contextus narrationis aures legentium delectat, ipſa concinnitate. ceterùm hîc finis eſto. Ecce omnia, quæ offendebant Caluinianam maieſtatem: nobis verò nihil hîc legi videtur, quod cæleſti ſpiritu ſit indignum, niſi etiam libeat dicere, Ioannis euangelium à Dei ſpiritu non fuiſſe dictatum, quòd illo libro non poſſe comprehendi dicat facta omnia, atque dicta ſaluatoris noſtri Dei. ſunt certè omnia hæc vt vera, ſic ſumma venuſtatè referta, & elegantia, ſummáque pietate, atque humanitate plena. quaſi diuina ſcriptura ſoleat ab his loquendi formulis abhorrere: immo puto cum Auguſtino, nullum eſſe ſermonis ornati ſchema, quod in diuinis libris non poſsit reperiri.

2.Mac. vl.

Ioan.21.

Auguſt. de doct. Chriſti

Tota res de imitatione, veneratione, atque inuocatione ſanctorum abſoluitur, nonnullis Caluini obiectionibus reſpondetur, Auguſtinus, Athanaſius, Hieronymus, & Cyprianus pro catholica veritate adhuc producuntur. CAP. XXIII.

AVdiamus iam Caluini ſummam, vbi & nos noſtrâm ſimul addemus. *Summa hæc eſt: cùm ſcriptura in Dei cultu, hoc nobis ſummum caput commendet, vt eum inuocemus, cùm hoc ſanè pietatis officium à nobis exigit, non ſine manifeſto ſacrilegio orationem ad alios dirigemus:* aſſertionem primam tuæ ſummæ recipio ad eum quidem ſenſum, in quo dixiſſe prophetam legimus, Si expandimus manus noſtras ad Deum alienum, nónne Deus requiret iſta? *Deinde*(eſt altera eiuſdē ſummę aſſertio)*cūDeus, non niſi ex fide velit inuocari, & diſertè, ad amuſsim verbi ſui,*

Cal. ſect. 27
Prima aſſertio Caluini

2. aſſer. Cal.

orationes formari iubeat: denique, cùm fides in verbo fundata ſit, orationis mater, ſimul ac à verbo deflectitur, orationem adulterari neceſſe eſt: & hæc ſecunda propoſitio tuæ ſummæ concedi poterat à nobis, non in tuo malo ſenſu, ſed iuxta catholicam intelligentiam, intelligendo Dei verbum non ſcripturis expreſſum ſolùm, vt ſuperiore libro ſatis oſtendiſſe me arbitror, ſed quidquid per eccleſiam à Deo ad nos vſque deuenerit, ipſum etiam, quod litteris non ſit mandatum. quæ igitur ad diuini huius verbi amuſsim orationes non formabuntur, neque ex eccleſiæ fide (qua Deus inuocari vult, naſcentur, adulterari omnes neceſſe eſt. atqui iam oſtenſum eſt, ſi diuina ſcriptura conſulitur tota, eccleſiæque perpetuò obſeruata interpretatio tenetur, qualem Deo, qualem rurſum ſuis ſanctis honorem, cultum, atque inuocationem vendicãdam eſſe oporteat.

3. aſſertio Caluin. Addit Caluinus tertiam aſſertionem, ſanè veriſsimam, *Quod ad interceſsionis munus pertinet, vidimus, Christo excellentiſsimo mediatori, aduocato, pontificique noſtro peculiare eſſe, neque vllam Deo gratam eſſe petitionem, niſi quam mediator ille ſanctificat:* hanc tibi libentiſsimè damus. veniamus ad quartam, quæ & tibi nobiſcum communis eſt.

4. aſſertio Cal. *ac tametſi fideles vltrò citróque preces apud Deum pro fratribus offerunt, hoc nihil vnica Chriſti interceſsioni derogare palàm eſt: quia omnes ſimul ea ſubnixi, tam ſe, quàm alios, Deo commendant:* hæc aſſertio adeò nobis placet Caluine, vt precari te, & obteſtari non deſinamus, opponens, eius memineris, dum toties contra nos oblatras, inuocatione hominum Chriſti vnicam illam prærogatiuã funditus euerti. ſed properemus ad quintam.

5. aſſertio Cal. *Ad hæc quinto loco docuimus, inſcitè hoc trahi ad mortuos, quibus nuſquam legimus mandatum eſſe, vt pro nobis orent. Sæpe nos ſcriptura hortatur ad mutuas huius officij vices, de mortuis, ne ſyllaba quidem. immo Iacobus, hæc duo coniungẽs,* *Iacob. 5.* *vt confiteamur peccata noſtra inter nos, & vicißim alij pro aliis oremus, mortuos tacitè excludit. Cùm igitur exordium ritè orandi ex fide naſcatur, ſitq; fides ex auditu verbi Dei, vbi nulla mentio huius interceſsionis habetur, ſuperſtitio eſt nobis aſciſcere patronos, qui diuinitus dati non ſunt. atque ad hunc errorem damnandum ſufficit vna illa ratio, quòd ſcilicet ſine ſcriptura faciunt. nam, cùm multis precandi formis referta ſit ſcriptura, nullum reperitur exemplum huius aduocationis:* iſta eſt Caluini inſtitu-

tio, contra quam hæc ſit vna, verèque catholica aſſertio, *Aſſertio cathol.*
Sancti pro nobis orant, quos ad id caritas compellit, promiſsionem habent, nóſque ipſos inuocare neceſsitas cogit. quòd ſancti pro nobis orent, ex Dei verbo expreſſo colligimus: ídque probatur ex hiſtoria Machabæorum. Hoc primum. Ex perfecta caritate, quam in patria manere ſcripturæ ſatis expreſsè volunt, & quam ſanctos beatos tenere dicũt, colligimus præceptum illud, de orando Deo pro proximis, ad beatos extendi, ac miſericordes. dicis, *Non expreſsi Iacobus de mortuis*: verum eſt, quoniam hi viuunt. *at neque de ſanctis id explicuit*: non nego, quia non erat neceſſe nouũ & ſpeciale his indici præceptum, quos lex ipſa caritatis ſatis alligatos tenet. Hoc ſecundũ. Sanctorum oratio promiſsionem habet. hæc non eſt expreſſa in ſcriptura, at planè & perſpicuè ex expreſsis colligitur. habemus enim ex expreſſo Dei verbo, quòd ſunt apud Deũ, quòd eo fruentur. cùm ergo & nos Deus amet, quare ei ipſi gratos pro nobis orantes nõ audiet? an quia pro ſe omnimodo repelleret precantes? ex gratia ergo, qua apud Deum iuſti, quàmdiu viuunt, nimiùm valent, colligitur, nihil eos petituros vitæ fidelium expediens, quod ipſis ab eo, qui illos magnificare apud omnes vult, denegetur. accedit veriſsima & crebra rei huius experiẽtia, quam negare impudentiſsimæ inſaniæ exemplum foret. tot enim miracula ab Athanaſio, Baſilio, Dionyſio, Irenæo, Ambroſio, Epiphanio, Auguſtino, Euſebio, Hieronymo, Cypriano, Gregorio Nicæno, Nazianzeno, epiſcopo Gregorio Romano, infinitíſque aliis ad inuocationem martyrum, ceterorúmque beatorum recenſentur diuinitus facta, vt nihil iam crediturus ſit, (vt apertiùs dicebat Chryſoſtomus) qui his non credit. ad hæc illi loci ſcripturarum, de orationibus angelorum exauditis, huic rei fidem faciunt. Hoc quantum ad tertium. Iam verò ſanctos inuocare, primùm ſaluberrimum conſilium eſt, quod apud Iob legimus, Conuertere ad aliquem ſanctorum, vbi neque viuens ſanctus, neque cum Chriſto degens explicatur, ſed abſolutè ſanctus in genere nominatur. deinde ſæpe ipſa nos præcepti vrget neceſsitas, quo nobis ipſis tenemur. ſanctos interpellandi, ac nobis conciliandi precibus, vt hi, quos ex domini mandato hono-

Notentur quattuor hæc.

Iob 5.

ramus,pro nobis tot malis oppreſsis, atque vndique circumplicatis, ad Deum noſtrum intercedant. ſicut enim intercedendi pro nobis ipſa caritas legem ſanctis præſcribit, ſic nos inuocandi eos in noſtrum ſubſidium ipſa neceſsitas cogit. Et hoc erat quartum in aſſertione noſtra vera,veréque catholica. atqui,vt video ratio illa,quæ vna ab iſto putabatur, cõtra ſanctorum inuocationem,quôd ſcilicet expreſſa non ſit in ſcriptura diuinâ, hac veritate ea tota obſcurata eſt,atque euanuit.

VT VERÒ nihil deeſſet ad numeros omnes inconſideratiſsimæ, & dementiſsimæ temeritatis complendos, rem totam ſic terminat,atque abſoluit. *Superſtitionem iſtã, qua ſuos ſanctos inuocant,ex diffidentia natam eſſe conſtat: quia, vel Chriſto deprecatore contenti non ſunt, vel eum omnino ſpoliare volunt hac laude. atque hoc poſterius ex eodem impudentia facilè coarguitur:quia non alio validiori argumento pugnant, opus vobis eſſe ſanctorum patrocinio,quàm dum obiiciũt, nos eſſe indignos familiari ad Deum acceſſu. quod nos veriſsimum eſſe fatemur: ſed inde colligimus, nihil eos Chriſto reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius interceſsionem, niſi accedant Georgius,aut Hippolytus, aut ſimiles laruæ:* multa ſe mihi offerebant ex his, quæ apud diuum Auguſtinũ maximè legi, ac apud Hieronymum,& alios ſanctos,verùm præ ceteris diui Athanaſij verba ſuccurrunt, quibus & tuum furorem vtcunq; compeſcam, & diſceptationem noſtram omni ex parte abſoluam.& quidem exercitationes, ac maledicta, quæ nullis legibus frenare poſſumus, ſenis ſanctiſsimi oratione etſi non reprimemus,nec domabimus omnimodo, at à noſtris ceruicibus repellemus:vt cuius animum pudor & religio non tardant,neque conſcientia frenat, candidus ſenex eius artes diluat, argumenta ſoluat, infidelitatem arguat,mendacium euincat, quò impudẽtiſsimus quiſque repulſus,conuictus,fractúſque diſcedat. volo tamen primum admonere,quòd neque poſſum, aut debeo cælare, Antonium abbatem glorioſiſsimum teſtamento ſuo cauiſſe,vt melotem & pallium tritum, cui ſuperiacebat, Athanaſio epiſcopo darent. quapropter idem ipſe Athanaſius, quaſi de alio,ſic de ſe narrat: Legatarius autem Antonij benedicti, qui tritum pallium cum melote eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneri-

Aug. de ciu. Dei et alibi Hieron. cõtra Vig. & alibi. Athanaſ. in vita Ant. abb.

bus amplectitur,&, tanquam magna hæreditate ditatus, lætantur per veſtimentum recordatur imaginem ſancti-tatis. Volui hæc præmittere Caluine, tum vt non nihil etiam, quaſi aliud agens, de honore, quo veſtes ſanctorũ omni ſæculo viri doctiſsimi proſecuti ſunt, attingerem, tum etiam vt paululùm conſideres, an meritò à ſuffragij iure ſit Athanaſius repellendus, quòd eius vitam deſcribat, à quo munera ſe accepiſſe, nullo cogente, liberè fatetur. verùm valeat Caluinus, viuátque perpetuò Antonij gloria cum ſuo encomiaſte Athanaſio: quem, audire etiam atque etiam oro, ne tibi graue lector ducas. Hoc fratres, quòd per omnes prouincias amor eius, famáque volitauit, quem nec librorum diſſeminatorum oratio luculenta, nec mundanæ ſapientiæ diſputatio, nec nobilitas generis, nec opum infinita congeſtio commendauit, cui omnium eſt aſcrebendum, niſi Chriſto, cuius hoc, ſicut & ceterorum beatorum donum, & eiuſdem gloria & honor, eſt? qui deuotos animos erga ſuam præuidens maieſtatem, hominem alio pænè orbe cælatum, & inter tantas poſitum ſolitudines, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyrico, ipſi etiam, quæ caput eſt vrbium, Romæ, vt in exordio, promiſerat, demonſtrauit. creatoris eſt iſta benignitas, Chriſti hæc eſt iſta maieſtas, qui famulos ſuos, licèt nolentes, nobilitare conſueuit. ſciántque vniuerſi, quòd ſaluator noſter IESVS Chriſtus glorificantes ſe, non apud patrem modò, verùm vbique magnificè glorificat, & ſeruientibus ſibimet non tantùm regna cælorũ, ſed etiam hîc, etſi in montium ſecretis latitent, famæ eorum tribuit nobilitatem: VT ET IPSI FRVANTVR LAVDE MERITORVM, ET CETERI EORVM IVVENTVR SVFFRAGIIS, ET PROVOCENTVR EXEMPLIS. ſi neceſſariũ fuerit, librũ hunc & gentibus legite, vt vel ſic agnoſcant, quia dominus noſter IESVS Chriſtus non ſolùm eſt Deus, glorioſus Dei filius, ſed etiam his, qui eum ſolicitè colunt, & in eum fideliter credunt, poteſtatem dedit ſupra dæmones, quos illi deos arbitrantur, poteſtatem dedit ſupra morbos, quò ſic ab hominibus honorentur, ac inuocentur, non minùs, quàm eos apud patrem honorificaturum ſe, in euangelio ſancto ſuo clamabat. Cyprianus etiam ad

Cypr. ad Corn. papã. Cornelium papam, Memores, inquit, noſtri inuicem, concordes, atque vnanimes, vtrobique pro nobis ſemper oremus, preſſuras & anguſtias mutua caritate releuemus. ſi quis hinc noſtrum, diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Deũ noſtra dilectio: PRO FRATRIBVS, ET SORORIBVS NOSTRIS APVD MISERICORDIAM PATRIS NON CESSET ORATIO. Si verba horum doctorum, Caluine, ſingula appenderentur, & conferrentur cum tuis, quàm longè alius inuenietur Deus Athanaſij, & Cypriani à Deo tuo? iſte tuus inuidus eſt, ſuæ laudis nimis æmulus, nullo gradu, & quos ipſe magnificauit, honorari, atque inuocari ſinẽs: ille verò Athanaſij & Cypriani Deus, qui & noſter eſt, omnem honorem ſanctis ſuis exhibitũ, ſibi ipſi delatum reputat: ſi ſancti inuocantur, ſe tunc maximè accerſiri, & vocari in auxilium ſentit, & ducit. Viuat igitur hic Deus, regnet ſuper nos in ſæcula, eſto dominus noſter, dominetur nobis, ſeruiamus ei, adoremus eum, pleniore ore ac ſine exceptione laudemus infinitã eius maieſtatem, commendationem omnem noſtram ei acceptam referamus, quam in dies horáſque in ſanctis hominibus magis lucere videmus: congerant in eũ beatæ mentes conſuetas laudes: (quamuis non ignorem, neminem ſatis eum pro dignitate poſſe laudare) ſit ei gloria, ſit laus, ſit imperium, ſit ſplendor ac decus, qui tot quotidie ſuarum rerum geſtarum teſtes & laudatores excitat.

Chriſti diuinitas & humanitas, ſine confuſione, aut miſtione ſubſtantiarum, ex vtroque teſtamento productis locis probatur, de communicatione idiomatum agitur, atque vera fidei confeſſio paucis traditur. CAP. XXIIII.

Pars ſecunda libri huius.

NOn tibi ſatis erat Caluine, nouitios nos in fide vnius Dei appellaſſe, niſi etiam adiungeres, *quibus & Chriſtus nouus eſt.* *In epiſtola.* num Chriſtus noſter heri, aut nudiuſtertius natus eſt, vt nobis nouus ſit, aut habeatur? eius ego ſubſtantiam, atque dotes breui, nec ſatis elaborato ſermone ſcio, quàm ſit difficile comprehendere: verùm ipſius auxilio nixus cum tremore, atque horrore rem tantam ſolùm attingere tentabo. Aeternus atque humaniſsimus

Deus factus eſt in tempore homo, vt mediatoris officiũ præſtaret. magnopere enim noſtra interfuit, verum eſſe Deum, & hominem, qui mediator noſter futurus eſſet. de neceſsitate ſi quæritur, non ſimplex quidem, (vt vulgò loquuntur) vel abſoluta fuit, ſed manauit ex cæleſti decreto, vnde pendebat hominum ſalus. ceterùm, quod nobis optimum erat, ſtatuit clementiſsimus pater. cùm enim iniquitates noſtræ, quaſi interiecta inter nos & ipſum nube, nos à regno cælorũ prorſus alienaſſent, nemo, niſi qui ad eum pertingeret, pacis reſtituendæ interpres eſſe poterat. quis autem pertigiſſet? quiſquámne ex filiis Adam? atqui omnes cum parente ſuo ad cõſpectum Dei horrebant. angelorum aliquis? ſed eis quoque opus erat capite, per cuius nexum ſolidè & intime Deo ſuo cohærerent. quid igitur? deplorata certè res erat, niſi maieſtas ipſa Dei ad nos deſcenderet, quando aſcendere noſtrum non erat. ita filium Dei fieri nobis Emmanuel, oportuit, id eſt, nobiſcum Deus: & hac quidem lege, vt mutua coniunctione, eius diuinitas, & hominũ natura inter ſe coaleſcerent, alioqui, nec ſatis propinqua vicinitas, nec affinitas ſatis firma, vnde nobis ſpes fieret, Deum nobiſcum habitare. tantum erat inter ſordes noſtras, ac ſummã Dei munditiem diſsidium: vt quamuis ab omni labe integer ſtetiſſet homo, humilior tamen eius foret cõditio, quàm vt ſine mediatore ad Deum penetraret. quid ergo facturus exitiali ruina in mortem & inferós demerſus, fœdatus tot maculis, corruptione ſua fœtidus, obrutus deniq; omni maledictione? iccirco non abs re Paulus, Chriſtum proponere mediatorem volens, diſertè commemorat, eſſe hominem. Vnus, inquit, mediator Dei & hominum, IESVS Chriſtus homo, poterat Deum dicere, poterat ſaltem & nomen hominis, ſicut & Dei, omittere: ſed quia ſpiritus, per os eius loquens, infirmitatem noſtram nouerat, vt tempeſtiuè occurreret, aptiſsimo remedio vſus eſt, filium Dei, tanquam vnum ex nobis, familiariter in medio ſtatuens, quandoquidem caro noſtra eſt. idem deſignat, quod alibi pluribus verbis explicat, non eſſe nobis pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris, quando ſit more noſtro, ſola peccati exceptione, per omnia tentatus. clarius etiam id fiet, ſi reputemus, *1.Tim.2.* *Heb.4.*

Cur Deus factus ſit homo, & de primo capite reconciliationis cum Deo.

quàm non vulgare fuerit, quod mediatori præſtandum erat, nempe in Dei gratiam nos reſtituere, vt faceret ex filiis hominũ Dei filios, ex hæredibus geennæ, regni cæleſtis hęredes. quis hoc poterat, niſi Dei filius foret, idem filius hominis, & ſic noſtrum acciperet, vt transferret nos ad ſuum? Hac ergo arrha freti, nos eſſe filios Dei cõfidimus, ſi opera tanti patris filiis digna fecerimus: quia naturalis Dei filius ſibi corpus de corpore noſtro, carnem ex carne noſtra, oſſa ex oſsibus aptauit, vt idem nobiſcũ eſſet. quod nobis propriũ erat, ſuſcipere grauatus nõ eſt; vt viciſsim ad nos pertineret, quod proprium ipſe habebat. atque ita in commune ipſe nobiſcum & filius Dei eſſet, & filius hominis. hinc ſancta illa fraternitas, quam

Ioan.20. ore ſuo commẽdat, vbi dicit, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. hac ratione nobis eſt certa regni cæleſtis hæreditas, ſi, vti dixi, patri noſtro obſequentes fuerimus: quia vnicus Dei

Deus homo filius, cuius ſolius propria erant cæleſtia omnia, nos ſibi fratres adoptauit. quòd ſi fratres, ergo & hæreditatis cõſortes. ad hæc apprimè vtile fuit, hac etiam de cauſſa, verum eſſe Deum & hominem, qui redemptor noſter futurus eſſet. eius ſiquidem erat, mortem abſorbere: quis hoc poterat, niſi ipſa vita? eius erat, peccatum vincere: quis poterat hoc, niſi ipſa iuſtitia? eius erat, mundi & aeris tempeſtates profligare: quis hoc poterat, niſi virtus & mundo, & aere ſuperior? porrò penes quem vita eſt, aut iuſtitia, aut cæli imperium, & poteſtas, niſi penes ſolum Deum? ſeſe ergo clementiſsimus Deus, in perſona vnigeniti, redemptorem noſtrum fecit, dum nos redemptos voluit.

Homo Deus. Alterum hoc noſtræ cum Deo reconciliationis caput erat, vt homo, qui ſe ſua inobedientia perdiderat, remedij loco obedientiam opponeret, iudicio Dei ſatisfaceret, pœnas peccati perſolueret. prodiit ergo verus homo dominus noſter, Adæ perſonam induit, nomen aſſumpſit, vt eius vices ſubiret, patri obediuit, vt carnem noſtrã in ſatisfactionis pretium iuſto Dei iudicio ſiſteret, atque in eadem carnem pœnam, quam meriti eramus, penderet. cùm denique mortẽ nec ſolus Deus ſentire, nec ſolus homo ſuperare poſſet, humanam naturã cum diuina ſo-

ciauit,vt alterius imbecillitatem morti obiiceret ad expiandapeccata,alterius virtute luctam cum morte ſuſcipiens,nobis victoriam acquireret. qui ergo Chriſtũ aut diuinitate, aut humanitate ſpoliant,eius quidem vel minuunt maieſtatem & gloriam, vel bonitatem obſcurant. Sed non minùs altera ex parte hominibus ſunt iniurij, quorum fidem ita labefactant,& euertunt, vt ea, niſi hoc fundamento nixa,ſtare non poſſet. adde,quòd ſperandus fuit redemptor ille, Abrahæ Dauidis filius,quem in lege, & prophetis Deus promiſerat. vnde alterũ fructum colligunt piæ mẽtes,quòd ipſa originis ſpecie, ad Dauidem & Abraham productæ,certiùs agnoſcunt, hunc eſſe Chriſtum,qui tot oraculis celebratus fuit. ſed illud,quod nuper expoſui,præcipuè tenendum eſt,cõmunem naturam pignus eſſe noſtræ cum filio Dei ſocietatis, carne noſtra veſtitum,debellaſſe mortem,cum peccato,vt noſtra eſſet victoria,& triumphus noſter,congreſſum,carnem,quam à nobis accepit,obtuliſſe in ſacrificium : vt, facta expiatione, reatum noſtrum deleret, & placaret iuſtam patris iram.cuius diuinitas,& humanæ quidem naturæ veritas, olim tam ab Arrianis,quàm à Marcionitis,& Manichęis impugnata eſt. alij puram creaturam, alij ſpectrum pro Chriſto corpore ſibi fingebant, alij demum cæleſti carne præditum ſomniabant. ſed his vtriuſque ſcripturæ teſtimonia repugnant. Porrò quod aſſerimus, æternum verbum, æterni Dei filium, carnem eſſe factum, non ſic intelligendum eſt,quaſi vel in carnem verſum.vel carni cõfusè permiſtum verbum fuerit: ſed quia è virginis vtero templum ſibi delegit, in quo habitaret, & qui filius erat Dei, filius hominis factus eſt, non confuſione ſubſtantiæ,ſed vnitate perſonæ.ſiquidem ita coniunctã, vnitámque humanitati diuinitatem aſſerimus,vt ſua vtrique naturæ ſolida proprietas maneat, & tamen ex duabus illis Chriſtus vnus conſtituatur. ſi quid in rebus humanis tãto myſterio poteſt reperiri ſimile,hominis ſimilitudo valde conſentanea videtur,quem ex duabus ſubſtantiis conſpicimus conſtare:quarum neutra tamen ſic alteri permiſta eſt, vt non retineat naturæ ſuæ proprietatem. neque enim aut anima,corpus, aut corpus, anima eſt. quare & ſeorſum de anima dicitur, quòd in corpus nullo modo

Neque maieſtas Chriſti imminuenda eſt, neque obſcuranda bonitas.

Antiqui hæretici Chriſti diuinitatem,& humanitatem oppugnarũt

In Chriſto nulla miſtio

cadere queat: & de corpore rurſus, quod nulla ratione animæ conueniat: de toto verò homine, quod nec de anima ſeorſum, nec de corpore, niſi ineptè accipi poſsit: animæ tandem propria transferuntur ad corpus, & propria corporis ad animã, qui tamen iis conſtat, vnus homo eſt, non plures. huiuſmodi autem loquendi formulæ vnã eſſe in homine perſonam, ex duabus connexis compoſitam, ſignificant, & duas ſubeſſe diuerſas naturas, quæ hanc cõſtituant. ita & de Chriſto ſcripturę loquuntur: etenim attribuunt illi interdum, quæ ad humanitatẽ ſingulariter referri oporteat, interdum, quæ diuinati peculiariter cõpetant, nonnunquam, quæ vtranque naturã complectantur: neutri tamen ſeorſum ſatis conueniant. atque iſtam quidem duplicis naturæ coniunctionem, quæ in Chriſto ſubeſt, tanta religione exprimunt, vt eas quãdoque inter ſe cõmunicent. qui tropus, veteribus ἰδιωμάτων κοινωνία dictus eſt. Hæc parum firma eſſent, niſi plurimæ, & paſſim obuiæ ſcripturę phraſes probarent, nihil eorũ humanitus fuiſſe excogitatum. Quod de ſe ipſo dicebat Chriſtus, Antè, quàm Abraham fieret, ego ſum. longè ab humanitate alienum erat. nec me latet, quo cauillo locum hunc deprauent erronei ſpiritus, nempe fuiſſe ſuperiorẽ omnibus ſæculis, quia iam tunc præcognitus fuit redemptor, tam in patris conſilio, quàm in mentibus piorũ. ſed cùm apertè diem manifeſtationis ab æterna eſſentia diſtinguat, & conſultò ab antiquitate imperium ſibi cõciliet, quo excellat Abrahã, ſibi haud dubiè vendicat quod diuinitatis eſt proprium. quòd cum primogenitum eſſe Paulus aſſerit vniuerſæ creaturæ, quòd ante omnia extiterit, quòd per ipſum omnia conſiſtant, quòd etiã ſe prædicat glorioſum fuiſſe apud patrem, ante mundum conditum, ſeque vna cũ patre operari, nihilo magis homini cõpetit. hæc igitur & ſimilia peculiariter diuinitati attribui certum eſt. Quòd autem ſeruus patris vocatur, quòd creuiſſe narratur ætate, & ſapientia apud Deum & homines, quòd gloriam ſuam non quærere, neſcire diem vltimum, à ſe ipſo non loqui, non facere voluntatẽ, quòd viſus & palpatus fuiſſe dicitur, ſolius humanitatis hoc totum eſt. ſiquidem quatenus Deus eſt, nec augeri vlla re poteſt, & omnia propter ſe operatur: nec quidquã cum

Cõmunicatio idiomatũ in Chriſto.

Ioan.8.

Coloſſ.1.
Ioan.17.
Ioan.5.
Ieſ.42. & alibi.
Luc.2.
Ioan.8.
Marc.13.
Ioan.14.

latet:agit omnia pro ſuæ voluntatis arbitrio,& eſt inuiſibilis & (vt ſic loquar)impalpabilis.neque tamen hæc humanæ ſunt naturæ dotes, quas ſeorſum ſibi aſcribat, ſed in ſe ipſum recipit,quaſi mediatoris perſonæ conueniāt. communicatio autem idiomatum, ſiue proprietatū eſt, quod dicit Paulus, Deum ſuo ſanguine acquiſiuiſſe ſibi eccleſiā,& dominum gloriæ crucifixum. item,quod dicit Ioannes atteſtatū fuiſſe ſermonem vitæ. Deus certè nec ſanguinē habet,nec patitur,nec manibus tāgi poteſt: ſed quoniam is,qui verus erat Deus, & homo Chriſtus, ſanguinem ſuum pro nobis crucifixus fudit:quę in humana eius natura peracta ſunt,ad diuinitatem impropriè, licèt non ſine ratione,transferuntur.ſimile eſt exemplum, vbi Ioānes docet, Deum poſuiſſe animā ſuam pro nobis.ergo ibi humanitatis proprietas cum altera natura cōmunicatur. rurſum,cùm diceret Chriſtus, adhuc in terris agens, neminē in cælum aſcendiſſe,niſi filiū hominis, qui in cęlo erat,certè tunc ſecundū hominē,& in carne,quam induerat, non erat in cælo:ſed, quia ipſe idem erat Deus & homo,propter duplicis naturæ vnionem, alteri dabat, quod erat alterius. Verùm omnium clariſſimè verā Chriſti ſubſtātiam enarrant loci, qui vtranque ſimul naturam comprehendunt, quales in euangelio Ioannis extant quamplurimi. ſiquidem nec deitatis ſingulare,nec humanitatis inſigne fuit,ſed vtriuſque ſimul,quod ibi legitur, poteſtatē accepiſſe à patre remittendi peccata,reſuſcitandi quos velit, iuſtitiam, ſanctitatem, ſalutem largiendi, perfectum eſſe iudicē viuis& mortuis,vt honoretur,quēadmodum pater:quòd denique lux mundi,paſtor bonus, vnicum oſtium,vitis vera nuncupatur. his enim inſignibus filius Dei, cùm in carne manifeſtatus eſt, præditus fuit: quas etſi vnà cum patre ante mundum conditum obtinebat,non tamen eodem modo vel reſpectu. & quæ homini,qui nihil, quàm homo eſſet, dari non poterant, in eundem quoque ſenſum accipere conuenit, quod apud Paulum habetur,Chriſtum, peracto iudicio, redditurum eſſe regnum Deo patri. regnum ſanè filij Dei nullum habuit initium,neque finem habiturū eſt. ſed quomodo ſub carnis humanitate delituit, & ſeipſum exinaniuit,accepta ſerui forma, depoſitáque maieſtatis ſpecie,

Luc.14. *Act.20.* *1.Cor.6.* *2.Ioan.1.* *Ioan.1.3.* *Ioan.3.* *Ioan.1.* *1.Cor.15.* *Philip.2.*

patri ſe odebientem præſtitit, ac eiuſmodi ſubiectione defunctus, tandem gloria & honore coronatus eſt, atque euectus in ſummum imperium, vt coram ipſo flectatur omne genu: ita tunc nomen ipſum & coronam gloriæ, & quidquid à patre accepit, patri ſubiiciet, vt ſit Deus omnia in omnibus. quorſum enim ei data poteſtas, & imperium, niſi vt per eius manum pater nos gubernet? quo etiam ſenſu dicitur ad patris dexteram ſedere.

Hebr.2.
Philip.2.
Co.15.

ATQVE hæc obſeruatio ad ſoluendum quàplurimos nodos non paruo vſui futura eſt, ſi eam ſcitè accommodent lectores. mirum enim, quantùm rudes, immo etiam quoſdam non prorſus indoctos torqueant eiuſmodi formulæ, quas vidét Chriſto attribui, nec diuinitati eius, neque humanitati ſatis aptas: quia nō conſiderant, eius perſonæ in qua Deus & homo manifeſtatus eſt, & mediatoris officio congruere. omnino verò vnicuique licet videre, quàm pulchrè inter ſeſe hæreant ſingula, ſi modò ſobrium habeant interpretem, qui tanta myſteria, qua decet religione, examinet. verùm nihil eſt, quod furioſi & phrenetici ſpiritus non perturbent: arripiūt attributa humanitatis ad tollendā diuinitatem, diuinitatis rurſum ad tollendam humanitatem: quæ autem de vtraque natura ſic cōiunctè dicta ſunt, vt neutri conueniant, ad tollendā vtranq;. id verò quid aliud eſt, quàm contendere Chriſtū non eſſe hominem, quia Deus eſt? non eſſe Deum, quia homo eſt? non hominem, non Deum eſſe, quia & homo ſimul & Deus eſt? Chriſtum ergo, vt Deus eſt & homo, vnitis, non confuſis naturis conſtans, dominum noſtrum, verúmque Dei filium eſſe conſtituimus, atque etiā ſubſiſtentem in humanitate, etſi nō ratione humanitatis, procul enim à nobis abigendus eſt error Neſtorij, qui, dum naturam abſtrahere potiùs, quàm diſtinguere vult, duplicem Chriſtum comminiſcebatur: quando ſcripturam videmus, clara voce reclamare, vbi & filij Dei nomen tribuitur ei, qui de virgine naſcitur, & virgo ipſa, mater domini appellatur. cauendū ab Eutychiana inſania, ne, dū volumus perſonæ vnitatem demonſtrare, vtranq; naturā deſtruamus. tot enim iam citauimus teſtimonia, vbi ad humanitate diſtinguitur diuinitas, & tot alia paſ-

Auguſt. in Enchr. ad Laur. c. 36.
Neſtorij impietas.
Luc. 1. 2.
Eutychiana hæreſis.

ſim extant, vt vel contentioſiſsimis poſsint os obſtruere. & paulò pòſt nonnulla ſubiiciam, quæ figmentum illud meliùs patefaciant. nobis in præſentia ſatis erit locus vnus. neque enim templum Chriſtus vocaſſet corpus ſuum, niſi diſtinctè in eo habitaret diuinitas. quamobrem vt meritò in Epheſina ſynodo damnatus fuerat Neſtorius, ita poſtea in Conſtantinopolitana à Chalcedonenſi Eutyches: quando non magis confundere duas in Chriſto naturas licet, quàm diſtrahere. & vt nihil commune habemus in rectæ fidei parænesi noſtra cum Martione, Eutychæ, ac Neſtorio, ita longè abſumus (vt patuit) à Seruetiana blaſphemia. atque, vt noſcas Caluine, qualis ſit noſtra ſententia de Chriſto IESV, accipe paucis. In hoc ſolo vno Deo vero atque homine, neque in quopiam alio nobis quærenda redemptio eſt: hic vnus propheta noſter, rex noſter, ſacerdos noſter: hic ſua obtemperatione, vita, paſsione, cruce, morte nos Deo, patri ſuo, reconciliauit: factúſque eſt nobis redemptio, atque ſalus: hunc omnem nobis promeritum Dei gratiam rectè ac propriè dicimus, & ingenuè confitemur. quid nos torques? quid ampliùs tibi vis? quid fruſtra extorquere à nobis moliris? hic Chriſtus nec initium nouit, neque ſucceſsionem, æternus Deus, in æternum & vltrà durans. quomodo igitur nobis nouus & recèns natus eſſe poterat, quando etiam ſecundum carnem ex Maria virgine puriſsima nâtum ante 1560 annos credimus, & confitemur? vis dicam Caluine? Chriſtus iuxta illuſtrem Eſaiæ ſententiam, poſitus eſt teſtis populis, propheta magnus, dux ac magiſter gentibus datus eſt. ſic enim idem propheta antè angelum vocauerat, aut quidem magni conſilij interpretem. Paulus item demum per eum locutum patrem affirmat. hic igitur Chriſtus notus eſt in eccleſia. at qui ſuo prophetico dono omne magiſterium ab eccleſia auferat, hic, inquam, Chriſtus, vt ſuperiore libro ſatis oſtendimus, nouus eſt. præter id quidem Paulus dicebat, abſconditos eſſe in eo theſauros omnes ſapientiæ & ſciētiæ Dei, vt iam nihil ſcire pretioſum duceret præter IESVM & hunc crucifixum, deinde, quòd ſit ſacerdos, ſcripturæ nihil magis clamant: at verò, quòd illius ſacrificio,

Ioan. 2. *Eſa. 55.* *Eſa. 9.* *Hebr. 1.* *Auguſt.* *Vincen. Lirin. & antiqui patres.* *1. Cor. 2.* *Ibidem.* *Luc. 1.*

in cruce peracto,contradicat ſacrificium altaris, hoc nouum & inauditum piis antiquorum patrum auribus eſt. nouus & inauditus certè eſt ſacerdos,qui ſanctiſsima liturgia offenditur. & multò magis Caluiniana calumnia nouitatis inſimulari meretur, ſcilicet deteſtabile magis eſſe noſtrum commentum,qui non contenti Chriſti ſacerdotio,nos ipſos ad eum mactandum ingerere auſi ſimus. quod quotidie nos tentare in papatu iſte aſſerit,vbi miſſa cenſetur immolatio Chriſti. non ibi patitur Chriſtus Caluine:vt enim verum ſit ibi Chriſti corpus, quod paſſum eſt,idem ipſum,quod crucifixum, quod mortuũ, idémque offeramus nos patri ſuo,quod ipſe obtulit, nẽpe corpus ſuum:tamen non ibi patitur,ſed fit memoria paſsionis,non crucifigitur,ſed facta ſemel crucifixio ſæpe hac oblatione refricatur,non moritur,ſed mortis eius memoria celebratur. etenim vt idem ſit vtrobique corpus,quod offertur, non tamen modo ſimili, vt dixerunt patres concilij Nicæni:quoniam hæc oblatio incruenta eſt,illa contrà,toto ſanguine effuſo. hæc oblatio eſt, & propitiatoria quidem illius mactationis, quæ in cruce peracta eſt recordatio,nõ hîc denuò hoſtia iugulatur,aut mactatur.verùm de Miſſa dicemus alibi commodiùs:iccirco nunc præterimus.

Hoſtia Chriſti duplex.

Chriſtum dominum morte ſua ſufficientiſsimè nos redemiſſe,& de terrore ipſius,ac pauore agitur: vbi inſignis Caluini hæreſis notatur,& confutatur.

CAP. XXV.

Act. 4. *Matth.*1. *Luc.*1.

HAbet itaque Chriſtus nomen,in quo damnati, mortui,& perditi vitam,iuſtitiam, ſalutem quæramus. hoc enim redemptoris ſcilicet munus ei iniunctum fuit, vt nobis eſſet ſaluator.iam vbi quæritur,quomodo, abolitis peccatis,diſsidium Chriſtus inter Deũ & nos ſuſtulerit,& iuſtitiam acquiſierit:generaliter reſponderi poteſt,toto obedientiæ ſuæ curſu nobis hoc præſtitiſſe.ſcriptura tamen,quò certiùs definiat modũ ſalutis,hoc morti Chriſti,cruci,& paſsioni,quaſi peculiare & proprium, aſcribit.is igitur Chriſtus,qui ſua innocentiſsima vita & morte ſalutem noſtram operatus eſt in terræ medio, is nobis nouus non eſt. vis audire Caluine, quis Chriſtus ſit nobis nouus,nouúſque redemptor habeatur? ille ſanè,

*Calui.lib.*2. *c.*16.*ſect.*8. 9.10.

quem in tua inſtitutione nos legimus. Sed, proh Deus, quis dicere ferat horrendam iſtius blaſphemiã in Chriſtum ſeruatorem noſtrum? certe horreo dicere. cum nimirum ſua corporea morte, quam ſubactus in crucẽ oppetiit, nos non redemiſſe, ſed animam eius ſacratiſsimam (domine redemptor mundi, ne mihi, referenti tam impudentem blaſphemiam, iraſcaris, oro) barathrũ adiiſſe, atque ibi vnà cum ipſis damnatis geennæ pœnas exoluiſſe. audite omnes, precor, audite, & mecum, precor, perpendite, vtrùm magis mirari debeamus magiſtrum, qui hoc genus doctrinas iactat, an diſcipulos, qui eas ſectantur. quis tam impius, quis tam inſaniens, quis tam omnis rationis, ac ſcientiæ expers, atque ignarus, vt hominem amotæ mentis imitari velit? Sed iam eum audiamus. *Nec verò deſcenſum ad inferos omittere conuenit, in quo ad redemptionis effectum non parum eſt momenti, vt, ea præterita, multum ex mortis Christi fructu depereat. nihil actum erat, ſi corporea tantùm morte defunctus fuiſſet Chriſtus:* ô bone Deus, quæ hæc blaſphemia in Chriſti mortem, cui redemptionem noſtram receptam infiniti loci ſcripturæ vtriuſque teſtamenti referunt? ſed perge. *Operæpretium erat, vt diuinæ vltionis ſeueritatem ſentiret, quò & iræ ipſius intercederet, & ſatisfaceret iuſto iudicio. vnde etiam eum oportuit, cum inferorum copiis, æternæq; mortis horrore, quaſi conſertis manibus, luctari. correctionem pacis noſtræ illi impoſitam fuiſſe propheta docet, fuiſſe propter ſcelera noſtra à patre percuſſum: quibus ſignificat, in locum ſceleratorum ſponſorem, vadem, adeóque rei inſtar ſubmiſſum ad dependendas, perſoluendáſque omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas, hoc vno duntaxat excepto, quòd doloribus mortis non poterat detineri. Ergo ſi ad inferos deſcendiſſe dicitur, nihil mirum eſt, cùm eam mortem pertulerit, quæ ſceleratis ab irato Deo infligitur:* quis noſtrûm, qui Chriſto nomen dedimus, queat hoc patienti animo legere? *Iſti,* inquit, *ſunt dolores, quos Petrus mortis dolores vocat. torqueri oportebat hac conſcientiæ anxietate, ac ſi à Deo derelictus fuiſſet, immo ac ſi Deum haberet infenſum. vbi enim illo articulo de morte Chriſti, cruce, & ſepultura, quæ in hominum conſpectu paſſus eſt Chriſtus, expoſita fuerunt, oportunè ſubiicitur inuiſibile illud & incomprehenſibile iudicium, quod coram Deo ſuſtinuit: vt ſciamus, non modò corpus Chriſti in redemptionem fuiſſe traditum,*

Sect.10.

ſed aliud maius & excellentius pretium fuiſſe. quod diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit: quaſi verò (vt nulla hîc ſanctiſsimæ illi animæ iniuria irrogetur) ſanguis Chriſti, pro redemptione cum illis animæ ac corporis doloribus quos catholica fides in Chriſto fuiſſe, iugi memoria recolit, non ſuffecerint pro nobis redimendis, niſi dirus ille animæ cruciatus, tremórque diuini iudicij, ac cæleſtis iræ adiungatur. *Iſti ſunt*, ait, *dolores, de quibus Petrus dicebat, Chriſtum reſurrexiſſe, ſolutis mortis doloribus, à quibus detineri, & ſuperari impoſsibile erat. per dolores intelligens eos, non quos dira mors in illo efficiebat, ſed quos parit maledictio, & ira Dei, quæ origo mortis eſt. Nec dubium eſt, quin idem docere velit apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, vbi ſcribit, Chriſtum à ſuo metu exauditum. (reuerentiam alij vertunt, vel pietatem, ſed quàm parum aptè, res ipſa euincit, & ipſa loquendi forma) Chriſtus ergo, cum lacrymis & clamore valide orans, à metu ſuo exauditur, non vt à morte ſit immunis, ſed ne abſorbeatur, vt peccator: quia illic perſonam noſtram gerebat. & certè nulla fingi poteſt magis formidabilis abyſſus, quàm ſentire, te à Deo derelictum & alienatum, & cùm inuocaueris, non exaudiri: perinde ac ſi in tuam pernitiem ipſe conſpiraſſet.* Dei filius, Caluine, etſi, vt homo clamaret, iam iam moriturus, Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti? nunquam aduerſum ſe iratum patrem ſenſit, neque timuit à Deo relinquendum & alienandum, qui patris iudicium intrepidus hac parte adibat, neque verebatur fore, vt peccatoris inſtar aliquando abſorberetur, vtcunque mortalis homo ad mortis anguſtias etiam in anima horreret, ac paueret. quòd verò propter metum dicis, exauditum eum non ob reuerentiam ac pietatem: neſcio vnde poſsis colligere. percurre Græcos omnes & Latinos, volue Hebræos codices, ac noſtros perlege ſanctos: etſi enim nonnulli, Pro ſua pietate, alij, Pro ſua caritate, item quidam, Pro ſua reuerentia, qua patrem proſecutus eſt, poſtremò alij, Pro ſua reuerentia, qua dignus erat à patre exaudiri legant, nullus tamen (quod ego ſciam) iſtius metus atque horroris, ne ſcilicet à patre abſorberetur filius, meminit. quod etiam ex præclara Petri oratione ſumit, Solutis doloribus mortis, quàm perperam ſit ab eo intellectum, vel ipſa eadem a-

Margin notes: *Act.2.* (beside "res, de quibus Petrus"); *Sect.11.* (beside "dubium eſt"); *Pſal.22.* and *Mat.27.* (beside "iam iam moriturus" / "nunquam aduerſum"); *Act.2.* (beside "clara Petri oratione").

poſtolica oratio optimè cōuincit. dicit enim ſic diuus Petrus, Impoſsibile erat eum teneri, ab ea ſcilicet morte. Dauid enim dicit de Deo, Prouidebam dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: inſuper caro mea requieſcet in ſpe. vnde Oecumenius, Solutis, inquit, mortis doloribus, hoc eſt, ipſa quoque mors, eum detinens, doluit, & velut graue aliquid paſſa eſt. vetus nanque teſtamentum, ὠδῖνας appellauit, id eſt, calamitates. vt cùm dicitur, Dolores, ſeu calamitates inferni circundederunt me. Quàm longè eſt ſanctorum ſenſus à Caluiniana interpretatione. an non videt homo iſte atrocem fieri Chriſto domino iniuriam? an non conſiderat, quàm minimè conſentaneum ſit, eum de animæ ſalute timere, qui animam & creat, & ſanctificat? quòd ſi (vt facit) obiiciat quidquam de metu ac pauore Chriſti, quem tam apertè prædicant euangeliſtæ, controuerſiam à nobis improbè moueri: reſpondeo, quòd nos de illo metu, quem tam apertè euangeliſtæ prædicant, neque pauore illo ac mœſtitia, qua, morte oblata ſanctiſsima illa anima corpori ſuo compatiens, ac benignè condolens premebatur, nullam mouemus controuerſiam: at verò præter hunc metum in Chriſto domino damnatorum horrorem, ne ſcilicet ſceleribus abſorberetur, etiam ſi peccata noſtra pertulit Chriſtus, quærere, non mediocrem blaſphemiam iudicamus. nam, quòd ſpiritu turbatus legitur antè, quàm tempus mortis inſtaret, quòd mœrore affectus eſt, quòd in ipſo congreſſu cœpit pauere, atque ipſum tędere, etſi ſimulatio non fuit, magis tamen ſe verum hominem demonſtrabat, qui ad præſentiam tam aduerſa vitæ ſuæ, & ad futura, quæ longè antè præuidebat, expaueſcebat, quàm vt ad iudicium, quod cum Deo, tanquam peccator, ſuſtineret, exhorreſceret, timerétque non ſe exauditum iri more damnatorum. Chriſti triſtitiam profiteri non nos pudet, qui verum eum hominem, ac mortalem, & pro infinitis mundis patientem, peccatáque noſtra apud patrem redimentem prædicamus, credimus, ac confitemur. hác triſtitiam Chriſti verè nos docuit Ambroſius, iſtam verò tuam, nunquam. luctari cum

Pſal. 15.

Oecumenius.

Pſal. 17.

Quis timor & horror in Chriſto fuerit.

De triſtitia Chriſti.

Ambroſ.

hac triſtitia, nihil vtique inde cæleſti glorię eius decidit: quoniam etſi ex infirmitate aſſumptæ naturæ triſtabatur, ex potentia verò diuinæ ſubſtantiæ reſurgens lætabatur. quod enim mortuum eſt, mortuum eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo. luctari autem ſi dicamus cum hoc metu, qualem non martyres patiuntur, qui pro Dei lege & honore mortẽm oppetunt, ſed qualem ſcelerati, ne iuſto iudicio in æternum abſumantur, ſuſtinent, nimium de cæleſti ſua gloria, maieſtate, innocentiæ, cognitione, omnibúſque Chriſti dotibus detrahitur. infirmitates noſtras in ſe ſuſcipere grauatus non eſt: at diros huiuſmodi in anima cruciatus, quos parit non tormenmentorum corporis acerbitas, non multorum peccatorum ingratitudo, non ipſa coniunctio intima nobiliſsimæ animæ cum malè oppreſſo corpore, ſed quos parit maledictio, & ira Dei, innocens Chriſtus, Deo carus, ac gratus, vnde eos timeret, non habebat. expertum quidem eſſe eum noſtras infirmitates, ſitim, pauperiem, ſudores, labores, crucem, mortem denique ipſam, diuus Paulus nos docet: at damnatorum, ſceleratorúmque hominum infirmitates in ſpiritu illo puriſſimo quærere, blaſphemum eſt. Dei ſpiritus optimè hæc duo ſibi conciliat: Chriſtum tentatum fuiſſe per omnia, ſicut & nos, hoc eſt, omni genere malorum, quibus vita noſtra obnoxia eſt, & quæ moleſta eſſe poſſunt carni infirmæ: atque quòd fuerit abſque peccato. igitur, quòd ſceleratorum mors obnoxia, infelicéſque homines Dei iudicium horrent, id, ĩnquam, Chriſto tribuere, ſacrilegium ac blaſphemum fuerit. Non nos terret infirmitas Chriſti Caluine, ea ſcilicet, cui vt ſe ſubiiceret, non violentia, ſed âmor, ac dilectio impulit: bene nos terret ea infirmitas, cui vt ſe ſubiiceret, non niſi propria ſcelera (à quibus ipſe agnus immaculatus longè aberat) cogere potuerunt. ſcilicet diuini iudicij iram, terrorémque permiteſcet, ne videlicet inde condemnatus exiret, qui omnium ſe à patre conſtitutum iudicem viuorum ac mortuorum prędixerat. quidquid in anima & corpore ſponte pro nobis paſſus eſt, nihil ex eius imminuit virtute: quidquid tamen, ne abſorberetur à Dei ira, veretur, nimium ex illius felicitate, gratia, innocẽtia minuit. in nullo falluntur ob-

Rom. 6.

Eſa. 40. 53

Quæ infirmitates fuerũt in Chriſto.

Heb. 4.

Ibidem.

trectatores tui, vt vocas Caluine, ſed quo pacto intra obedientiæ fines ſeſe Chriſti infirmitas omni vitio, labéque pura, & vacua continuerit, optimè Dei gratia agnoſcimus: quantùm ſe ille pro nobis abiecerit, probè Dei munere callemus: quàm fuerit doloribus vndique circumplicatus, egregiè nos ſcriptura vtraque docet. neque hac noſtra vlna perperàm moderationem & tolerantiam paſsionum Chriſti metiri cum noſtra volumus Caluine: in ipſo ſiquidem ſumma fuit: in naturæ verò noſtræ deprauatione ferè nulla conſpici poteſt. vbi niſi peculiare Dei donum animum impleuerit, omnes affectus impetu turbido modum excedunt. Dei itaque filius cùm integer eſſet, in cũctis eius affectibus moderatio viguit quæ in dolore & mærore exceſſum cohiberet. deinde, quamuis mortem Chriſtus timuerit, verus homo, nimiúmque delicatus, ídque moderatione ea, quæ in Chriſto ſumma erat: tamen maledictionem timuiſſe, & iram Dei, à qua ſe tutum eſſe videbat, quo pacto metuere Chriſtus potuit? ſed quia callidiſsimus Satan multorum innocentiæ ſermone populari hîc inſidiatur, pretium operis me facturum arbitror, ſi quæ iſte blaſphemat de Chriſti metu, ad diuinũ iudicium, & ad Dei iram, ac maledictionem ſanctorum teſtimoniis confutauero. *Expendant pij lectores, quàm honorificum hoc ſit Chriſto, molliorem ac magis meticuloſum fuiſſe, quàm pleróſque gregarios homines. contumaciter ad mortem properant latrones, aliíque malefici, eam multi alto animo deſpiciunt, alij placidè eam obeunt: eius ergo horrere filium Dei fuiſſe perculſum, & propè attonitum, cuius fuiſſet conſtantiæ, vel magnitudinis? quod enim prodigioſum cẽſeri vulgò poſſet, de eo refertur: præ vehementia cruciatus, guttas ſanguinis ex eius facie fluxiſſe. neque verò ſpectaculum hoc præbuit aliorum oculis: cùm enim in arcano receſſu gemitus ſuos ad patrem dirigeret, dubitationem eximit, quòd angelum, qui inſolita conſolatione eum erigeret, è cælo deſcendere neceſſe fuit. quàm pudenda (vt dixi) fuiſſet hæc mollities, euſque torqueri ob communis mortis formidinem, vt ſanguineo ſudore difflueret, neque poſſet recreari niſi angelorum conſpectu? Quid? illa precatio ter repetita, Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. an non ex incredibili amaritudine animi profecta oſtendit, aſperius & magis arduum fuiſſe Chriſto certamen, quàm cum morte communi?* hinc iam col-

Chriſti tolerantia, qua, ac quanta fuerit.

Cal. ſect. 13

Matt. 26.

ligit Caluinus, nos, quos nugatores & nebulones vocat, quibuſcum nunc diſputat, audacter garrire de rebus incognitis, quia nunquam ſeriò reputauimus, quid ſit, aut valeat nos redemptos eſſe à Dei iudicio. Principiò, mihi ex Caluino percunctari libet, qui ſunt iſti nebulones & nugatores, qui de morte, non de Dei iudicio, de paſsionibus. non de Dei ira, de mortis crudeliſsimæ acerbitate, non de diuina indignatione ſic timentem faciunt, vt præ anguſtia ſanguineo ſudore manauerit, patrem orauerit, angelica tandē conſolatione confortatus fuerit? qui ſunt, per Deū immortalē rogo & oro te Caluine, qui ſunt iſti, qui nunquam ſeriò rem iſtam reputarunt? quo ſæculo, qua ætate à Chriſto paſſo, vnde triſtitia IESV Chriſti horror, ſudor ſanguineus, oratio, angelica cōſolatio profluxerint, ignoratū eſt? quis ab apoſtolis, donec ad nos veniātur, metū ſcilicet, ne à Deo abiiceretur, timorémq; de diuino iudicio, ne innocens abſorberetur, tanti horroris vtique cauſſam fuiſſe, præter vnū Caluinum foras miſit?

Vera & catholicæ fidei confeſsio de horrore Chriſti.

HAEC omnium catholicorum ſuper hac re ſententia, vna vox, vna fides, unum hoc iudicium: Corpus illud redemptoris noſtri, ex ſanguine puriſsimæ puellæ ſumptū, ipſum quoque fuiſſe puriſsimum ac tenerrimum neceſſe erat. inde ortum crediderunt ſemper ſancti, vt ſummus in eo doloris morſus foret, etiā longè acerbiſsimus, grauioribúſque cruciatibus vrgeretur, quàm craſſa hæc noſtra vulgaria corpora, peccato corrupta, ex denſitate & ſpurcitie materiæ in torpidum ſtuporem vergentia, & in peiorem degenerantia naturam. hoc erat ſacrificium patri multò gratiſsimum, dum videret filium nihil quamlibet aſperum recuſare, vt illi obtemperaret. hoc & auget debitum noſtrum erga Chriſtum, & ipſius erga nos omnes caritatem ingentem patefacit. poſuit animam ſuam dilectam ſibi pro nobis: neque verò ita, quemadmodum veſtem, ſed cum incredibili cruciatu. hoc eſt amoris robur, vt aſpera omnia, & dictu atrocia ſuperet, vincat, proſternat, nec aliter in ſe abſorbeat, quàm validus ignis aſperſas aquæ guttulas. teneritati huic, & ſenſui valde delicato accedebat intelligentia ac cognitio futurorum: videbat præſentem ignominiam, nuditatem, ſubſannationes, flagra, verbera, crucem amariſsimam at-

Feruor caritatis Chriſti

Ierem. 12.

que atrociſsimam: ea ſcientia metum carnis teneræ ita confundebat, vt caro ſeſe contraheret, & tam acerba guſtatu refugeret, ac formidaret. mens quidem ſubinde conabatur erigere decidentem carnem ad obſequium paternæ voluntatis: vnde tanta eſt in carne orta conſternatio, vt in diſcrimen imminens prorſus intenta in eum ſudorem ſit reſoluta: atque ex toto corpore velut ſanguineæ guttæ in terram diſtillarunt. aderat angelus, qui cõſolaretur afflictam carnem, & qui præſentiæ diuinitatis admoneret. quippe & periculi magnitudo, quod prouidebat, corporis vniuerſam firmitatis compagem diuellebat. ſi noſſe cupis ô homo, quantam crudelitatem ſupplicij futuram ſperaret Chriſtus, tunc expendes prudenter, ſi cogitando recordaueris, quòd vel ipſa cogitatio ſola ſudorem ſanguinem in eo expreſſerit. Hæc hæc, non alia ſanctiſsimi & admirandi illius ſudoris cauſſa, hæc vna origo, hic vnus fons, & quidem patentiſſimus ad omnem anguſtiam, mærorem, anxietatem, & cruciatum. huic confeſsioni teſtimonium perhibent ſancti omnes, ne vno quidem excepto. huc referri debent manifeſtiſsimi illi ſcripturarum loci de cruciatibus ac dolore Chriſti ob tam diram mortem in tenerrima carne, cui anima coniuncta blandiebatur. Attritus eſt & percuſſus, dicebat Eſaias. iſti ſunt dolores mortis, de quibus Petrus non à metu iræ & iudicij, ſed ab iſtis doloribus eſt liberatus: & dum eos pro nobis patri ſuo offert, exaudiri meruit ob ſuam ipſius pietatem ac reuerentiam. ab iſtis doloribus profecta eſt vox illa iam morituri, Deus Deus meus reſpice in me. rurſum illa, Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat a me calix iſte. quis calix ô filij Dei? quis? hic, quẽ pater vult, vt bibã, qui me in ſudorẽ ſanguinẽ vel ſua recordatione cogit: hic, ad quẽ martyres inuitabã dicẽs, Poteſtis bibere calicẽ, quẽ ego bibiturus ſum? atq; domine calix hic mors erat, non metus, non anxietas, ne patri non probareris. ab hac hora, tot cruciatibus plena, eripi à patre, non à metu diuini iudicij poſtulabat filius dicens, Pater libera me ab hac hora. Expende igitur hic æquiſsime lector, & quicunque Chriſtiane homo, quàm fuerit tetrum miſerum, deteſtabile, quod Caluinus dixit, molliorem Chriſtum fuiſſe, quàm pleroſque gregarios homines, ſi tan-

Quæ in Chriſto terrorem gignere potuerunt.

Eſa. 53.
Act. 2.
Heb. 5.
Pſal. 22.
Mat. 27.

Calix Chriſti, quis, & quæ ipſius hora.

Mat. 20.
Marc. 10.
Ioan. 19.

tùm eam mortem timuiſſet, facta egregia comparatione (vt Caluinum decebat) mortis Chriſti ad aliorum malefactorum hominũ cruciatus. per huiuſcemodi dolores ac pœnas ſentire, quanti conſtiterit Dei filio ſalus noſtra, catholica fides docet: at per confictum illum metum à deteſtabilibus hominibus humana & Satanica ſapientia eſt.

De Chriſti deſcenſu ad inferos, déque Caluini ſumma impietate, quæ ſanctæ ſcripturæ locis, ac ſanctorum teſtimoniis efficaciter conuincitur.

CAP. XXVI.

SEd iam, quò omni ex parte Caluinianus error manifeſtè deprehenſus appareat, addamus & hìc, quàm de deſcenſu Chriſti ad inferos contra eccleſiam, & ſcriptores ſanctos loquatur. *Si nunc roget*, ait, *quiſpiam, an tunc deſcenderit Chriſtus ad inferos, cùm mortem deprecatus eſt: reſpondeo, hoc fuiſſe exordium, cùm damnati ac perditi inſtar ſe ad tribunal Dei reum ſtare cognoſceret noſtri cauſſa. occultauit autem ſeſe ad momentum vis diuina ſpiritus, vt locum infirmitati carnis cederet?* quòd ſi præter maledictum atque horrorem, quem iſta verba præſeferunt, obiicias, ante ſepulturam non in coactum modò deſcenſum ad inferos, ſed pænè abſolutum: reſpondet, nimis friuolam & perridiculam eſſe noſtram hanc exceptionem. Cur ita? *Nam vbi quæ in hominum conſpectu paſſus eſt Chriſtus, expoſita fuerunt, oportunè ſubiicitur inuiſibile illud & incomprehenſibile iudicium, quod coram Deo ſuſtinuit*. ſi rurſum obiicias, quòd Chriſtus deſcenderit ad animas patrũ, qui ſub lege mortui fuerant, non, vt cum dæmonibus (horret animus dicere) in inferno infimo pateretur, ſed vt nuntium peractæ redemptionis perferret, atque erueret eas ex carcere, vbi incluſæ tenebantur: reſpondet Caluinus, *Quoniam fabulæ ſunt (tametſi magnos auctores habeãt) non quæcunque, ſed aniles ſimul & pueriles*. quàm tibi longè melius & præſtabilius fuiſſet Caluine, veterum patrum tenuiſſe veſtigia de Chriſti deſcenſu, quàm ſic miſerè in errorum abyſſum prolabi, & tam indigna, intoleranda, atque iniqua tua dogmata, importunáque ſomnia Chriſti eccleſiæ legenda & credenda obtrudere. Diuus Hieronymus de eo Chriſti deſcenſu hæc ſcripſit, Terra Mortuorum diripitur,

Hieronym. Oſeæ 13.

pitur, atque vaſtatur, quando morte Chriſti apud inferos animæ liberantur. ruſſus in id Pauli, Quod autem deſcendit, quid eſt, niſi quia deſcēdit in inferiores partes terræ? In interiora terrę infernus accipitur, ad quæ dominus, noſtérque ſaluator deſcendit, vt ſanctorum animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad cælos victor adduceret. vnde poſt reſurrectionem plurima corpora ſanctorum viſa ſunt in ſancta ciuitate. idem habet ſæpe in aliis locis, vt cum illud *Zachariæ* interpretatur, Tu in ſanguine teſtamenti tui deduxiſti vinctos de carcere. & alibi ſæpe. Ambroſius idem ſuper hoc ſenſit. Chriſtus inquit, per corporis mortem penetrauit infernum, vt ſolueret alligatos. Diuus Auguſtinus hand aliter de hoc iudicauit, qui ſic ait, Mox vt ſpiritum reddidit Chriſtus, vnita ſuæ diuinitati anima, anima ad inferorum profunda deſcendit: & electos inde extraxit, Ero, inquit, mors tua ô mors, morſus tuus ero ô inferne. is electus erat, qui eſſet mors mortis, mortémque funditus occideret. & quia ex inferno partem abſtulit, patrem reliquit, non occidit penitus, ſed momordit infernum. Damaſcenus eam, quam fabulam puerilem eſſe hîc garrit Caluinus, ex multis ſcripturarum locis depromit, ſatíſque dilucidè probat. Leo ille primus huius nominis papa, vir inſigni eruditione, ac pari vitæ, morúmque candore orbi Chriſtiano commendatus, ſic quoque ait, Propter quos ad inferna deſcēdit, eos in cæleſtibus collocauit. id ipſúmq; eſt, quod Paulus dicit, Chriſtum expoliaſſe principatus ac poteſtates. Sanctus etiam Cyprianus diſertis idem verbis prodidit, inquiens, Chriſtus, deſcendens ad inferos, captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit. & omnino conuenit, vt eo tempore, quo Chriſtus captiuos reduxit ab inferis, reconciliati peccatores ad eccleſiam reducantur. Beatus etiam Ignatius non aliud habuit perſuaſum de eo fidei articulo: quippe qui hæc ſcripſit, Deſcendit Chriſtus in infernum ſolus, aſcendit verò cum multitudine. Eat nunc Caluinus, & non ſolùm non locutus ex ſcripturis expreſſis, vt alias ſe facere iactitat, verùm etiam contra expreſſum Dei verbum, contra expreſſum ſanctorum & eccleſiæ ſenſum neget, quòd portas æreas & vectes ferreos confregerit dominus, quòd redemerit vinctos è pu-

Epheſ.4.
Zach.9.
In Mat.11
In Epiſt.ad Epheſ.1.
Ambr.ſer. 19. in pſal. 110.
Vide eũ ad Rom.5. & ad Ephe.4.
Aug.to.10. ſerm.137.de tempore.
Damaſ.li.3 cap.vlt.
Leo ſerm.3. de natali.
Coloſſ.2.
Cyp.de chriſmatis vnctione ſerm.1.
Ignat.epi.2
Pſal.106

teo, in quo non erat aqua, quòd prædicauerit captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, quòd captiuam duxerit captiuitatem, & cetera huiuſmodi, è quibus verũ eius articuli de deſcenſu Chriſti ad inferos ſenſum ſancti ab initio eccleſiæ eruerunt. Hilarius etiam, quem in ſua ſcripta Caluinus torquet, expreſsè nobiſcum ſentit, cum alibi, tum maximè in libro tertio de trinitate. Filius, inquit, Dei in infernis eſt, ſed homo refertur ad cælum. Sed quò feror? vna ſemper hæc vox fuit in eccleſia, hoc vnum & idem ſenſerunt omnes. valeat igitur quicunque blaſphemus, qui inter Chriſtum & damnatos nihil præter hoc differre vult, quàm illud in Chriſto temporariũ fuiſſe, quod patiebatur in his perpetuũ, obſtruatur os hominis. inique loquentis, Chriſtum ſcilicet IESVM, magis iudicium ſuæ cauſſæ timuiſſe, ſicut ceteros damnatos, quàm mortem crudelem exhorruiſſe. pereat cor, quod tam incredibilem blaſphemiam exhalare potuit, Chriſtũ videlicet nihil egiſſe ſua morte, pro nobis ſuſcepta, ad placandam patris iram, niſi more damnatorum ſentiret ſibi Deum iratum, atque ab eo derelictum: & alia, quæ nec referre quidem pius animus, nec audire piæ aures ſuſtinent. contrà tamen feliciſsimi viuant, quibus Chriſtus toto vitæ ſuæ curſu, ſanguine vero, & morte ſua vitam peperit, ſepultura ſecum conſepeliuit, deſcenſu de carcere liberauit, reſurrectione viuificauit, gloria poſtremò beatificauit. à nobis etiam perpetuò Deus hic pariter & homo Chriſtus IESVS ametur, colatur, atque adoretur. verè mendacium non paruũ operatus eſt hic ſtylus ſcribæ iſtius, confuſus eſt ſapiens iſte, perterritúſque, ac nimia cæcitate captus. verbum domini etiam in damnationem proiecit, & ſapientia in eo nulla eſt, liceátque mihi diui Polycarpi in hęreticorum blaſphemias epiphonema vſurpare, O Deus bone, in quænam ſeruaſti me tempora, vt iſtæc blaſphema ſuſtineam? ſi hæc apoſtolicus ille Polycarpus, aures ſuas continens, lector Chriſtiane, ad Florini cuiuſdam à traditione apoſtolica variantis dogmata exclamabat: quid eum hodie & facturum & dicturum, immo exclamaturum credamus, vbi non modò omnis apoſtolorum doctrina profanatur, euertitur, proculcatur, verùm etiam in Dei filium importunè blaſphe-

Zach.9. Eſa.61. Pſal.63. Epheſ.4. Hil.li.3. de trin. & lib. Ierem.8. Ex Irenæo apud Euſeb. lib.5.c.20. Polycarpi querelæ contra hæreticos

matur? præceſſerat blaſphemus Arrius,ceteríſque Chriſti diuinitatis hoſtes, nemo iam deeſſe videbatur præter eum, qui innocentiæ, ſcientiæ, ſpei, demum toti morti eius inſidiaretur, & de eo, tanquam de ſcelerato quopiam ac damnato,ſua ſententia pronuntiaret.multò quidem (ſi rem expendas)ſceleratior atque iniquior erit iudice illo,qui flagitioſis hominibus Chriſtum annumerauit,quiſquis reputat eum cum nequam hominibus huius ſæculi, & qui in damnatorum numero pro determinato quidem tempore Chriſtum eſſe vult. ſed properemus, vt quod vltimo loco dicit,nos euangelium neſcire, explicatiùs euoluamus.

Quid ſit euangelium,& quòd id non ſola euangelij ſcriptura conſtet, oſtenditur, atque Caluini ſententia de differentiis noni ac veteris teſtamēti proponitur. CAP. XXVII.

Pars tertia libri huius

POſt Deum, ac Chriſtum nihil præſtantius habemus, quàm euangelium: quamobrem mirari minimè debemus, ſi tanto ſtudio Satanas per ſuos miniſtros vnum hoc molitur, quòd ſcilicet eo non minùs, quàm Deo & Chriſto ſpoliet. quod & Caluini verba, quæ in epiſtola habet, ſatis profectò indicant. *His*, ait, *doctrina noſtra noua videbitur, quibus euangelium Chriſti nouum eſt*: certè doctrina iſta nobis pluſquam noua habetur. ſupereſt itaque, vt experiamur, an iuxta alteram tuæ copulatiuæ partem ſit nobis euangelium nouum. Res clariſsima eſt Caluine, longè aliud eſſe euangelium, quàm ſcripturam euangelij: quamuis euangelij nomine interdum ſermo ipſe euangelicus, ſiue euangelica ſcriptura exprimatur. ſicut aliud eſt ſcriptura euangelij intus ſcripta in cordibus apoſtolorum, ac fidelium, aliud eſt ſcriptura ipſa corporeis characteribus exarata. erat quidem euangelium,cùm ad apoſtolos loqueretur Chriſtus,Euntes in mundum vniuerſum prædicate euangelium omni creaturæ. rurſum, Vbicunque prædicatum fuerit euangelium hoc, in toto mundo dicetur. & Paulus fidem, quam docebat de Chriſto, de regno,déque aliis euangelio propriis, euangelium vocabat.quibus certè temporibus ſcripturæ non erant. quæ ſanè conſidera-

Cal.in epiſt.

Aliud eſt euāgelium, aliud euangelij ſcriptura.

Matth.vlt.

Matt.26.

tio ſi tam accuratè obſeruata fuiſſet à Sacramentariis; quàm eſt nobis minimè noua: non ſic nobis expreſſum Dei verbum obiectarent hæretici. accurata igitur circũſpectione conſiderandum eſt omnibus, euangelium eſſe, quidquid pro euangelio ab apoſtolis ſuſcepit eccleſia. ſer uátque perpetua ſucceſsione, memoriæ ſuæ in perpetuũ impreſſum, quamuis non ſit vllis ſcriptis celebratum. ſatis nos eius rei antiqui omnes Græci & Latini admonuerunt, & nos etiam proximè pręcedenti libro diffuſiùs de traditionibus egimus. itaque hæc prima ratio diſcriminis inter nos ſtatuitur, quòd Caluino non eſt euangelium, niſi quod à Chriſto dictum, & ab apoſtolis legatione fungentibus pro Chriſto, explicatum in ſcriptura legit: nobis verò præter ſcripturam euangelij, eius partes habentur eccleſiæ traditiones in his, quæ ſpectant ad neceſsitatem fidei ſalutaris: quæ etſi non demonſtrentur ex ſcripturis manifeſtis, traditas tamen ſeruat eccleſia, iam à ſuis, vt dicitur, incunabulis, ab his patribus commendatas, quibus poſt Chriſtum docendi nos cura tradita erat. hi ſunt viri, verè apoſtolici, & euangelici. Hoc ſit primum, in quo malè nouis iſtis euangeliſtis nobiſcum conuenit. ESτ ergo euangelium bonæ rei nuntiũ, à Chriſto manifeſtatum, in ſcripturis legis & prophetarũ velatum, euangelium pacis, euãgelium regni cælorum, euangelium ſalutis æternæ, euangelium gloriæ Dei, euãgelium gratiæ & miſericordiæ, euangelium magni gaudij. non quòd (vt peſsimè quidam mentiuntur) interim, dum viuimus, ſub ſpe vitæ æternæ non ſimus concluſi, ſed quòd gratiæ auctorem & regnum è propinquo cum neceſſariis omnibus ad vitæ cæleſtis poſſeſſionem quaſi digito monſtrat: quæ lex ſub typis adumbrabat, atque non ſolùm euangelium læta nuntiatio eſt, ſed fides credendorum, non nuda & abſoluta promiſsio æternæ vitæ, ſed lex, cui obtemperandum ſit. ſic vocat Eſaias, ſic Ieremias, ſic Paulus, ſic Hieronymus, ſic Tertullianus, Chryſoſtomus, Theophilactus, Haymo, Anſelmus, ceteríque alij. Hoc quantum ad ſecundum. Veniamus iam ad tertium, in quo quidem de noui teſtamenti, & euangelicæ legis perfectione multum diminuit Caluinus.

Quid ſit euãgelium. *1. Tim. 4.* *2. Tim. 1.* *2. Corin. 2.*

Cõcil. Trid. ſeſ. 6. ca. 20 & 21. *Eſa. 42.* *Ierem. 31.* *Heb. 8.* *Heb. 10.* *Rom. 8.* *Galat. 2.* *Cal. lib. 2. c. 10. ſect. 2.*

NOVVM teſtamentũ, idem in eſſentia ipſe facit cum

primo:patrum antiquorum fœdus, in vetere lege pactũ, adeò ſubſtantia & re ipſa nihil à noſtræ legis promiſsionibus differre ſentit, vt vnum prorſus, atque idem eſſe, ſolámque adminiſtrationem variare ei videatur. immo credit non carnalem opulentiam ac felicitatem, metam fuiſſe in lege propoſitam, ad quam demum aſpirarent, ſed in ſpem immortalitatis fuiſſe aptatos. atqui ſentit huius adoptionis fidem illis fuiſſe tum oraculis, tum lege, tum propheriis certò factam. omni aſſeueratione confirmat demonſtrari clariſſimè, ad futuram vitam præcipuè ſpectaſſe vetus teſtamentum, & quaſcunque ſub eo euangelij promiſsiones. in ſumma dicit ſpirituale fuiſſe illud vetus teſtamentum, non carnale, ſicut & euangelium, quod illo continebatur, ac promittebatur. infert ex hoc, Dei gratia eadem ac miſericordia, qua euangelium, vetus teſtamentum conſtitiſſe, & Chriſti intercelsione non minùs, quàm nouum, fuiſſe confirmatum. is eſt Caluinus, qui non fœderis tantũ gratia pares nobis facit Iſraelitas, ſed etiam ſacramentorum ſignificatione. probat de baptiſmo, & de dominica cœna. certum clarúmque conficere laborat, non eaſdem modò, quibus nos nunc dignatur dominus, vitæ æternæ ac cæleſtis promiſsiones vetere in lege communicatas eſſe Iudæis, ſed etiam ſacramentis verè ſpiritualibus obſignatas. neque dubitat pro ſe in medium afferrre Auguſtinum aduerſus Fauſtum Manichæum. ad hæc cùm legat, ſacro vinculo Deũ olim ſibi deuinxiſſe Iudæos, non dubitat dicere eos ſegregauiſſe in ſpem vitæ æternæ: & cum huiuſmodi diuini verbi illuminatione adhæſerint Deo Adam, Abel, Noe, Abraham, & reliquis patribus minimè dubium eſſe affirmat, quin illis in regnum Dei immortale ingreſſus promiſſus fuerit, hæc enim ſolida Dei participatio extra vitæ æternæ bonum eſſe non poteſt. rurſum ex ipſius fœderis formula hoc ipſum colligit, Ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum. accedit, (vt homini videtur) quòd non modò ſe cum illis Deus teſtabatur, ſed ſe quoque ſemper fore promittebat, quò ſpes, eorum præſentibus bonis non contenta, in æternitatem protenderetur. quod etiam & aliis verbis eiuſdem formulæ indicatum fuiſſe tradit, Ero Deus ſeminis veſtri poſt vos, non vos deſerá.

Sect. 3. Sect. 4. Sect. 5. Sect. 7. Sect. 8. Leu. 15. 25. Sect. 9.

cuius promiſsionis veritatem tum obſignaſſe dominũ iu dicat,& quaſi complementum protuliſſe, cùm Deum ſe Abraham, Iſaac,& Iacob longè poſt eorum mortem ap- pellaret. hoc illud eſſe clamat, vno ſcilicet iſto argumẽto,

*Sect.*10.11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

Sadduceos à Chriſto cõſtrictos fuiſſe euãgeliſtę referũt: vt ne inficiari quidẽ poſſent reſurrectionem mortuorũ à Moſis lege teſtatam. poſtremò verò ipſos quoque fideles ſic fuiſſe inſtitutos à domino, vt meliorem alibi vitã, & æternã ibi eſſe ſentirent, ac, neglecta terrena, illã meditarentur, longo ſanctorum recenſito catalogo, quem ab

*Matt.*8.

Abrahamo vſque ad Chriſtum attexuit, prolixè probat. vocat inſanam ac pernicioſam opinionem, procúlque amouendam, aut dominũ lege ſua vetere nihil aliud propoſuiſſe Iudæis, aut illos nihil aliud quæſiuiſſe præter ventris ſaturitatẽ, carnis delicias, florentes opes externas, potẽtias, liberorũ fecũditatẽ, & quidquid animalis homo in pretio habet. non enim putat, Chriſtum dominũ aliud cælorum regnum promittere ſuis, quàm vt recumbant

*Act.*3.

cum Abrahã, Iſaac & Iacob. nec omittit ponderare, quòd Petrus etiam filios prophetarum vocet Iudæos, compre-

*Act.*15.

henſos illo fœdere, quod cum patribus dominus pepigit, quòd multos ſanctorum reſurrectiones ſuæ conſortio dominus dignatus fuerit, quod denique certo arrhabone ſic dato quidquid fecit, aut paſſus eſt, in æternæ ſalutis acquiſitionẽ ad veteris teſtamẽti fideles non ſecus atque

*Act.*15.

ad nos pertineat. Hæc Caluinus de identitate, vnáque vtriuſque teſtamẽti, veteris ſcilicet legis, & euãgelij eſſentia, ac ſubſtantia, vno fœdere, vna promiſsione, vna ſacra-

Differentiæ vnius teſtamenti ab altero.

mẽtorum ſignificatione, vna fide, vno vtriuſque legis domino, vnóque ſpiritu: capite tamen ſequenti, de varia vtriuſque adminiſtratione, quæ eſt vtrique legi velut accidentaria, ediſſerit, vt hæ differentię ad adminiſtrationis modũ magis, quã ad ſubſtantiã pertineant. Prima, quòd

*Cal.c.*11. *Sect.*1.2.3.

populo illi ſub beneficiis terrenis cæleſtem hæreditatẽ, ad quam ipſorum mentes collimare dominus modis omnibus volebat, quodammodo deguſtandam exhibebat, in lege verò euangelica rectà ad eius meditationem, omiſſo inferiore, mentes dirigit. hæc eſt prima. Altera in

*Sect.*4.5.6. *Sect.*7.8.

figuris conſiſtit, quòd illud, abſente veritate, imaginem tantùm, & pro corpore vmbram oſtentabat, hoc prǽſen-

tem veritatem,& corpus ſolidum exhibet. hæc ſit ſecunda. Tertia eſt ex Ieremia deprompta: illa lex eſt litteralis,in tabulis lapideis exarata, hæc in viſceribus hominũ ſcripta,ac proinde ſpiritualis. Hinc emergit quartum diſcrimen adhuc quidem accidentale,quòd illud teſtamentum,lex ſeruitutis dicitur,nouum autem libertatis. addit etiam, quòd in iſtis tribus differẽtiis vetus teſtamentum ſumitur tantùm pro vetere lege,& euangelium pro noua lege. nam illa eſt vmbra,noſtra veritas, illa litteralis, noſtra ſpiritualis,illa ſeruitutis,noſtra libertatis: neque tũc vetus teſtamentum ad promiſsiones extẽditur.prima verò differentia latius extenditur: cõprehendit enim ſub ſe & quæ ante legẽ editę ſunt promiſsiones. Quintũ, quod adiũgere licet, diſcrimẽ in eo iacet,quod illud fuit vnius gentis teſtamẽtum, in hoc verò nulla iam habetur Græci, aut Iudæi circuncisionis,ac præputij ratio.

Ierem.31. *Sect.9.10.* *Sect.11.12.13.14.*

Duplex Caluini error aperitur,atque legem veterem à fide patrum, & ab antiquiſsimo fœdere eſſe eſſentia diſtinctam, quamuis eam fidem ſub vmbra figuraret, apertiſsimis ſanctorum teſtimoniis, & ſcripturarum locis probatur.

CAP. XXVIII.

HAec cùm dicat Caluinus,audet obiectare, non eſſe ſatis nobis cognitum euangelium,immo adhuc eccleſiæ nouum videri. tale euangelium Caluine,quod gratiam non contineat, ſed figuret trantùm, quod idem ſit in eſſentia cum vetere lege, quod non ad perfectum adducat fideles,ſicut & illud, quod ſacramenta habeat tantùm ritibus & cæremoniis, non efficacia & ſignificationibus ab antiquæ legis ſacramentis diuerſa, quod idem habeat cum illo promiſſum, fateor ingenuè, iſtiuſmodi euangelium non modò nobis, ſed catholicæ eccleſiæ ſatis haberi nouum. dabimus igitur operam breui oſtendere cuicunque non minùs hęc duo teſtamenta inter ſeſe differre, quàm quæ eſſentia, ac ſubſtantia maximè ſunt diſtincta: ac præcipuè proprias eorum paſsiones connumerabimus,quæ ſic vni propriæ ſunt, vt propter variã naturam, longéque diuerſam alteri conuenire nullatenus poſsint. fiet, confidimus, vt quod accidentarium & extraneum eſſe iſte arbitrabatur, ſic nos oſtendamus rei

ipſius naturam ingredi, vt eſſentiale æſtimetur, aut certè ex eſſentia dimanans. Quò autem commodiùs, quod ſtatuimus, aſſequamur, duo iſtius erroris fontes ſunt priùs oſtendendi, qui Caluino deceptionem iniicere, errorem incutere, ipſúmque in fraudē deducere facilè potuerunt. prior eſt, quòd Moſaicam illam legiſlationem, & ſterilē præceptorum obſeruationem neſcit ab antiquo fœdere præſcindere, neſcit cum diuo Paulo, ceteríſque canonicis ſcriptoribus à Chriſto ſecernere, neq; à promiſſionibus Abrahæ & ſuo ſemini factis, & à fide, per multa ſæcula longè antè de Chriſto ipſis data, ſeiungere. alter error eſt, quòd euangelica lex (vt ipſe credit) nihil aliud continet, quàm paterna Dei indulgētia peccatores iuſtificari præter ſuum meritum virtute fidei, vt ſic tota eius ſumma in Chriſto terminetur, nihil habens pręter eam fidem, quod inſtar legis veteris infirmum & egenum elementum nō ſit. hinc factum eſt, vt lex gratiæ, accidētariis aliquot notis ſolùm, à vetere lege diſcriminata Caluino videatur. quaſi verò (vt de priore agam) Chriſtus, in quem credentes iuſtificati ſunt patres illi antiqui, & in quo tot promiſſiones illis factæ ſunt, eſſentialiùs in Moſis lege, atq; pręceptis, tāquam illis proprius, incluſus fuerit. quòd ſi Moſis lex Chriſti fidem intrinſecè inuoluebat, ſic vt vnum ab altero ſeiungi commodè non poſſet: quid, quæſo eſt, quod Paulus dicebat, ex legis operibus iuſtificatum eſſe neminem, nullúmque eam legem ad perfectum adduxiſſe? Per legem enim, dicebat Paulus, cognitio peccati: nūc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata à lege & prophetis: iuſtitia autem Dei per fidem IESV Chriſti in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eo. poſt multa quidem, quæ optimè nos docent diſtinguere legē veterem à Chriſti fide, & promiſsionibus, eo loco apoſtolus ſubiungit, Vbi eſt ergo gloriatio tua? reſpondet, Excluſa eſt. quærit vlterius, Per quam legem? factorum? non, ſed per legem fidei. nónne vides, legem fidei à lege factorum, hoc eſt, præceptorum, natura diſtingui, quòd cùm illa ſuos iuſtificauerit, hæc autem id præſtare nunquam potuerit? tandem epiphonemate hoc quæſtionem totam terminat, Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. item idem apoſtolus con-

Duplex error notatur,

Longè alia eſt Moſaica legis latio à fœdere patrum.

Præſtantia virtutis legis gratiæ.

S.Th.1.2. q.98.art.1. in cor. quæſt S.Th.1.2.q 109.art.1. ad 2. Rom. 2.

cutiendo ſupercilium,& arrogantiam Iudæorum,qui pu tabant ſuæ legis operibus iuſtificatos ſe eſſe, dicit, Nos natura Iudæi,& non ex gentibus peccatores. ſcientes autem quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem IESV Chriſti: & nos in Chriſto IESV credidimus, vt iuſtificemur ex fide eius, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Hæc enarrans eo in loco Sanctus Hieronymus, inquit, Aiunt quidam, ſi verum hoc ſit, quod Paulus hîc affirmat, patriarchas,& prophetas,ſanctóſque omnes,qui Chriſtum præceſſerunt, imperfectos fuiſſe,quos nos admonere debemus eos à Paulo dici iuſtitiam non conſecutos,qui tantùm ex operibus, & ex lege iuſtificari ſe poſſe credunt: ſanctos verò antiquos ex fide Chriſti iuſtificatos. ſiquidem Abraham vidit diem Chriſti, & lætatatus eſt, Moyſes maiores diuitias æſtimauit theſauro Aegyptiorum,improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem. Eſaias etiam vidit Chriſti gloriam. poſtremò Iudas apoſtolus,de omnibus generaliter locutus, Commonere,inquit,vos volo,ſcientes ſemel omnia:quoniam IESVS populum de terra Aegypti ſaluans, ſecundò eos,qui non crediderunt,perdidit. item idem Hieronymus enarrans illud Pauli, Legem poſt quadringentos & triginta annos factam eſſe, à qua hæreditas non pendebat,ſed à promiſsione,immo propter tranſgreſsionem tantùm poſita erat lex,donec veniret ſemen, cui promiſſum erat. ſic docet: Quia, manente repromiſsione, quæ facta fuerat ad Abraham,lex poſtea data per Moyſen,fruſtra videbatur illata,cur data ſit,Paulus explicat. Propter tranſgreſsionis,inquit:poſt offenſam enim in eremo populi, poſt adoratum vitulum, & murmur in dominum, lex tranſgreſsiones prohibitura ſucceſsit. iuſto quippe lex non eſt poſita,ſed iniquis,& non ſubiectis, impiis, & peccatoribus,&,vt altiùs repetam,poſt idololatriam, cui in Aegypto fuerant mancipati,ita vt Deum patrum ſuorum obliuiſcerentur,& deinceps dicerent,Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Aegypti. ritus colendi Deum, & delinquentium pœna ſancita eſt in manu mediatoris Chriſti IESV:quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil,non ſolùm cælũ,terra,mare,

Gal.2. *Hieron. ad Galat.2.* *Ioan.8.* *Epiſt. cano.* *Hieron. ad Galat.3.* *Exod.16.* *Exod.32.* *1.Tim.1.*

& vniuerſa, quę ſub aſpectum noſtrum cadunt, ſed etiam illa, quæ per Moyſen duro populo, quaſi iugum legis, impoſita ſunt. Chryſoſtomus etiam diuus ad eundem locum dicit, Quoniam Paulus exulterat fidem, declarans illam fuiſſe antiquiorem lege, ne quis exiſtimaret legem eſſe ſuperuacaneam, hanc quoque partẽ corrigit. demonſtrans eam non fruſtra, ſed admodũ vtiliter fuiſſe datam: Ob tranſgreſsiones, inquit, addita fuit. hoc eſt, ne liceret Iudæis ſecurè viuere, atque in extremam prolabi malitiã, ſed lex illis freni vice foret impoſita, erudiens, componens, prohibénſque tranſgredi, ſi minùs omnia, certè aliquot præcepta. idémque auctor diligenter pertractans verbum illud Pauli, Verè ex lege eſſet iuſtitia, eo ipſo loco ait, Si in lege vitæ ſpiritum habuiſſemus, & hæc poteſtatem habuiſſet noſtræ ſalutis, vt euangelium habet, fortaſſe iſta rectè diceres: contra ſi per fidem ſeruaris, etiam ſi lex reddat obſecrabiles, nihil detrimenti capiebat, poſteaquam venit fides, omnia diſſoluens. nam, ſi per legem fieret repromiſsio, iure metueres, ne excluſus à lege, ſimul & à iuſtitia excludereris. at, ſi ideo lex data eſt, vt omnes concluderet, hoc eſt, coargueret, oſtenderétque eis ipſorum peccata, non ſolùm non obſtat, quòd euangelica prædicatione euacuata ſit lex, quò minùs conſequaris repromiſsiones, verùm etiam confert ad eas adipiſcendas. Applaudit & huic noſtrę veritati ſacer Ambroſius, dicẽs, Si naturalem legem, quam Deus creator infudit ſingulorum pectoribus, homines ſeruare potuiſſent, non fuerat opus ea lege, quæ in tabulis ſcripta lapideis implicauit, atque innodauit magis humanam generis infirmitatem, quàm illaqueauit, atque abſoluit. Eam veritatem poſtremò multis in locis Sanctus Auguſtinus contra Caluini errorem docet. primùm contra Pelagianos ſic ait, Per Moyſen quippe vetus teſtamentum reuelatum eſt, per quem data eſt lex ſancta, iuſta & bona, per quam fieret peccati non abolitio, ſicut per legem gratiæ, quæ per IESVM Chriſtum facta eſt, ſed cognitio, qua conuincerentur ſuperbi, volentes ſuam iuiſtitiã conſtituere: quaſi diuino adiutorio non egentes, rei facti litteræ confugerent ad gratiæ ſpiritum, non legis ſuæ iuſtitia iuſtificandi, ſed Dei. nam ſicut idem apoſtolus loquitur, Per legem

Chryſoſt. ad Galat. 3.

Ibidem.

Amb. lib. 9. epiſtolarũ ep. 71.

Aug. lib. 3. contra 2. epiſtolas Pelagianorũ ad Bonifa. c. 4

cognitio peccati: nunc autem ſine lege, iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata per legẽ, & prophetas. lex quippe eo ipſo, quo in ea nemo iuſtificatur, teſtimonium perhibet iuſtitiæ Dei. quòd in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuit. ſic ergo cùm lex non iuſtificat impium, de præuaricatione conuictum, mittat ad iuſtificantem Deum, atque ita iuſtitiæ Dei perhibet teſtimonium. prophetæ verò perhibent teſtimonium iuſtitiæ Dei, prænuntiando Chriſtum, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio: vt quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in domino glorietur. idem nobilis auctor, enarrando illum pſalmographi locum, Propter legem tuam ſuſtinui te domine, dicit, Quam legem? reſpondet, Quæ reos facit, non quæ Dei filios conſtituit, qualis eſt euangelica. data eſt enim lex ſancta, iuſta, bona Iudæis, ſed reos eos, non ſaluos potuit facere. non data eſt lex, quæ poſſet viuificare, non data mandata, quæ ſi quis ſeruaſſet, ad vitam ingrederetur, ſed talis lex, quæ oſtenderet peccata peccatori. peccator enim oblitus erat ſe, nec videbat ſe. data eſt igitur illi lex, vt peccatorẽ ſe agnoſceret. fecit reũ lex, liberauit fides, cõdemnauit lex, abſoluit lator legis. lator enim legis, imperator eſt. lex data eſt, quæ terreat, & cõſtringat in reatum: & non ſoluit lex à peccatis, ſed oſtendit peccata. & fortè ſub ipſa lege poſitus animaduertit iſte in profundo, quanta fecerit contra legem, & ſic exclamauit, Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit? eſt ergo lex miſericordiæ Dei, lex gratiæ Dei, lex euangelij Dei, lex propitiationis Dei. illa timoris fuit, hæc caritatis. lex fidei veniam dat peccatis, quæ lex timoris tantùm oſtendebat, delet præterita, à quibus illa non liberabat, admonet de futuris, aduerſum quæ non illa ſuos præmuniebat, in via hæc non deſerit, comes fit ei, quem in via ducit. Alibi rurſum, colligendo ex illa Pauli ratiocinatione, Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, omnino eſſet ex lege iuſtitia. inquit, Si ergo non eſt data lex, quæ viuificare poſſet, quare data eſt? ſequitur, & oſtendit apoſtolus, quare data ſit: quia etiam ſic in adiutorium data eſt, ne te ſanum putares. ſiquidem concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſsio ex

Pſal. 129.

Pſal. 119.

Aug. ſerm. 13. de verbis apoſt.

fide IESV Chriſti credentibus daretur. quando audis promiſſorem, expecta factorem. Hactenus Auguſtinus. Adde, quòd idem locutus de lege, quam tranſgreſsio adduxit, ſic ait, Sequitur quæſtio ſatis neceſſaria: Si enim fides iuſtificat, & priores ſancti, qui apud Deum iuſtificati ſunt, per ipſam iuſtificati ſunt, quid opus erat legem dari? poſt multa, quæ præclarè, Paulum ſecutus, S. Auguſtinus eo in loco tradit, ſic vniuerſa concludit, Superbiẽti ergo populo lex poſita eſt, vt quando gratiam caritatis niſi humiliatus accipere non poſſet, & ſine hac gratia nullo modo præcepta legis impleret, tranſgreſsione humiliaretur: vt quæreret gratiam, nec ſe ſuis meritis ſaluum fieri opinaretur: vt eſſet non in ſuæ legis poteſtate, atque viribus iuſtus: ſed in manu mediatoris, iuſtificantis impium. per angelos autem miniſtrata eſt omnis diſpenſatio veteris teſtamenti, agente in eis ſpiritu ſancto, & ipſo verbo veritatis nondum incarnato, ſed nunquam ab aliqua veridica adminiſtratione recedente. per illam enim legem morbi oſtendebantur, non auferebantur, vt vel ſic præuaricationis crimine ſuperbia contereretur. diſpoſitũ eſt per angelos, ſed in manu mediatoris, vt ipſe liberaret à peccatis, iam per tranſgreſsionem legis coactos confiteri, opus ſibi eſſe gratiæ & miſericordiæ domini, vt ſibi peccata dimitterentur, & in noua vita per eum, qui pro ipſis ſanguinem fuſurus eſſet, Deo reconciliarentur. itẽ idèm Auguſtinus de lege vetere, à promiſsionibus & fide diſtincta, ſic dicebat, Ad hoc vetus lex data eſt, vt diceremus in cõualle plorationis, Video aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuãtem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: vt cum ipſo ploratu clamaremus, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & ſuccurreret nobis, exaudiente Deo, qui erigit eliſos, & ſoluit compeditos, illuminat cæcos, gratia Dei per IESVM Chriſtum dominum noſtrum. Sed quò feror? num dubia eſt patrum ſententia, aut noua doctrina in eccleſia Chriſti, quæ quadruplicem cauſſam legis datæ, à promiſsionibus & fide diſtinctæ, breuiter explicat? Poſita eſt, inquiunt ſancti, lex non aut cum fide, aut cum Chriſto, ſed in medio inter promiſsionem & ſemen, cui facta eſt promiſsio, id eſt, inter Abra-

Augu. lib. 1. expoſitionis epiſt. ad Galat. & lib. q. vete. & no. teſta. q. 102. & tracta. 3. in euan. Ioan. ac tract. 17. & 25.

Augu. lib. ſpñia medic. cap. 1.

Rom. 7.
Pſal. 144. 145. & tract. 25. in Ioan.
Gloſſ. ordin. ad Gala. 3.
Quadruplex cauſſa datæ legis.

ham & Chriſtum,vt populum erudiret ſub timore Dei, dignúſque fieret excipere promiſsionem, quæ Chriſtus eſt: vel propter tranſgreſsiones,id eſt,vt homo, ſuperbè ſuis viribus confidens,præcepta acciperet,in quibus deficiens,& factus præuaricator liberatorem, ſaluatorémque requireret. data eſt tertiò lex duris in flagellum, data eſt in futurorum ſignum,vt futura figuris atteſtaretur. quicunque ergo ex lege iuſtitiam eſſe aſſeruerit,aut benedictionem,aut hæreditatis conſecutionem,non per fidem,promiſsionéſque,quæ etiam fuerũt in patribus ante legem,ſciat ſe Paulo contradicere, qui de lege veteri perinde loquebatur,ac de politica quadam & humana iuſtitia, ab ſpirituali & fidei iuſtitia omnino diuerſa. verũ enimuero ex pio vſu credentium in æternæ ſalutis per Chriſtum habendæ conſecutionem, fide iam olim accepta,ſui cultores dirigebãtur.nos ſiquidem more ſcripturarum eam legem contemplamur ſub ſua propria ratiode formali,quæ tantùm ciuilis vitæ præcepta cõtinebat, non item diuinæ,vt lex noſtra euangelica.Malè igitur facit Caluinus,dum diſtinguere non vult inter promiſsiones,quæ ante legem editæ fuerunt,& teſtamentum vetus à verbo gratiæ & miſericordiæ diſcretum,quando ſancti omnes,apoſtolum ſecuti,legem Moſis ad legem euangelij,legem cum lege, id,quod legiſlator illius legis cum eo, quod legiſlator Chriſtus fecit, dando legem euangelij optimè ſic conferunt:Ille,inquiunt,nihil fecit,niſi foris exhibendo ſcripturam, & demonſtrando illis præcepta operum,quæ vel facere, vel vitare debeant. proinde ab apoſtolo vocatur non lex fidei,ſed factorum & operum:legiſlator autem Chriſtus,tradendo legem euangelij ſuis diſcipulis, teſtificatam à lege & prophetis, intus operatus eſt in cordibus credentium ſpiritum fidei,& caritatis,& libertatem à reatu & domino peccati, & ſpiritum adiuuantem infirmitates, atque imbecillitates noſtras. vnde & ab apoſtolo lex fidei vocatur, lex iuſtitiæ Dei, lex ſpiritus vitæ in Chriſto IESV, ac miniſtratio iuſtitiæ. hanc denique differentiam antiquæ legis à lege fidei & gratiæ tradit idem Paulus, cùm ait, Epiſtola eſtis Chriſti IESV, ſcripta non atramento,ſed Dei viui ſpiritu,non in tabulis lapideis,ſed in tabulis carneis: qui

Legis veteris propria ratio & penitus formalis erat, ciuilis vitæ præcepta cõtinere.

Quid fecerit legislator veteris teſtamenti.

Rom.3.

2.Cor.3.

fiduciam talem habemus per Chriſtum, non per legem. qui idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu. littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat.

Eſſentialem eſſe diſtinctionem legis veteris & nouæ, ex ipſa diuerſa ratione præmiorum planè conuincitur, quòd illius temporalis & carnalis eſſet promiſsio, huius verò æterna ac cœleſtis. CAP. XXIX.

COlligitur hinc Chriſtiane lector, eſſentialem diſtinctionem eſſe illius fœderis antiqui & noſtri, illius temporalis veteríſque, noſtri verò æterni & noui teſtamenti. quoniam, ſi legalis fœderis ratio ſolùm habeatur, illius teſtamenti cultoribus terrena tantùm præmia promiſſa eſſe reperiemus. contrà verò euangelicæ legis ſectatoribus æterna & infinita deberi. hanc certè veritatem non nos ex noſtro cerebro nunc confingimus, ſed poſt Paulum eam nos inter alios ſanctus ſenex Hieronymus docuit. is enim, enarrans eum locum Pauli, In Christo IESV neque circuncisio aliquid valet, neque pręputium, ſed fides, quæ per caritatem operatur. ſic ait, Ex eo tempore, quo euangelium in toto orbe radiauit, ſuperflua eſt circumciſionis iniuria: quæ tunc, vt cetera quoque legis, valuit, quando & benedictiones carnales, legem ſeruantibus ſpondebantur: quòd ſcilicet, ſi impleſſent eam, benedicti eſſent in ciuitate, benedicti in agro, plena haberent horrea, & multa alia, quę in repromiſsionibus continentur. nos autem in Chriſto IESV valere volumus & confortari, id eſt, in vera circũciſione, & non in circumciſione Iudaica, quibus non temporale, ſed æternum regnum promiſſum eſt. Fauet huic ſententiæ Aurelius Auguſtinus, dicens, Lex data per Moyſen iuſtitiam habebat quidem, ſed terrenam, vt ſeruantes legem iuſti eſſent ad pręſens, vti non rei fierent: iuſtus eſt enim ex lege, qui nulli nocet. vnde apoſtolus, Lex, inquit, non eſt ex fide: ſed qui fecerit ea, viuet in eis, hoc eſt, legem faciens non morietur, ſed viuit ad pręſens: iuſtitia autem, quæ ex fide eſt, iuſtificat homines apud Deum, vt remunerentur in futuro ſęculo. addiderunt enim temporalem iuſtitiam iuſtitiæ fidei. iuſtum eſt enim noſſe ex quo, & per quem ſumus, vt patris & filij vera

Hieron. ad Galat. 5.

Auguſt. in quæſtionibus noui & vet. teſt. q. 5.

Galat. 3.

confeſsio nos ad cæleſtia regna perducat. idẽ etiam alibi dicit, Legem cum diſtributione temporum datam eſſe, quę priùs haberet promiſſa terrena, quibus tamen æterna ſignificarentur, quæ viſibilibus ſacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci. denique idẽ ipſe Auguſtinus alio in loco dicit, Educto populo in monte Sina, Moyſes diuinitus acceptam legem tradidit, quod vetus teſtamentum dicitur, quia promiſsiones habet terrenas, & per IESVM Chriſtum nouum futurum fuerat, quo regnum cælorum promittitur. poſſumus & hanc tueri aſſertionem ex veteris atque noui teſtamenti ſcripturis. dicit enim dominus, Cuſtodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. & notiſsimum eſt, hęc, vt priùs docuimus, eſſe intelligenda de vita temporali, & benedictionibus carnalibus: quibus tamen ſpirituales adumbrabantur. rurſum, Poſsidete terrã eorũ, quam dabo vobis in hęreditatem terrã fluentem lacte & melle. iterum, Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis: & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. ac reliqua multa, quæ ibidem conſequuntur. iterum etiam, Et nunc Iſrael audi pręcepta, & iudicia, quæ ego te doceo, vt faciens ea viuas, & ingrediens poſsideas terram, quam dominus Deus patrum veſtrorum daturus eſt vobis. ibidem, Cuſtodi pręcepta eius, atque mandata, quę ego pręcipio tibi, vt bene ſit tibi, & filiis tuis poſt te, & permaneas multo tempore ſuper terram, quam dominus Deus tuus daturus eſt tibi. item in eodem libro dicitur, Si, poſtquam audiueris hęc iudicia, cuſtodiueris ea, & feceris, cuſtodiet & dominus Deus tuus pactum tibi, & miſericordiam, quam iurauit patribus tuis, & diliget te, ac multiplicabit, benedicétque fructui ventris tui, & fructui terrę tuę, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ouium tuarum ſuper terram, pro qua iurauit patribus tuis, vt daret eam tibi: benedictúſque eris inter omnes populos. prætereà idem dominus dicit, Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, vt diligatis dominum Deum veſtrum, & ſeruiatis ei in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra,

Auguſt. de ciui. Dei, li. 10. c. 15.

Augu. lib. 18. de ciuit. Dei. c. 11.

Aug. ſuper Ioan tract. 25.

Aug. li. 1. contra Donatiſtas, de baptiſmo paruul. cap. 15.

Leuit. 18.

Leuit. 20.

Leuit. 26.

Deuter. 4.

Deuter. 7.

Deuter. 11.

dabit pluuiam terræ veſtræ, temporaneam & ſerotinam, & vt ipſi comedatis, ac ſaturemini. Quid moror? quaſi ſanctiſsimi Pauli non ea fuerit mens, toto ferè curſu epi-
Hebr. 7. 8. ſtolæ ad Hebræos, capite præſertim ſeptimo, & octauo. Reprobatio, inquit, fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem nihil enim ad perfectũ adduxit lex: introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum. & paulò mox, In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt IESVS. quaſi diceret apoſtolus, Tantùm hoc habuit lex, vt ſub ſpe terrenorum ſuos ad ſpem meliorem introduceret. id eſt, vt Chriſti eſſent figura, per quem ad cæleſte & diuinum regnum, non
Ioan. 6. ad terrenum accedimus. nam, cùm is ſit via, veritas, & vita, nemo vadit ad patrem, niſi per Chriſtum. erant enim cæremoniæ tantùm exhortatrices, vt nihil elementis conſideremus perpetui & æterni, ſed omnia futuri Meſsiæ fidei patres committerent. idem in eadem epi-
Hebr. 8. ſtola, Si ergo eſſet ſuper terram, (hoc eſt, ſi terrenus ſacerdos & ex terrenis rebus ageret) nec eſſet ſacerdos: cùm eſſent, qui offerrent ſecundum legem munera, qui exemplari & vmbræ deſeruiunt cæleſtium. ſicut reſpon-
Exod. 25. ſum eſt Moyſi, cùm conſummaret tabernaculum. Vide,
Act. 7. inquit, omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi oſtẽſum eſt in monte. nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quantò melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſsionibus ſancitum eſt. Chriſti ſiquidem ſacerdotium, (inquiunt ſancti omnes, Græci, &
Antitheſis noui & vete. teſtam. Latini, quotquot locum hunc Pauli optimè pertractant) longè dignius eſt vetere. vetus promittebat terrena, dicens, Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, & huiuſmodi: nouum, ait Paulus, cuius mediator eſt Chriſtus, æterna promittit ad cæleſtia. vetus, quod habuerunt ſacerdotes, non potuit ſeruari ab hominibus: tantum abfuit, vt iuſtificaret. at nouum, inquit Paulus, quod Chriſtus habet, dat ſpiritum iuſtificantem, qui manet nobiſcum in æternum, illud in tabulis ſaxeis erat ſcriptum, & nihil niſi in littera erat: hoc in cordibus ſcri-
Theodoritus. bitur, & ſpiritus eſt & vita. vnde Theodoritus, interpretatus hunc Pauli locum, de melioribus repromiſsionibus noui teſtamenti dicit, Breuiter hîc Paulus euangelij excellentiam

excellentiam oſtendit. vetus enim teſtamentum habebat corporales promiſsiones adiunctas, terram fluentem lacte & melle, & oliuetorum & vinetorum terram, & filiorum multitudinem, & quæ his ſimilia, nouum autem vitam æternam, ac regnum cælorum. Quæ omnia Paulus hoc loco ex Ieremia docet, Ecce dies venient, dicit dominus: & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehẽdi manum eorum, vt adducerem illos de terra Aegypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit dominus. dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: & non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrẽ ſuum dicens, Cognoſce dominum. quoniam omnes ſciẽt me à minore vſque ad maiorem eorum. quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum (infert Paulus) veterauit prius. quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt. Vides Caluine, teſtamentum nauum ſic appellari, propter nouitatem ſcilicet ſpiritus, (vt ait Auguſtinus) quæ nouum hominem ſanat à vitio vetuſtatis: vides, legem ſimiliter euangelicam in credentium cordibus ſcriptam, hoc eſt, (vt idem auctor) præſentia ſpiritus ſancti, qui Dei digitus eſt, &, quo præſente, caritas diffunditur in cordibus noſtris, quæ plenitudo legis eſt & præcepti finis: vides etiam, poſterius teſtamentum vocari à Paulo pactum & fœdus nouum, id eſt gratuitam peccatorum remiſsionem, quæ toti generi humano contigit merito Chriſti, & non lege, aut vetere teſtamento. quare, cùm antiquum pactum ac fœdus, hoc eſt, vetus teſtamentum, & Moſaica lex carnalis fuerit, ad tempus data, terrena, ac litteralis, lex verò noſtra euangelica cæleſtis ſit, æterna, incorruptibilis, ſpiritualis lex gratiæ, ad perfectum adducens, non per Moſen data, ſed per Chriſtum facta, non lex timoris, ſed amoris & libertatis: quî ſtare poterit, vt non differant pluſquam genere? quomodo conuenient corruptibile, & incorruptibile, temporale, & æternum, carnale, & ſpirituale, fluxum, & cæleſte,

Ierem. 31. *Heb. 8.* *Augu. lib. 2. de baptiſ. paruul.* *S. Thom. 12 q. 98. artic. 1.* *S. Thom. 12. q. 107. arti. 1. idem 1. 2. q. 109. art. 1. ad ſecundum.*

occidens,& viuificans? memineris,obſecro,ac velis recordari,peruenuſtæ illius ethologiæ, quam in euangelio legimus, Lex per Moſen data eſt,gratia & veritas per IESVM Chriſtum facta eſt. præmiſerat ſanè euangeliſta, attuliſſe nobis euangelium Chriſti gratiam pro gratia: cuius rei quidem iam hîc rationem reddit, argumento ab infirmitate & imbecillitate legis petito. tantum abeſt,ne lex iuſtificaret, vt ne Moſes quidem noſtri iuſtificationem coram Deo parere potuerit. quare ipſa legis imbecillitas, teſtamentíque natura, vtpote carnalis & corruptibilis, cauſſam & occaſionem præſtabat, qua & abrogaretur,& antiquaretur: at euangelica lux, hæc eſt, gratia & veritas, per IESVM Chriſtum facta eſt. noſtra lex,gratia eſt,nimirum quæ continet legiſlatoris noſtri officia omnia. hîc enim peccata remittuntur, quod perierat, ſaluum fit,peccatores Deo reconciliantur,& iuſtificantur,mandatorum diuinorum cultores,& obſeruatores in viuentium terram ingrediuntur,latrones poſtremò beatificantur. gratia igitur eſſentia diſtinguitur à lege. rurſum veritatem euangelij typis & figuris legalibus dilectus opponit,vt intelligamus legem gratiæ,non magis cum vetere ſubſtantialiter & eſſentialiter conuenire,quàm quòd eandem vnámque naturam vmbra atque corpus participent. quod vtique impoſsibile eſt. Lex ergo per Moſen data eſt,quæ declararet nos eſſe maledictos,condemnatos,filios iræ Dei: at gratia & veritas,hoc eſt,euangelium,nos in gratiam Dei reſtituit, & præſtitit, quod antea promiſſum erat. quando ad noui teſtamenti promiſsiones accedimus Caluine, nō ad corporeum montem, incenſum ignem, turbinem, caliginem,ac procellam accedimus, vbi nihil audiatur ac videatur, niſi quod terrore mentes percellat, adeò vt ipſe quoque Moſes expaueſcat,ne dum audire omnes deprecentur:ſed accedimus ad montem Sion,& ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cæleſtem,& ad innumerabilium angelorum cœtum, & ad eccleſiam primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem IESVM, & ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem,quàm Abel. & poſt pauca idem apoſtolus in-

Ethologia euãgelij & legis.

Ioan.1.

Gratia eſſentia diſtinguitur à lege.

Heb.12.

quit, Quod autem adhuc, Semel, dixit, declarat mobilium tranſlationem tanquam factorum, vt maneant ea, quæ ſunt immobilia. itaque (infert) regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam, per quam ſeruiamus, placentes Deo cum metu & reuerentia. ac ſi diceret clariùs Paulus, lex, tabernaculum, & huiuſmodi leuitica, quoniam manibus hominum ad tempus iacta erant, per Chriſti perpetuum ſacerdotium, atque immobile, & cæleſte regnum, longè vtique diuerſa, & per meliorem promiſsionem ſublata ſunt, vt ea, quæ ſunt immobilia & cæleſtia, id eſt, bona futura. quæ enim ſanctis futura ſunt, maneant nec corruptionem admittent, neque motum, cùm non ſint tranſlationem ſubitura: quemadmodum corruptioni obnoxia erant, quæcunque lex promitteret. *Ibidem.*

Patrum promiſsiones, ac fidem, ipſis à Deo datam de Chriſto venturo, & æterno regno, eſſentia etiam diſtingui à formali fœdere legis Moſaicè, apertè docetur.

CAP. XXX.

EX his perquàm facilè fore arbitramur cuicunque probè callenti terminos, diſtinctionem etiam eſſentialem colligere inter legale fœdus, quod vituli ſanguine, & cinere aſperſo confirmatum & ſtabilitum eſt, atque antiquorum patrum promiſsiones, fidémque ipſis à Deo datam, Daturum ſe nobis. quas vtique promiſsiones in nobis adimplebit filij ſui incarnatione, natiuitate, lege, prædicatione, paſsione, morte, ac ſepultura: in quorum omnium fide, ſpe longanimes ac fortes perſtiterunt, atque tandem ſalui facti ſunt. hæc ſanè eſſentialis diſtinctio fuit legalis fœderis, atque fidei, quàm fuſiùs Paulus ad Galatas explanat, cùm ad allegoriam trahit duos Abrahæ filios in hunc modum, quòd Agar ſerua typus ſit montis Sinai, vbi legem accepit populus Iſrael: Sara libera, figura ſit cæleſtis Ieruſalem, à qua fluxit euangelium. quemadmodũ enim ſemen Agar in ſeruitute naſcitur, ad hæreditatem nunquã peruẽturum, Saræ liberum, cui hæreditas debetur: ita per legem addicebantur Hebræi in ſeruitutem, per ſolam verò euangelij fidem in libertatẽ fideles regeneramur. quòd ſi ex populo

Exod. 24. *Galat. 4.*

Iſraelitico ſancti patres nobis obiiciantur, quos cùm eodem fidei ſpiritu nobiſcum præditos fuiſſe conſtet, ſequitur eiuſdem & libertatis, & lætitiæ, immo cęleſtis regni & æterni ac noui teſtamenti *factos* eſſe participes. reſpondemus, neutrum à lege fuiſſe, ſed cùm ſe per legem, & ſeruili conditione premi, & conſcientiæ inquietudine fatigari ſentirent, ad euangelij ſubſidium fide confugiſſe. fuítque peculiaris noui teſtamẽti fructus hic, quòd ſcilicet præter & ſupra communem veteris teſtamenti legem illis malis exempti fuerunt. quod optimè ſenſit Auguſtinus, dum dicit, addidiſſe patres antiquos temporali iuſtitiæ atque fœderi, quod finiendum erat, ſidei iuſtitiam & æternum euangelij fœdus. ac ne diu de re dilucida diſceptemus, habemus inſignem domini ſententiam: Abraham exultauit, vt videret diem meum: vidit & gauiſus eſt. & quod de Abraham teſtatur ibi Chriſtus, oſtendit apoſtolus fidelibus omnibus ac iuſtis fuiſſe vniuerſale, cùm dicit Chriſtum manere heri, hodie, & in ſæcula. quem locum non de Chriſti diuinitate ſimpliciter, ſed de eius virtute, quæ perpetuò fidelibus profuit, intelligendum eſſe conſtat. quamobrem beata virgo, & Zacharias in ſuis canticis reuelatam in Chriſto ſalutem, exhibitionem eſſe dicunt promiſsionum, quas Abraham & patriarchis olim fecerat dominus. Si igitur Chriſtum ſuum exhibendo, iuriſiurandi ſui veteris fidem dominus ſoluit, dici non poteſt, quin eius finis in Chriſto & vita æterna ſemper fuerit: vltrà etiam, ſi vetus lex neminem iuſtificabat, ſed fides lege antiquior, dici non poteſt, quin legalis fœderis à fidei pacto longè alia ratio ſit. & quamuis in latus vtrunqve ſe verſet Caluinus, nunquam probabit, neque ex ipſo vinculo, quo Deus ſibi Iudæos peculiariter deuinxit, neque ex formula legalis fœderis, aut alia quauis ratione (ſi explicata ac formalis, ſiue germana & genuina, vt ita dixerim, pacti illius ratio ſpectetur) æternam vitam ibi, ſalutem, & omnem humanam beatitudinem comprehenſam fuiſſe. vt enim antiquioribus patribus in Chriſto factæ fuerint repromiſsiones ante legem quidem ſpirituales, eas tamen legale illud teſtamentum, hoc eſt, lex, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt, vmbris aliquot ac figuris tantùm

Auguſt. in quæſtionibus vet. & noui teſta. q. 5.

Ioan. 8.

Heb. 13.

Luc. 1.

Lex neminem iuſtificabat, fides iuſtos coram Deo efficiebat: quare fides nõ erat intrinſeca legi.

Galat. 3.

obuolutas tenebat, vt viſibilibus ſacramentis, (quemadmodum ex Auguſtino ſuprà probauimus) eas multi celebrarent, intelligerent pauci. illud itaque fœdus erat, quod palàm iniuit Deus cum Iudæorum gente, quando, apprehenſa eorum manu, eos de terra Aegypti eduxit, *Exod.*20.
exterioris benedictionis, id eſt, corporalium rerum abũdantiæ præſtituto præmio: contrà eorundem bonorum 23.24.
pænuria pro maledictione inflicta, aut temporalis vitæ priuatione. de hoc fœdere ſæpe in antiqua ſcriptura legimus. hoc, inquam, pactum eſt, quod toties ipſi irritum fecerunt, ſicut per Ieremiam, Malachiam, Baruch, ceteróſque prophetas dominus conqueritur. verùm fidei fœdus cum Abrahamo pepigit, cùm dixit, Benedicentur in te vniuerſæ familiæ terræ, non Iudaica gens tantùm. item, In ſemine tuo (quod Paulus exponit, id eſt, in Chriſto) benedicentur, non Iudæi modò, verùm omnes gentes, quotquot in ipſum crediderint. Beatiſsima etiam virgo Maria, & Zacharias in ſuis canticis canunt, Sicut locutus eſt Abraham & ſemini eius. atque Paulus, euangelij gratiam antè promiſſam per prophetas dicit de filio Dei, qui factus eſt illi ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Sed quid ago? omni quidem labore probandi longiùs aſſertionem meam me penitus leuauit diuus Paulus in epiſtola ad Galatas, vbi in ſententia æternam hæreditatem audacter dicit non haberi ex lege, ſed ex promiſsione ſpirituali. loquitur enim de iuſtificatione, quæ fructus eſt non minimus cæleſtis illius benedictionis: immo ante legem docet Paulus confirmatum fuiſſe à Deo, obſignatum, reuelatum tamen in euangelio, legem verò intraſſe, non quòd ex ea hæreditas eſſet, ſed propter tranſgreſsionem, donec veniret ſemen, cui facta eſt promiſsio. idem ſimiliter apoſtolus ad Romanos ſcribens, dicebat, Non enim per legem promiſsio Abrahæ, aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei. ſi enim, qui ex lege, hoc eſt, ad legem pertinent, hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio, inanis facta eſt ac irrita. lex enim iram operatur. vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio. ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſsio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui

*Leuit.*26. *Deut.*28. *Ierem.*31. *Thren.*2. *Malach.*2. *Baruch* 1. *Geneſ.*12. 18.22.23. 26. *Luc.*2. *Hebr.*1. *Galat.*3. *Rom.*1. *Galat.*3. *Rom.*4.

pater eſt omnium noſtrûm:ſicut ſcriptum eſt, Quia pa-
Geneſ.17. trem multarum gentium conſtitui te apud Deum, cui
credidiſti:qui viuificat mortuos,& vocat ea,quæ nō ſunt,
tanquam ea,quæ ſunt:qui contra ſpem in ſpem credidit,
vt fieret pater multarum gentium. ſecundum quod di-
Gen.13. ctum eſt ei, Sic erit ſemen tuum,ſicut ſtellæ cæli, & are-
na maris. & non infirmatus eſt in fide, nec conſiderauit
corpus ſuum emortuum,cùm iam ferè eſſet centum an-
norum, & emortuam vuluam Saræ. in repromiſsione
etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt
fide,dans gloriam Deo,pleniſsimè ſciens,quia quæcūque
Geneſ.15. promiſit,potens eſt & facere. ideo & reputatum eſt illi
ad iuſtitiam.concludit Paulus, Non eſt autem ſcriptum
tantùm propter ipſum,quia reputatum eſt illi ad iuſtitiā,
ſed & propter nos,quibus reputabitur credentibus in eū,
qui ſuſcitabit IESVM Chriſtum dominum noſtrum à
mortuis,qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſur-
rexit propter iuſtificationem noſtram.

Antiquos patres ob fidem in vnum mediatorem, atque æternum regnum ante legem ſcriptam, & ſub ea,ad nouum teſtamentum magis pertinere ratione fidei,quàm ad vetus,innumeris locis ſcripturarum, ac ſanctorum probatur.

CAP. XXXI.

TErtio loco inferri poſſe perſpicuè videtur, antiquos patres,qui iuſtitiæ legali, ſeu factorum, fidei iuſtitiam, euangelij ſpem, æternæ vitæ deſiderium adiunxerunt, aſpicientes in auctorem fidei ſuæ atque noſtræ, & conſummatorem Chriſtum IESVM, magis ad nouum pertinuiſſe teſtamentum, quàm ad carnale, temporale, litterale illud ac legale. Paulus ſiquidem promiſsiones Abrahæ factas nouum vocat teſtamentum:de lege verò diuus Ioannes dicebat,ipſam per Moſem datā
Galat.3. fuiſſe:quod & Paulus probat in epiſtola ad Hebræos ex
Hebr.7. Ieremia propheta.propter quod beatus Auguſtinus oſtē-
Ierem.31. dens patres & prophetas re ipſa fuiſſe Chriſtianos, & ad
Aug.lib.3. contra duas epiſt. Pelagianorum. nouum pertinuiſſe teſtamentum, inquit, Vtrùm antiquos iuſtos ancillæ filios dicamus,an liberæ?abſit autem, vt ancillæ:ergo filij liberæ ad nouum pertinent teſtamētum in ſpiritu ſancto, quem viuificantem litteræ occidenti apoſtolus opponit.nam quo pacto ad gratiam noui

pertinerent hi, de quorum dictis & libris iſtos eiuſdem gratiæ ingratiſsimos inimicos refellendo conuincimus? ſed dicet aliquis, Quomodo vetus appellatur, quod poſt quadringentos & triginta annos factum eſt per Moyſen: & nouum dicitur, quod ante tot annos factum eſt ad Abraham? reſpondet Auguſtinus, Qui ex hoc non litigiosè, ſed ſtudiosè mouetur, intelligat primùm, quia cùm ex anteriori tempore vetus dicitur, ex poſteriori autem nouum, reuelationes eorum conſiderantur in his nominibus, non inſtitutiones. per Moyſen quippe reuelatum eſt teſtamentum vetus, per quem data eſt lex, per quam fieret non abolitio, ſed cognitio peccati. erat autem occulta iſta lex ab initio, cùm homines iniquos natura ipſa conuinceret, aliis facientes, quod ſibi fieri noluiſſent. reuelatio autem noui teſtamenti in Chriſto facta eſt, cùm eſt manifeſtatus in carne, & apparuit iuſtitia Dei. ſic enim ait apoſtolus, Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt. ecce qua cauſſa illud dicitur vetus teſtamẽtum, quia priori, hoc autem nouum, quia poſteriori tempore reuelatum eſt. Deinde, quia teſtamentum vetus, in quo terrena promiſſa ſunt, ad veterem hominem pertinet, à quo neceſſe eſt hominẽ incipere: nouum autem, cæleſtibus promiſſionibus nobilitatum, ad nouum hominem, quò homo debet ex vetuſtate tranſire. quare qui immaculati & iuſti coram Deo incedebant patres prioris teſtamenti, & qui euangelicis promiſsionibus, æternísque præmiis inhiabant, ſecundum fidem euangelij viuentes, hi ſanè & Chriſtiani, & euangelici, & vſqueadeo inter hæredes noui teſtamenti honoratiſsimum locum habent, ac poſsident.

Antiqui fideles partes fuerũt noui teſtamenti.

Nouũ teſtamentũ ac vetus ſic appellãtur ratione manifeſtationis, nõ inſtitutionis

Rom.3.

Vetus teſtamentũ dicitur, quòd ad veterem hominem pertineat: nouũ verò ad nouũ hominẽ.

QVÒD ſi rem Auguſtinus non nos docuiſſet, eiuſmodi tamen veritatem multis in locis diuinæ ſcripturæ intueri liceret. & quidem certè omnem nobis dubitationem apoſtolus eximit, cùm ſcribit, Deũ patrem euangelium, quod de filio ſuo ſecundum tempus deſtinatum promulgauit, longè antè per prophetas in ſcripturis ſanctis promiſiſſe: item, fidei iuſtitiam, quę per euangelium ipſum frequèns commendatur, teſtimonium habere à patribus & prophetis. euangelium ſiquidem hominum corda non in præſentis vitæ lætitia detinet, ſed ad ſpem

Rom.1.
Rom.3.
Fructus euangelij.

immortalitatis euehit,nõ terrenis delicijs affigit, ſed ſpẽ in cælo repoſitam annuntians,illuc nos quodãmodo trãſ
Epheſ.1. portat:ſicuti Paulus in plerisq; ſcripturæ ſuæ locis haud
Coloſſ.1. obſcurè teſtatur. quòd ſi ſpiritalis eſt euangelij doctrina,
2.Theſſ.2. (eſt enim ſalutis verbũ, Dei potentia ad ſaluãdos fideles cælorum regnum nuncupata) & ad vitæ incorruptibilis poſſeſsionem aditum aperit, putãdum certè non eſt eos, quibus,diuina fide data,promiſſum ac denuntiatum fuit euangelium hoc, quin, præteritis terrenis voluptatibus, neglecto ſpretóque mundo, in æternam felicitatem ſibi reuelatam attentiore cura incubuiſſe, cóque præcipuè toto vitæ ſuæ curſu expectaſſe, quò fides certa ipſorum animos ſupra legem dirigebat. Iam ſi diſpiciamus, quo pacto patriarchæ illi,ac prophetæ ſanctiſsimi, ceteríque iuſti omnes, quotquot ante euangelium vixerunt,per fidem, non per naturæ, aut legis vigorem inſtituti fuerint à domino,reperiemus meliorem alibi vitam, quàm lex, aut natura doceret ſibi eſſe,eos ſenſiſſe:vt,neglecta legali ac terrena, ſpiritualem ac cæleſtem mente tota meditarentur.

Antiquorũ patrũ diuinitus iniuncta fuit viuẽdi cõdicio.

Primùm,quæ diuinitus iniuncta illis fuit viuendi conditio, aſsiduum exercitium erat, quo admonerentur ſe omnium eſſe miſerrimos, ſi in hac modò vita felices forent. quamobrem ſpe melioris præmij, ſpiritualíque illuſtratione,ad quam nunquam aſſurgebat litteralis lex, aut natura, aſsiduè eos Deus conſolabatur.

ADAM. *Sap.10.* *Geneſ.3.* *Geneſ. 4.*

ADAM ipſe, quem ſcimus electorum numero aſcriptum, hac fide & ſpe in Chriſtum, & futuri regni, laboribus anxiis ſolatiũ præſtat, luctuíque extremo blanditur,ac perditæ poſtremò felicitatis, cuius vel ſola recordatione premebatur, recuperandæ ſpem concipit. hæc vna fides dolorem, ex morte filij,fratris paricidio arrepti, ſuſceptum, vnicè extinxit.

ABEL.

ABEL,in ipſo ætatis flore crudeliter pro pietate & religione trucidatus,exemplum eſt eius fortitudinis,qua euangelicæ mentes prǫditǫ ſunt.

NOE.

NOE etiam, cùm bonã ætatis partẽ(dum totus orbis ſecurè deliciatur)cum magna fatigatione in arca deſtruenda deterit,dúmque mortem effugit,eius ſalutis fidei lumine recordabatur,quam electi in Chriſtiana eccleſia, cuius ipſe membrum nobiliſsimum erat,conſequerentur.

ABRAHAM. *Gen.6.9.* *Gen.12.*

ABRAHAM etiam vnus inſtar decem myriadum nobis eſſe bebet, ſi ſpectatur

eius fides, quæ nobis in optimam credendi regulam proponitur: in cuius etiam genere, vt filij Dei ſimus, cenſeri nos oportet. quid verò abſurdius, quàm patrem omniū fideſium eſſe Abraham, & ne poſtremum quidem angulum inter Chriſtianos tenere? iam quòd ad vitæ experimēta attinet, vbi primùm vocatur, Dei imperio à patria, parentibus, amicis, Deo ſolo plenus, euangelicus homo auellitur, in quibus potiſsimum vitæ delectamētum eſſe existimare poterat, ac ſi illum deſtinato, conſilio omnibus terrenæ vitę oblectamentis ſpoliare dominos vellet. ſimul itaque ac terram ingreſſus eſt, in qua Deus iubet eum habitare, fame inde exigitur, eò ad opem quærendam refugit, vbi quò incolumen ſe ſeruet, neceſſe habet, vxore ſe tueri, quod incertum, an multis mortibus fuerit acerbius. vbi in terram habitaculi ſui reuerſus eſt, inde rurſum fame expellitur. apud Abimelech etiam ea ipſa vxore caput redemit. dum huc atq; illuc multos annos apoſtolus animus, veréque euangelicus, atq; Chriſtianus, incertus vagatur, ſola ſpe Chriſti munitus ac fretus, aſsiduis ſeruorum rixis compellitur nepotem (vt nihil iam haberet pręter Chriſti fidem, quod eum conſolari poſſet) à ſe dimittere, quem filij loco habebat, paulóque pòſt captiuū ab hoſtibus abripi audit. quocunque pergit, vicinos reperit immanis barbarei, qui neq; ex effoſsis quidem magno labore puteis aquā bibere ſinant. neq; enim vſum redimeret à rege Gerar, niſi antea fuiſſet prohibitus. Iam vbi ad effœtam ſenectutem ventum eſt, quod habet ea ætas inſuauiſsimum, & acerbiſsimum, orbitate multatum ſe videt: donec præter ſpem Iſmahelē gignit, cuius tamen natiuitatē magno redimit: dum Saræ probris fatigatur, perinde ac ſi ancillę contumaciam fouendo, domeſticæ perturbationis ipſe cauſſa eſſet. naſcitur demum Iſaac, ſed ea mercede, vt exturbetur primogenitus Iſmahel, ac pro derelicto pænè hoſtiliter proiiciatur. vbi ſolus relictus eſt Iſaac, in quo acquieſcat defeſſa boni viri ſenectus, paulò pòſt ipſum mactari dominus iubet. Si fidem excludas, ſi ſpem incredibilem melioris regni, qua ſenex hic mirè ſibi ipſe blandiebatur, à noſtra conſiderationे ſemoueas, ſi Chriſti melioris ſeminis ratio inter haſce preſſuras nulla Abrahamo haberetur, aut me-

Gen.13.14. 15.16.17. 18.19.20. 21.

Gen.22.23 24.25.26.

nor repromiſsio illi non ſuccurreret: quid calamitoſiùs excogitet humana mens, quàm patrem fieri filij carnificem? ſi morbo aſſumptus foret, quis non putaſſet miſerrimum eſſe ſenem, cui in ludibrium datus eſſet filius, ob quem orbitatis dolor ei geminaretur? ſi ab extraneo aliquo interfectus, indignitate multùm eſſet aucta calamitas: id verò longè omnia miſeriarum exempla exuperat, longéque poſt ſe calamitates omnes relinquit, patris

*Matth.*10. ſcilicet manu trucidari. Sic denique toto vitæ ſuæ curri-
16. culo iactatus ac vexatus fuit, vt ſi quis velut in tabula ex-
*Marc.*8. emplar Chriſtianæ vitæ, euangelicęque crucis, quam nos
*Luc.*14. poſt ſe tollere iuſsit dominus, depingere velit, nihil reperiat magis appoſitum, magis Chriſtianum, magis euágelicum, magis demum Chriſti lege, non Moſaica dignum.

ISAC. ISAAC fames fugat de terra Chanáan, vxor ei eripitur,
*Gen.*26.28 vicini eũ ſubinde exagitant, ac modis omnibus premũt, ut de aqua etiam cogatur decertare, domi ſuæ à nuribus multum moleſtiarum ſuſtinet, filiorúmque diſsidio angitur: nec mederi tanto malo poteſt, niſi per exiliũ eius,

IACOB. cui benedixerat. At verò IACOB nihil, quàm extremæ
*Gen.*28. Chriſtianitatis exemplar eſt: pueritiã domi in quietiſsimè tranſigit inter fratris primogeniti minas ac terrores, quibus demum cedere cogitur, profugus à parentibus, & natali ſolo, præterquam quòd acerbum eſt exulare, apud
*Gen.*29. Laban auunculum nihilo mitius atque humanius accipitur. parum eſt duriſsimam atque auſteriſſimam ſeptẽ annis ſeruitutem ſeruire, niſi dolo malo in vxorem eludatur. alterius vxoris gratia in nouam illi ſeruitutem in-
*Gen.*31. grediendum eſt, vbi totum diem Solis æſtu torreatur, noctu peruigil vrgeatur, gelu ac frigore, quemadmodum ipſe, conqueratur. tantam vitæ aſperitatem dum annos viginti ſuſtinet, quotidie nouis ſoceri iniuriis affligitur. nec domi ſuæ quietus eſt, cùm videt vxorem odiis, iur-
*Gen.*32. giis, æmulationibus diſtractam, ac pænè diſsipatam. vbi in patriam iubetur ſe recipere, abitum captare illi neceſſe eſt ignominioſæ fugæ ſimilem: neque tamen ſoceri iniquitatem ita poteſt effugere, quin eius probris ac contumeliis in medio itinere vexetur. excipit eum mox multò ſæuior difficultas: nam, dum ad fratrem accedit, tot mortes habet in cõſpectu, quot ab homine crudeli & iniquo

parari queant. diris ergo terroribus mirabiliter diſcruciatur, ac diſcerpitur, quàm diu aduentum eius expectat: vbi in conſpectum eius prodit, tanquam ſemimortuus ad pedes procumbit, donec placatiorem ſentit, quàm ne ſperare quidem auſus fuerat. ad hæc Rachele vnicè dilecta coniuge. primo terræ ingreſſu priuatur poſteaquam ab ea filium ſuſtulerat, eóque præ aliis amabat, à fera laceratum audit: ex cuius morte quantum mærorem ceperit, declarat ipſe, cùm poſt diuturnas lacrymas ſolatiis omnibus viam obſtinatè claudit, nihil ſibi reliquum faciens, niſi vt deſcendat ad filium lugens in ſepulcrum. interim raptus & defloratio filiæ in iis vindicandis filiorum audacia, quæ illum non fœtere modò fecerat apud omnes regiones incolas, ſed præſentiſsimum inter nationis periculum illi creauerat, quantæ anxietatis, luctus, tædij cauſſa erant? ſecutum eſt horrendum illud primogeniti Ruben flagitium, quo nihil grauius innocentiſsimo ſeni accidere poterat. nam, cùm inter ſumma infortunia reponatur vxoris pollutio, quid dicēdum ſit, vbi à proprio filio perpetratum eſt id ſcelus? aliquātò pòſt altero inceſtu contaminatur familia: vt niſi Chriſti ſanguine effundendo quidem cor illud ſenile roboratū ac vegetatū fuiſſet, conſtantiſsimum alioqui, & calamitatibus infractum, tot tamen dedecora labefactare potuiſſet. ſub extremum vitæ, dum ſuæ ac ſuorum inediæ ſuccurrere quærit, noui infortunij nuntio percellitur, quo intelligit filium alterum in vinculis detineri, quem vt recipiat, Beniamin, vnicum ſuum deſiderium, permittere aliis cogitur. Hæc hæc erant exordia, hæc initia Chriſtianæ eccleſiæ, cùm dominus adhuc fide ſibi eā deſpondiſſet, ac deſtinaſſet. ſi, cùm in ſpe eſſet futuri ſponſi, eam illi fidem ſeruabat ſponſa, vt omnia præ illo contemneret, deſiderium omne in redemptore ſuo collocaret, nec minimum quidem in rebus terrenis defixam ſpem geſtaret: quid accidiſſe arbitrabimur, poſtquā eadem in virgineo cum vtero recluſum viuere ſenſit, in præſepio iacēre vidit, vagientem inter puellæ brachia intuita eſt, prædicantem audiuit, egenum ac pauperem, nec habitantem quidem proprium locum, vbi vel ſacrū caput reclinaret, comitata eſt, poſtquam demum pro ſe ſpiritum exhalantem cōſpexit, nudum & af-

Gen. 33. 35. 37. 43. 43.

Gen. 35.

Gen. 38. 41

flictum, virgis verberatum, ſpinis punctum. clauis perfoſſum? Proh ſancte Deus, quantus feruor, quantus ardor, quàm ingens ac vehemẽs ſpiritus multos arripuit. quot, ô bone IESV, fuerunt, qui nudi, anguſtiati, afflicti te deſiderium ſuum ſpem vnicam ipſorũ, viam, ac vitam cęleſtem ſecuti ſunt? Sed nos reuertamur ad antiquos patres, quibus effundendus ſanguis in cauſſa fuit, vt ditiſsimi alioqui ac potentiſsimi cùm eſſent, iuxta legalem benedictionem omnia nihil æſtimarent & facerent, concepta fide immortalitatis æternæ, quam temporali hæreditate legis præfigurari diuinitus docebantur. verùm audire nobis præſtat apoſtolum: Fide IOSEPH moriens, de profectione filiorum Iſrael memoratus eſt: & de oſſibus ſuis mandauit. fide MOSES natus, occultatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eo quòd vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum. fide Moſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filię Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem. fide reliquit Aegyptũ, non veritus animoſitatem regis: inuiſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit. fide celebrauit paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat primitiua tangeret eos. fide tranſierunt mare rubrum, tanquam per aridam terram: quod experti Aegyptij deuorati ſunt. fide muri Iericho corruerũt circuitu dierum ſeptem. fide Rabab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampſon, Iephte, Dauid, Samuel, & prophetis, qui per fidem deuicerũt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerũt aciem gladij, conualuerũt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, acceperũt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. alij autẽ diſtẽti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem: alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, cir-

Margin notes: IOSEPH. *Hebr.11.* MOSES. *Exod.2.1.2* *Exod.12.* *Exod.14.* *Ioſue.5.6.2*

tuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ. & hi omnes, teſtimonio fidei probati, non acceperũt repromiſsionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur. Ex quibus omnibus colligimus, in euangelicas promiſsiones æternam vitam, atque regnum ſpectaſſe eos, quoties hæreditate promiſſa vterentur. quare pedem in terra Chanáan non acquiſiuerunt, niſi in ſepulcrum. quo teſtabantur, ſe ſperare fructum promiſsionis ſpiritualis, eúmque nõ niſi per mortem percepturos. atque hæc cauſſa eſt, cur tanti æſtimauerit Iacob illic ſepeliri, vt iureiurando adegerit filium Ioſeph ad eam pollicitationem, cur etiam Ioſeph *Geneſ.* 50. poſt aliquot ſæcula transferri oſſa ſua, iam pridem in cinerem collapſa, voluerit. denique apertè conſtat, in omnibus vitæ ſuæ, ſtudiis, fide propoſitam futuræ vitæ beatitudinem habuiſſe. quorſum enim primogeniturã tantopere affectaſſet, tantóque periculo ambiſſet Iacob, quę exilium, & tantùm non abdicationẽ illi conflatura erat, boni verò nihil prorſus allatura, niſi fide ad altiorem benedictionem eum reſpicere iuberet? atque eum ſibi ſenſum fuiſſe declarauit ea voce, quam inter vltimos ſpiritus edidit, Salutare tuum expectabo domine. et quod ſa- *Gen.* 49. lutare? nempe illud, de quo in euangelio legimus, Viderunt oculi mei ſalutare tuum. certè illud enumerat, *Luc.* 2. quod pretioſam reddebat ſanctorum mortem in conſpe- *Pſal.* 126. ctu domini, quam ſibi percupiebat Balaam. Moriatur, inquit, anima mea morte iuſtorum. *Num.* 23.

Innumeris teſtimoniis prophetarum comprobatur, vltra legale fœdus fidem futuræ felicitatis antiquos patres habuiſſe: vt hinc etiam conſtet, ad euangelij legem ipſos pertinere.

CAP. XXXII.

VErùm ſi ad prophetas deſcendamus, illic pleniſsimo fulgôre Chiſtianiſmus & vita æterna ac regnum Chriſti ſe proferet. hac fide, nimia perſpicuitate & certitudine, ad euangelij ſtatum, quaſi ad præſtitutum ſcopũ, omnia ſua Dauid dirigit. audi, quanti æſtimet, quæ mundi ſunt, vt Chriſtum fide & ſpe lucraretur. Aduena ſum,

ait, & peregrinus, quemadmodum omnes patres mei. &
Vanitas, omnis homo viuens. velut vmbra, quiſque ob-
Pſal.39. ambulat. Et nunc, quæ expectatio mea domine? ô quæ-
ſtionem prudenti homine dignam. ſed audi quæſtionis
diſſolutionem. Spes, inquit, mea ad te domine eſt. idem
alibi, poſtquàm de breuitate, fluxáque & euanida imagi-
ne humanæ vitæ locutus eſt ſapienter, ſubiicit Chriſtia-
Pſal.101. nè, Miſericordia autem domini vſque in æternum ſuper
Pſal.102. timentes eum. cui ſimile eſt quod in alio canitur, Initio
domine fundaſti terram, & opera manuum tuarum ſunt
cæli. ipſi peribunt, tu autem permanebis: & omnes, velut
veſtis, veteraſcent. Et, ſicut indumentum, mutabis eos: tu
autem idem ipſe perſtas, & anni tui non deficient. Filij
ſeruorum tuorum habitabunt & poſteri eorum contra
te ſtabilientur. Nónne intueris lector, Chriſtiani homi-
Matt. 25. nis de ſalute iuſtorum cum æternitate coniuncta euan-
gelicam ſententiam, Ibunt iuſti in vitam æternam? neq;
verò aliter accipere liceat, quæ de fidelium proſpero ſuc-
ceſſu paſsim canit euangelicus hic vates, niſi vt in cęleſtis
Pſal.97. gloriæ manifeſtationem conferantur: qualia ſunt, Cuſto-
Pſal.112. diuit dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu pec-
Pſal.140. catorum liberabit eos. Lux orta eſt iuſto, & rectis corde
Pſal.112. lætitia. Iuſtitia pij manet in ſæculum ſæculi, cornu eius
Pſal.34. exaltabitur in gloria, deſiderium peccatoris peribit. Ve-
runtamen iuſti confitebuntur nomini tuo, habitabunt re
cti cum vultu tuo. item, In memoria æterna erit iuſtus:
redimet dominus animas ſeruorum ſuorum. Quòd ſi in
præſentem rerum ſtatum oculos defigeremus, grauiſ-
ſima tentatione perculſum iri nos omnes minimè dubi-
tandum eſt: ac ſi nulla eſſet poſt hanc vitam innocentiæ
apud Deum gratia, neque merces. adeò impietas, vt plu-
rimùm proſperatur ac floret, dum piorum natio igno-
minia, paupertate, contemptu, omni crucis genere pre-
Pſal.73. mitur. Parum, inquit, abfuit, quin lapſus pes meus, quin
effuſi fuerint greſſus mei, dum me vrit fortuna ſtulto-
rum, dũ improborum proſperitatem video. tandem poſt
narrationem concludit, Inſtituebam cogitationem, ſi
poſſem hæc cognoſcere: ſed tormẽtum eſt ſpiritui meo,
donec ingrediar in ſanctuarium domini, & intelligam
nouiſsimum eorum.

SVSTVLERVNT ergo animos ſuos viri illi nō minùs apoſtolici, quàm nos, qui euangelium gratiæ ſecuti ſumus ad Dei ſacrarium, in quo reconditum habebant, ſoláque fide aſſeruabant, quod in præſentis vitæ vmbra non apparet, atque in legis ſuæ littera minimè legebatur. hoc erat vltimum Dei iudicium: quod, cùm carnali teſtamento non cerneretur affixum, fide contenti erant intelligere. qua fiducia freti, quidquid eueniret in mundo, venturum tamen aliquando tempus non dubitabāt, quò Dei promiſsiones implerentur, qualiter iſtæ voces teſtantur, Ego in iuſtitia tua cōtemplabar faciem tuam, ſatiabor ſpecie tua. item, Ego ſicut oliua viridis in domo *Pſal.17.* domini. item, Iuſtus, vt palma florebit, ſicut cedrus liba- *Pſal.52* ni multiplicabitur. Plātati in domo domini, in atriis Dei *Pſal.92.* noſtri florebūt, Adhuc fructificabunt in ſenecta, pingues ac virides erunt. In æternitatem conuertentes oculos antiqui fideles, contempta præſentium calamitatū momentanea aſperitate, non minùs Christianè, quā ſecurè in has voces erumpebant, Non dabis in æternum, vt moriatur *Pſal.55.* iuſtus, tu verò præcipitabis ſceleſtos in puteum interi- *Iob 21.* tus. Vbi in hoc mundo puteus æterni exitij, qui ſceleratos abſorbeat, in quorum felicitate hoc alibi numeratur, quòd diem extremum in puncto ſine multo labore claudunt? vbi ſpecies iſta, & decor fidelium? vbi tanta ſanctorum ſtabilitas, quos ipſe Dauid non modò cōcuti, ſed opprimi, & conteri prorſus vbique conqueritur? nempe fidei plenus ob oculos ſibi ſtatuebat, non quid ferat inſtabilis, & pluſquam æſtuaria mundi viciſsitudo, non quid promittat Moyſis lex: ſed quid facturus ſit dominus, cùm ad æternam cæli & terræ conſtitutionem olim ſedebit. et ſanè in pſalmo 49. eleganter deſcribit tum ſtultorum irriſionem, quòd in lubricis & volubilibus mundi bonis acquieſcant, tum felicitatem veram, quæ longè alia ab illa ſapientibus quærenda eſt. ſed illic etiam reſurrectionis myſterium perſpicuè reſerat, vbi, illis perditis & extinctis, piorum regnum erigit. Exorta, inquit, luce iuſti dominabuntur illis. quem enim, quæſo, dicemus eſſe illū lucis exortum, niſi cæleſtis vitæ reuelationem, quæ finem præſentis ſequitur? vis clariùs videre, ad noſtrum teſtamentum ſpiritale & cęleſte illos pertinuiſſe? conferamus

Dauid verbum cum Pauli ſententia, & cognoſcemus, quòd vtrique vna erat ſpes, eadem fides, eadem hæreditas, idem Deus atque regnum. dicit ille, Momentum in indignatione domini, vita in eius miſericordia. quomodo, ô Dauid, ſancti afflictiones à Deo immiſſas momento terminarunt, qui per totam ferè vitam affligebantur? ſed non mihi reſpondeas: video, quid pro te dicat Paulus in eandem ſpem ipſe diuinitus aſcitus. Momentaneum, inquit, & leue tribulationis. ecce Momentum in indignatione, gloriæ pondus operatur in nobis: ecce Vitam & æternam quidem in miſericordia. quia igitur, etſi non vno ſæculo nati eſſent, cælum intuebantur, agnoſcebant punctum eſſe temporis, quo exercerentur per crucem ſancti à domino: miſerationes verò per ſæcula eſſe, quibus colligerentur: vnde & illæ voces, Memoria iuſti in benedictione erit, nomen autem impiorum putreſcet. Pedes ſeruorum ſuorum ſeruabit, & impij in tenebris cõticeſcet. quę ſignificant illos probè cognouiſſe, vtcunque variè circumferrentur ſancti, vltimum eorum exitum, vitam, ac ſalutem, impiorum felicitatem amœnam eſſe viam, qua in mortis voraginem paulatim labuntur. ideo eorum mortem vocabant exitium incircunciſorũ, vt quibus ad meliorem & cæleſtem vitam reſurrectionis ſpes præciſa eſſet. quare nullã hac excogitare potuit Dauid grauiorem imprecationem, Deleantur de libro vitę, & cum iuſtis non ſcribantur.

*Pſal.*30. *2.Cor.*2. *Prouer.*10. *1.Reg.*2. *Ezech.*28. 32. *& alibi* *Pſal.*69.

NE AVTEM fides hæc, atque ſpes Iudæis credatur propria fuiſſe, prodeat in medium inſignis illa præ aliis ſententia Iob, Scio, quia redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. vbi fateamur, neceſſe eſt, Chriſtianiſsimum Iob oculos in futuram immortalitatem ſuſtuliſſe, qui ſibi vel in ſepulcro iacenti redemptorem affore conſpexerit. an non ad euangelicam legem pertinebat, cùm diceret, Etiam ſi me occiderit, in ipſo nihilominus ſperabo? cùm ergo audiamus publica ſpiritus ſancti oracula, quibus de ſpiritali vita & regno cælorum tam clarè, ac dilucidè, & ante Iudeorum ſynagogam, & extra illius legis homines tractabatur, intolerabilis vtique pertinaciæ

Iob 19. *Iob* 13.

fuerit

fuerit, eorum legi temporali quidem ac carnali, & non magis euangelicę veritati tunc occultè, nunc verò manifeſtè tribuere. Cùm Iſraelitæ etiam, Babylonem deportati, ſuam diſsipationem morti ſimillimam eſſe cernerent, dimoueri ab ea opinione vix poterant, quin fabuloſum putarent eſſe, quod de ſua reſtitutione vaticinabatur Ezechiel. quamobrem id perinde accipiebant, ac ſi denuntiaſſet ſuſcitatum in vitam iri putrida cadauera. tantæ molis erat, in populo rudi, in terrenas promiſsiones incumbenti, legis etiam litteræ tenaciùs fixo, euangelicam fidem, atque Chriſtianam ſpem vulgò iactare. dominus tamen, vt oſtenderet, nec ea ipſa difficultate ſe impediri, quò minùs beneficio ſuo ſupra legem faceret, prophetæ campum aridis oſsibus plenum oſtendit: quibus ſola verbi ſui virtute ſpiritum, vigorémque vno momento reddidit. ſeruiebat quidem ad tantam incredulitatem præſentem corrigendam viſio: ſed interim Iudæos commonefaciebat, quantùm vltra Moſis legem virtus Chriſti protenderetur, quæ arida & diſperſa oſſa reſurrectione ſua ſolo nutu perfacilè vegetaturus eſſet, quemadmodum & ipſe fecit: quare ſententiam illam cum altera Eſaiæ rectè comparabimus, Viuent mortui, (ò quæſtionem magis euangeliſta, quàm propheta dignam) interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & exultate, qui habitatis in puluere: quia ros viridis campi, ros tuus & terram gigantum detrahes in ruinam. vade populе mi, intra tabernacula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere pauxillum, donec pertrāſeat indignatio, ecce enim dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & reuelabit terra ſanguinem ſuum, nec operiet diutius interfectos ſuos. Quid, rogo te, ſimile quidquam Moſis lex continebat Caluine? ánnon ſanctum prophetam, immo potiùs euangeliſtam hæc ipſa verba idem ſpiritus docuit, qui per filium æterni patris dicebat, Et mortui, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei? Sicut cæli noui, dicebat idem Eſaias, & terra noua, quæ facio ſtare coram me, ſic ſtabit ſemen veſtrum. & erit menſis ex mēſe, ſabbathum ex ſabbatho. & ne putarent de legali ſabbatho fuiſſe locutum dominum, ſed de ſabbatho euangelio proprio,

Ezech. 37.

Eſa. 26.

Ioan. 5.

Eſa. 66.

quod in beatitudine nunquam deficiet, ſubiungit, Veniet omnis caro, (non Iudæus tantùm) vt adoret coram facie mea, dicit dominus. & egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui prçuaricati ſunt in me, quòd vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Applaudit huic vaticinio Danielis prophetia. In tempore illo, inquit, conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi ſui, & veniet tempus anguſtiæ, quale non fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt. & tunc ſaluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. non dicit, Caluine, in lege, quia illa neminem ad perfectum adduxit, ſed, in libro. in quo libro? ſanè in eo, de quo per prophetam Chriſtus dicebat, In capite libri ſcriptum eſt de me. hic liber eſt liber non legis, ſed æterni propoſiti, in quo ſcripti ſunt, quotquot electi ſunt in Chriſto ante mundi conſtitutionem. addit etiam Daniel, Et ex his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt alij in vitam æternam, alij in opprobrium ſempiternum. Nolo hîc Moſis vocem conſiderare Caluine, cùm hęc audio & lego, ſed magis Chriſti IESV prædicationem, quã ſic terminat, Ibunt quidem iuſti in vitam æternam, impij verò in reſurrectionem iudicij, atque in ignem æternum. quãobrem ex his omnibus dilucidè puto demonſtratum, fideles, non qui ſub lege Moſaica vixerunt tantùm, ſed quotquot Chriſti aduentum præceſſere, ad euangelij gratiam pertinere, nempe cùm eodem fidei ſpiritu præditi nobiſcum fuerint, item etiam opînor, me abundè docuiſſe, quid Paulus, immo quid vniuerſi canonici ſcriptores per legem intelligant, quando legem ſic Chriſti fidei contraponunt, vt ex illa neminem iuſtificatum eſſe dicãt, ſed ex IESV Chriſti fide. velit igitur nolit Caluinus, ſterilem illam Moſaicorum præceptorum præſtitutionem à Chriſto ſecernere, & prȩſcindere debemus, vt verum ſit, quod de ea lege ſcriptum videmus, neminẽ ſcilicet iuſtificaſſe, neminem ad perfectum adduxiſſe. immo ſicut in lege ac præceptis Moſis nec Chriſtus, nec eius fides ipſorum virtute includebatur, ſic nec in legalibus punitionibus: vt pro delictis non virtute legis, ſed ſola fide eſſent apud Deum ſatisfactoriæ. vtcunque tamen, non vt legales, ſed quatenus patientia, & Chriſtiana

Dan.12. *Pſal.39.* *Epheſ.1.* *Matt.25.*

Legàles punitiones quo pacto apud Deũ eſſent ſatisfactoriæ.

tolerantia, quæ à Chriſti fide procederet, tolerarētur, ad menſuram fidei pro peccatis, & apud Deum ſatisfactoriæ fuerint. Moſis ergo lex pœnis illis tantùm emendare delicta tribuebat, quibus Chriſti fides diuinæ iuſtitiæ ſatisfactionem adhibebat. Hæc eſt legis illius formalis & germana ratio, ſolùm ſcilicet vitæ ciuilis præcepta continere, nō item diuinę, vt lex euangelica. ſcio tamen huic natiuæ rationi aliam conſiderationem adiungi à ſanctis, vt quidem conſideremus eandem, in quantum ex pio vſu cultorum in æternæ ſalutis per Chriſtum habendæ conſecutionem dirigebatur. atqui altera conſideratione (licèt non de per ſe, vt verbis ſcholæ agamus, ſed de per accidens) cum interiore iuſtitia, ac proinde cum ęterna ſalute connexionem ſeruabat, ęterníſque præmiis ratione fidei, quibus ex lege pro benefactis carnalia duntaxat pręmia, pro malefactis verò ad tempus ſtatuta pœna reſpondebat. his igitur omnibus ſic conſtitutis, liquet eas differentias, quas iſte inter vtrunque teſtamentum accidentarias reputat, eſſentiales omnino eſſe. ad hęc colligitur, quam parum errori ſuo faueant, quę nobis de coniūctione euangelij cum lege obiecit, & quę de vinculo, ac fœderis formula, déque aliis, quę ad vetus pactum pertinebant, nobis contraponit, ac poſtremò, quod de hæreſi Sadducæorum, atque de vita, de preſſuris, de factis, dictíſque antiquorum patrum oppoſuit. & hoc quantum ad priorem erroris fontem: vnde diximus euidenter deceptum, vt neſciat diſtinguere inter vtriuſque legis ſubſtantiam, atque eſſentiam.

Altera cōſideratio legis per fidē credentium.

Inter euangelium & legem diſtinctio eſt eſſentialis.

VENIAMVS ad fontem alterū, vnde error iſte paulò latiùs ad æſtimationem multorū dimanauit. vt enim axiomati ſuo toties à Caluino præaſſumpto, Sola fide iuſtificari credentes omnes, regnum ſtabiliat, nihil non verſat, omnia inuertit, omnia mouet. operibus ex fide etiam factis, vt primo libro diximus, inſolenter abrogat, de legis euangelicæ maieſtate multum deminuit, ſacramentorum virtuti detrahit. docet itaque nulla nos habere in lege noſtra ſacramenta, quæ nos verè ſanctificent: vt vel hac parte nihilo meliores ſimus his, qui ſub prioribus repromiſsionibus viuebant: ſitque vtriuſque teſtamenti ſicut promiſſorum ratio vna, ita ſacramento-

De efficacia ſacramētorum nouæ legis.

S. Th. 1. 2. q. 106. art. 1. & 2.

rum eadem conſideratio. nec multùm apud iſtum valet celebre illud à ſanctis omnibus, œcumenicíſque cõciliis ex ſcripturis ſumptum diſcrimen, vt illa quidem ſanctitatem promiſerint, & ſignificauerint, hæc verò digne ſuſcipientibus conferant iuſtitiã. neque magni æſtimat, quòd de lege gratiæ locutus Auguſtinus dicebat, Si diſcernimus duo teſtamenta, vetus, & nouum, non ſunt eadem ſacramenta, non ſunt eadem promiſſa, eadem tamen pleraque præcepta. & addit, Sacramenta non eadem: quia alia ſunt dantia ſalutem, alia promittentia ſaluatorem, noui teſtamenti ſacramenta daut ſalutem, veteris verò promiſerunt ſaluatorem. Cùm ergo tenes promiſſa, inquit, quid quæris promittentia, ſaluatorem iam habens? non multùm curat, quòd apoſtolus ſæpe illius veteris leges ſacramenta egena, & infirma elementa vocat, & baptiſmum lauacrum regenerationis, & renouationis. atq; ſacro ſancta diuinæ miſericordiæ inſtrumenta, per quæ nobis Chriſti ſanguis, paſsióque tota dignè diſpoſitis, optimè applicatur, quæ communi vocabulo, nimiúmque in eccleſia recepto, ſacramenta nominamus, doctrinæ tantùm appendices, & quaſi appenſa ſigilla eſſe contendit, per quæ euangelica ſalus in nobis confirmetur, non inſtituta eſſe credit ad ſanctificandum, ſed tantummodo ad ſignificandum. præter hæc homo ſibi viſus ſapere dogma hoc, quòd ſcilicet ſacramenta Moſaicę legis gratiam figurabant, quam noſtra exhibent, dogma vtique generalium cõciliorum, & beati Auguſtini, ab ſcripturis ſumptum, ſophiſtarum decretum à garrulis aliquot excogitatum eſſe dicit, ipſúmque probris omnibus, maledictíſque vexare ingenti verborum mole molitur. ridet ſatis, cùm quis dicit, ſacramenta noſtra legis euangelicæ remedia eſſe, atque alleuiamenta, non oſtendentia ſolùm, ſed etiam præbentia ſalutem, ac per ipſa & in ipſis Chriſtum operari, cùm vetera ſacramenta tantùm ſignificauerint ſalutem, & ſaluatorem. infinitis cachinnis agit in eos, qui cum Auguſtino ſacramenta eſſe diuerſa dicunt in vtraque lege, non ſolùm ritibus & cæremoniis, ſed etiam efficacia & ſignificationibus. immo non fœderis modò gratia pares nobis facit Iſraelitas, ſed adhuc ſacramentorum ſignificatione, malè coniungens baptiſ-

Sacramẽta nouæ legis dant ſalutẽ.

Auguſt. in præf. pſa. 73

Gal. 4.
Epheſ. 5.
Tit. 3.

Cal. lib. 2. c. 10. ſect. 5. 6

mum,& cœnam dominicam cum trāſitu maris & nube, qua protegebantur ab ardore Solis, atque cum manna cibo cæleſti. talibus igitur,támque infirmis argumentis probatum nobis vult, iiſdem quoque ſymbolis æquè illuſtrem inter Iudæos gratiam ſuam dominum reddidiſſe, atque inter nos: vt non ſit, cur vllam prærogatiuam (vt ipſius verbis in re tam nefanda vtar) ex euāgelio nobis vendicemus, quæ nos à Dei vindicta eripiat,quā illi ſubierunt. demum poſtquam euangelicam legem cum vetere inſigniter confudit, non alium vſum ſacramentorum agnoſcit, quàm ſit euangelij ad ſanctificandum & iuſtificandum nos. verùm, quoniam ſuper his omnibus alio tempore & loco,oportuniore quidem,ſermonem faciemus,quando ſcilicet de ſacramentorum nouę legis numero,auctore eſſentia,virtute denique agetur, hîc à pluribus abſtinebo,illuc vniuerſa reiiciens ediſſerenda.

Reſpondetur verbis Caluini, in epiſtola poſitis,quibus ſe martyrij palmam pro ſuo euangelio ſitire iactitat, atque de martyrio multa ex Auguſtino contra Donatiſtas referuntur.

CAP. XXXIII.

NVnquam ſatis pro dignitate mirari potero Chriſtiane lector, quòd cùm tam malè ſentiat de euangelio Caluinus, inſigni tamen quadam animi fortitudine (vt ego coniicio,ſimulata magis,quàm vera) paratiſsimum ſe ad eius laudem tuendam, promptiſsimúmque iactat: neque hoc ſolùm,ſed audet de nobis polliceri, quod ſi euangelij dignitas, & certitudo nobis proprio ſanguine, vitæq́ue diſpendio obſignanda eſſet, (ſic enim ipſe loquitur) vt vt in eius incertitudinem ludamus, liceret ſpectare, quanti à nobis fiat.atqui longè aliam eſſe ſuam fiduciam clamat: quippe qui nec mortis terrores, nec valde ipſum Dei tribunal formidat. Non multū,neque diutius lectorem demorabor, recenſens innumeras noſtrorum hominum victorias,hoc noſtro omnium infeliciſsimo ſæculo pro vetere doctrina, verè apoſtolica atque Chriſtiana poſt crudelia certamina, cum ſanguine partas,non referam piorum confoſſos oculos, non extracta viſcera querar, non crucibus infixa eſſe fidelium corpora plangore (vt dicitur) forum complebo.quorſum enim *Cal.in epiſt. Iob.21.*

attinet commemorare iniquas illas iſtorum artes, quibus dolo malo vitæ multorum ciuium, præclariſsimorùmque principum ſunt hactenus inſidiati? viros nobiliſſimos à fidei noſtræ deſertoribus, patriæ & regni proditoribus, Chriſtianæ legis oppugnatoribus fuiſſe interemptos, ac meliori vitæ redditos? quorſum tandē, aut cur hæc quæram? Sed te quis furor præcipitauit Caluine, vt tantorum martyrum reus cùm ſis, tótque animas fraude perdideris, de martyrij palma tantopere glorieris? ſi inſidiis, atque fraudibus laus ea deberetur, quæ ſanctis pro fide Chriſti glorioſiſsimè certātibus tribui ſolet, (fateor) viciſti (fateor) ad tui martyrij coronam nullus hactenus acceſsit. ſed ſi nihil habet commune cum martyrio perfidia & impudentia, ſi malè conuenit hæreſi, atque fidei, veritati, & errori, paci, & bello, miſericordiæ, & crudelitati, inani iactationi, & Chriſtianæ fortitudini, perditiſsimorum hominum leuitati, & martyrum conſtantiæ; cur tibi tantam gloriam arrogaueris, profectò non video. num oſtentatio, ac furore & ſcelere commotio inflammata, Satanica & diabolica agitatio, peruerſitas atq; perfidia, martyrij ſpectabili nomine gauiſura eſt? dicam, ſi non nimis ornate, at quidem certè veriſsimè, nō eſt, quod magis concupiſcas, quàm vt Chriſtianum ſanguinem effundas, viſcera diſrumpas: pòſt autem poſtulas à nobis, vt credamus, nihil tibi magis eſſe in votis, quàm iſtam animam pro Chriſto ponere? nullus tibi ludus eſſe iucundior videtur, quàm cruor, quàm cædes, quàm ante oculos trucidatio Chriſtianorum: & interim ex vna tua Geneua clamabis, tanti te euangelium æſtimare, vt nec mortis terrores, nec ipſum Dei tribunal vehementer formides? vt vt in martyres ludas, ſi tua tibi proprio ſanguine, vitæque diſpendio fides obſignanda eſſet Caluine, ô quā, certò ſcio, timore mortis perculſus, facilè id abiuraſſes euangelium: quod vt reciperes, antiquiore fide violata, inanis ac vana prorſus gloria, populariſque auræ captandæ cupiditas, in cauſſa fuerunt. quòd ſi talem quidem te nunc tuis exhiberes, qualem te nobis extra periculum & aleam magnificè iactas, & oſtentas, (quod ego vt credam, nunquam adduci potero: noui ſiquidem magnificas iſtas ſpes, ingentéſq; pollicitationes,

In martyrio in primus eſt cauſſa appendēda.

atque perſpexi, quorſum recidant) nónne tibi adhuc tui martyrij cauſſa expendenda foret? non legiſti, quòd Chriſti martyrem non pœna, ſed cauſſa coronat? Auguſtinus ſiquidem non videbat poſſe quenquam martyrum habere mortem, qui Chriſtianorum vitam non haberet. Martyrem, inquit, non facit pœna, ſed cauſſa. Quid autẽ infelicius, aut peruerſius, Caluine, quàm de coertione iniquitatis tuæ (ſicut de Donatiſtis, qui perſecutionem perpeti gloriabuntur, idem Auguſtinus narrat) non ſolùm neſcire confundi, ſed etiam velle laudari? ignoráſne cæcitate iſta mirabili, vel magis animoſitate damnabili, aut certè diſsimulas, quòd martyres veros non faciat pœna, ſed cauſſa? erras, erras Caluine, ſi ex martyrum paſſione certam iuſtitiam eſſe cogitas, & non magis ex iuſtitia paſsionem eſſe glorioſam credis. memineris, quàm rideat idem pater Auguſtinus quorundam pſeudochriſtianorum impudentiam, qui martyres eſſe putant, quoſcunque pro ſua falſa religione (quam tamen veram eſſe & ſinceram tenaciùs defendunt) Chriſtianiſsimi imperatores, veréque pietatis cultores reges iuſtis ſuppliciis affecerunt. Si quis eorum, inquit, damnatus in tali crimine fuerit, martyr ne continuò æſtimandus eſt, quia pro ſuperſtitione, quam piam religionem putabat, pœnas legibus luit? nullus certè, ait, quoquo modo Chriſtianus hoc dicere audebit. dominus etiam, ne quiſquam in hac re nebulas offunderet imperitis, & in ſuorum dãnatione meritorum, laudem martyrum quæreret, non generaliter ait, Beati, qui perſecutionem patiuntur, ſed addidit, Propter iuſtitiam. magnam ſanè differentiam, qua vera à ſacrilegio pietas ſecernatur. Num qui Chriſti eccleſiam diuiſit, qui, ſimulata iuſtitia, iniquitatis eam inſimulare veritus nõ eſt, qui eccleſiæ principes, & patres falſis criminationibus, inſectatur quotidie, ſi quoquo pacto eccleſiæ nomen ad ſuos poſsit traducere, is, inquam, qui ab eccleſia, tanquam leuiſsima palea, variis rumorum flatibus ſeparatus, iam pridem eſt, nomen glorioſum obtinere optabit, & inter martyrum choros recenſeri, ſe percupere apud nos finget? ſciat, ſciat quiuis, (ſicut & Donatiſtas ab ea gloria Auguſtinus arcebat) ſciat, inquam, & intelligat, quòd Chriſti martyrẽ

Auguſt. in epiſtola ad Bucichium tribunum.

Aug. contra Fauſtũ.

Aug. libr. contra epiſt. Parmeniani.

Matth. 5.

non facit pœna, ſed cauſſa. Multi hîc patiuntur, inquit *Aug. li.3. contra Creſcon. Grammaticum, cap.47.* Auguſtinus, & pro peccatis, & pro ſceleribus ſuis. vbi magna vigilantia diſcernenda cauſſa eſt, non pœna. ſceleratus enim (ſicut optimè ediſſerit Auguſtinus) poteſt habere martyris pœnam ſimilem, ſemper tamen diſsimilem cauſſam tres erant in cruce, vnus ſaluator, alter ſaluandus, tertius verò damnādus: par omnium vtique pœna, ſed cauſſa impar. ſic, dum ad Deum exclamaret regius propheta, non contentus fuit precari, vt intenderet *Aug. ſuper pſal.34.* Deus iudicio & ſupplicio, quod ſuſtinebat, ſed prudenter addidit, Et tu dominus meus intende in cauſſam meam. probè ſciens, martyres non pœna, ſed cauſſa creari. quòd ſi ſupplicium martyres faceret, (dicam ego tibi, Caluine, cum beato Auguſtino in enarratione præfati pſalmi) omnia tunc metalla martyribus plena eſſent, omnes catenæ martyres traherent, omnes, qui gladio feriuntur, coronarentur. Propter te mortificamur tota die, (vox mar- *Pſal. 43. Roman. 8.* tyrum, ad dominum clamantium, audita eſt) propter te mortificamur tota die, deputati ſumus, ſicut oues occiſionis. atque ita illi clamabant, quò & apud Deum veram martyrij palmam promeritos ſe oſtenderent, & nobis, (vt optimè ibidem Auguſtinus conſiderat) qualis *Aug. ſuper pſal.68.* ſit futura proprij martyrij cauſſa, exprimant. Magnum eſt, Caluine, ingénſque negotium martyrem eſſe, martyrij encomia non in pœnæ acerbitate, ſed in cauſſæ bonitate conſiſtere, ex Auguſtino didicimus. non perſecutionem pati, non teneri, non flagellari, non includi, non proſcribi, non occidi laus eſt, ſed cauſſam bonam amplectendo & iuſtam, ea pati. hæc martyrij laus, hæc certaminis corona, hic victoriæ triumphus eſt. Fauet huic aſſertioni diuus Chryſoſtomus, dicens, Prædonibus latera *Chryſoſt oratione I. aduerſus Iudæos.* raduntur, & monumentorum perfoſſoribus, maleficiiſque verum idem patiuntur, & martyres. facta quidem eadem ſunt, ceterùm animus, & cauſſa, cur hæc fiant, non eſt eadem, eóque plurimum eſt diſcriminis inter hos & illos. quemadmodum igitur in illis non tormentum tantùm expendimus, ſed priùs animum & cauſſam, ob quam cruciatus inferuntur, conſideramus, & ob id martyres amamus, non quòd cruciantur, ſed quòd ob Chriſtum cruciatus ferunt: contrà latrones deteſtamur

non quia puniuntur,ſed quòd ob malefacta puniuntur. Hæc ille. Perſpicis ne ex huius eruditiſsimi viri ſententia,non ex eo vocitandum martyrem,quòd mortem ſuſferat,& cruciatus toleret?hæc porrò ſicariis,prædonibus, proditoribus,perfugis,& nocentiſsimis piratis contingere poſſunt,atque etiam infidelibus omnibus,ac Chriſtianæ reipubli.inimicis. is itaque martyr cenſebitur, qui forti & inuicto animo pro Chriſti nomine, pro eius magnifica gloria & pace,pro patriis legibus,pro iuſtitia demum, ac veritate ſponte mortem patitur, quíque pro euangelio,quod verbo & opere in ſuppliciis confitetur, prædicat,& ſuſpicit,nullis tormentis, etiam atrociſsimis, ab eius fide, eccleſiaſticáque diſciplina dimouetur, eligítque omne tormentorum genus perpeti, quàm quòd Chriſtum aut eccleſiam negauerit:is,inquam, is cum victoribus & triumphatoribus nomen glorioſum poſsidebit,iuxta illud, Omnis, qui confitebitur me coram hominibus,confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt. *Matth.10.* Vnicè etiam antiquus Tertullianus commendat virtutem martyrum pręclaram in ſufferendis pro Chriſto ſuppliciis, eorúmque animos mirè confirmat,& exhortatur,vt alacriores in Chriſtianiſmo & Dei gratia perſeuerent, *Tertul.libr. 1. ad martyr.* Hi ſunt,inquit, qui coguntur, cruciantur,& fatigantur, ſed quantò plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria ſperant. carcerem habent pro palęſtra,vt ad ſtudium tribunalis bene exercitati,incommodis omnibus producantur. Longior ero,quàm inſtituti ratio poſtulat, ſi referre voluero, quę ſumma cum diligentia,& exquiſito iudicio ſanctus Cyprianus de pręclara martyrum commendatione ſcripſit: *Cyprian. li. de corona martyrum.* accurata tamen conſideratione hoc vnum obſeruemus, tota ſcilicet illa ſua eleganti oratione non aliò reſpexiſſe,quàm vt doceret nos,in martyrum certaminibus iuſtitiam,quę certãdi cauſſam dedit,fidémque, pro qua occubuerũt,regnare omnino debere. Beatus quoque Cyrillus *Cyrill. li.6. contra Iulian.* ſumma laude, ſummíſque honoribus ſanctos martyres proſequendos dicit,plurimúmque venerationis illis eſſe deferendum,ꝙ pro veritate ſtrẽnuè certarũt, & fidei ſinceritatem ſeruarũt. ita vt & ſuam animã contempſerint, & mortis terrores nihili pendentes,pręualuerint in ſum-

mis periculis, tãtáque fuerint fortitudine, vt quaſi ſtatuas ſibi ſuæ vitæ excitarent. Quicunque ergo inter martyres connumerari deſiderat, priùs apud ſeſe cauſſam expendat, neceſſe eſt, vt talis ea ſit, qualem martyrij celſitudo non modò requirit, ſed efflagitat. quare ergo, Caluine, vix me contineo, dum cogito, quòd, cùm tam longè abſis à iuſtitia, à Deo, à Chriſto, ab euangelio, à fide, à tota demum pietate, vniuerſáque religione, martyrij honore viuus adhuc decorari à tua plebe velis. ſine Caluine, ſine, martyrij palmam ab his poſsideri, qui, vt iuſtitiam ſeruarent, non ſolùm propriis facultatibus non pepercerũt, ſed vitã ipſam, qua nihil hominibus iucũdius, neque carius eſſe poteſt, ſibi eripi à tyranno, ne à iuſtitia recederent, tulerunt, atque paſsi ſunt. verùm tu, qui non ſolũ tua retines, ſed aliena vſurpas, qui à regibus, quæ illis debetur, obſeruantiam extorques, qui Geneuam vrbem occupaſti, ducem ſua ſede, epiſcopum ſuo ſolio deturbaſti, quo pacto, quæſo, nec ipſum Dei tribunal (vt ipſe dicis) formidabis? ſi apud Deum noſtrum nihil, niſi iuſtitia & puritas, acceptum eſt, quomodo, te rogo, de iuſtitia corã eo gloriari poteris, qui legitimo ac vero domino poſſeſſiones ſuas eripuiſti? qui paſtores expuliſti? an non crimen iſtud nefarium, indignum, immane, violentum
*Matth.*17. etiam infideles homines iudicabunt? Chriſtus, cùm in
Marc. 12. terris mortali figura ageret Caluine, Cæſari tributum
*Rom.*13. pependit, eius imagine nummum ſignatum agnouit, Cæſari, quæ Cæſaris eſſent, præſtanda eſſe mandauit, vſqueadeo nulli iniurioſos eſſe ſuos voluit, quod & apoſtolus Paulus ſuo ſuffragio confirmauit: & tu, qui Geneneſi principi obſequium, ſtipendia, obſeruantiam non modò denegas, ſed eius ſummam auctoritatem (vt conſtanti & firma fama accepimus ab his, qui te nouerunt, immo qui domi tuæ multos annos compleuerunt) in præcipiendo, edicendo, pecunia cudenda, vrbis adminiſtratione gerenda tibi vendicas, Dei iuſtiſsimi, & Chriſti iudicis tribunal, atque iram non formidabis? túne quod iura gentium, quod leges, quod omnis barbarorum conſuetudo vetat, tibi licere, tibi iuſtum eſſe, ac tuæ profeſſioni conſentaneum, defendes? ſi quis iſtius ſceleris reus, principum huius ſæculi iudicium ſubiret, expaueſceret,

horrerétque totus,& ſibi iure timeret,ac vitæ ſuæ: tu verò, grauatus ære alieno, apud incorruptiſsimum iudicem,quem non precibus flectas, non dolo malo ludas, nec mortis terrores, nec etiam atque etiam ipſum Dei tribunal,vt tu inquis,formidabis?at, ſi non pro iuſtitia, (quam toties læſiſſe te,mirum, quòd non ſentias) mori fortaſſe dicêris pro tuenda Dei gloria:ad populum phaleras Caluine. fuit tempus,cùm ſpecie neſcio qua religionis ac pietatis,ſimplicitatíſque ſimulatione impietas tua,& ambitio (vt domeſtici tui teſtantur) ſeſe in hominum animos,quos miſerè decepiſti, ac beneuolétiam callidè inſinuarunt,ac dederunt.fuit tempus,cùm verborum illecebris, quibus es inſigniter inſtructus ad decipiendum,& dolo malo capiendum, tu vafer homo. ſatis te ad impugnandam veterem pietatis ac religionis regulam comparaſti, & ab ea Chriſtianum populum modis omnibus alienare, & à matris ſuæ eccleſiæ ſcilicet gremio auellere conatus es, contrà tuam ſanctimoniam & integritatem oſtentare,doctrinam prædicare,humana denique ſomnia introducere,iſtáque tua commenta probabili & applauſibili fuco exornare,& quàm longiſsimè in omnes Chriſtiani orbis regiones ſcriptis tuis diſſeminare.fuit tempus,cùm anxiè querereris,nullum eſſe locũ caritati,aut pietati,exteros hoſpitio carere,inopes aliměntis egere, afflictos ſolatio deſtitui. fuit igitur tempus, cùm ſimplicium quorundam ſimulata hac pietatis ſpecie animos decepiſti: (fallimur ſiquidem ſæpe ſpecie recti) iam verò ſatis nobis demõſtraſti,quam ſcholam aperueris,ſatis ſupérque oſtendiſti,quorſum iſta tam pia támque caritatis ac propenſioris amoris plena oratio tenderet,quorſúmque tam inopinabilis pietas & religio in Deum ſpectaret. vidimus,vidimus Caluine, vidimus nihil minùs te curaſſe,quàm vt præſtares,quod initiò pollicitus es,poſtquam nec honeſtum, nec pium, nec ſalutare quidem eſt quod doces,quod ſcribis,quod ſentis,quod verſas, quod meditaris. Quod audiui, quod legi, quod à multis accepi,refero:ſi qua pecus ſcabioſa, & in cœnobiis,& in iudiciis,& in vrbibus à grege ſecerni, nec ſanari,ſed in ſua luce ſordeſcere, cunctíſque obſeruantiæ, ac pietatis legibus ſolui vellet,continuò in Caluini aca-

demiam, vel potiùs in corruptiſsimos Epicuri hortos, vbi turpiter volutaretur, & intemperanter voluptuaretur, lubentiſsimè deficeret. quare quis iam eſt, niſi cæcus ſit omnino, qui tam cæcum ducem ſequi velit? quis iam tam impius, qui homini iſti contra Dei leges, Chriſti euangelium, eccleſiæ inſtituta, ſe obſequentem exhibere velit? Scribunt multi, atque ſe ipſos eam rem expertos fuiſſe vehementiſſimè dolent, quòd cùm initio Caluinianæ prædicationis, quodam veteris diſciplinæ faſtidio ac nouæ ſtudio capti, multò meliora ac plura de Caluino ſibi promitterent, illi adhæſiſſe, cúmque iam fucus præteriiſſet, cúmque fabula ſuis omnibus nota fieri inciperet, diuina benignitate vnumquenque de ſua ſalute curioſè quæſiſſe, ſententiámque ſuam reuocaſſe, & conuocatis omnibus, quos eiuſdem erroris conſcios habuerint palàm, teſtificatos fuiſſe, pro ſacroſanctæ eccleſiæ dignitate ac veritate, contra confictam & excogitatam à Caluino impietatem. atqui id quidam fecerunt, cùm morbo prępedirentur, eſſéntque de morte ſua ſoliciti, vt ſimul & animam expirarent, & pręteritæ defectionis à vera pietate pænitere ſe poſtrema voce, quam inter vltimos ſpiritus ediderunt, ſatis declararent. alij verò, quos nunc viuere accipimus, egregiis aliquot voluminibus poſt ſuam à Caluino auocationem ſatis Chriſtianè editis, antiquam, quam olim tenuerunt, viam, nouitia iſta faſtidita & repudiata, ſe velle perpetuò tenere. maiorúmque ſuorum veſtigia ſeruaturos publicè profeſſi ſunt. Scilicet pro hac pietate martyr iſte morietur? quid? an pro Chriſto morietur? pro quo Chriſto? Chriſtus ſanctos ſuos, miniſtróſque honorari vult? Caluinus inhonorat: Chriſtus inuocari vult, Caluinus ſacrilegium id putat: Chriſtus coli iubet, Caluinus contrà idololatriam eſſe clamat: Chriſtus morte ſua innocens ſine macula, patrique ſuo cariſsimus ſuo ſanguine & morte nos redemit, crucéque ſua omnia noſtra abſoluit, & conſummauit, eámque fidem de morte ſua & merito Chriſtiana obſeruatione illęſam tenere nos iubet, at contrà Caluinus, pertæſus Chriſti huius, in ſuam ſynagogam nouum inuehit Chriſtum, qui damnatorum etiam pœnas ſubeat, ſceleratorúmque cruciatus ſuſtineat, patris iudiciū perhorreſcat, timeátque, ne inde con-

demnatus exeat. iure proinde ac merito miramur, quòd velit Caluinus inter Chriſti martyres numerari. ſcilicet benemeritus eſt de euangelio? eius auctoritati derogat, maieſtatem deprimit, de virtute & efficacia nimium diminuit, legem veterem cum noſtra euangelica de paritate certare poſſe contendit, non melioribus repromiſsionibus nouum hoc filij Dei, & æternum teſtamentũ eſſe confirmatum, ſupra illud legale, carnale, temporale, inueteratum iam & antiquatum, quódque in dies horáſque magis conſeneſceret, adduci poteſt, vt credat. ſacramenta huius non minus, quàm illius, egena & vana, diuinæque gratiæ appẽdices & teſſeras eſſe tantùm affirmat, non efficaciſsima noſtræ ſalutis inſtrumenta, per quæ Chriſti virtus præſentiſsimè in nobis operetur. i ergo, & quibus voles narrato, huius euangelij cupidine vſqueadeo flagrare te, vt nihil tibi iucundius futurum ſit, quàm pro eo mille mortes tolerare. Finio, ſi Petiliani cuiuſdam Donatiſtæ verba, quæ huic loco, atque cauſſæ ſatis accommodata & oportuna apud diuum Auguſtinum legũtur, ego retulero. Conferes lector Caluinum Sacramentarium cum Petiliano Donatiſta, vt quod homini martyrio flagranti pro Donatiſtarum impietate, Auguſtinus pro catholica eccleſia reſponderit, idem ipſum nos hîc vſurpemus in tam legitima eccleſię cauſſa aduerſum Caluinum, tam inſolenter ſuam fortitudinem iactantem, noſtrámque paruitatẽ exhibilantẽ, atque exprobrantẽ. Petilianus dixit, Vos vos miſeros appello, qui perſecutionũ metu perterriti, dum veſtras diuitias, nõ animas quęritis, non tam fidem perfidam traditorum diligitis, quàm cõtrà ipſorum malitiam, quorum vobis patrocinia comparaſtis. vt enim vitam ſeruetis, ad artem malitiæ confugitis, innocentium damna, vel pœnas ſine veſtro damno ſpectaturi. Hæc ſic Donatiſta hæreticus contra catholicos ante mille & ducentos annos clamabat: quid porrò nunc huic perſimilis Zuinglianus hæreticus Caluinus contra nos oblatrat? *Si ſua illis proprio ſanguine, vitaq; diſpendio obſignanda eſſet, liceret ſpectare, quanti ab illis fiat*: nónne ab illo antiquiore Donatiſta videtur nouus iſte Zuinglianus & verba, & ſenſum mutuatus? ſed quid reſpondet illi Auguſtinus? Vtilis eſſet iſta exhortatio, (fateor)

Aug. cõtra litteras Petiliani. Donatiſtæ li. 2. cap. 98.

Verba Caluini Petiliani perſimilia, immo omnino eadẽ

ſi ea quiſquam in bona cauſſa vteretur. omnino bene deterruiſtis homines diuitias & vitam præponere animæ ſuæ, ſed vos, qui hæc dixiſtis, & nos paululùm audite. hoc enim & nos dicimus, Si vobis minantur reges diuitias ac vitam auferre, quia Iudæi ſecundum carnem non eſtis, aut quia idôla, vel dæmonia non colitis, aut quia in nullas hæreſes transferimini, SED IN VNITATE CATHOLICA PERMANETIS: eligite potiùs perire omnia veſtra, ne ipſi pereatis: ſed nec aliud quidquam, nec ipſam temporalem vitam ſaluti æternæ, quæ in Chriſto eſt, præferatis. ſi autem reges vobis propterea damna, vel damnationem minantur, quia eſtis hæretici, terrent vos illi non crudeliter, ſed miſericorditer: vos autem non fortiter, ſed pertinaciter non timetis. audite ergo Petrum dicentem, Quę autem gloria eſt, ſi peccantes pœnas patimini? vt neque hîc habeatis terrena ſolatia, nec in futuro ſæculo æternam vitam, ſed & hîc anguſtias infelicium, & ibi geennas hæreticorum. Petilianus dixit, Nos autem pauperes ſpiritu non diuitias amamus, ſed diuitias formidamus. nos nihil habentes & omnia poſsidentes, ſenſum, animam credimus, noſtríſque pœnis & ſanguine æternas diuitias cæli mereamur: ſicut idem dominus dicit, Qui perdiderit ſubſtantiam ſuam, centuplum recipiet eam. nos timore Dei, quo viuimus, pœnas & mortes, quas gladio facitis, non timemus: ſed id ſolùm denique fugimus, quod communione nequiſsima animas iugulatis, domino ipſo dicente, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, (animam enim occidere non poſſunt) ſed timete potiùs eum, qui habet poteſtatem corpus & animã mittere in geennam ignis. Hæc Donati diſcipulus: quid verò Zuinglianus? *Longè alia noſtra fiducia eſt, quæ nec mortis terrores, nec adeò ipſum Dei tribunal formidat*: cùm homines iſti tam diſtinctis ſæculis vixerint, quàm iſtorum voces ſibi conueniant, quàm ſibi applaudant, nemo eſt qui non videat & intelligat. vnum tamen excipio, quòd iſte ſic metum omnem depoſuit, vt nõ mortis terrores tantùm, (quemadmodum ille prior) ſed nec ipſum Dei tribunal formidet. Sed quid iſtis pro eccleſia reſpondeat Auguſtinus, audiamus: Quod dicitis de gladio, vos facitis hæretici, mortes & pœnas ſimplicioribus fidelibus inferen-

1. Petri 1. *Matt. 5.* *2. Cor. 6.* *Mat. 10.*

res, non gladio viſibili tantùm, ſed illo, de quo dictum eſt, Filij hominum dentes eorum, arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. hoc enim gladio criminatore, & calumniatore imperitorum animas trucidatis. Vides ergo tu frater, inquit, quicum mihi nunc res eſt, priùs te debere oſtendere, vtrùm teneas veritatem, & tunc exhortari homines, vt pro ea tenenda parati ſint carere omnibus, quæ temporaliter tenent, atque ad mortis terrores animare. cúmque hoc non oſtendas, quia non potes, nõ quia ingenium deeſt, ſed quia mala cauſſa eſt: cur feſtinas exhortationibus tuis Satanica magis rabie & dolo, quàm catholicæ fidei zelo facere homines & mendaces, & imperitos & egentes, & errantes, & pannoſos, & contentioſos, & famelicos, & hæreticos, & in hoc ſæculo temporalem vitam perdentes, & in Chriſti iudicio mala æterna inuenientes? Caluine non intelligis, mutato nomine, de te fabulam narrari? non iam accepiſti homo alio ſæculo natus, quod vel pueris in ore eſt, quòd cautus filius, qui, timendo flagellum patris, recedit à cubili ſerpentis, nec vapulat, nec perit: qui autem doloris pro ſua pernicioſa voluntate contemnit, (ſicut & tibi contigit, dum nec mortis terrores, nec adeò ipſum Dei tribunal formidas) & vapulat, & perit? non intelligis, quòd qui pro pace Chriſti, & pro ſibi cariſsima ſponſa eccleſia omnis terrenis, & vita etiam ipſa caruerit, Deum habebit, qui autem pro parte Zuinglij, Lutheri, Oecolampadij, Philippi, Serueti, non dicam vitam, ſed vel paucos nummos perdiderit, (vt dicebat Auguſtinus) cor non habet, etſi mori contingat diabolo, ſacratus martyr recedet? quod ſi (quæ Dei noſtri pietatis omni dulcitudine referta ſunt viſcera, ac miſericordia) rectè perpenderis, inuenies te non eſſe talem, qualem martyrum corona nobilitare poſsit, & omnes tecum implicatos crimine ſchiſmatis & hæreſis intuebere, & vniuerſam Chriſti eccleſiam innocentem, & indemnatam alienis crimibus, & ſceleribus oppreſſam tua ſentẽtia, atque iudicio abſolutam declarabis, téque tunc fortaſſe ea corona dignabitur dominus, & decorabit, quam ne modò teneas, tua mala merita in cauſſa ſine dubio fuiſſe, qui ignoret, arbitror eſſe neminem.

Pſal. 56.

Verba Auguſtini penè diuina.

Tertiij libri finis.

LOCORVM CATHOLICORVM PRO ORTHOdoxa ac veteri fide retinenda,

De diuinis miraculis, antiquam fidem confirmantibus, ac de notis, quibus ea â Satanicis præſtigiis diſtingui habent,

LIBER IIII.

F.Franciſco Horantio Hiſpano auctore.

SI quando virtute tua, & conſtantia nobis opus fuit Chriſtiane lector, nūc certè potiſsimùm, poſtquam noſtræ cauſſæ fundamenta iecimus, quibus cetera ſatis freta & munita eſſe videri meritò poterāt, cœpitque res fortunatiùs, ac feliciùs ire, quàm aut ſperare nos potuimus, aut optare vnquam auſi ſumus. niſi enim firmatum hoc piis omnibus, grauitérque ſtabilitum erga pietatem ac religionem conſilium, æquitas, perſeuerantia, perpetuáque multorum vitæ ſanctiſsimæ ratio animum meum hactenus vnicè erexiſſent, attuliſſentque ſpem non modò Chriſtianæ reip. conſeruandæ, ſed etiam eccleſiaſticæ dignitatis priſtinæ recuperandæ, nimiùm me perturbaſſet iſtius hominis ad mille artes, & dolos compoſita oratio, perterruiſſet ingenium, timorem feciſſet tam audax aſtu-

tia,

tia, támque callida audacia. ſed ſimul atque nobis illuxit, quantum religionis, quantum humanitatis, quantúmque virtutis, ac conſtantiæ in tua pietate, lector, poſitum eſſe oporteat, neſcio, quo pacto omni metu liberati ſumus, ac formidine ſoluti, ingenti concepta ſpe victoriæ futuræ. hoc vnum quidẽ animosè agere, rem ab aliis nec attentatam certè, grauem, difficilem, ſcopuloſam perſequi, atque quorundam moleſtos, moroſos, ac difficiles animos, ne dicam inuidioſos, conſtanter perferre facilè conceſsit. neque, ita me Deus bene amet, tam perterret aduerſarij potentia, quamuis nimia ea ſit, ac vix ferenda, quàm vehementer doleo transferri aliò conſilium meũ, & neſcio quò deriuari, atque ego initiò ſemel totum hoc negotium inſtituerim. verùm loquantur iſti quidquid volent, nos tamen longè putauimus eſſe alienum Chriſtiani animi inſtitutis, in mediis eccleſiæ laboribus nos obdormiſcere, ac velut conniuentes nefando ſomno conſopiri. Sed, iſtis omiſsis, qui nihil probare ſolent niſi ſua, & qui viciſsim ipſi non omnibus placent, ad te reuerti libet, optime ac pie lector, atque præſentis libri totum argumentum, & partes ſingulas ſub tuum aſpectum ordinatè ponere experiar, & tentabo. cùm enim inter ceteras notas ipſa auctoritas, miraculis inchoata, quæ fidem aſtruat dogmatibus, nõ infima cenſeatur, ſed (vt auctor eſt diuus

Auguſtinus) præclara ſit ſemper iudicata, & habita non ineptè faciunt fideles, ſi ab iſtis nouis euangelicis contra antiquam fidem vel minimũ vnum miraculũ poſtulant. at Caluinus, quò rem perfacilè, & nullo negotio abſolueret, non tam nobis reſpondet, quàm viſus eſt conuicium, atque maledictum de tribio, vt eſt in prouerbio, arripere. etenim primùm aſſerit miraculis indigere eam doctrinam, quæ tot olim per Chriſtum & apoſtolos prodigiis, támque illuſtribus portentis fuerit confirmata, vt mirabiliùs & manificentiùs augeri eam poſſe, atque magis ornari nemo ſit, qui ſentiat. deinde vel nulla nunc in eccleſia miracula fieri, vel nullius eſſe momenti contra Dei veritatem contendit. nouiſſimè prodigia ſanctorum, dæmoniorum eſſe præſtigias affirmare neque horruit, neque veritus eſt. Quare primò neceſſe nobis fuit rem à ſuo principio exordiri, & oſtendere ex ſcripturis ſanctis, hunc fuiſſe diuinæ prouidentiæ morẽ, vt ſcilicet omni ſæculo, atque ætate poſteriora miracula ſubſecuta ſemper fuerint, quæ quaſi cõſepultam & extinctam in hominum animis fidem retexerent, mirificéque recrearent, ac renouarent: vt veriſimi'e non fuerit prorſus defutura miracula, quibus euãgelium tot annos non ſolùm repreſſum, ſed penitus deletum, ad antiquam gloriam, ſplendorémque pro dignitate reuocaretur. ad hæc qualitatem miraculorũ

Aug. cõtra epiſt. Manichæi cap. 4.

Chriſti, & apoſtolorum non minùs, quàm ſubſtantiam, modum, atque vſum contemplari, & diligenter ſpeculari neceſſe erit. ad has ſiquidem leges, tãquam ad Lydium lapidem, vniuerſa prodigia, quò vera Dei miracula cenſeantur, erigenda erunt. vbi quidem certè cuncta filij Dei miranda prodigia, re diducta ab ingreſſu ſuo in virginalem vterum vſque ad ſpiritus ſancti in diſcipulos effuſionem, luculenter concluſa & breuè comprehenſa ſunt. præterea vſque ad hodiernũ diem durare vera miracula, quæ religioni noſtræ antiquæ et orthodoxæ fidẽ aſtruũt, antiquiſsimis hiſtoriis, & illuſtriũ patrũ exemplis, atque teſtimoniis probabimus, productis earum rerũ grauiſſimis auctoribus, qui omnibus ſæculis, & vbique locorum geſta, & prodigia martyrum, ac ſanctorum nobis tradiderunt. horum poſtremò portentorum vſum in eccleſia multiplicem producemus, vt vel hac ratione, quantùm differant ſanctorum miracula, aut, quò veriùs loquamur, diuina prodigia, quæ Deus in ſplendorem gloriæ iuſtorum mirabiliter operatur, à dæmoniorum præſtigiis, nemo ſit, quin videat, nemo, quin comprehendat, nemo tandem, quin Caluini maledicta, in Deum cæli ac ſanctos aſperè & ferociter dicta, manifeſtò deprehendat. Quòd ſi id commune habet omnis hiſtoria, vt temporum teſtis, veritatis lux, memoriæ vita, magiſtra vitæ, nuntia

vetuſtatis, profectò, mea quidem ſentẽtia, in hac, de qua ſumus acturi, ſunt quædam ſingularia, quæ in nullam aliã conuenire poſſunt. quamobrẽ nos, Chriſtiane lector, quò minùs ingenio poterimus, vt ornatè, prudenter, ſeuerè, ac grauiter, ſicut hiſtoricum decet, narrationem noſtram explicemus, eò libentiùs & freqũentiùs humanitatem tuam, fidem, & pietatem nobis ſubſidio comparabimus: pleríſque, vt confidimus, hæc noſtra rudis abs te hiſtoria, vera tamen, æſtimabitur, quàm quorundam fallaces, fucoſi, eruditíque artificio ſimulationis ſermones.

Diuinæ prouidentiæ morem, atque perpetuum inſtitutum fuiſſe, cùm nouam veritatis promiſſionem prodigiis cæleſtibus ſtabilire, tum poſterioribus miraculis quaſi conſepultam in hominum animis ſpem omni ſæculo recreare, ac renouare, ex ſcripturis diuinis colligitur.

CAP. I.

NOn eſt, quòd mirari meritò poſsis Caluine, ſi, cùm tam diu incognitum & ſepultum latuerit euangelium iſtud tuum, nunc, quando ipſum ſua benignitate per te Deus eccleſiæ (vt fingis) reſtituit, ac poſtliminij iure ſuam antiquitatem vera fides recipit, nos miracula poſtulamus, ne res omnino è verbo, immo è filo pendere videatur. atque, cùm hoc facimus, non ad prodigia, tanquam ad regulam primam veritatis exigendæ, volumus confugere, ad quam ſcimus, niſi neceſſitate & inopia argumentorum cogamur, non eſſe, teſte diuo Auguſtino, recurrendum: ſed hoc agimus, vt conſtare queat omnibus non minùs miraculorum facultate vos eſſe deſtitutos, quàm omni antiquitate & veritate carere. Verùm, ne ab inſtituto recedamus, tua verba libet iam referre. *Quòd miracula à nobis*

Aug. ſuper Gen.

Aegid. in Exam.

poſtulant, improbè faciunt. non enim recens aliquod euangelium cudimus, ſed illud ipſum retinemus, cuius confirmandæ veritati ſeruiunt omnia, quæ vnquam Christus, & apoſtoli ediderunt: non abs te poſtulamus Caluine, vt noſtro euangelio credas tot miraculis perſuaſus, quibus catholica fides noſtra (vt dicebat Auguſtinus nimiùm quotidie illuſtratur, quãuis id iure optimo à quouis homine poſſemus exigere: non hac tecum agimus: ſed quod opponimus, nunc hoc certè eſt. Fuit ſemper moris diuini, atque diuinæ prouidentiæ inſtituti perpetui, ſcilicet non modò nouam veritatis promiſsionem prodigiis cæleſtibus, mirandíſque portentis confirmare, verùm omni ſæculo atque ætate efficere quædam miracula, quæ quaſi conſepultã & extinctam in hominum animis ſpem retexerent, miréque recrearent, & renouarent. cur ergo credemus defutura miracula, quibus euangelium toties per nos iugulatum, (ſicut quereris) reuiuiſcat, atque in nouam vitam redeat, & denuò quaſi renaſcatur? ſi tot annos eo loci euangelij, ac fidei cauſſa fuit, vt neque oculos erigere, neque viuere crederetur, ſuffecto inde mortui loco longè diſsimili euangelio: cur credemus, reuiuiſcente denuò libertate oppreſſa diu, ea ipſa miracula defutura, quibus primùm antiquum illud vnicè ac mirabiliter illuſtratum eſt? vbi diuina illa prouidentia? vbi antiquus Dei noſtri mos, inuiolatáque conſuetudo? quaſi verò minori negotio mortuus reſurgat, quàm nouus homo creetur. ſine noſtra miracula Caluine, deſine examinare, deſine diſcutere, ac tentare, noli ponderare: non tibi tam noſtram obiectamus, quã quòd eis vos carere exprobremus, ac vitio non iniuria demus. nos Caluine, qui antiquum euangelium poſsidemus, & qui nullo tempore veram fidem potuiſſe extingui omni aſſeueratione affirmamus, parum prodigiis indigemus: at vos, noui apoſtoli, noua orbis lumina, quod ſignũ proferetis aduẽtus veſtri, vt credamus, vobiſcum reuixiſſe illud euangelium, quod neſciuit Irenæus, quod ignorauit Cyprianus, quod latuit Auguſtinũ, Hieronymum, Athanaſium, atque alios patres? hactenus Caluine nunquam apoſtolicam celſitudinem æquaſti, vt nefas eſſe iudices, experimentum nos quærere eius, qui in te loquitur Chriſtus. hæc eſt noſtri argumenti vis, dum

Cal. in epiſt.

miraculis tecum agimus, hic ſedes, hoc locus. Sed iam ratio ipſa poſtulat, atque adeò efflagitat, vt probemus verum & certũ eſſe, quod de inſtituto diuinæ prouidẽtię diximus, atque etiam vt rem totã manifeſtis ſcripturarũ teſtimoniis firmemus. INIERAT nouũ fœdus Deus cũ ſancto Abrahamo modis omnibus ſibi caro, (nam nimis vetera ſi commemorem, longiùs, quàm ſat eſt, reuoluere videbor) mox miracula facta ſunt cæleſtibus promiſsis vnicè conuenientia: quòd ſcilicet in ſemine eius gentes omnes benedictionem habituræ erant. etenim quis non mirabitur eidem Abrahę filium peperiſſe coniugem ſterilem, eo tempore ſenectutis, quo nec parere, nec fecunda iam eſſe poſſet? quis etiam non expaueſcat ad permirabilem illam flammam cælitus factam, quæ inter diuiſas victimas ſacrificij celerrimè cucurrit? nimium admirationis auget prędictũ ab angelis eidẽ Abrahamo Sodomorum incendiũ, cui coniũcta eſt liberatio Loth filij fratris ſui, cùm vxor in via retrò inſpiciens in ſalem conuerſa fuerit. deinde mirabilis eius fœderis diſpẽſatio nobiles illos patriarchas Abrahamitici generis Iſaac, Iacob, Ioſeph ſecuta eſt, eóſque diuina magnificentia ſignis & prodigiis orbi vniuerſo illuſtres reddidit. atqui poſtremus horũ, Ioſephus ſcilicet fratrũ dux, populi firmamentũ fuit, cuius oſſa cõſeruata ſunt, & poſt obitũ vaticinata.

Aug. li. 10 de ciuit. Dei c. 8.
Gen. 22.
Geneſ. 21.
Gen. 18.
Gen. 41.
Exod. 1.

CRESCEBANT Iſrael filij, vermiúmque more ſcaturiebant, aucti in immenſum, & maiorẽ in modum roborati, vt terra ipſis impleretur: interim exoritur rex nouus ſuper Aegyptum, qui Ioſephũ non nouerat, neque promiſsionis diuinæ ſacramenta ſciebat. præfato igitur tyranno imperij gubernacula tenẽte, cunctáq; pro libito moderante, cœperunt liberi in ſeruitutẽ ire, diuites ac locupletes non duris exactionibus modò premi, ſed bonis etiam ſimul omnibus ſpoliari, atque delicati, & laboris impatiẽtes luto ac lateribus, omníq; ſeruitio ruris mãcipari. parũ eſt quod dixi: fert iniquus rex legem, non minùs crudelem & iniquã, quæ innocentiũ nondũ etiam natorum vitæ ſatis inhumaniter inſidiabatur. obſtetricibus omnibus præceptum eſt, vt vita multarẽt eos, quos vix è matrũ viſceribus excepiſſent. ô nunquã hactenus attentatum, neque excogitatum quidem facinus, vt priùs miſer

partus &'infelix, lactis egens, ſinu materno fouendus, mortem, quàm lucem ſentiret. tam nefando caſui pollicitatio, ac promiſsio non defuit: vincitur tyranni impietas, obſtetricum in Deum cæli timore & pietate, ac pio ſatis commento ſæuities barbarica illuſa & fracta eſt. neque verò pietati merces, & præmia defuerunt. vſque eò itaque Abrahæ progenies continuis afflictionibus proſternebatur, vt ſuſpicari poſſent oblitum fuiſſe Deum eius, quod cum patribus ſuis tot portentis atque ſignis pactum iniuiſſet. haud multò pòſt aſpexit dominus filios ſuos, & cognouit: ſecutáque ſunt tot & tāta prodigia per Moſem, quæ & vetus fœdus refricarent, & fidem datam optimè confirmarent. vbi quod numeros omnes mirandi cuiuſdam prodigij complet, hoc eſt. Permittitur, vt magi regij miracula non pauca edant, quò à Moſe multò illuſtriùs, & longè glorioſiùs exuperarentur, foretque victoria & triumphus celebrior: deficiunt in tertia plaga magi, cùm decem plagæ per Dei famulũ magna myſteriorum diſpoſitione completæ eſſent, quibus Pharaonis & Aegyptiorum corda dura ad Dei populum antiquæ libertati reſtituendũ mollita oblimataque reliquerunt: & cùm præſtitæ gratiæ regem pæniteret, abſcedẽteſque Hebræos inſequi moliretur, mari diuinitus diuiſo, Dei hominibus per ſiccum tranſeuntibus, vnda hinc inde in ſeſe redeũte, cum illis omibus, qui cum Pharaone erant, impius rex coopertus atque oppreſſus violẽtia aquarum multitudine iacuit.

Exod. 2.

Exod. 8.

COEPIT Dei populus diu per deſertum vagari, vbi etiã miracula admirabili diuinitate increbuerunt. aquæ, quæ bibi non poterant, miſſo, ſicut Deus præceperat, ligno, amaritudinem, quam habebant, depoſuerunt, ſitientesque ſatiarunt. manna eſurientibus è cælo venit: & cùm eſſet colligentibus menſura cõſtituta, quidquid amplius quiſque collegiſſet, exortis vermibus computreſcebat. ante diem verò ſabbathi duplum colligebatur. quia eo die colligere minimè licebat: & cùm duplum foret, nulla tamen putredine violabatur. Cæleſtis cibi pertæſi rudes & carnales homines carnibus inhiantes cùm eſſent, neque vllæ tanto populo ſaturando ſufficere poſſe viderentur, votalibus caſtra completa ſunt: ſicque copi-

Exod. 14.
Exod. 15

Exod. 8. 9. 10. 11.
Num. 11.

ditatis incendium ſatietatis faſtigio non ſine ingenti miraculo extinctum eſt. Hoſtes obuij tranſitum cùm prohiberent, orante Dei famulo Moſe, manibúſque eius in crucis figuram extenſis, nullo Hebræorum (mirabile auditu) cadenti proſtrati ſunt. Seditioſi quidam, turbulenti, malíque ciues ab ordinata & conſtituta diuinitus vnitate ſuperbè nimis receſſerant, (ô horrendum diuinæ iuſtitiæ exemplũ) viui à dehiſcente terra abſorpti ſunt. Virga cùm petra quædam feriretur, tanta inde aquarum multitudo profluxit, vt numeroſæ illi multitudini ſaxũ vnum copioſiſſima fluenta præberet. Serpẽtum morſus, mortiferi illi ſanè, pro iuſto ſatíſque commerito ſupplicio ingrato illi populo à Deo inflicti erant, mox tamen, vt æneus quidam ſerpens appenſus ligno illis viſus eſt, (ô rem pręclaram, & Chriſti mortis prænuntiam, nõ minus, quàm ſit aurora Solis) afflicto populo ſubuenitur, morſque, morte conſpecta, periit.

Exod. 17. *Num.* 16. *Num.* 20. *Num.* 21.

QVAE VERÒ ſæcula ea tempora ſęcuta ſunt, non minùs miraculis claruerunt, quàm ducum, prophetarúmque copioſa multitudine illuſtria fuerunt: vt ſemper Deus ſui fœderis recordari, & fidem datam velle ſuo tẽpore exoluere, atque liberare tot ſignis, memoríſque animi argumentum foras producere videretur. Fortis bello Ieſus Naue filius, in Moſis locum ſuffectus, quoties manus ſuas extulit, vibrauítque gladium ſuum in ciuitates, nónne gloriam omnibus ſęculis prædicandam adeptus eſt? premebant eum quodam in loco vndique hoſtes, at ipſe, dominatorem altiſsimum inuocans, demiſſa cęlitus vehementi violentáque grandine liberatus eſt. nónne ad Ioſue vocẽ ſtetit Sol, ac dies vnus ad duos excreuit? quis niſi vnus hic nobilis dux cum Caleb Iephõne nato è ſexcentis millibus peditum ſeruatus, & in terræ, quæ lacte & melle flueret, poſſeſsionem eſt miſſus?

Ioſue 1. 12. 8. 10. *Num.* 14. 26. *Deut.* 1.

CVM etiam dominus Iacob reſpiceret, hoc eſt, initi pacti recordaretur, Samuelem, qui & poſt mortem vaticinaretur, prophetam vnxit. Neque miraculo carebat, quòd Dauid rex cum leonibus haud ſecus, quàm ſi manſuetiſsimi hœdi eſſent, puerulus adhuc ludens luctabatur, & cum vrſis perinde, ac cum ouibus congredi ſolitus erat: vt pòſt non magni æſtimaret cum immani beſtia,

Eccleſ. 46. 1. *Reg.* 28. 1. *Reg.* 17. 3. *Reg* 38. 1. *Reg.* 17. 4. *Reg.* 1. 2. 5. 13. 18. 20

furibundóque Philiſthęo in arenam, & ſine armis quidem, pugnaturus deſcēdere. quem lapide eminus ictum, humíq; glorioſè proſtratum animoſè perdidit. Elias itē mirandam gloriam miraculis eſt conſecutus, vt nouerūt ij, à quibus ſcripturæ ſacræ non penitus ignorantur. is famem in terram immiſit, is ter ignem è cælo deduxit, is ignita procella. ac curru equorum ardentium ſublatus eſt, repleto antè ipſius ſpiritu Eliſeo. at Eliſeum quæ res fregit vnquam, aut ſuperauit? huius quidem corpus prophetam egit etiam poſt mortem, hic miracula viuens deſignauit, atque eius defuncti miranda facta ſunt. Eſaiæ temporibus nónne Sol retrò ceſsit? nónne ſuo nuntio regis vitam, cælesti ſatíſque parum conſueto prodigio in ſignum oſtenſo ampliauit? hic cùm ſpiritu, euangeliſtæ proprio, nouiſsima hæc noſtra prouidiſſet, lugētem Zion copioſiſsimè conſolatus eſt. Quis, niſi Ezechiel Dei gloriam in cherubin curru oſtenſam intuitus eſt? Quò feror? proximo, altero, tertio, reliquis denique cunctis ſęculis denique cunctis ſæculis donum aliquod diuina celſitudo quotidie pro fide data afferebat. Verū nihil ad hæc omnia, nimíſque mirifica facta iudaicus ille populus ſtupiditatem excuſsit, neque à peccatis deſtitit. immo ſi ſcripturam conſulas, præter Dauidem, Ezechiam, & Ioſiam, qui non perfidioſè ſe geſſerit, qui legem domini nō fuerit prætergreſſus, qui denique à domino vniuerſorum, & Deo vero non deſciuerit, ex principibus reperies neminem. quamobrem omittamus antiqua, veniamus ad noua, relinquamus vmbras, amplexemur rerum ſubſtantiam, atque ipſam veritatem, pretereamus legem, adhæreamus euangelio. *Eſa. 438.*

Epitome miraculorum vitæ Chriſti proponitur, ipſorum numerus, qualitas, ac modus ponderantur, atque quòd ea ſatis commode probare potuerint Chriſti diuinitatem, apertè oſtenditur.

CAP. II.

ABlatū pridē erat ſceptrū de Iacob, defecerat iam dux de femore eius, iā Iſraelitici populi corona traditum aliis fuerat, & tota gloria gēti alienæ, ſacerdotiū ſummū, ꝙ perpetuū, ac ſolà pontificis morte finiendum dominus creauerat, venale, ſingulíſque annis pretio maiori expo-

nebatur: ergo tunc, quando minùs licebat ſperare, quando antiquorum patrum Abraham, Iſaac, & Iacob memoriam periiſſe, penitus exiſtimare poſſet, ſuſpicarentúrque homines nolle Deum promiſsis ſtare, tunc nomen ſuum ſoluit copioſiſsimè, & plus, quàm pollicitus fuerat, præſtitit, quando verbum ſuum carnem fieri & voluit, & fecit. Vt igitur ab ipſius filij Dei & virginis conceptione, ac natiuitate exordiamur: quod tam prodigioſum, admirandúmque miraculum vidit vnquam orbis, quàm vt ex virgine natus matre, eius integritatem in nullo conceptus violaret? immo ſi vniuerſa, quæ à condito orbe miracula edidit dominus, in memoriam ſimul redigas, atque ſi quæ futura ſperantur, illis connumeres, & collectim omnia expendas: nihil facient, nihil erunt ad hoc primum, quod in vitæ ſuæ velut limine ſtatuit, & ſuo ingreſſu ad nos præfixit. facilè, mihi crede, tanto ſplendore rei huius vniuerſa, quæ hactenus ingenij noſtri præ incredibili claritate ſua aciem perſtringebant, obſcurabuntur & obcæcabuntur. & tanti miraculi mater ſola initiò teſtis fuit: poſt verò non communi cum Iudæis aſpectu, ſed diſcretò ab eis diſcipulatu, ad eius veritatem apoſtoli ſancti peruenerunt: poſtremò tota Chriſti eccleſia eius rei teſtis eſt, pro qua ſanguinem ſuum exhaurire vnicè ipſa exoptat. idem hoc candidus ſacrarum litterarũ interpres diuus Auguſtinus quodã loco aſſerit duo fuiſſe miracula à Chriſto edita, quæ nulli hominum vnquã communicauerit, & quòd tam mirabiliter natus eſt, & & quòd cũ ſuo reſuſcitato à mortuis corpore in cælum abiit. digna quippe erat Dei mater, gratiæ primigenia & miſericordiæ, apud quam ſuæ potentiæ, ac miraculorum primarios ederet fructus: vt ea & ſuo ſplendore, & tanta filij ſui, ac Dei commendatione toti Chriſti eccleſiæ gratiſsima foret.

Aug. ad Voluſ.

Conceptio & natiuitas Chriſti mirificiſſima.

Ex eodem vbi ſuprà.

Aug. de ciuit. Dei lib. 8. c. 46.

TANTO igitur cùm eſſet initiatus prodigio Dei filius & hominis, virginis vnigenitus, quanta & qualia credemus fuiſſe, quibus prædicationem ſuam cum vita inſpexerit? certè par erat, ac rei grauitas poſtulabat, vt qui in præſens Deum ſe eſſe, & Dei ſummi in eadem ſubſtantia filium aſſereret, & qui in futurum tam magna de ſua eccleſia polliceretur, admirabilibus etiam factis nouita-

tem dictorum æquaret, quò firmum eccleſiæ ſuæ regnũ aſtrueret, atque ſtabiliret. addita ergo ſunt ea prodigia, quæ ab eo ſolo poſſe effici, qui Deus eſſet, auctor, & naturæ dominus, omnes viderent: & id tantò meliùs ab omnibus intelligeretur, ac pro certiſsimo haberetur, quantò quæ narrantur prodigia, omnem admirationem magis vincerent, & antecellerent. In cæcitate & ſurditate natis videndi & audiendi vſum, non quem miſerant, reddidit, ſed omnino largitus eſt, ſuper tumentes vndas deambulabat, vt nos ſuper ſolidam terram, imperabat ventis, mari, tempeſtati, & parebant dicto, dæmones ex humanis corporibus expellebat, lepram auferebat, roborabat membra, ac compages corporis humani diſſolutas, ſanabat omne morborũ genus, lucem & vitam mortuis reddidit. Hæc de numero: ſed ipſam qualitatem miraculorum paucis attingimus.

MVLTIMODIS miraculum ſuperat potentiam naturæ: in ipſa actione, vt Solem ſiſti, vel retrò agi ab occidente in oriens, lapidem vel hominis corpus tolli in cælum, graue in aqua non demergi: tum in ſubiecto actionis, vt cæco reddi lumen, mortuo vitam. lumen enim, & vitã natura tribuere poteſt, ſed non his. in ordine quoque, ac ratione, qua fit, vt repentè ſanari ægrum, ſereno cælo clari pluuiam, ſubitò ſterni ventum, & mare turbatum. quarto in agente miraculi vis perfulget, vt hominem inſpicere hominum cogitatus. quinto demum in inſtrumento, vt luto ſanari cæcitatem. omnis generis acta ſunt à Chriſto prodigia, vt ſi cui vnũ illorum (vt ſunt hominum mentes diuerſiſsimæ) vel ſuſpectum eſſet, vel non plenè ſatisfaceret, addita ſunt tam multa & varia, vt omnis iam dubitandi materia & occaſio ſublata ſit. Atq; hæc de qualitate. infinita enim paucis obloqui cogor. & quamuis mirabilia ac ſigna facere ſatis firma doctrinæ certitudo non ſit, nec ea commodiùs probare ſuum auctorem iuſtum eſſe poſsint: (cùm ea facultas Dei donum ſit minimè iuſtificans, ſed iniquis etiam, & peccatoribus conceſſum) tamen hoc erat in illis ſingulare, vt ſi ea omnia in tanto numero acta, tam exquiſita qualitate ornata, modóque diuino penitus elaborata, cum ipſius, qui ea efficiebat, doctrina tam conſtanti, conuenienti ac perpe-

Qualitas miraculorum Chriſti ex quattuor cognoſcitur.

Chriſti miracula eius diuinitatẽ oſtendebant

tua, & cum vita innocenter acta, quam nemo reprehendere iure, atque exagitare poterat, & vſqueadeo cum Dei noſtri prouidentia coniungas, audeo dicere, incredibili quadam euidentia ſuis ſpectatoribus tum hominis pietatem, tum doctrinæ veritatẽ, immo etiam Chriſti diuinitatem probauiſſe. vt niſi omnis de mente ratio per eos abiecta ſimul & depoſita fuiſſet, niſi etiam interpretationibus fraudulentis atque iniquis ſe tradere, & iniuſtis criminationibus, calumniiſque ſacrare ſe ſemel decreuiſſent, niſi Deum tandem mundi huius prouidum rectorem, & diſpenſatorem eſſe nunquam cogitare pertinaci impudentia iam pridem apud ſeſe ſtatuiſſent: nihil apud eos certius, nihil morali quadam euidentia clarius, perſpicuitatéque iſta illuſtrius eſſe debuiſſet, quàm Deum verum eſſe eum, qui, cùm de ſe ipſo id aſſeueraret, homo innocens, indemnatus, iuſtus, Deo gratus, gentis ſuæ amantiſsimus, nulli iniurioſus, tot miraculis, quæ, niſi Deus, nullus ageret, tam mirandis infinitíſque modis in eius rei atteſtationem claruerit. hinc illud eiuſdem

Ioan.15. eſt, Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. neque pigebit hoc loco verbis diui Auguſtini vti, quòd oratio mea, maiore auctoritate aucta, feliciùs eat.

Aug. ſupèr Ioan.15.

NVLLA quippe, inquit, in Chriſti operibus maiora eſſe videntur, quàm mortuorum ſuſcitatio. quod ſcimus vtique & antiquos prophetas feciſſe. fecit hoc etiam Elias, fecit & Eliſeus, & cùm in hac carne viueret, & cùm in ſuo monumento ſepultus iaceret. nam portantes mortuum cùm irruentibus hoſtibus eò refugiſſent, cúmque ibi poſuiſſent, continuò reſurrexit. fecit tamen aliqua Chriſtus, quæ nemo alius fecit: quòd quinque millia hominum de quinque panibus, & quattuor millia de ſeptem panibus pauit, quòd ſuper aquas ambulauit, & Petro, vt hoc faceret, præſtitit, quòd aquam mutauit in vinum, quòd aperuit oculos cæci nati, & alia multa, quæ enumerare longum eſt. Sed reſpondetur nobis, ait Auguſtinus & alios feciſſe, quæ ipſe non fecit, & quæ nemo alius fecit. quis, niſi Moyſes, Aegyptios plagis tot tantíſque percuſsit? diuiſo mari populum duxit? manna de cælo eſurientibus impetrauit? aquam de petra ſitienti-

Explicatur locus ille, Quæ nemo alius fecit.

Exod.8. 9. 10. 11. 16. 17.

bus fudit? quis niſi Ieſus Naue populo tranſituro Iordanis fluenta diuiſit,& currentem Solem emiſſa ad Deum oratione frenauit,& fixit?quis præter Sampſon ſuam ſitim è molari dente maxillæ mortui aſini vndis profluentibus ſatiauit?quis præter Eliam curru igneo in alta ſubuectus eſt? quis præter Eliſeum (quod paulò antè commemoraui) ſepulto ſuo cadauere cadauer alterius vitæ reddidit? quis præter Danielem inter ora incluſorum ſecum leonum eſurientium innocuus vixit? quis præter tres viros Ananiam, Azariam, Miſaelem in flammis ardentibus & non vrentibus illæſus ambulauit? prætereo cetera, quoniam hæc ſatis eſſe arbitror, quibus demonſtretur, & alios ſanctos quædam opera miranda feciſſe, quæ nemo alius fecit. ſed qui tam multa vitia, & malas valetudines, vexationéſque mortalium tanta poteſtate ſanaret, nullus omnino legitur antiquorum. vt enim alia taceamus, Marcus euangeliſta quodam loco ait, Veſpere autem facto, cùm occidiſſet Sol, afferebant ad eum omnes infirmos, & dæmonia habentes, & erat omnis ciuitas ad ianuam congregata, & curauit multos, qui vexabantur à variis languoribus, & dæmonia multa eiiciebat. id autem cùm commemoraſſet Matthæus, etiam teſtimonium propheticũ addidit, dicens, Vt adimpleretur, quod dictũ eſt per Eſaiam dicentẽ, Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægritudines portauit. item alio loco dicit Marcus, Et quocunque loco introibat in vicos, vel in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti ſui tangi permitteret: & quotquot tangebant eum, (mirabile dictu) ſalui fiebant. Hæc quis, rogo vos, alius in eis, hoc eſt, ad ſuam ipſorum vtilitatem fecit? deinde in eis fecerat, quamuis non coram eis, aut inter eos, illud, quod ceterorum miracula ſuperat, neque vllus alius fecit, vt ſcilicet de virgine natus, & à virgine conceptus virginem reliquit. poſtremò vt alij hæc fecerint, nullus tamen ea fecit, vt oſtenderet ſe vnam cum patre habere eſſentiam, & ab eo miſſum cum plenitudinis ſumma poteſtate ad dimittendum peccata. Hactenus Auguſtinus.

Ieſue 10. *Iudic.*15. 4.*Reg.*2. *Dan.*6. *Dan.*3. *Reſpon.*1. *Auguſt.* *In eis, id eſt, ad ipſorum vtilitatem.* *Marc.*2. *Eſaiæ* 53. *Marc.*6. *Reſpon.*2. *In eis, non inter eos, aut coram eis.* *Reſpon.*3.

Miracula Christum in crucem egiſſe, atque perniris & illuſtribus prodigiis in paſsione, ac morte ſua redemptorem noſtrum enituiſſe, apertis ſcripturæ & ſanctorum ſententiis confirmatur. CAP. III.

Miracula Chriſtum in crucem egerunt.

AVdiebantur quotidie tam inſigniter prodigioſa opera, quibus apertè mortales conuincerentur penes Chriſtum vitæ & mortis eſſe arbitrium, procedebátque ſanctum euangelium felici progreſſu innumeris ſignis amplificatum & auctum: at humana impietas noctes ac dies magis inuidiæ ſtimulis, atque maleuolentiæ fulminibus concitabatur. neque quidquam aliud occurrebat, quod tam innocentem virum, támque indemnatum in crucem agere poſſet, præter mirabilia, quæ ſingulis diebus orbi oſtendebat. O prudentia mundi & carnis, ô Iudaica impietas, quid? in crucémne tolletis eum, qui veſtros cruciatus in dies à vobis auferre dignatur? tolletíſne de vita reuocantem verbo mortuos ad vitam? Inierunt, inquit euangeliſta, concilium, in quo de nulla re, niſi de morte IESV ageretur. Quid, aiunt, *facimus?* hæc erat illius iniqui concilij theſis, hæc propoſita quæſtio, hæc finalis cauſſa coacti concilij aduerſus potentiam Chriſti. Quid facimus? quaſi dicerent, Quid ceſſamus? cur torpeſcimus? cur obdormiſcimus? cur non in hanc curam incumbimus, vt ſcilicet iſtum virum abiectum, & reipublicæ perturbatorem perdamus, dum nobis licuerit? quid? noſtri torporis & negligentiæ pœnas luere non timebimus? O Phariſæi adeſte, rogo, quid vos offendit in eo homine? vita? at eſt innocentiſsima. crudelitas? at humanitatis ſingulare exemplar eſt. quid? tyrannus ne? minimè gentium. qui fiet, vt tyrannus ſit is, apud quem tantùm valuit miſericordia, & pauperum, atque egenorum commendatio? quid igitur vos vrget? quid vos premit? quæ accuſationis capita maxima? ô rem mirandam, omniúmque ſæculorum memoria dignam. Non, inquiunt, eius vita mouemur, quia & ſi malus eſſet is, nos, qui tot ſceleribus obnoxij ſumus, vtcunque eum viuere pateremur: doctrina eſt, quam ferre non ſuſtinemus. non quia falſa: nam & inter nos hæretici ſunt, qui futuram reſurrectionem negant, Sadducæi quidam, de animarum immortalitate non catholicè ſentien-

Concilium Iudæorum expenditur. Ioan. 11.

tes,quibus tamen per nos licet ſuperſtitibus eſſe:non, inquam,nuda ipſius doctrina offendimur:ſed quòd,vt eam aſtruat,vt probet,vt confirmet, multa ſigna facit. Galilæo iſti, fabri filio,abiectæ,nimiúmque vili perſonæ occurramus,quando illi omnia feliciter ſuccedunt:eius doctrina vbique recipitur, eius nomen potenter augetur, ſui euangelij gloria fortunatiſsimè excreſcit. ſi conniueamus,ac ſemel permiſerimus,vt liberè prædicet, & operetur, turbam ingentem poſt ſe adducet, quæ tantorum ſignorum exhibitione illum ſequi non deſinet. Videor iam mihi videre,quidam dixit, vt quemadmodum multi nunc de populo magnificè de illo ſentiunt, ita omnes,neque mora, illum ſint pro vero Meſsia habituri: ſic neque illi, neque nobis ſatis conſultum eſſe poterit. hoc ſcimus,quoniam priùs illi ſpiritus eripietur, quàm quòd claudis,leproſis,cæcis,ab ſpiritibus immundis vexatis,mutis,ſurdis,mortuis denique ſuccurrere, ac ſubuenire deſinat. tanta eſt humanitate & clementia cum virtute admirabili coniuncta præditus. qui ſimul atque poſtremo ſupplicio addictus fuerit, nobis omnibus vnius morte optimè erit prouiſum. ergo moriatur iſte, ne ſit toti genti cum eo pereundum. mox verò, vt occiderit, ſimul æternæ obliuioni tota illa ſua prædicatio tradetur,& quod ipſe euangelium appellat, nouúmque & æternum teſtamentum nominat, radicitus extrahetur,& areſcet. quis enim à mortuo miraculum poſtulabit? pereant igitur manus iſtæ,non quòd ad rapinas extenſæ aliquando fuerint,ſed quòd in ſabbatho lutum fecerint, quò cæcus à natiuitate lumen reciperet. pereat iſtud os,non ꝙ ex fraude & mendacio loqui cõſueuerit, ſed ꝙ tot malè habentes valere iuſſerit,& fecerit.pereant iſti oculi,in perpetuúmque claudantur, non quia ſuperbi,non quia elati,ſed ne amplius egenos ſpectent, miſeros intueantur,afflictos vnicè conſolentur,triſtes exhilaratos reddant.pereat iſtius vita,non ꝙ minùs ſit pretioſa,quòd tot mortes deſtruxerit. Libétne tibi, optime lector, rē magis germaniùs à nobis tractari? perinde egiſſe videntur iſti mihi, ac ſi dixiſſent, Occidatur, quia iuſtus,quia miſericors, quia mitis, quia miranda fortitudine, ac potentia eſt,occidatur iuſtitia, quæ ſic noſtras

omnium vitas perpetua nota condemnat, occidatur miſericordia, quæ noſtram auaritiam damnat. quid moramur? quidquid humanitatis, quidquid iuris, quidquid pietatis, quidquid legum, quidquid pudoris & pudicitiæ eſt, hoc vno interfecto peribit. O rabiem Satanicam, ô mirabilem ſceleratorum hominum furorem, ne vos pudorem omnem cum pudicitia perdidiſtis. ſic ne pro tanto beneficio, pro tot miraculis, pro tam diuino homine, veſtro populo cælitus donato, pro tam illuſtri diuinæ virtutis declaratione, Deo patrum veſtrorum (à quo omne datum optimum eſt) gratiæ referuntur? ſic ne Chriſtum domini, tam expectatum, tam deſideratum tractare decreuiſtis? Venient Romani, & tollent gentem noſtram & regnum. ergo temporali ac fluxu quæſtu, & commodo priuato accenſi & inflammati, & quaſi in rabiem, velut canes peſsimi, acti, aduerſus Dei agnum, manſuetum, liberalem, omnibus beneficum, non vobis libuit à tanto maleficio temperaſſe, donec veſtræ voluntati traditus, in crucem ageretur, & hac vna ratione, ſimul cum vita, nomen, & euangelij gloriam vos poſſe extinguere, ac perdere falsò arbitrabamini.

Ioan. 11.

Miracula, quæ in paſſione ac cruce egit ex Chryſoſt. homil. 52. ad populum Antioch.

CVM itaque pati, ac crucifigi inciperet, ſupinos ſuos hoſtes proſtrauit. ſerui auriculam ſuo loco reſtituit, vniuerſa illa ſua mirifica manſuetudine finiuit, ſuſpenſus mirabiliora patrauit, Solis radios auertit, lapides fregit, pridem defunctos excitauit, ſcelerati vxorem iudicis per ſomnia terruit, infinita prædixit coram tribunali, &, quod omnia vincit, in ipſa cruce clamat, Pater ignoſce illis hoc peccatum. qui crucifixerunt eum, pectus percutiebant, atque reuerſi peccata ſua confitebantur, iuſtum in primis ſanguinem effudiſſe dolentes. quid quæritis mirabilius? quid cruce glorioſius? bene proinde iam iam paſſurus patrem orabat ſupplex, Pater clarifica nomen tuum: venit enim hora crucis meæ, vt patiar, vt mortem obeam, vt crucifigar, ſed propter hoc, pater, ego veni in hanc horam, & morior, vt cruce & morte mea efficiã, vt celebretur vbique gentium nomen tuũ. da pater, vt mea mors, meáque reſurrectio reddat nomen tuum apud omnes nationes illuſtre, ſicut mea vita hactenus effecit clarum & glorioſum: vt te cognoſcant & Deum, & patrẽ, cognoſcentes,

Locus Ioan. 17. Pater clarifica filium tuum, ponderatur.

cognoſcentes glorificent, glorificantes verò æternam ſalutem aſſequantur. clarifica, cura, conſerua, defende doctrinam hanc tuam, & euangelium meum, quod nomen tuum in vniuerſum mundum propagaturũ eſt. nec mora, Venit vox de cælo dicens, Clarificaui, & iterum glorificabo. ac ſi diceret, Inclaui iam tot miraculis per te ô fili, & hac illuſtratione probatus es à Deo miſſus, & iterũ clarificabo, augebóque nominis mei gloriã apud omnes orbis nationes per tuam crucem, per reſurrectionem, per tuam crucem, per reſurrectionem, per aſcenſum in cælũ, per Spiritus ſancti miſsionem, per apoſtolorum prædicationem. *Ibidem.*

Agitur de admirabili filij Dei reſurrectione, atque de prodigioſa ipſius in cælum aſcenſione, & de Spiritus ſancti in diſcipulos miro deſcenſu. CAP. IIII.

MOrtuus cùm eſſet in cruce tãtorum miraculorum patrator, tertiúſque iam luceret dies, non erat rationi congruens, vt corpus illud Chriſti ſacroſanctum, tam obſequens animo & rationi, inſtrumentum diuinitatis iacêret in puluere, & putrefactione. nam prætérquam quòd nullo id prorſus modo expediebat nobis, ad venerationem atque amorem in Chriſtum in ipſos etiã diſcipulorum animos nimia tarditas irrepſerat, non nihílque addubitabant, an ſcilicet ſe res ita eſſet habitura, ſicut per Chriſtum prænuntiatã fuerat. vt ergo ſimul ſecum, ſuorum item diſcipulorum fidem excitaret, ſummũ miraculorum, quò cetera conſũmmaret, adiunxit, cũ die tertia in carne, in qua occiſus fuerat, de ſepulcro ſe viuũ reddidit, oſteddit itaque Chriſtus potentiam ſuam morti eſſe inimicam, auctorem ſalutis & vitæ, quæ non ſolũm aliis vitam largiretur, ſed ſibi ipſi. & quidem nullius ope atque procuratione adiutus reddidit ſeſe vitæ, conuicium Iudæorum refellens. alios ſaluos fecit, ſe ipſum non potuit facere ſaluum. reſurrectio enim voluntaria mortem quoque voluntariam oſtendit. ſepulcrum Chriſti, grande ſaxum, oſtio obiectum, tum cuſtodia militaris, argumenta ſunt certæ reſurrectionis & corporis ad immortalem beatitudinem commutati. nouum ſepulcrum declarat non eſſe alium, qui inde ad vitam ſurrexerit: vaſtum ſaxum declarat nihil iam ipſius corpori,

Ex Aug. vbi ſupr. pſal. 65. 71.

Reſurrectio voluntaria mortẽ volũtariã oſtendit.

Matt. 27. Marc. 15. Luca 24.

quò minus penetret,quacunque libuerit,obſtare: militaris cuſtodia eum,ſi collibitum ſit, perſpici non poſſe. ſed illud longè certiſsimum eſt vitæ eius argumentũ, quòd
Matth. 28. oſtendit ſe viuentem diſcipulis,collocutus cum illis ſæ-
Ioan. 20. pe,verſatus,contractatus.ideóque,qui illum poſt reſurre-
Act. 1. ctionem viderunt,ceruices ſuas non dubitanter morti obtruſerunt pro fide reſurrectionis eius,quòd ſi non apertiſsimè conſpexiſſent eum diſcipuli viuentem,renunciaſſent vtique vitæ inſtitutæ inuiſæ mundo, fucum ſuſpicari,& fraudem ineſſe. Quis,proh Deum illorum adeò vecors fuiſſet,& inſanus, vt mortem non dubitaret oppetere pro fide reſurrectionis eius,qui ſpem eſſet eorum fruſtratus?quid enim expectaret ampliùs,à quo ſe deluſum in tanto promiſſo recordaretur?quis potiùs nõ execraretur eum,qui hominibus ſic in negotio pietatis imponeret?vide potentiam,intuere non hactenus intellectam virtutem,cum ſummo tamen conſilio coniunctam.
Act. 10. vndique gloria redundans Dei filius præordinatis à Deo teſtibus viſus eſt:at multitudinis oculis ſpectandum ſe exhibere,vt antea,neque voluit,neque decebat. vulgus enim rude,& tantorum myſteriorum ignarum credidiſſet vel phantaſma aliquod eſſe, vel magicis artibus, & præſtigiatoriis deludi. nec diſcipulis id prædicantibus eam vulgus habuiſſet fidem,quem ſi ipſi ſoli cùm vidiſſent,& contrectaſſent eum,tormentis & morte ipſa confirmarent. etenim alioqui ſuſpicioſus in deteriora populus,ſe quoque aſpexiſſe diceret,ſed non ſibi illum eſſe viſum,aut fucum aſpectui factum eſſe. & cùm expediret Chriſtum ad patrem aſcendere, nihil minùs conueniebat,quàm vllam relinquere ſuſpicionem de ſua reſurrectione. iccirco vt in aliis rebus, ita in hac quoque teſtimonium,in ſequentes ætatis propagandum, noluit eſſe promiſcuæ multitudinis, (quod inconſtans & temerarium eſt) ne leuitatem in eo poſteri ſuſpicari poſſent. Et quod hyperbolen dignam non habet, hoc eſt, noluit vlli apparere,qui poſtea eſſet dubitaturus,eámque dubitationem extenſurus,tanquam contagio,in venturas ætates,nec illi,qui non eſſet poſtea paratus, ſanguinem & vitam pro eiuſce veritatis teſtimonio profundere. Quid, quòd reſurrectionis perſuaſio non modò cõſpectum re-

Chriſtus nulli apparuit, qui pòſt dubitaturus foret.

quirebát,ſed collocutionem,conuerſationem, contactũ, vt Ioannes dixit,ac Thomas fecit?at ea vulgò fieri non poterant.multóque erat aliud ſe natum hominem, viuẽtémque omnibus oſtendere, quàm à morte ſuſcitatum. ad prius enim paucisſimis opus eſt argumentis, ad hoc verò alterum permultis.quapropter incredibili Dei noſtri prouidentia illud turbæ datum eſt, hoc verò paucis, atque iis ſelectis.

1.Ioan.1.
Ioan.20.

NON conducebat nobis Chriſtũ hic in terris poſt reſurrectionẽ ſuam agere,& inter ſuos verſari:magis enim de illius præſentis magnitudine dubitaſſemus. nõ facilè capit humana mens,vt quem hominẽ ſibi ſimilẽ conſpicit,Deum eſſe credat,qui omnia condiderit, & ſuſtineat. nec erat iam corpus illud beatiſsimũ diuturnæ inter homines conſuetudini idoneum.Expedit,dicebat dominus ſuis,vobis,vt ego vadã.quippe,ſi nõ abiero,paracletus nõ veniet ad vos niſi enim deſiiſſent apoſtoli dominum videre,apti & capaces ſpiritus ſancti nunquã fuiſſent. ſemper nanque præſentis humanitatis iucundiſsimo aſpectu capti tenerentur:nec vnquam ſe ſatis commodè ad illius diuinitatis contemplationẽ ſuſtuliſſent. aſcendit itaque is in cælum comitantibus angelis,ſpectãte eccleſia:erátque vtriſque vna lætitię ac tripudij cauſſa,communíſque ratio.aſcendit is in cælum,vt eò aſſueſcamus mentẽ, deſiderium,vota noſtra omnia,vbi ipſe eſt,mittere:& monſtretur via,qua nobis eſt eundum, & perueniendi eò fiducia.O diuinæ ſapientiæ theſauri, aſcenſu hoc Chriſti noſtri,cælum animabus ſanctis reſeratum eſt,fructus vtique euangelij expectatiſsimus & ampliſsimus.æquum erat etiã,vt qui ad homines in cælum mittendos venerat, primus ipſe in tanto bono dux reliquorũ fieret, nec cuiquã alteri eam gloriã tribueret,quòd primus hominũ in cælum intrarit:vt qui princeps viam aperuerat,inſtruxerat,munierat,primus ipſe ingrederetur,primus ipſe oſtiũ aperiret,ne ſi quis alius prior aſcendiſſet, illi vel viæ factæ,uel reſerati oſtij beneficium imputari poſſet.Primus ergo Chriſtus in reſurrectione,primus & caput eccleſiæ, primus in beatitudine,reliquis verò dux ipſé,auctor, & cauſſa ceteri vt ab illo,ac per illum,ita poſt illum. hæc ipſius hæreditas, in qua à quoquam præcedi nefas.

Miraculoſa aſcenſio filij Dei.

Ioan.15.

Locus explicatur, Si nõ abiero, paracletus nõ veniet ad vos.

Chriſtus quare primus hominum in cælum aſcenderit.

Sed non priùs aſcendit, quàm euangelij ſui euulgandi cauſſa, apoſtolicos viros in orbem legaſſet, principes ſuæ eccleſiæ altero poſt ſe gradu conſtitueret, darétque in dæmonia, ſerpentes, venena, peſtes, canthar des, morbos, in ipſam poſtremò mortẽ imperiũ ſummũ, abſolutámque poteſtatem. non eis tantum, ſed quotquot viua & ſpirãte fide ipſum inuocaſſent, ad ſuæ eccleſiæ ſtabiliendum regnum. nec contentus eo, abſcedere voluit antè, quàm ſuos Ieroſolymis manere iuberet, donec cæleſti à ſe miſſa virtute ſpiritus ſancti confirmarentur & corroborarẽtur. & cùm abiens eos benediceret, hæc ex ipſius ore vox audiebatur, Ego vobiſcum ſum vſque ad ſæculi conſummationem omnibus diebus.

Act.1. *Matt. 28.*

Spiritus ſancti in apoſtolos miſſio prodigioſa. *Matt.28.*

EXPECTABAT puſillus ille grex promiſſum diuinum, atque cæleſte donum. certiſsimè ad ſperandum futura domini reſurrectio animarat, quantũuis ille differret, quantũuis procraſtinaret: vnde magna erga magiſtrũ ſuum fide, ſpe, reuerentia, & caritate tenebantur. ille verò nihil magis, quàm ſe ſuáque omnia dono tradere properans, feſtinat. & qui antè totum ſanguinem profunderet, in decimum diem nunquam ſua promiſſa differret, niſi & hoc quoque ſuæ eccleſiæ expediſſet, cuius gratiæ vniuerſa gerebat. erat enim non parum congruens, ac rei, de qua agebatur, expediens, vt non eodem die, aut momento ſanctum donum mitteretur, vt aſſueſcerent patienter expectare opem domini, & illi confidere, etiam ſi differenti & procraſtinanti. tum etiam illis diebus decẽ, quibus dilatus eſt ſpiritus ſanctus, agentes in eiſdem ędibus trepidi, & extrema metuentes malorum, ceperunt fragilitatis ſuæ experimentum, quàm nihil eſſent omnino ſine auxilio diuino, & condidiſcerunt ipſum expetere votis omnibus, atque explorare. Venit ſpiritus ſanctus mirando ſenſibilíque miraculo, vt & ipſi accipere ſe ſcirent, & reliqui deinceps accepturos ſe ſaltem ſpiritu non diffiderent, quòd alios ſenſibiliter accepiſſe vidiſſent, vel audiſſent. magnarum enim rerum fidem manifeſtiorem eſſe conuenit inter initia, vt inde in reliquum ad occultiora proficiat. Apparuerunt, inquit Lucas, ſuper ſingulos igneæ linguæ. ignis ad inflammandum & illuſtrandum facit, lingua verò ad explicationem eorũ, quæ men-

Expedit eccleſiæ non ſtatim mitti ſpiritum ſanctum. *Act.1.*

Quid cauſſa, quòd ſenſibili miraculo ſpiritus ſanctus deſcenderit. *Act.1.*

te conceperis. etenim ad opus euangeliſtæ erat Chriſti mens cum primis neceſſaria myſteria capiens. deinde animus, qui intrepidè admoneat, poſtremò lingua, quę diſertè. tres hos inter alios ſpiritus diuini effectus optimè ſecum cæleſte donum traxit. nam primò cùm ante domini mortem tam indociles eſſent, repentè quidem eos q̃ doctiſsimos, ac ſapientiſsimos magiſtros orbis terrarum perfecit quæ Chriſtus eos docuerat. ea omnia ipſis copioſiùs, atque explicatiùs ſuggeſsit, capacéſque reddidit, & tantis myſteriis aptos. hunc, apoſtolorum doctorem, & tutorem, poſt magiſterium ſuum, ac tutelam eccleſiæ ſuæ Chriſtus eſſe voluit. decreuítque idem dominus, vt quemadmodum in primitiis eccleſiæ ipſius ſynedrus, expoſitor, doctor, admonitor, conſeruator hic cęleſtis aduocatus & conſolator fuiſſet eorum, quæ Chriſtus tradidiſſet, ita nos doceret in ſequenti noſtra eccleſia. vnde natum eſſe intuemur, quòd nullo vnquã tempore vel magiſtrum eccleſia mutauerit, vel doctrinam: ſed eandem ab exordio peregrinationis ſuæ vſque ad terminum retinuerit, atque obſeruarit. Quid magis ad conſolationẽ noſtram, ad inſtitutionem, pietatémque conſeruandam, ad ſalutem denique congruebat? quid aliud à tanto amico expectandum erat? à tam pio & indulgente patre? cúmque etiam & antea miranda eius opera cernerent, trepidi tamen ſemper, & diffidentes in periculo eum deſeruerunt: immo qui videbatur animoſiſsimus, & conſtantiſsimus, iure iurando abnegauit. at poſt reſurrectionem, miſſúmque ſanctum Dei ſpiritum, vltro ſe pro illo offerebant, & glorioſiſsimum exiſtimabant ſanguinem pro eo profundere, vitam ponere huius ſpiritus ſuggeſtione prorſus in memoriam redactis ingentibus & diuinis Chriſti operibus, cũ penè excidiſſent, omnia. poſtquam igitur ſemel præſidio illi muniti ſunt, quàm fortes, atque animoſi, quàm firmi, ac conſtantes euaſerunt, & perſtiterunt? at linguarum donum ad varietatem nationum edocendam ipſis tributum eſt. Fides enim, inquit Paulus, per auditum. fiebat ergo Dei ſpiritus manifeſtus, & Chriſti nomen in gentes diuulgabatur ex linguarum pronuntiatione tam varia, tam propria, támque illi vſui accommodata.

Tres effectus diuini ſpiritus.

Primus, illuminatio.

Secundus, fructus ſpiritus ſancti, qui eſt conſtantia, & animi firmitas.

Tertius fructus ſpiritus cæleſtis, qui in diſerta locutione eſt poſitus, atque tam varia pronũtiatione.

Rom. 10.

De apoſtolorum miraculis tractatur, omnium maximum fuiſſe, quòd ipſis orbis vniuerſus crediderit, pro rei magnitudine ponderatur, quàm etiam apoſtolorũ prodigia à Chriſti portentis diſtincta fuerint, ex ſcripturis ſanctis palàm oſtenditur. CAP. V.

CAeleſti illo ſpiritu duces noſtri nimirum animati, & in arenam coniecti, cœperunt ire quoquo verſus, ſecutáque ſunt eos ſigna ac prodigia, qualia hactenus nulla orbis viderat. re etiam ipſa experiebantur verbum illud ſeruatoris ſui, quod ad eos iam iam moriturus dixerat, *Marc. vlti.* Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & his maiora. quò enim ſancti apoſtoli, ceteríque ſtudioſiùs nitebantur, vt munus euangelicum fortiter ac diligenter obirent, eò mirabilioribus factis cum ſumma laude quotidie magis eniteſcebant. *Declaratur locus, Maiora faciet, Ioan. 14.* O ingentem atque mirandam vnigeniti potẽtiam, quæ etiam aliis dare queat, maiora patrare, quàm ipſe fecerit. ſed quid maius tuis miraculis, bone Deus, præſtare valebat homo purus? quid potentius excitatione Lazari? quid æquale exactæ illi cognitioni internorum cogitatuum? vt taceam innumera alia, quæ tu optime IESV potentiſsimè egiſti. nam in opere redemptionis, in præſeruatione & cuſtodia maternæ virginitatis & pudoris, in admirabili reſurrectione tua, aſcenſione, ceteriſque operibus tibi propriis, parem aut ſimilem habuiſti neminem. quid, cedo, hoc eſt, His maiora faciet? vt enim maiora numero, & efficaciora fortè martyres miracula egerint domine, natura verò maiora nunquam fecerunt, aut facient. quid enim maius præſtare potuiſſent, quàm verbo mari ac ventis imperare? morbos & dæmones pellere? mortuos denique in vitam reuocare? ergo ampliora feciſſe dicuntur euangelici illi legati, quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrarum. plures quoque gentes verbo apoſtolico ad euangelium & confeſsionem Chriſtiani nominis adductæ ſunt, quàm prædicante domino in paruo orbis angulo, hoc eſt, in Iudæa. *Maximum omniũ miraculũ fuiſſe, quòd orbis totus apoſtolicis viris crediderit.* Inter cetera miracula non eſt illud in poſtremis habẽdum, quod dominus ipſe tam pauciſsimos ad quamplurimos miſerit, nõ verſatos in ſcholis gentium, ad peritiſsimos, infantes arte & natura, ad diſertiſsimos atque eloquentiſsimos, miſit

ſimplices ad aſtutos, inermes ad armatos, imbelles ad bellicoſos, inopes ad Romani populi imperium. geſtúmque totum hoc ſic eſt, ne quis aut factum fucum, aut dolo, aut potentia captos homines ſuſpicari poſſet. diuino quidem certè conſilio hæc omnia acta ſunt, ne quid ſuorum incrementorum euangelica pietas mundo deberet, ex Deo penderet tota, quæ ſciret originem ſuam, auctus, progreſſus, exitus, omnia demum ex Deo ſolo habere ſe mundo vniuerſo inuito ac repugnante. ſic profectò virtus eius atque excellentia dignoſcenda erat, ſi per omnẽ contradictionem ſemel examinata fuiſſet. his accedit mirabilis ſanguis effuſus, quo ſancita & firmiter ſtabilita eſt pietas noſtra. non fortes ac robuſti viri militares ſolùm, non philoſophi per cogitatus & exercitamenta animo ac corpore indurati, quibus quidem abundamus, ſed feminæ, puellæ, pueri, ſenéſque teneris nimiùm corpuſculis tormenta immania, prunas, niues, crudelitatem, ſatiſque pœnarum pertulerunt. & quod natura nullo modo ſuſtinuiſſet, euangelij gratia mirificè perfecit. tulerit Caius Marius, vel Alexander Macedo, aut vir aliquis, bellis & laborum patientia obduratus, ictum vnum atque alterum lethalem, at quid puella tenerrima? quid? paſſuráne cùm multos toties, tum acerbiſsimos dolores velut mortibus repetitos? nec fruſtra cruor ille ſacroſanctus fundebatur: nulla enim in terram gutta cadebat, ex qua non multi Chriſtiani conſurgerent. Chriſtiana religio, quò acriùs & rabioſiùs oppugnata eſt, hoc è prœlio fortior ac valentior exceſsit: vt expreſſa in veritate fabella videatur, de dentibus ſerpentis à Cadmo in Bœotia ſparſis, vnde armatæ acies naſcerentur.

Martyrum conſtãtia vnde profluxerit.

Hoc verù diſcriminis eſt inter ea miracula, quæ Dei noſtri Chriſti ſcilicet manus ac voluntas operata eſt, & quæ apoſtolici viri egerunt, quòd ille quidem per ſe ſolus, ac virtute propria (vt qui Deus verus eſſet, portans vniuerſa verbo virtutis ſuæ) ea omnia in deitatis ſuæ atteſtationẽ operabatur, hi autem Dei virtute adiuti, Chriſti nomine inuocato. in nullam certè rem ſic incumbebant, quàm vt ipſum commendatiſsimum orbi vniuerſo redderent. hoc ſanè perpulchrè nos docet apoſtolorum princeps, & corona Petrus in actis apoſtolicis. Erat claudus vnus, (quẽ-

Chriſti miracula ab apoſtolorum mir. longè diſtincta.

Heb. 1.

Act. 3.

admodũ ex eadem hiſtoria optimè intelligimus) ex vtero matris ſic natus, quem baiulabant quotidie iuxta templi portam, vulgò Speciosam nuncupatam, petiturus inde, ac rogaturus eleemoſynam à tranſeuntibus illac. is porrò, cùm vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, vt eleemoſynam acciperet. intuitus ergo eum Petrus cum Ioanne dixit, Reſpice in nos. at ille ſuſpexit eos, vt qui aliquid eleemoſynę accepturum ſe ab eis ſperaret. Petrus verò dixit, Argentũ & aurũ nõ eſt mihi: quod autẽ habeo, hoc tibi do: In nomine IESV Chriſti Nazareni ſurge & ambula. &, apprehẽſa manu eius dextera, alleuauit eum: & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ. & exiliens ſtetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in templum exiliens, ac laudans Deum. vidítq; populus cunctus eum ambulantem, & laudantem dominum: (cognoſcebatur enim, quòd ipſe eſſet qui antè ad eleemoſynam ſediſſet iuxta templi portam Speciosam) impletique ſunt ſtupore & extaſi in eo, quod claudo illi contigerat. Ergo incredibiles hominum cõcurſus turbatim ad apoſtolos Chriſti confluebant in porticum, quæ appellabatur Salomonis, ſtupidi, atque admirati. cùm itaque lætis oculis Petrus intueretur, quantam præfatum prodigium in populo illo admirationem feciſſet, vniuerſos hac voce aggreditur: Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc, aut quid nos miratione iſta intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare, rectóſque greſſus noſtra potentia ei reddiderimus? Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum IESVM, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. vos autem ſanctum & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis, auctorem vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus. & in fide nominis eius hunc, quem vos videtis, & noſtis, confirmauit nomen eius, & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrûm. Hæc ſanctiſsimus Petrus. Ne verò mihi ſanctos prophetas quiſpiã hîc obiectet, reſpõdebo cum beato Auguſtino, Sed & ipſe Moyſes, & ceteri prophetæ veraciſsimi, dum dominum Chriſtum pro-

Hæc ex Auguſt. ſumpſimus pluribꝰ in locis, in quibus agit quomodo diſtent Chriſti miracula à ſanctorum prodigiis.

Act. 3.

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

Miracula prophetarũ. Auguſt. in epiſt. ad voluſianem.

phetant, eius nomini gloriam magnam dederunt: qui non tanquam parem ſibi, ſed in eadem potentia longè ſuperiorem, immo planè dominum, Deum omnium & hominem propter nos factum, venturum prænuntiauerunt, & qui veraces probati ſunt, prodigia, quæ legimus, egerunt. idem etiam eccleſiæ doctor alio in loco dicebat, In Chriſto maiora videntur ſancti feciſſe, quàm ipſe dominus. Sed vnde fieri poteſt, vt valeant plus ſarmenta, quàm radix? quomodo, rogo, quaſi maiora videntur apoſtoli feciſſe, quàm Chriſtus? ad vocem domini mortui ſurrexerunt: at ſola perculſus Petri vmbra tranſeuntis, qui iacebat mortuus, aſſurrexit. maius hoc videtur, quàm illud. ſed Chriſtus facere ſine Petro poterat, Petrus niſi in Chriſto non poterat. Quia ſine me, ait, nihil poteſtis facere. Hactenus Auguſtinus. Non puto, fore difficile cuiquam ex tam multis colligere, quàm magnum hoc ſit argumentum pro antiqua veritate aduerſum noua commenta, quòd cùm (vt à capite deduximus) tam nouis portentis cæleſtes promiſsones Deus, ſi quando hominum malitia oppreſſæ conſepeliebantur, ſuſcitare ſtuduerit, & cùm per dies tres euangeliū ſuū proſterni minimè tulerit: veriſimile non ſit, tot ſæculorum annos euangelicam lucem iam propè extinctam in hominum obliuione iacêre, donec iſti euangeliſtæ noui naſcerentur, ſuſtinuiſſe. deinde, ſi Dei benignitate euangelium Chriſti denuò orbi redditur, ac poſtliminij iure ſuam antiquitatem recipit, & velut nouum eduitur, oportuiſſet ſanè ea miracula repetere, quibus recens natum adoleuit. quaſi verò minoris operis ſit, homines in re tam graui dedocere, quàm docere. atqui dubium non eſt, ſanctos illos patres Chriſtianæ eccleſiæ naſcentis, creſcentíſque proceres apoſtolos, ac martyres rationibus fuiſſe potiſsimùm vſos, intermiſtis nonnunquam miraculis, velut gemmis, quæ fides & feruor tum prædicantis, tum rei ipſius poſtulabat: vt ſicut rationes menti, ſic prodigia oculis darentur. nam, cùm homo cognitionem habeat ſenſuum, quæ eſt ei cum multis animantibus communis, & cognitionem mentis, quæ eſt ipſi propria, cum primis decet illū rationibus mentis formari ad virtutem & cultum diuinum, deinde prodigiis, quæ oculis, aliíſque ſenſibus

Aug. in expoſit. pſal. 130.

Ioan. 11.

Act. 5.

Ioan. 15.

Cōfirmatio ad verſum Caluinum.

Cōfirmatio altera.

Miracula eſſe hominibus per neceſſaria.

oſtenduntur, in admirationem, ſtuporémque impelli. quę ergo doctrina neque rationem habet, neque miracula, ea ſanè quo pacto poſſit aut menti, aut ſenſibus ſatisfacere, ipſe non video.

Reſpondetur duabus primis Caluini obiectionibus, atque in præſentem vſque diem durare miracula, eſſéque modò in eccleſia, optimè demonſtratur.

CAP. VI.

VErùm libet Caluini obiectionibus ſatisfacere. *At improbè faciunt, quòd miracula à nobis poſtulant. non enim recens aliquod euangelium cudimus, ſed illud ipſum retinemus, cuius confirmandæ veritati ſeruiunt omnia, quæ vnquam & Chriſtus, & apoſtolici miracula ediderunt*: Hoc ſi ſic eſſet Caluine, teneréſque tu vnum, & idem euangelium cum patribus, improbè ſanè feciſſemus, ſi abs te miracula exegiſſemus: ſed cùm, vel te teſte, nouum ſit, & tale non immeritò cenſeri queat, non improbè, ſed ſummè probè feciſſe videbimur, ne nos leuitatis iure quis inſimulet. Auguſtinus aſperiùs eos appellat, quos delectat miraculum facere, & ab eis, qui profecerunt in eccleſia, miraculum exigunt, ſed & ipſi, qui profeciſſe ſibi videntur, talia prodigia agere volunt. quódque ſi ſecus ſibi eueniat, nō ſatis putant placere ſe Deo. ſi enim in vno corpore cum Petro eſſes, ſatis tibi vtique eſſet, quòd ea miracula Petrus egiſſet: eſſétque calumnia non ferenda, ſi tibi dicerem, Iuſtus non es, quia nulum affers miraculum: optiméque tu mihi reſponderes, Petrus ipſe mihi fecit, quia eius ego corporis ſum, in quo erat ille, cùm faceret. quare quòd minùs poſſum, Petrus ipſe mihi cōpatitur: quòd verò plus me potuit, nimiùm illi congaudeo. ſicut eiuſdem corporis membris vſu venire ex Paulo, & ex ipſo experimento didicimus. nec minùs deſinit, Auguſtino teſte, de eccleſiæ corpore eſſe quiſquam, quòd miracula nulla egerit, quàm pes, quòd aut non audiat, aut minùs videat. ſatis enim eſt, quòd oculus & ſibi, & pedi videt, ſicut pes ipſe oculo, non ſibi modò ambulat. Hæc igitur omnia quàm certiſſima ſunt, tibíque Caluine valde fauerent Petri miracula, ſi conſtaret eiuſdem te cum Petro corporis membrum eſſet, ſicut certè ſcimus acta

Aug. ſuper pſal. 130.

Non omnes iuſti faciūt miracula.

1. Cor. 12.

eſſe ab eo miracula pro euangelio, quod recens de manu Criſti acceperat: at nunc, tota antiquitate reclamante, non te Petro in corporis vnitatem coniungis, ſed illum magis in id corpus, cuius tu caput haberi percupis, & apoſtolorum principem ad te nolentem trahis. quapropter, vt apoſtolorum prodigia tibi in parte iſta ſuffragari poſſent, priùs eius corporis vnitas (quæ fide conſtat) probanda eſſet, ſtatímque iure tibi effeciſſes propria vniuerſa illa Chriſti & ſanctorum miracula. ad confirmationem vtique apoſtolicæ fidei, quam ab ipſis apoſtolis traditam retinemus, prodigia etiamnum requirere, iudaicæ impietatis eſt, ac ſi dubij plus nimio & incerti in perſuaſione ſanctę veritatis ſine portentis maneremus. at verò quò regnum ſtabiliatur illi fidei, quam antiquitas ab apoſtolis profectam non credat, miracula à vobis poſtulare verè iuſtum atque æquum eſt: ne ſcilicet abſque prodigiis poſt tot annos illud euangelium excitetur, quod dum naſcitur & adoleſcit, portentis ac mirabilibus illuſtrari ſummopere neceſſe fuit. *Miracula,* inquit, *in præſentem vſque diem durare non debent. id tamen præter nos iſti ſingulare habent, quòd aſſiduis in hunc vſque diem miraculis fidem ſuam confirmare poſſunt*: hoc ipſum cùm dixiſſe aliquando Auguſtinus videretur Caluine, ſe ipſum optimè correxit, atque interpretatus eſt. quodam certè in loco dixerat, Accepimus maiores noſtros eo gradu, quo à temporalibus ad æterna conſcendebatur viſibilia miracula, (non enim aliter poterant) ſecutos eſſe: per quos id actum eſt, vt neceſſaria iam poteris non eſſent. cùm enim eccleſia catholica per totum orbem diffuſa, atque fundata ſit, nec miracula illa in noſtra vſque tempora durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret, ac eorum conſuetudine humanum genus frigeſceret, nec iam nobis dubium eſſe debet, iis eſſe credendum, qui cùm ea prædicarent, quæ pauci aſſequuntur, ſe tamen ſequendos tot prodigiis populis perſuadere potuerunt. at idem eccleſiæ doctor alibi ſe corrigens dixit, Verum hoc quidẽ eſt. non enim nunc vſque cùm manus imponit baptizatis, ſpiritus ſanctus illis ſic datur, vt linguis loquãtur omnium gentium: nec nunc ad vmbrã tranſeuntium prædicatorũ Chriſti infirmi ſa-

Altera obiectio Calu.

Aug. li. de vera relig. vnico c. 15.

Aug. li. retrac. l. 1. c. 13

Miracula et modò in eccleſia fiunt.

nantur, & ſi qua talia facta ſunt, quæ poſtea ceſſaſſe manifeſtum eſt. Sed non ſic accipiendum eſt, quod dixi, vt nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur. nam ego ipſe, quando iſtum librum ſcripſi ad Mediolanenſium corpora martyrum, in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuiſſe iam optimè noueram: & alia non nulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt, vt neque omnia cognoſcere, neque cognita enumerare poſſimus. item idem, cùm certò in loco Caluino conſenſiſſe quodammodo exiſtimari poſſe, ſe ipſum (qua modeſtia hic illuſtris doctor enituit ac polluit) emendauit: Cur, inquietis, iſta miracula modò non fiunt? reſpondeo, quia non mouerent, niſi mira eſſent: ſi autem ſolita eſſent, mira non eſſent. ſed audiamus eum, quo pacto id á ſe dictũ accipi velit: Hoc autem dixi, quia non tãta, neque omnia modò, non quia nulla fiunt: fiunt ſanè multa ad corpora martyrum. quid moror? idem ipſe pater tot vera miracula ad Chriſti, matris ſanctiſsimæ Mariæ, ſanctorum denique martyrum innocentium acta, ſuo tempore longiſsimè perſequitur. Chryſoſtomus etiam dixit aliquando, vtile fuiſſe, vt primo illo tempore miracula fierent, nunc verò minimè expedire. at idem pertractans locum illum pſalmi, Memoriam fecit mirabilium ſuorum. hac de re ita pronuntiat: Quid eſt, Memoriam fecit mirabilium ſuorum? nunquam, inquit, miracula facere intermiſit. hoc enim eſt, Fecit memoriam, non ceſſauit, non deſtitit per omnem generationem miracula facere, ac per admirabiles res craſsiores excitare. qui eſt enim animo excelſo, & philoſophiæ dedito, non opus habebit ſignis. beatiores certè ſunt, qui non viderunt & crediderunt. quoniam autem ipſe non eorum tantummodo curam gerit, ſed etiam craſsiorum in omni ferè generatione non ceſſat facere miracula. ſatis quidem magnum eſt miraculũ vniuerſitas ipſa eorũ, quæ videntur à creatura. ſed tamen multorũ ſocordiam excitans in medio hoc theatro & priuatim, & publicè multa oſtendit mirabilia, ſicut inundationem, linguarum cõfuſionem, Sodomorum conflagrationem, quæ Abrahæ, quæ Iſaac, quæ Iacob euenerunt, quæ in Aegypto facta ſunt, quæ in exitu Iudæorum, quæ in ſolitudine, quæ in Palæſti-

Auguſt. retrac. c. 1. 14.
Aug. de ciuitate Dei.
Chryſoſto. hom. 6. in priorem epiſtolã Pauli ad Cor.
Chryſoſt. in pſal. 10.
Ioan. 20.

na, quæ in Babylone, quæ poſt reditum, quæ tempore Machabæorum, quæ poſt Chriſti aduentũ, quæ in ipſo aduentu, quæ in diem hodiernum hucuſque fiunt, ruina Ieroſolymorum, eccleſiæ ędificatio, verbum quoquo verſum peruadens, per fluctus erectum, per bella amplificatum, martyrum populi, aliáque infinita omnia. multa autem videri poſſunt & priuatim, & in domo, & in ciuitatibus miracula fieri: ſed quæ generalia, ac omnibus manifeſta ac cognita, & quę fiunt in vnaquaque generatione, videamus. Quot Iuliano imperante, qui omnes ſua impietate ſuperauit, dũ eccleſia oppugnatur, facta ſunt? quot maximino? quot & ante iſtos imperatores? ſed ſi vultis ea etiam, quæ noſtra generatione euenerunt, nempe cruces in veſtimento impreſſas, commemorabo. Apollinis templum fulmine deiectum, ſancti martyris Babylæ in Daphne tranſlationem, & apertam aduerſum dæmones victoriam, quæſtoris mortem inopinatam atque admirabilem, imperatoris ipſius occiſionem, ipſius, inquam, Iuliani qui omnes impietate ſua vicerat, auunculi illius interitum, vermium fontes, famem, ſterilitatem, ſiccitatem, aquarum pęnuriam, quæ vnà cum eo ciuitates inuaſit, & alia vbique ſine numero prodigia. Hactenus Chryſoſtomus. Hæc omnia attẽtiſsimè ab omnibus expendi cupio: quoniam & inuocationi ſanctorum vnicè fauent, & diuinam potentiam à miraculis incredibiliter commendant. et certè hic ſanctus omnes vires eloquentiæ ſuę in miraculis ediſſerendis ſancti Sinai paſtoris Babylę libentiſsimè collocat. Sed quoniam de ea re multa diximus, dum pro ſanctorum inuocatione ageremus: nunc prætereundum nobis eſſe duximus.

Sex illis primis ſæculis eccleſiæ vera in ea fuiſſe miracula, plurimis ſanctorum teſtimoniis, eiſque præclaris ac grauiſſimis probatur.

CAP. VII.

SEd libet paucis oſtendere à Chriſti paſsione vſque ad hæc tempora Chriſti eccleſiam etiam apud fideles ſignis veris claruiſſe, non conficta mendacia iactando, vt ſolent hęretici, ſed certa commemorando, productis auctoribus, quibus qui non credat, flagris ac pugnis ex hominum conſuetudine explodendus ſit. Circa igitur

rei à pluribus religioſorum fratrum ex eodẽ oleo, quod verſum de aqua fuerat, reſeruatum eſt, ita vt ad nos vſq; miraculi huius indicium perueniret. & in hoc quidem fidei eius, ac meriti habebatur exemplum: animi autem virtus quanta in eo fuerit, alio nihilominus vno ex eius geſtis opere declarabitur. is nanque cùm inter cetera virtutum ſuarum bona eſſet valde conſtantis animi & iuſti, rectíque indeclinabiliter tenax, quidam homunculi nequam malè ſibi conſcij, metuẽtes, ne criminum ſuorum, ſi arguerentur, non poſſent effugere vindictam, præueniunt, & factionibus circumuenire parant eum, cuius iudicium verebantur. concinnant igitur aduerſum eum infame ſatis & noxium crimen, conueniunt auditores, teſtes ex ſemetipſis producunt, qui ſub ſacramento iuramenti, quæ obiiciebantur, confirmarent: quorum vnus teſtis ita, ſi non, igni conſumeretur vera ſe dicere teſtabatur: alius ita, ſi non, regio morbo corrumperetur: tertius ita, ſi non, luminibus orbaretur. & quamuis eiuſmodi quidem iuramentis nemo fidelium, & Deum timentium crederet, eo quòd vita Narciſsi, inſtitutio, ac pudicitia ab omnibus noſceretur: ipſe tamen eorum, quæ mota ſunt, indignitatem ac moleſtiam non ferens, ſimul & ſecretam ac philoſophicam vitam ſemper habere deſiderans ſubterfugit eccleſiæ multitudinem, & in deſertis locis atque agellis ſecretiſsimis delitеſcit pleriſque annis. At non ille magnus diuinæ prouidẽtiæ oculus quieſcit in longum, ſed in impios vltionem per ea ipſa, quæ ſibi in periurio ſtatuerant, maledicta molitur. primus enim ille teſtis, parua ignis ſcintilla noctis tempore domo ſua ſuccenſa, cum omni genere ſuo, omníque familia flãmis vltricibus conflagrauit: alter repentè ab imis pedibus vſque ad ſummum capitis verticem morbo regio, quo fuerat imprecatus, repletur, atque conſumitur: tertius autem priorum exitum videns, & oculum diuinum non ſe latuiſſe perſpiciens prorumpit in medium, & audientibus cunctis ſera pænitentia vniuerſum cõcinnati ſceleris ordinem pandit. tantis verò lacrymis immanis commiſsi facinus deflet, & in tantum die, noctúque perdurat in fletibus, vſquequo luminibus orbaretur. Hi igitur figmenti ſui huiuſcemodi pœnas dederunt. Narciſſus

Mirum iudicium diuinæ animaduerſionis.

verò cùm ita deſertum petiiſſet, ac locis ſemet occultioribus abdidiſſet, vt vbínam degeret, nullus agnoſceret, neceſſarium viſum eſt epiſcopis eccleſiarum vicinarum, vt alium pro ipſo ordinarēt, qui appellabatur Diuus: cui, cùm paruo tempore præfuiſſet eccleſiæ, ecce ſubitò, velut rediuiuus, cælóque redditus, ex improuiſo apparuit Narciſſus, & rurſus à fratribus ad præſidendum rogatur eccleſiæ. multò enim vehementiùs erga eum amor omnium fuerat incitatus, vel pro eo quòd criminoſis innocens fuit, vel quòd ſecretam & philoſophicam vitam dilexit, & quòd in eo cōpleuit dominus, dicens, Mihi vindictam, & ego retribuam eis. Verùm cùm ipſe, iam ſenio feſſus pontificatus miniſterio ſufficere non poſſet, Alexandrum, (de quo ſuperiùs commemorauimus) qui iam erat epiſcopus alterius loci, diuina diſpenſatio in adiutorium Narciſsi ſenis euidentiſsimis reuelationibus euocauit. etenim is Alexander ex gente Cappadocum, vbi erat præclaræ vrbis epiſcopus, Ieroſolymam adorandi, & ſanctorum locorum videndi gratia properauerat: quē loci incolæ, mentes eorum inſtigante Deo, cum omni amore & officioſitate ſuſcipiunt, atque in caritatis & dilectionis nexibus vinctum redire domum non ſinunt. clarè nanque à domino oſtendebatur nō ſolùm ipſi beato viro Narciſſo, ſed & aliis plurimis per reuelationis in plebe, vt ipſum in loco ſancto epiſcopum detinerent. præterea, quod ſupra cetera omnia magis terrificū fuit, eo die, quo ingreſſurus vrbem Alexander nuntiatus eſt, & multitudo fratrum plurima extra portas ei obuiā venit, vox cælitus omnibus audientibus manifeſtiſsimè facta eſt, dicens, Suſcipite epiſcopum, qui nobis à Deo deſtinatus eſt. cúmque ex his omnibus euidenter apud cunctos fuiſſet Dei diſpenſatio declarata, epiſcopi vrbium vicinarū compertis omnibus, quibus de eo res geri Dei iudicio docebatur, reſidere inibi eum neceſſariò coegerunt. Ipſe ergo Alexander in epiſtolis ſuis, ad Antinoitas ſcriptis, quæ vſque ad præſens ſeruantur apud nos, meminit Narciſsi tanquam ſocij & conſortis in epiſcopatu, his ipſis verbis de eo ſcribens: Salutat vos Narciſſus, qui ante me epiſcopatum huius eccleſiæ regere cœpit, quíque mecum poſitus, orationibus veſtris centum iam &

Deut. 31. *Ezech.* 9. *Rom.* 12.

Alex. *epiſt. ad Antinoitas de B. Narciſſo.*

ſedecim

ſedecim annos vitæ ſuæ gerit, qui & ipſe vos mecum pariter deprecatur eſſe concordes.

TERTIVM eccleſiæ Christianæ ſæculum, quòd martyrum meſsis iure appellatur, & in quo Minucius Felix, Hippolytus epiſcopus, Origenes, Dionyſius, Gregorius Neocæſarienſis, Cyprianus, Cornelius, Stephanus, omnes martyres, & Arnobius floruerunt, innumeris etiam portentis ac miraculis illuſtre fuit. & quoniam ſi omnia referre vellem, in infinitum opus abiret, ſatis ſit hîc eius orationis perpulchræ & elegãtis, quam glorioſo Cypriano Carthaginienſi Gregorius Neocæſarien. dicauit, meminiſſe: vixerunt enim vno tempore, ac ſynchroni fuerũt. ea verò ſic habet, Poſtquam verò vitam finiuit, ſi ita loqui fas eſt, & nõ potiùs rem illam ed Deum profectionem, aut deſiderij impletionem, ſeu vinculorum diſſolutionem nominare oportet, miraculis etiam hic claruit, priori vita admodum dignis. Erat nomen Cypriani apud omnes celebre, & non ſolùm apud Chriſtianos, ſed illos etiam, qui aduerſæ partis erant. probitas enim apud cunctos pariter venerabilis exiſtit. corpus verò latebat, erátque theſaurus ille apud mulierculã quandam pietate feruidam, ídque tẽpore longo: ſiue quia Deus deuotam illam honorare voluerit, ac ideo illi martyrem conceſſerit: ſiue quia deſiderium noſtrum exercere deſtinauerit, num ægrè laturi eſſemus, ſi martyrum priuaremur reliquiis. cùm verò martyrum Deus nequaquam ferret, vt omniũ bonum vnius ſolùm priuatum eſſet, neque communi in illius gratiam damno afficere nos vellet, per reuelationẽ corpus publicauit: ídque feminæ cuidam tali honore dignæ manifeſtauit, quo & mulieres ſanctificarentur. & quemadmodum Chriſtum antea pepererunt, diſcipulíſq; ex mortuis reſurrectionem annuntiarunt, ita nunc quoque vna Cyprianum oſtendit, altera verò ob cõmunem vtilitatem exhibuit. hoc ex illius bonis vltimum fuit. ita igitur ille in medium proceſſit, admodum dignus ne vltrà lateret. quomodo autem corpus furtò ſubtractum ſit, nequaquam explicare refert. quoniam ſermo noſter longè corporis honoribus melior eſt, & ſublimior. & hæc apud vos dicta ſufficiant: haud enim ſcio, num plura reſtent dicenda. nam ſi longum etiam ſermonem ex-

Tertium ſæculum, quod martyrum meſsis appellatur.

300.

Greg. Neoceſ. de Cypr. oratio, quæ eſt 19. in operum eius volumine.

tẽderemus, nequaquam tamen dignè illius virtutes enumerare poſſemus, neque ea, quæ vnuſquiſque de viro illo præſumit. Hæc igitur breuiter percurrimus, vt debitum illius honorem vel parumper delibaremus: reliqua verò à nobis ipſis adiiciantur, quò & vos aliquid martyri offeratis, veluti dæmonum purgationem, morborum diſſolutionem, futurorum cognitionem: omnia poteſt Cyprianus, & puluis, cum fide, quemadmodum norunt ij, qui ſunt experti, ac miraculum ad vos vſque tranſmiſerunt, temporíque tradiderunt futuro. quin potiùs maiora his offeratis, & qualia eos decent, qui illũ rite venerantur, corporis nempe exinanitionem, animę eleuationem, prauitatis declinationem, virtutis incremẽtum, virgines, carnis contemptum, mulieres, ornatum virtutis magis, quàm corporis, iuuenes cõtrà animi paſsiones, virilitatẽ, ſenes, conſilia ſana, magiſtratus, legũ æquitatẽ, qui in exercitu ſunt, manſuetudinem, eloquentes, quod rationi cõuenit: quin & ex noſtris qui ſunt, dicã, ſacerdotes religionis cultum, qui ex populo ſunt, obediẽtiam, qui in luctu, conſolationem, qui proſperè agunt, timorem, diuites diſtributionem, pauperes gratiarum actionem. omnes contra malignum, & amarulentum perſecutorem aciem inſtruunt, ne apparens feriat, ne deliteſcens ſagittet, ne, ſicut tenebræ, impugnet, ne, ſicut angelus lucis, illudat, & ad perditionis ſuffuretur barathrum. graue eſt oculis capi, ac lingua vulnerari, necnon auditu ineſcari, iraque feruidum ſuccendi, ac guſtu ſeduci, & tactu emolliri, armíſque ſalutis pro mortis vti armis. opus eſt, vt fidei muniamur ſcuto, & maligni inſidiis reſiſtamus, vt cum Chriſto vincamus, & vnà cum martyribus decertemus, quò magnam illam vocem audiamus, Venite benedicti patris mei, hæredes eſtote regni vobis parati. vbi letantium cunctorum eſt habitatio, necnon eorum, qui choream ſaltant indeſinentem, vbi ſonus eſt feſtiuitatem peragentium, vóxque exultationis ac deitatis illuſtratio perfectior & purior, quàm ea, qua nunc in ænigmatis, & vmbris fruimur. His ſi Cyprianus veneratus fuerit, magis gaudebit, quàm omnibus rebus aliis. hæc in vita adhuc præſens docebat, ac nunc abſens omnibus noſtra annuntiat voce, quam nequaquam deſpicietis, ſi

Cypr. miracula ingentia.

Matt. 25.

ſaltem tolerantia illius, necnon pro veritate certamina, ac legatio hæc mea vobis curæ fuerint. PROINDE hæ tibi diuinum & ſanctum caput, à me ſint primitiæ, hic tibi ſermonum & certaminũ honor, non oleaſter Olympicus, non laurus ludicrũ Delphicum, non pinus Iſthmica, non aper Nemæus, quibus ephebi remunerabantur infelices, ſed ſermo, qui admodum peculiaris eſt cultoribus ſermonis. quòd ſi certaminibus, ac ſermonibus tuis eſt dignus, hoc mihi ſermonis erit præmium. Tu verò ab alto nos propitius reſpice, noſtrúmque ſermonem, ac vitam dirige, & ſanctum ouile hoc paſce, aut vnà rege, ac reliqua, quantum poſsibile eſt, ad meliora diſpone, moleſtóſque lupos ſyllabarum, & verborum venatores illos abige, ac ſanctæ trinitatis, cui nunc aſtas, ſplendorem nobis perfectiorem, & clariorem gratificare: quam adoramus, quam glorificamus, de cuius nos republica ſumus, adorantes patrem in filio, filiũ verò in ſpiritu ſancto, cui & paulò poſt aſsiſtemus ſinceriores, & illæſi in ipſo Chriſto domino noſtro, cui omnis gloria, honor, & imperium in ſæcula. Amen. O mirabilia ſanctiſsimi viri, paritérque doctiſsimi dicta, quæ omnem iſtorum nouorum euangeliſtarum dementiam facilè retundant, ac cuncta aduerſariorum hominum molimina contra martyrum miracula, cineres, inuocationẽ deſtruant, integrámque fidem noſtram de ieiuniis, vigiliis, humicubationibus comprobent, & vnicè corroborent, atque ſanctè confirment.

Oratio diui Gregorij ad S. Cyprianum.

QVARTVM eccleſiæ Chriſtianæ ſæculum, quod florentis eccleſiæ hortum rectè dixeris, & in quo quamplurima eccleſiæ lumina Chriſti ſponſam apprimè illuſtrarunt, non minùs miraculorum potentia, quàm multorũ virorum ingeniis ac ſanctitate claruit. floruit eo ætatis Alexandrinus Didymus, Cæſarienſis Euſebius, Lactantius Firmianus, Antiochenus Euſtathius, Iuuencus, Victorinus Pictanienſis, Apollinarius, Hilarius, Athanaſius, Myſenus Euſebius, Alexandrinus Theophilus, Conſtantinus Nectarius, Chryſoſtomus, Baſilius, Nazianzenus, Gregorius Nicænus, Prudentius, Ambroſius, Damaſus, Ephren, Epiphanius, Hieronymus, Caſſianus, Vigilius Tridẽtinus. atqui, vt miracula omittam

Quartum eccleſiæ ſæculum. 400

referre,quorum meminiſſe me recolo,dum pro ſanctorũ inuocatione dicerem, tantùm commemorabo hîc optime lector, quid de patribus illius ſæculi in eccleſiaſtica hiſtoria legerim. Prope annũ à Chriſto nato 324. ſacroſanctum illud Nicænum conciliũ primum contra Arrianam impietatẽ pro filij Dei diuinitate felicisſimè coactũ eſt.inter ceteros igitur Paphnutius,homo Dei,epiſcopus ex Aegypti partibus veritatis confeſſor,tanto cõcilio interfuit. fuit ſanè hic ex illis, quos Maximianus, dextris oculis effoſsis, & ſiniſtro poplite ſucciſo, per metalla dãnauerat. inerat viro Dei tanta virtutum gratia,(quemadmodum fide noſtra digna hiſtoria refert) vt ſigna per eum non minùs, quàm dudum pro apoſtolis fierent. nã & dæmones verbo ſolo fugabat,ægros ſola oratione curabat, immo cæcis etiam viſum dicitur reddidiſſe,& paralyticos ad ſtabilitatem corporis reuocaſſe.hunc ſanctiſſimum ſenem,fide illuſtrem,miraculorum gloria pręclarum, ſanctitate inſignem, litteris demum commendatiſſimum Conſtantinus verè magnus tanta veneratione & affectu proſecutus eſt,vt ſæpius eum intra palatium euocatum complecteretur, & illum oculum,qui in cõfeſsione fidei euulſus fuerat ab impio tyranno, pius, idémque Chriſtianiſsimus imperator auidioribus oſculis demulceret.ex eorũ etiã numero(& ſi quid dici poteſt eminentius)fuiſſe dicitur Spiridion Cyprius epiſcopus,vir vnus ex ordine prophetarum,ſicut idẽ ipſe auctor,qui eius nobis hiſtoriam contexuit,eorũ,qui eum viderãt, narratione comperit, quem innumera prodigia, per ipſum acta, Chriſtiano orbis ſatis ſuſpiciendum,ac venerandum reddidere. omitto etiam hîc patres Conſtantinopolitanæ ſynodi,quæ anno à Chriſti natiuitate 370. coacta eſt. vt enim breuitati ſtuderem, pluribus parcere ſum coactus: ſic tamen,vt quod principiò ſtatui, certiſsimè affirmem, illo ſcilicet ſæculo eccleſiam veris miraculis non caruiſſe,ſed potiùs valdè enituiſſe.

Ruffi.eccl. hiſt.lib.1. c.4.& 5.

De Paphnutio.

Quintũ eccleſiæ ſæculũ 500

QVINTVM Chriſtianæ eccleſiæ ſęculum,quod adultæ germen dicas,miraculis illuſtratum fuiſſe, grauiſsimi auctores teſtes ſunt.habuítque ea ætas viros, non minùs pietate, quàm ſcientia egregios, quóſque meritòe eccleſiæ principes nominare poſſumus. Auguſtinus, Petrus

diaconus, Maximus Taurienſis, Cæleſtinus Romanus, Innocentius primus, Claudius, Marius Victor, Proſper Aquitanus, Primaſius, Iunilius Africanus, Vincentius Lirinenſis, Leo magnus, Cyrillus, Theodoritus, Petrus Chryſologus, Alchimus, Fulgentius, Gelaſius Romanus. Quòd ſi cuiquam legere libet, quot ac quantis portentis ſæculum illud ornatum fuerit, legat inter alios diuum Auguſtinum in libro de ciuitate Dei, cuius loci & nos ſuprà mentionem fecimus. quod ſi fecerit, cumulatiſsimè ſibi ſatisfaciet. nos verò non vlteriores moras hîc trahamus, ſed tãtùm admonebimus Caluinum, quòd cùm hæc per eccleſiam fierent, illud vtique euangelium vigebat, ea, inquam, fides prædicabatur, quæ ſanctorum venerationem, imaginum cultum, purgatorij confeſsionem, ad loca ſancta peregrinationes, perpetuam caſtitatem, ieiunia, vigilias, humicubationes, cuncta denique illa, ob quæ malè ab iſtis nunc audit eccleſia, fideles omnes diſertè docebantur. *Auguſt. de ciuit. Dei, li. 10. c. vlt.*

SEXTVM eccleſiæ catholicæ & Chriſtianę ſeculũ fuit, quod non tã illuſtibus ſcriptoribus, quàm piis, Deóque opt. max. gratiſsimis viris fecundum erat. id itaque doctrinam euangelicam ſatis ſupérque confirmatã martyrum nepotibus per manus traditam ad hæc vſque tẽpora inuiolatam, incorruptámque ſeruans, atque trãſmittens, diuina miracula ad magnum numerũ aucta habuit. Floruit eo ſæculo Antiochenus Anaſtaſius, floruit & Boethius, Africanus Victor, Iuſtinianus imperator, Fauſtinus epiſcopus, Caſsiodorus Romanus, Arator ſubdiaconus, Gildas Britannus, Liberatus archidiaconus Carthaginienſis. éſtque Conſtantinopolitanum concilium quintum, eo ſæculo habitum. Quantum verò ad miracula attinet, anno tertio eiuſdem ſæculi magnus Gregorius huius nominis primus floruit, cuius mirabile extat opus in quattuor libros digeſtum multa ſanctorum prodigia complectens. atqui ab eodem fermè tempore ſpirituale pratum Gręcè conſcriptum habemus, tanta ſpiritalium floſculorum amœnitate refertum, & in capita 229. diſtributum ſic eſt, vt in paradiſi deliciis ortũ eſſe videatur. in eo ſiquidem antiquorum monachorum, & aliorum patrum Deo ex intimis præcordiis ſeruientium vi- *Sextum ſæculum.* *Greg. Magnus.* *Pratum ſpirituale.*

tę ſplendor redolet, diſciplinæ regularis obſeruãtia, pudicitiæ & cõtinentiæ norma, victus & veſtitus parſimonia, prodigiorũ copia ingens, contra hæreticos inuicta conſtantia, in ieiuniis, vigiliis, & orationibus aſsidua perſeuerantia, & erga dominũ IESVM Chriſtum eximius, & inæſtimabilis amor. quin etiã admirabilia quædã, & ſpiritu ſancto plena reſponſa continet, quæ legentiũ mentes ſpiritali quadam dulcedine perfundunt. ſanctarum denique mulierum fides inuicta ibi ponderatur, caſtitas incomparabilis, & felix earum in Deo conſummatio. Quòd autẽ libro huic integra fides præſtari debeat, atque vt ab apocryphis longè ſit opus hoc diſtinctum, facit duorum

Phocius. Græcorum patrũ teſtimonium : quorũ alter eſt Phocius

Io.Damaſ. patriarcha Conſtantinopolitanus, alter Ioãnes Damaſcenus, qui in fine primi libri, quẽ pro imaginibus ſcripſit, quoddam mirabile factũ, quod in libro hoc deſcribitur, hac nota præmiſſa narrat, Ex paruo prato ſancti patris noſtri Sophronij archiepiſcopi Ieroſolymorum. Ioãnes

Cap. 63. itẽ diaconus, poſtea pontifex Romanus, in quarto libro, quẽ de B.Gregorij vita ſcripſit, huius voluminis mentionẽ fecit, dũ mirabile illius ſancti põtificis recenſet factũ, ſic inquiens, Sed ne ſolis verbis tanti præſulis humilitas inculcari credatur, ſupereſt, vt ex Græcorũ relationibus à me nuper interpretatis, eadem patris humilitas, & cetera eius referantur, prout in prato hoc ſpirituali capite 151. habentur. Sed his omnibus maius eſt, quòd in ſynodo

Synodus 2. Nicæna ſecũda pro cultu venerabiliũ imaginum contra

Nic. act. 4. Iconoclaſtas celebrata ita legimus, Euſtachi⁹, venerabilis monachus, presbyter & præſes manſionis maximæ, dixit, Et ego, patres, S.Sophronij patris librũ affero continentem multorum ſanctorum, & vitas, & prodigioſa facta: ſi placet, adducatur. S. ſynodus dixit, Legatur. S. Stephanus itaque monachus acceptum librum legit: ibíque totum caput 45 cæleſtis huius horti ad verbum redditur, vt nihil iã ſit, quod de fide libri huius ambigere poſsimus. Quo autem tempore hi viri, qui librum conſcripſerunt, claruerint, pro certo non habetur: verùm, cũ Magni Gregorij Romani pont. huius nominis primi factũ narrent, & ſynchronorum Cæſarum, videlicet Anaſtaſij, Tiberij, Mauritij, & Senonis mentionẽ faciãt, & in ſexta ſynodo

iber hic adducatur, coniectura aſſequi poſſumus, non multò poſt annum domini 600 illum fuiſſe conſcriptũ.

Poſt illa felicia ſecula vſque ad noſtra tempora vera miracula in Chriſti eccleſia perduraſſe, optimis ſimiliter auctoribus probatur. CAP. VIII.

HAud multò pòſt claruit Gregorius epiſcopus Turo. qui ſcripſit de laude ſanctorum martyrum librum vnum, de vita item quorũdam confeſſorum libros duos, eccleſiaſticæ hiſtoriæ librum vnum, de miraculis ſancti Iuliani martyris librum pariter vnum, de miraculis verò ſancti Martini libros quattuor. Beda etiam monachus ac presbyter ſequenti ſæculo in monaſterio ſanctorum Petri & Pauli, quod eſt in Anglia, ordinis ſancti Benedicti degens, in orbe vniuerſo clariſsimus eſt habitus. is inter infinita penè opera in vtrunque teſtamentum feliciſſimè excuſa, & poſt complures tractatus editos, Angloſaxonum hiſtoriam eccleſiaſticam, in quinque libros diſtributam, compoſuit. idem librum vnum de ſanctorũ hiſtoriis nobis dedit, atque de paſsione Felicis librum alterũ ſcripſit, qui etiam Alberti epiſcopi vitam, & Cutberti libris ſingulis inſecutus eſt: tandem ſui cœnobij chronica duobus eſt complexus. in quibus certè libris tam crebra diuina nobis legentibus prodigia occurrunt, vt primam illam noſtrorum ducum apoſtolorũ videlicet ætatem in illud ſæculum tranſlatam dicas. atque ea omnia in Dei cum primis gloriam, in ſanctorum deinde honorẽ, & cõmendationem hic hiſtoriographus, omni veneratione dignus, & fide, vnoquoque verbo refert. Non multi abiere dies, poſtquam Paulus diaconus Aquileien. patria, genere verò Longobardus, in eam rem operas ſuas eccleſię Chriſti locauit. is ergo rogatu Adelburgæ filij Deſiderij regis libris duobus chronica Eutropij locupletauit, & geſta epiſcoporum Metẽſium libro vno abſoluit. rurſum ab eo vita Gregorij papæ libro vno conſcripta eſt, ac ſancti Arnulphi miracula libello ſimplici digeſsit. vitam item ſignis & miraculis clarã ſanctiſsimi Benedicti metricè inſecutus eſt. is eſt Paulus ille, qui iuſſu Caroli hiſtorias & lectiones per totum annum ſingulis feſtiuitatibus ſanctorum cum hymnis diuinis diſtribuit, ornans omnia & illuſtrans multis portentis, cæleſtibúſque

Greg. epiſc. Turonẽſis. 620

Beda venerab. 730

Paul. diaconus. 790

"miraculis, vt neque folium quidem ſine diuino prodigio
"abs te legi poſsit.

Non ſunt obſcuri, neque mercede ſua in eccleſia caruerunt probatiſsimi quidam auctores, qui circa id temporis in eam rem Chriſti & ſanctorū miraculis vigilias ſuas & lucubrationes libētiſsimè nuncuparunt. atqui in-
Fortunat⁹. ter hos Fortunatus presbyter, & Ioānes diaconus vno &
Ioan. diaconus, poſtea eodem ſæculo nati plurimùm claruere. dum ille, pollens
Io. VIII. papa. verſu, multa opera in honorem plurium ſanctorum, miraculis diuinis plena, dulciter modulatus edidit, diui Martini vitam præcipuè & mirabilia, ac Leontij venerabilis
870 epiſcopi, & multorum aliorum: hic verò, dum Gregorij S. pont. vitam, in quattuor libros diſtinctam, fusè latéque extendit, orbi quidem vniuerſo teſtatum relinquit, quanta ſit diuina prouidētia, quantúſque Dei noſtri aduerſum ſanctos ſuos amor, quos ſic in dies horáſque magis illu-
Petr. Damianus. ſtres & magnificos apud nos reddit. Petri etiam Damiani, qui ex monacho diui Benedicti Hoſtienſis epiſcopus
1050 creatus eſt, inter cetera opera vnum habemus, cui nomē dedit Miraculorum ſui temporis: vbi toto opere nihil magis probat & eruditè quidem, nō minùs ſcilicet ſuum ſæculum miraculis claruiſſe, quàm quæ præceſſerant. ſed idem auctor, dum Floræ & Lucillæ, dúmque ſanctorum martyrū, Caſsiani, Bonifacij, Anaſtaſij hiſtoriam rete-
Alphan⁹. xuit, totus mirabilis eſt, & in miraculis verſatur. Suc-
1100 ceſsit huic Alphanus quidam archiepiſcopus Salernitanus, vir in diuinis ſcripturis nobiliter doctus, philoſophus ac theologus celeberrimæ opinionis. is duodecim martyrum fratrum agones ac miracula metricè proſecu-
Bernardus. tus eſt. Floruit per id temporis diuus Bernardus maxi-
1140 mus, & ipſe miraculorum obſeruator: quod qui intelligere ex ipſo volet, legat Malachiæ vitam, verè & Chriſtianè à ſancto collectam. Sed quid moror? an non tibi magnæ habendæ gratiæ ſunt, ô felicis beatæque memoriæ
Metaphraſtes. Metaphraſtes ſanctiſsime, qui multis tuis laboribus ac ſudoribus beatorum martyrum certamina exornaſti, ac
1200 Dei laudem, & ſempiternam martyrum gloriā in enarrandis prodigiis, quæ per ipſos Deus egit, vnicè ampliaſti? Audi, te etiam atque etiam oro, lector, primùm, quis hic Simeon Metaphraſtes fuerit, quantáque auctoritate

in Chriſti eccleſia polluerit: deinde verò quid de miraculis (quæ eccleſia vbique oſtentat) ſentiendum ſit, perſpicuè cognoſces. Fuit igitur vir hic cum primis ſanctus, & apud Græcos patres ſanctorum catalogo aſcriptus: vt vel hac parte plenißima fides eius ſcriptis à nobis adhibeatur. ad hæc apud Græcos nullus tam bene audit non tantùm ſanctitatis gratia, ſed & ſcientiæ commendatione atque Metaphraſtes noſter. Pſellus itaque ille vir egregiè eruditus, atque inter eloquentes Græcos honorabili in loco connumeratus, Metaphraſtis vitam ornatè & compoſitè deſcribit ſanctimonia & ſcientia ornatißimam. Theodorus deinde Balſamō Antiochenus patriarcha, qui, vt teſtatur Gregorius patriarcha Cōſtātinopolitanus in eo libro, quem pro confeßione concilij Florētini edidit, quadringētis annis antea fuit, & Nomocanonem Græcum interpretatus eſt, exponens ſexageſimum tertium canonem ſextæ ſynodi Cōſtātinopolitanæ, quæ dicitur in Trullo, & ſub his verbis habetur, Martyrologia, quæ falsò conficta ſunt ab his, qui ſunt inimici veritatis, vt Chriſti martyres dehoneſtarent, & eos, qui hæc audiunt, attraherent ad infidelitatem, iubemus non eſſe in eccleſia publicanda, ſed igni tradēda: eos verò, qui hæc admittunt, vel tanquam veris fidem adhibent, anathemate condemnamus. is, inquam, hunc ipſum canonem exponens, in laudem Metaphraſtis ſic loquitur, Magnę igitur habendæ ſunt gratiæ Metaphraſti ipſi felicis beatæque memoriæ, qui multis laboribus, ac ſudoribus veritatis beatorum martyrū certamina exornauit in Dei laudem, & ſempiternam martyrum gloriam. Theodorus item alter prodromus dictus tempore Andronici imperatoris Conſtantinopolitani iunioris anno domini 1270 in breui illa auctorum ſacrorum hiſtoria Metaphraſtis noſtri honorificam mētionem facit hiſce verbis, Qui eccleſiam ſermonibus ſuis ornarunt, hi ſunt, Magnus Dionyſius Areopagita, magnus Athanaſius, magnus Baſilius, Gregorius, Chryſoſtomus, Nycęnus, Cyrillus, Maximus, Ioannes Chlimax, Nilus, Ephren Syrus, Metaphraſtes ſuauiloquens, Nicephorus etiam Calliſtus Xanthopolus, ſcribens de Simeone Stilitæ, ita ait, Si quis admiranda ſancti Stilitæ facta noſſe velit, cum ad hiſtoriam eius le-

Can. 63. ſynodi 6.

Theodorus prodromus. 1270

Niceph. lib. 14. hiſto. eccleſ. c. 51.

gendam mittimus, quam poſt magnum Theodoritum, optimè qui eodem nomine appellatus eſt, Simeō Metaphraſtes conſcripſit, nouum quoddam & admirandum in ea ex omnium generum cibariis conuiuium omnibus proponens. Ad hæc concilium Florentinum, ſub Eugenio IIII. celebratum, memoriam honorabilem Metaphraſtis noſtri ſub his verbis agit, Non nullos veſtros doctores in medium producemus, complures verò alios ad aliud tempus reſeruabimus, qui omnes profeſsi fuerant ſpiritum ſanctum etiam ex filio procedere. In primis igitur Simeon Metaphraſtes veſtris in eccleſiis celeberrimus accedat, qui in beati Dionyſij vita inquit, Terminū corporeæ peregrinationis accipit, & quæ ſpiritus ſunt, ſpiritualiáque exercet, ac in cælos Chriſtus meus aſcēdit, ad paternámque ſedem reuertitur, & ſpiritum, qui ex ipſo procedit, diſcipulis ſuis dimittit, ut ipſi gentem infidam regant. Ex huius ergo ſancti ſententia apparet, ſpiritum ſanctum à patre, filióque procedere. Genadius etiam ſcholarius patriarcha Conſtantinopolitanus in defenſione concilij Florentini, & Corinthius rector Græcus ſanctiſsimum hunc Metaphraſtem ornatiſsimis verbis nominant. Leonardus denique Iuſtinianus, patricius Venetus, vt nobiliſsimus, ita & doctiſsimus, in præfatione vitæ beati Nicolai, quam de Græco in Latinum vertit, de eodem Metaphraſte loquens ita ait, Magni Nicolai vitam ſcribere orſus ſum, neque omnia in eum libellū cōgeſsi, ſed ea tantùm, quæ apud Græcos idoneos, maximè apud Simeonem Metaphraſtem de illo ſcripta, & eccleſiis probata inuenimus. Vidéſne, quanta pro hoc viro teſtimonia adduxerimus? & quòd ſanctus, quòd doctus, quòd idoneus, quòd eloquens, quòd in Græcis eccleſiis celeberrimus fuerit, quòd inter eos computatus, qui eccleſiam ſermonibus ſuis ornarunt, quòd ſanctorum vitas deſcripſerit?

Concilium Floren. ſect. 7. habita Ferrariæ. *Genadius.* *Corinthius.* *Leonardus Venetus.*

Is itaque tam magnus, tantáque auctoritate, & tam glorioſo nomine gaudēs Metaphraſtes, dum innumeras ſanctorum vitas fideli nobis refert relatione, ea miracula narrat per ſanctos geſta, quæ & Dei gloriam ac potentiā latè commendare poſsint, atque ipſorum ſanctorum memoriam in eccleſiæ Chriſti, mentibúſque fidelium im-

Compendiū hiſtoriarum Metaphraſtis.

preſſam reddant,nec contentus eſt eccleſiaſticarum rerũ pronuntiator ſincerus,explicator prudens hic,grauis verúſque hiſtoricus,mirabilia narraſſe,quæ olim Deus, dũ ſancti à fidelibus inuocarentur, miraculosè egiſſet, niſi adderet etiam & ſuo tempore,immo omni ætate in Dei & ſanctorum honorem conſeruandum, & veram fidem retinendam futura ſemper vera prodigia, & certiſsima miracula,atque admirabilia diuinæ potentiæ portenta, quæ omnem naturæ ordinem tranſcendant,ac valde exuperent. Longum eſſet ipſius verba omnia referre: ſit, precor,ſatis mihi hîc lector amice,ſignaſſe auctorem,qui de miraculis ſanctorum mirandum in modum perlongo tractatu loquitur. legant fideles,legant prudentiores, legant ſimpliciores,ſemper occurret ſacramentorum integer vſus ab eccleſiæ natalibus ad nos vſque ſeruatus, quẽ iſti ſic ſubſannant. occurrent vera dogmata, quæ cum patribus retinemus:iſti verò penitus obliterata habent. occurret de gratia & libero arbitrio, de fide & operibus, de meriti ratione, de miſſa, de eccleſia catholica, de ſcriptura ſacra, de traditionibus patrum,de cęremoniis,humicubationibus, canticis eccleſiaſticis, genuflexionibus,proſtrationibus, de dedicationibus eccleſiarum, altarium, ac cœmeteriorum benedictionibus, de luminaribus, de multíſque aliis, quorum vſum nos à primis patribus acceptum cuſtodimus, ſeruamus, & retinemus: iſti verò derident, contemnunt, deſpiciunt, pro nihilo putant,non curant. occurret antiqua conſuetudo,à primis ſæculis nata,proceſsionum pręcedente ſignò, venerandę crucis, viſitationes eccleſiarum,ſtationes cum orationibus limitatis, & genuflexionibus, ne, cùm ea facimus,nos ſtultus ac vanus quiſquam ſuperſtitioſos appellet, & nouorum rituum inuentores. occurrent gratię viſibiles, quas ſæpe Deus præſtitit, dum fideles per epiſcopos,ac presbyteros benedicebantur. occurret veſtitus ſimplicitas,& aſperitas patrum antiquorum,ſanctitatis ipſorum,atque excellentię indicium & inſigne,ieiunia frequentiſsima, quadrageſimalis ſacroſancta obſeruatio,quartę & ſextę ferię celebratum antiquitus ieiuniũ pro impetranda venia,aliſſque beneficiis conſequendis: quę cuncta quaſi vana, nulliúſque fru-

Chriſti lumine ſcire, quæ circa nos aguntur? quod cùm audit, quàm ſuo naſo ſe ſuſpendat Caluinus, ſuperiore libro vidimus. Sanctorum vigiliæ, & cum ieiunio celebratæ, ſanctorum reliquiæ, collo à fidelibus antiquitus geſtari ſolitæ, atque honoratæ, veſtes, réſque exteræ, in ſummo prætio olim habitæ, & quæ multa beneficia fideli populo, & gratias à Deo impetrarint, & dæmones ipſos eiecerint, obuiæ tibi paſſim erunt. ſi peregrinandum tibi ſit ad ſanctos, eorúmque ſepulcra, putáſne defutura tibi apud Metaphraſtem noſtrum antiquorum patrum exempla, quos ipſe imitari malis, quàm cum Zuinglianis eos deludere, contemnere, atque irridere, qui hiſce peregrinationibus ſtudét? quàm fides tua erga martyres roborabitur, cùm ſic adiutos diuinitus, qui ad eorum memorias confugientes pernoctaſſent, toties hîc legas, cùm interceſſores, legatos, aduocatos, & mediatores ad Deum citra redemptoris noſtri contumeliam tot datis ſignis hîc intuebere, cùm ſanctos, qui honorant Deum, ipſum & IESVM Chriſtum honorare intelliges, cùm exauditos eos ſæpe pro nobis orantes patronos, propugnatores, ſeruatores, cuſtodéſque eſſe, multis pignoribus acceptis, ex ea hiſtoria didiceris. quantum conſolationis (probè ego noui) habebis, cùm morem non recèns natũ, ſed antiqunm fuiſſe cognoueris, in die paſsionis ſanctorum martyrum ſolennes conuentus apud illos haberi ſolitos, hymnos in ipſorum honorem decantatos, plurimũ gaudere ibidem ſolitam Chriſti plebem, necnon templa, atque altaria eorundem diuerſimodè exornata, & viſitata, variáque illic donaria, ac vota oblata eſſe: vt & dæmones ipſi ſanctorum virtutem, ac potentiam etiam inuiti faterentur. Hi ſunt ſancti illi, quorum ſepulcra ciuitates ſanctificant, quorum ſanguis vrbes illuſtrat, quorum potentia vniuerſa præſeruat, quorum memoria cunctos recreat, & orbem diuinis miraculis complet. hæc ſunt miracula, quæ cùm apud ſanctorum memorias fiunt, ſplendorem vitæ ſuæ poſt eorum obitum firmiſsimè teſtantur: vt taceam eis probati ſatis antiquum ac licitum eſſe in eccleſia imaginum vſum, eáſque venerandas eſſe, recurrendo ad prototypum, id eſt, imaginatum, ipſarúmque contemptores grauiter fuiſſe punitos, vt prætercam

etiam multa,quæ ibidem ego legi,non de miraculis tantùm ſanctorum, ſed de eorum imaginibus, templorum cultibus, votis monaſticis, cælibatu, de mortuorum ſepultura, déque multis aliis.

VERVM, ne in immenſum ferat, tam diúque oratio noſtra erret, venio ad duo illa eccleſiæ lumina, vno eodémque tempore exorta, ſidus vtrunque clarum ac ſanctum, beatum ſcilicet Euſtachium, qui & Bonauentura

S. Thomas. *S. Bonauentura.* 1274

de balneo regio natus, ac diuum Thomam, illum quidem vulgò Seraphicum, hunc verò Angelicum, meritò appellatos. ſcripſit ille quidem inter ſatis egregia opera ſua libellum ſuper ſui patris beati nimirum Franciſci vita, tanta rerum maieſtate, tanta ſententiarum grauitate, & miraculorum copia refertum, vt mundus totus in eo legendo inſtrui poſsit,& ad Dei amorem per B.Franciſci exemplum inſtaurari, atque antiquorum miraculorum optimè recordari. vbi, cùm innumera miracula ad inuocationem apoſtolici viri Franciſci diuinitus acta recenſuiſſet, hoc epiphonemate finiuit, Gloriare iam igitur ſecurè in crucis gloria Chriſti ſignifer glorioſe,quoniam à cruce incipiens, ſecundum crucis regulam proceſsiſti, & tandem in cruce proficiens,per crucis teſtimonium, quantæ gloriæ ſis in cælo, nec minoris quidem, quàm virgam olim Moyſi,cunctis fidelibus innoteſcit. ſecurè iam te ſequantur, qui exeunt ex Aegypto: quia per baculum crucis Chriſti,mari diuiſo,deſerta tranſibũt in tepromiſſam viuentium terrã, Iordane mortalitatis tranſmiſſo, per ipſius crucis mirandam potentiam, antiquis renouatis miraculis, ingreſſuri.quò nos introducat verus populi ductor, miraculorum ſingularis patrator, omnium ſaluator Chriſtus IESVS crucifixus per merita ſerui ſui Franciſci,ad laudem & gloriam vnius Dei, qui in Franciſco quotidie glorioſior cernitur viues ac regnans in ſæcula ſæculorum. Amen. Hæc ille. B.etiam Thomas multis in locis pro veris miraculis certat. & certè vtcunque in tam præclaros viros ludant ſubſannatores iſti,nemo,qui mente non erret,ſed iudicij compos fuerit, non pluris vnum Thomam æſtimabit, aut vnum Bonauenturã, quàm Lutheros decem,& mille Caluinos.

Oratio. S. Bonauẽt.ad B.Frãciſcũ

S.Thomas 3 ſententia, et in punc. & in ſumma cõtra gentes

NOSTRO etiam ſęculo extiterunt viri illuſtres,apoſto-

lico feruore pleni, qui magno ſtudio, ac ſumma diligentia in ſanctorum miraculis referendis, non ipſa è lacunis, ſed ex clariſsimis fontibus eruendo enituerunt. ſunt illi ſanè quamplurimi: occurrunt tamen nunc tres, quos noſtra ætas & vidit, ſuſpexit. primus eſt Ioannes Eckius, Sueuus natione, qui & floruit anno à Chriſto nato 1520. is præclarus auctor cõtra inſurgentes ſuo ſæculo peſsimos hoſtes cominus multis concertationibus pugnauit: eminus etiam libris editis congreſſus eſt cum Lutheranis. ſcripſit multa, quæ vulgò circumferuntur. ſed, quod ad rem attinet, homilias illius habemus de tempore, & de ſanctis, omni pietate, fide, veritate, & miraculorum potentia refertas. Haud multò pòſt claruit Georgius Vuicelius Germanus, cuius opera excuſa fidem noſtram optimè confirmant, hoſtes pudore ſuffundunt, veritatem demum catholicam veriſſimis rationibus regnare cogunt. omitto referre ea, non quòd nobis pergratum non ſit, optime lector, noſtrorum magiſtrorum vbique & dicta, & facta zelo fidei iactare, vbique inculcare, & oſtentare: ſed quòd ea numero nullo comprehendantur, tantæ ſunt ab eo viro pro Chriſti eccleſia ſuſceptæ vigiliæ. is igitur auctor dedit nobis & Martyrologium, & flagialogium cumulatiſsimum & recentiſsimum.

Ioã. Eckius 1520

Geor. Vuicelius. 1522

OMNIVM vltimus, & neſcio, an verè dixerim, omnium abſolutiſsimè ac locupletiſsimè, ſuper hoc negotio ſcripſit Aloyſius Lippomannus ſanctorum patrum vitas, pietate & miraculorum virtute plenas. is ergo clarus pontifex de religione noſtra Chriſtiana optimè meritus operæpretium ſe factorum arbitratus, ſi ſanctorum virorum factis, atque exemplis, ſi quid adhuc nequiſsimi ſpiritus ſupereſſet, ac palpitare videretur, (ſupereſt, proh dolor, non parum) ipſe penitus extingueret, & ſuffocaret, ac veluti letifera plantaria, ita radicibus de agro eccleſiæ extirparet, vt nullatenus repullulare poſſe videãtur. decreuit itaque ſanctorum patrum vitas, ab eruditis quidem & approbatis viris conſcriptas, in octo volumina redigere: in quibus iſtorum improborum blaſphemiæ omnes, & deliramenta adeò iugulata & confoſſa reperiuntur, vt niſi quis vltro inſanire velit, & tenebras in meridie palpare, ac prudens (vt dicitur) & ſciens in inferni profun-

Aloyſius Lippom. 1555

dum ſeſe præcipitare, his vlteriùs decipi, & inplicari non poſsit. ne verò fortè quis curſim legens, quod ad perditionem impij dogmatis faceret, non tam facilè aduerteret, gloſſulas, id eſt, ſcholia quædam parua in ipſis paginarum marginibus apponere cogitauit, vt lectorem & de his, quæ legeret, commonefaceret, & de pluribus, quæ ipſe per ſe abſque admonitore adinuenire poſſet, cautum redderet. cui enim dubium vnquam eſſe poterit, quòd ſi ea vera Chriſti fides eſſet, quam nouelli iſti præcones poſt 1520 annos annuntiare inchoarunt, illa proculdubio, & non alia & à ſanctis apoſtolis, qui primitias ſpiritus habuerunt, & ab his, qui primitiæ illi eccleſiæ virtutum omnium parenti ſucceſſerunt, necnon à Deo dilectis martyribus, inclytiſque eius confeſſoribus, qui ſucceſsiuè ad vſque tempora vixiſſe reperiuntur, & prædicata, & omni ſtudio fidelium auribus, & cordibus affixa fuiſſet? at verò, cùm noſtra hæc fides, &, quam hodie profitemur, doctrina in tota Dei eccleſia per vniuerſum Chriſtianum orbem ab omnibus ſanctis, per omnes ætates, gradus, & ordines, tot miraculorùm exhibitione, tāta ſanguinis effuſione exculta & concelebrata fuerit, neceſſariò conſequitur, hos, tanquam antichriſtos, ac nouorum dogmatum aſſertores, expellendos prorſus & abiiciendos eſſe, atque illud nobis tenendum euangelium, & in eo moriendum, in quo martyres & ſancti confeſſores tot ſignis claruerunt, in quo maiores noſtri ſalui facti ſunt, in quo parentes noſtri baptizati, & in quo nos denique nati ſumus.

Aloyſii diligentia.

Reſpondetur aliis duabus Caluini obiectionibus, atque etiam docetur miracula ſolennes quaſdam veritates cæremonias eſſe, déque ipſorum miraculorum vſu multiplici, ac legitimo multa diligenter traduntur.

CAP. IX.

NOn ergo dubitandum eſt Caluine, quin edantur quotidie innumera prodigia, quamuis non ea omnia ſint ſcripta, neque omnia ad omnes perferantur. huic orbis angulo noti ſunt ſui ſancti, nota prodigia, nota ſua portenta: illi rurſus prouinciæ dedit Deus aliquorum ſanctorum reliquias, ac memorias, vt ſeruarentur, data

pro

pro cæleſtis theſauri cuſtodia non minima mercede. & ſicut dedit olim Deus ſua ſigna, ſic & hodie, ac dabit quotidie, ſi opus fuerit: vt nulli probetur malitiæ excuſatio, ſed vitio quiſque ſuo malus ſit, bonus verò Dei beneficio. Verùm ad te, Caluine, redeo, atque aliæ tuæ obiectiones non minus breuiter, quàm verè diſſoluentur. *At vt verum ſit, miracula tamen allegant, quæ animum aliqui bene compoſitum labefactare queant, adeò aut friuola ſunt & ridicula, aut vana & mendacia*: negare nec volumus, nec poſſumus Caluine, ſuſpicione falſorum miraculorum non nullam aliquando ambiguitatem veris aſpergi. quorundam enim auaritia falſas miraculorum impoſturas comminiſcitur, ex quibus deprehenſis ac manifeſtis, quæ veriſsima ſunt, neſcio quo pacto incerta redduntur: quod eſt in religione peſtiferum, & execrandi, qui ea confingunt, maioréſque pœnas merentur, quàm qui adulterāt pecuniam, aut antidoto admiſcent aconitum. ex quo factum eſt, vt ſemper creditum ſit à maioribus noſtris multò quidem validiorem eſſe rationem rectè reputanti, quàm miraculi admirationem ſubitam. Sed vt hoc ita ſit, num omnia miracula, omni ætate edita, in vniuerſum damnabimus, quòd à turpiſsimis nonnullis hominibus turpis lucri cauſſa adulterina aliquot immiſta ſunt? num vera prodigia, quæ ſancti magna certitudine narrant, quorum tota communitas fidelium teſtis eſt, omnino ab eccleſia exulabunt, quòd fucata quædam & abumbrata miracula, ſpecie verorum, & ſub eorum imagine multos deceperunt? ſi ſic eſt Caluine, pereant ſcripturæ diuinæ neceſſe eſt, quòd eis pro catholicis peregrinas ac profanas nonnulli admiſcere tētarunt, & quòd hæretici ex ipſis fucum nobis faciunt: immo ſi ita eſt, vt tu ſentis, nullis iā fuerit veræ pecuniæ in orbe vſus, quòd non ſemel nummos adulterinos pro ueris accipere contigerit. num virtus damnanda, ſi interdum recti ſpecie fallamur? Verùm, quoniam de notis, quibus Dei miracula à fictis, fucatis, & adumbratis optimè dignoſcuntur, ac diſtinguuntur, paulò mox acturi ſumus, hîc diu non immorabimur. ſatis erit id vnum admonuiſſe hoc loco, adulterina nimirum miracula (qua Deus eſt bonitate & iuſtitia atque veritate) nunquā diu in eccleſia re-

Tertia calūnia Caluini

Falſa miracula ſæpe verorū fidem deſtruūt & abrogant.

gnare permitti,ſed magis cum ingẽti dedecore ac pudore eorũ,qui illa commenti ſunt, in fumũ ſemper abiiſſe, datis condignis pœnis ab auctoribus: quẽadmodũ teſtes ſunt ætates omnes,prouinciæ,ac gentes vniuerſæ.

Quarta obiectio Calu.

Nec tamen, etiam ſi valde prodigioſa eſſent, contra Dei veritatem vllius momenti eſſe oportebat: quando & nomen Dei ſanctificari vbique & ſemper conuenit ſine portentis,ſine naturali rerum ordine: de fine, vſúque miraculorum legitimo ſatis nos ſcriptura admonet Caluine, multipléxque ex arcanis litteris verorum prodigiorum vſus colligitur. Principio ille longè omniũ nobiliſsimus eſt,confirmatio videlicet euangelicæ veritatis, apoſtolicæque prædicationis per ſubſecuta ſigna, vt Marcus euangeliſta docet, & Lucas ita factũ fuiſſe per apoſtolicos teſtificatur. éſtq; huic ſimillimum illud apoſtoli, ſalutem annuntiato euãgelio fuiſſe confirmatam, conteſtante domino, ſignis, & portentis,& variis virtutibus. vnde, cùm diuus Ioannes proximè præcedenti capite ſuæ euangelicæ hiſtoriæ multis argumentis oſtẽdiſſet Chriſtum eſſe verum Deũ, vnicum ipſius filium, ac Dei agnum, altero quidem capite eiuſdem narrationis miraculum obiecit, quo quidem Chriſtus verus Deus declaratur, & filius, atque agnus: incipiebat enim noua & inaudita prædicare mundo. meritò ergo ea ingentibus miraculis confirmare ſtuduit,vt homines crederent auditis, & in fide ſolidarentur.vnus eſt hic,non poſtremus,ſed primus miraculorum vſus. Regulus item ille, cuius filius ſine Chriſti deſcenſu, ſine vlteriore ſigno, ſed verbo tantùm diuinitus fuit curatus,cognito quòd ab ea hora filius ſuus bene ſe habuiſſet, in qua ei IESVS dixerat, Filius tuus viuit, & credidit ipſe, & domus eius tota. vnde eo ipſo verbo, quo ſanatus eſt filius, illud aliud verbum, Ego ſum lux mundi, & illud, Ego ſum vita, & illud, Ego & pater vnum ſumus, confirmantur. quare vera miracula nouo verbo non dant veritatem, ſed bene eam confirmant, ac veluti obſignant. Illi ergo homines, dicebat S. Ioannes, cùm vidiſſent, quòd IESVS fecerat ſignum, dicebant, Quia hic eſt verè propheta,qui venturus eſt in mũdum. ſicut enim euangeliſta Ioannes doctrinã Chriſti, qua ſe patri coęqualẽ,& vitã habere in ſe ipſo prędicabat, inſi

Multiplex vſus miraculorum.

Prim⁹ vſus & finis eſt prædicationis confirmatio.

Marc. 16.
Act. 14.
Heb. 4.
Ioan. 1. 2.

Euãgeliſtæ magnis doctrinis magna miracula adiungunt.

Ioan 4.

Matt. 9.

Ioan. 6.

gni quodam miraculo illuſtrauit, ac corroborauit, paralytici nimirum cuiuſdam curatione: ita capite ſexto priùs, quàm introducatur Chriſtus, docens ſe verum & viuum panem eſſe, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, viuat in æternum, miraculum illud grande, quo dominus de tam parua materia tot hominum milia cibauit, euangeliſta proponit: ne nudam doctrinam, ſed tanto miraculo confirmatam, ſcripſiſſe videretur. Videntur porrò mihi miracula fuiſſe veluti ſolennes quaſdam cęremoniæ, quibus ſolent homines rei magnæ & inauditæ applaudere, & eadem confirmare. ſtabiliunt ſiquidem, ac firmant mirum in modum prodigia hactenus nõ viſa doctrinam nunquam auditam, & illam veluti in poſſeſsionem (vt ita loquar) veritatis mittunt, & collocant. ſic etiam multis ſæculi huius rebus nimiùm arduis vſu venire intuemur, vt, cùm aliquid duraturum curamus & firmum, illud ſolennibus pompis confirmemus. inungitur exempli gratia rex, ſolennes fiunt pompæ, quibus regia illa auctoritas ſtabiliùs ſanciatur, nouo marito ſolenniter ſponſa datur, ídque haud alia cauſſà, quàm vt res aliquando duratura nobilitate incepti firmetur: ſic & doctrina Dei, (humanum dico, qui ſacra profanis cõfero) cùm cœpit promulgari, per ſolennia miracula auctoritatem accepit. Moſaicæ etiam doctrinæ (ne vana videretur) prodigia ſunt adiecta, nempe traiectio per mare rubrum, aqua de petra, manna de cælo, tonitrua & fulgura in aere, nubes interdiu, ignis columna noctu: vt ab his, diuina quadam diſpenſatione diſpoſitis, legis dandæ auctoritas ſacroſancta oſtenderetur, atq; intelligeret omnis, qui poſtea legem aut doceret, aut audiret, ſe certum docere, ſiue legẽ Dei audire. euangelij etiam tempore edita miracula, obſignationes & appendices ſunt diuini verbi, ſanctæque doctrinæ perpetuò duraturę. & quemadmodum inter res ciuiles plus auctiratis antiqua ſigilla litteris appenſa afferunt, quàm noua, quæ ob nouitatem nonnunquam ſuſpecta habentur: ita & in diuinis rebus multum ponderis & auctoritatis pro cõfirmandis miraculis (quę ſunt ſigilli loco) vetuſtas habet. Hæc de primo miraculorũ vſu.

Miracula, ſolennes cæremoniæ.

ALTER vſus, ſiue finis miraculorum eſt Dei & Chriſti ſui gloria. huius finis bis meminit Ioannes in vno

Alter vſus miraculorũ.

Dei gloria. capite: narrat enim cæleſtis euãgeliſta excitatione Lazari fuiſſe excitatas turbas ad diuulgandam Chriſti gloriã.
Ioan.12. Turba, inquit, multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm vidiſſent, quia venit Ieſus Ieroſolymam, acceperunt ramos. rurſum, Propterea, ait, obuiam ei turba venit, quia audierant eum feciſſe hoc ſignum. hoc enim tam prodigioſum miraculũ, (vt poſt quatuor dies mortuus in vitam reuocaretur) quale ab orbe condito auditum non erat, & diuinã quandã virtutem præſeferebat, honorem Chriſto talem præbuit, qualem nullĩ vnquam propheta-
Ioan.2. rum datum legimus. Benedictus, acclamabant, qui venit in domini nomine. hunc alterum finem, nempe gloriam Dei, cum ſuperiore illo de confirmanda doctrina, vno in loco coniunxit idem hic euangeliſta Ioannes. Hoc, inquit, fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ: & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſci-
3. vſus miraculorũ, cõmẽdatio innocentiæ. puli eius. Tertio loco non pigebit addere accommodata fuiſſe miracula Chriſti ad probãdam beneuolentiam, qua erga ipſum æternus pater affectus erat. etſi enim (vt ſuprà docuimus) ſola miracula hominis ſanctimoniã nõ ſatis probent: at tot ſigna confieri non poterant tam eui-
Ioan.3. dentia, & tam frequentia, niſi Deus fuiſſet cum eo, vt Ni-
Ioan.9. codemus dicebat. quomodo etiã homo peccator poſſet tam crebrò à Deo exaudiri, iuxta illuminati cæci ſenten-
4. vſus miraculorũ, cõdẽnatio obſtinationis. tentiam, tótque, ac tanta feciſſe prodigia, ſi peccator fuiſſet? Quartus vſus eſt humanæ ſcilicet incredulitatis, impietatis, atque obſtinatæ mentis arguendæ finis. Iudæi duri & difficiles nullo pacto inducebantur, vt crederent,
Matt.9. datã Chriſto domino à patre ſuo poteſtatẽ remittendorum ſcelerũ. Dei igitur filius, in ſalutẽ omnibus poſitus, paralyticum illum ſurgere è lecto, & abire domũ celer-
5. vſus miraculorũ, oſtenſio amoris et curæ erga ſuos. rimè iuſsit. Vt igitur ſciatis, inquit, quia filius hominis poteſtatẽ habet peccata dimittendi, dixit paralytico, Surge, & ambula. Fiunt etiam quintò miracula, vt eis ſummam illam ſuam prouidentiam & curam erga humanas res, maximè verò in ſanctos ac ſibi dilectos Deus optimè
Gen.19. declaret. ſic non ſine miraculo Loth de incendio eripuit,
Exod. 8. 9. 14. ſic tam prodigioſis plagis Pharaonẽ percuſsit, ſic Danielẽ inter ora leonum ſecum incluſorum nimiùm eſurientiũ
Dan.3. innocuum cuſtodiuit, ſic tres viros Ananiã, Azariam Mi-

faelem in flammis ardentibus, & non vrentibus illæſos cuſtodiuit. Omitto plura referre, cùm rei huius in ſcripturis ſanctis infinita pænè exempla occurrant.

Hi ſunt fermè omnes vſus & fines verorũ miraculorũ. quòd ſi plures reperiantur, facili opera ad hos, tanquam ad primos & omnium ſummos, licebit referre. ergo quæ à Deo fiunt miracula, primo loco fidem confirmant. ſatis profectò quidem abſurdum eſſe nobis videtur, ſi quæ audimus euangelij eſſe ſignacula, ea ad diruendam fidem quis conuertat, & ſi, quæ veritati tantùm obſignãdæ deſtinata ſunt, ea mendaciis confirmandis quis accõmodet. vnde Moyſes præcipit, ne prophetæ miraculis quamuis claro, docenti tamen contra legem quoquo pacto credatur. deinde vana ſunt ea prodigia, quæ non Dei, ſed hominum gloriam ſpectant, ſicut & illa, quibus nec innocentia, aut iuſtitia, ſed ſcelus commendatur, & quibus non damnatur obſtinatio, ſed creſcit, aut quę nullam prouidentiam cuſtodiæ & amoris erga nos diuini nos diuini nos docent, ſed magis Satanicæ præſtigiæ iure optimo quis reputare & æſtimare poſsit. At Caluine miracula, de quibus mater eccleſia tantopere gloriatur, primo loco fidem noſtram antiquiſsimam vnicè firmant, ac ſtabiliunt. induxi ſæpe in eam rem Auguſtinum, Chryſoſtomũ, atque alios, nunc verò, diui Ambroſij verba referam, quæ pro tranſlatione corporum beatiſſimorum martyrũ Geruaſij & Prothaſij habet. DETESTABILIOR iſtorum (erat porrò ſermo de illuminato cæco contactu tantùm reliquiarum, cui miraculo nonnulli aſſentiri nolebant) quàm Iudæorum pertinacia eſt. illi cùm dubitarent, vel parentes interrogabant, iſti occultè interrogant, palàm negant, iam non operi increduli, ſed auctori. QVI NON CREDVNT A MARTYRIBVS POSSE ALIQVEM VISITARI, CHRISTO NON CREDVNT. IPSE ENIM DIXIT, ET MAIORA HIS FACIET. ET QVI SIC NON CREDVNT, OSTENDVNT ALTERIVS FIDEI FVISSE MARTYRES, QVAM IPSI CREDVNT. neque enim aliter eorum operibus inuiderent, niſi fidem in his fuiſſe eam, quam iſti non habent, indicarent. fidem illam, maiorum traditione

Deut.13.

Miracula, per eccleſiã approbata, fidem confirmant.

Am ſer.91.

Ioan.14.

firmatam, ſanctorum virtute, etiam dæmones ipſi ſæpe victi negare non valent, quam negant Arriani, (&, quam negant Zuingliani, nos poſſumus ad ere, Caluine) Hęc Ambroſij verba quem animum non commouerent, atque omni ratione flecterent? B. etiam Rampertus quadrageſimus epiſcopus Brixienſis de B. Philaſtrio, eiuſdem eccleſiæ ſanctiſſimo paſtore, locutus dicebat, Pauca ex tam plurimis miraculis, quæ Chriſtus per ſanctum ſuum pontificem, vt veram fidem nobis confirmaret, miſericorditer geſſit, confluentibus cateruis ad feretrum beati confeſſoris, amatoris, & prædicatoris ſui, veraciter & compendioſè ſcribere optimum credimus. Deinde hiſce miraculis nimiùm Dei & Chriſti gloria illuſtratur, vt auctor eſt Aug. integris duobus capitibus libri 20 de ciuitate Dei: & qui eis detrahit, non tam illorum gloriæ contradicit, (quemadmodum ſuprà dicebat Ambroſius) quàm diuinæ maieſtati, quæ ſe ſic in ſanctos diffundit, inuidet. Item hæc prodigia ſplendorem vitæ innocentiæ, iuſtitiæ fidei ſanctorum apertè teſtantur. vnde de quadraginta & octo martyribus locutus D. Gregorius Turonenſis epiſcopus in libro, in gloriam plurimorum martyrum edito, aiebat, virtutibus illis ac portentis, quæ ad memorias eorum martyrum quotidie fierent, optimè declarari, quãti meriti fideique erga Deum fuerint. idem etiam auctor antiquus & venerandus ſancti Clementis papæ & martyris miracula ſic finit, Immenſæ gratiæ domino referuntur, qui & martyris virtutẽ prodidit, & fidelis ſui orationẽ implere dignatus eſt. Verùm miſſa hæc faciamus, cùm hoc ipſum ab antiquis multis patribus ſit obſeruatum. Cedit aliquando importuna hominum obſtinatio ſanctorũ miraculis, diuinæq; virtuti: immo non nunquam Satanica contumacia ab ipſis conuincitur. annotauit hoc perpulchrè, nimiúmque eleganter diuus Euſebius in enarratione paſsionis ſanctæ Blandinæ martyris Lugdunenſis. ſed præſtat ipſum audire. VBI SVNT, inquit, qui dicunt venerationem ſacris martyrum deferendam non eſſe corporibus? ecce cruentę feritatis immanitas, quæ religionis non recipit ſenſum, defert venerationis obſequiũ: & quæ diſcretionẽ rationis ignara non recipit, ad malorum tamen dam-

Rãpertus in vita Philaſtrij.

Miracula noſtra in Chriſti gloria vnicè cedunt.

Auguſtin.

Miracula ſanctorũ optimè declarant ipſorũ iuſtitiam.

Cap. 49.

Miracula facta ſunt ad obſtinationem diaboli infringendam.

Euſeb. in volumine ſer. eius fol. 33.

mationem, quid honoris ſanctis debeatur, agnoſcit, ac ſupplicium miro modo meritorum efficitur teſtimoniũ, & dum pietati reuerentiã prǽſtat, profert tacitam de impietate ſententiam. Cùm ergo, cariſsimi, eccleſia noſtra tantis fidei adornetur trophæis, id elaborabat vis iniquitatis, vt ſe ipſam ſcelerum nouitate ſuperaret. ſacra corpora funeris honore priuantes, ignibus dãt, & poſt hominum mortẽ contra ipſam pugnabant humanitatẽ. cúmq; iam cauſſa periſſet furoris, finem non imponebãt crudelitati, ſed tamen vellent nollent, beatitudinis eorũ teſtes erant, quibus etiam mortuis inuidebant. quàm ſemper malitia cum ſtultitia coniuncta eſt. veneranda oſſa in cineres redigebant, quaſi verò poſſent flammis merita conſumi, & virtutes cũ cineribus concremari. quàm confuſa dementia. quibus cælum acquirebant, his terram negabant. Nihil ergo feciſti inaudita ſæuitia, incaſſum te extinguere: eorum memoriam crediditi, quorum gloriam propagaſti: diſpergis ſanctorum puluerem fluentis Rhodani, ne reſurgat, ſed aquis reſurrectio non conſumitur, quæ per gratiam regenerationis etiam aquarum munere celebratur. adorandas reliquias Rhodano tradis: hoc facit vis fluminis in corporis reſolutione, quod temporis. Quidquid itaque ex humana ſubſtantia auis rapuerit, beſtia deuorauerit, vnda ſorbuerit, etiam ſi tumulo nõ clauditur, intra mundi gremium continetur. neque enim reparatio hominis in ratione terræ, ſed in legis natura, & in reparatoris virtute conſiſtit: ipſe enim veridico ore teſtatus eſt, Ego ſum reſurrectio & vita, qui viuit in ſæcula ſæculorũ. Amen.

Quibus patronu cælũ acquirebãt, terram negabat.

Habemus etiã id genus innumera, à diuo Chryſoſtomo annotata in hiſtoria S. Babylæ epiſcopi & martyris contra Gentiles ſcripta, quàm tomo tertio operum eiuſdem beatiſsimi Ioannis legimus. Vltimò miraculis, quæ ad ſanctorum inuocationem fiũt, dominus IESVS, quaſi apertiſsimis documentis, docet, infinita ſua potentia nobis adeſſe, réſque, ac mentes hominum paterno ſtudio curare. id obſeruauit non ſemel archiepiſcopus ille, diuus videlicet Gregorius Turonenſis in libro, in gloriã confeſſorum edito. hoc etiam ſatis expendit Ioannes Caſſianus collatione quintadecima de chariſmatibus diuinis. ſanctus item Damianus id ipſum conſiderat nõnullis

Chry. tom. 3

Miracula ſanctorum oſtendunt Deũ gerere curã ſuorũ.

Cap. 11. & 100. Ioan. Caſſ. c. 3. de ſuſcitato mortuo à S. Machario.

Petrus Dam. ſerm. de S. Ruffino martyre, & ſerm. de S. Nicolao.

in locis. hinc factum videmus, per diuina hæc prodigia non modò ſanitates donari, aut ex ſanctorum memoria, & oſsium illorum tactu ſanctificationem acquiri, ex eorúmque ſepulcris ciuitates ac regna nobilitari, illuſtrari ſanguine vrbes,& agros præſeruari: ſed etiam (quod his eſt multò præſtantius) peccatores ad pœnitentiã nimiùm animatos eſſe comperimus,atque melioris vitę deſiderio incenſos,& quaſi diuinis flammis mirabiliter cõflagrantes,cùm intellgant,quanti Deus ſuos æſtimet,ſæpe legimus,& vidimus. quamobrem optima hæc diuinorum miraculorum nota erit,ſi in ipſis præclarum hunc, ac pænè diuinum exitum intuebimur.

Reſpondetur quintæ obiectioni Caluini pro veris ſanctorum miraculis,atque certiſsimæ notæ traduntur,quibus dæmonum præſtigiæ à diuinis miraculis diſtingui debeant,quas à rei ſubſtantia, qualitate,modo,vſu denique,ac fine eſſe ſumendas oſtenditur. CAP. X.

DEum itaque noſtrum in ſanctis ſuis laudemus, per quos fides noſtra nobis tam fortiter confirmatur, Chriſti gloria tam illuminatè in nobis ſplendet, ſanctorum innocentia tam maximè inter nos conſtat, Satanica obſtinatio tam longè à nobis excutitur, cura denique, quam de nobis gerit altiſsimus, tam mirificè cõmendatur,& per quos ſæpe gradum reuocamus in meliorem vitam nos trãsferentes. Sed auditur Caluinus. *Et meminiſſe nos decet,ſua eſſe Satanæ miracula: quæ tametſi præſtigiæ ſunt magis,quàm veræ virtutes,ſunt tamen eiuſmodi,quæ imprudentes & imperitos deludant. magi, & incantatores miraculis ſemper claruerunt,idololatriam ſtupenda miracula aluerunt,quæ tamen nec magorum,nec idololatrarum ſuperſtitionem nobis approbant*: miracula,quæ ſunt à Deo, (vt auctor eſt Auguſtinus in pleriſque locis) multis notis diſtinguuntur a fictis miraculis dæmonum. nam dæmon,(ſicut ab eodem Auguſt. docemur) qui Deum odit,& nos à Deo vellet auertere,omnia quæcunque poteſt diuina æmulatur, miracula præſertim: videt enim eam rem maximè ad potentiam diuinitatis accedere,quæ eſt ſupra naturam. itaque vt eſt viribus ſuis naturalibus præſtantior,quàm homo, ac virium & facultatis naturæ rerum conſultior, facilè ſenſus no-

5. Obiectio Cal. de auctore horum miraculorũ.

Diſtinctio miraculorũ, quæ à Deo ſũt, ab his, quæ à dæmone.

ſtros eludītat nos fallēdos,& abducendos à vero. quamobrem & edit opera ſtupenda,& ſe (quod eſt etiam diuinitatis) conſcium fingit rerum abſtruſarum, præſentium, præteritarum,& futurarum, vel ipſorum quoque cogitatuum: cùm tamen Deus ſolus dicatur ſcrutator cordium, vt homo in contemplanda diuina potentia titubet & vacillet. eſt enim veritati res damnoſiſsima mendaciū ſpecie veritatis tectum. ſicque fidem verorum miraculorū & diuinorum magnopere diminuunt falſa miracula, per dæmones & dæmonū miniſtros edita. quò execrabiliores ſunt, (vti iam nos diximus) nempe Satanæ ſimiles ij, qui in templis noſtrorum diuorum miracula fingūt propter quæſtum. etenim efficiunt, vt cùm eorū vanitas patefacta fuerit de miraculis veris, homines dubitare incipiant. ergo miraculoſas habent notas videlicet rei ipſius veritas & eſſentiæ, qualitas, modus actionis, cauſſa efficiens, cauſſa mouens,& finis : ad hos, tanquam ad lapides Lydios, examināda miracula ſunt, tum Chriſti & ſanctorum, nempe diuina, tum ficta & diabolica: qualia primò ſunt, quæ per ſemetipſum Satan facit, vt cùm non viſus loquitur: aut aliquid agit, vt cùm aliquē morbo affligit, & ſanat, cùm eius iuſſu lapidis, vel ſanguinis, vel carnis imber effluit, cùm in aere committit acies armatas, cùm aſſumpto aereo corpore, ſe exhibet hominibus conſpiciendum, vt paſsim in nouo orbe,& antea in Canaria, & in inſulis illis fortunatis: aut cùm loquitur in idôlo, vt quondā Gentilibus, aut in arbore, vt quercus Dodonææ, aut in homine, vt in ſacerdotibus templorum, viris ac feminis. habet quoque ſuos miniſtros magos, incātatores, lamias, veneficas,& omnia genera diuinàculorum, augures, haruſpices, interpretes ſomniorum & omnium, chiromanticos, geomanticos, hydromanticos,& alias dicendi de rebus occultis impoſturas, quæ numerum non habent. ex quibus omnibus collecta ſunt ab ſcriptoribus gentium miracula, quibus dæmon & à veritate abducit animos,& in ſua fallacia confirmat, ac detinet.

Augu.tom. 1.fol.109. to.3.fol.65. 69.tom. 4. fol.62.138. 139.142. to.5.fo. 84. 97.100. 224.225. 226.139. tom.7.fol. 116.

Dæmonum doli, fraudes ac fallaciæ.

Notæ miraculorum verorum.

Dæmonum miracula

SED IN his primùm eſt conſiderandum, quòd eorū multa eſſentiæ veritatem non habent, ſed præſtigias & illuſionem oculorum: vt non verè ægrotare eum, qui videatur, nō verè viuere, qui aſpirare credatur, ſicut ferunt

Deeſt dæmonibus eſſentia & qualitas.

magos quoſdã certis incantamentis feciſſe, vt cadauera ſine anima ambularẽt, loquerẽtur, & alia viderẽtur obire vitæ munia. Alia nõ ſunt miracula, propterea quòd vi naturæ fiunt, herba videlicet adhibita, aut oſſe, aut lapide, quæ occultè poteſt dæmon admouere. & multa, quę ſunt peritis naturæ cognita, ab imperitis pro miraculis habẽtur: qualia ſunt, quæ per eam magiam fiunt, quæ naturalis nominatur. Alia ineptiſsimis fiunt modis, & planè ridiculis, vt ſatis appareat, à quo fiunt. nam dæmon, ne quis ea naturæ potentia fieri ſuſpicetur, iubet adhiberi verba à re alieniſsima: vt, ſi eſt ſanãdus equus, dicatur, Mare eſt ſalſum, & in hyeme congelatũ, aut aliquid abſurdius. interdum lupus ille pellem agninam induit, vultq́ue verba addi ex ſacris litteris, vult verſum aliquem pſalterij, aut etiam (ſi Deo placet) ſententiam quampiam ex ſancto Chriſti euangelio, aut recitari miſſam, vel miſſas, aut ſub ſacro linteolo poni fabulas, aut cicera certo numero, aut funiculum tot nodis aſtringi, quoties recitatur nomen IESV in paſsione. Gratia Deo, qui non ſinit nobis tam occulta ab hoſte noſtro retia tendi, quin ratione aliqua poſsint ab attendentibus deprehendi? nec ſinit tẽtari nos ſupra id, quod poſſumus. Alia etiam fiunt per eos, qui etſi vera exhiberent miracula, eorum tamen indignitas fidem illis detraheret, per flagitioſos ſcilicet, per conſceleratos, maleficos, impuros homines, per magos, per lamias, per homines perditos, quos nemo dubitet impoſturã facere. Alia fiunt nemine poſtulante, alia ſine vllo fine condigno, aut ſolùm ob quæſtum, vt à magis & veneficis, aut ob ludicrum aliquod & riſum, aut ob leuẽ admirationẽ ad delectandũ, aut etiã ad terrorem, vt quę fiunt in aere, aut ad oſtentationem, vt quæ à Philoſtrato ſcribuntur de Apollonio Tyaneo, de Brachmantibus, & nudis ſapientibus, cuiuſmodi quotidie patrantur à magis, à lamiis, ab incãtatoribus, qui inter nos verſantur: vt lac ex vna vacca in aliam tranſire, ſegetem ab agro in agrum. quod antiquiſsimis temporibus ſolitũ fieri & Virgilius ſignificat, & apertè carmen duodecim tabularum indicat,

Néue alienas ſegetes auerteris incantando.

Prætereo alia malefica, quæ in infantes per lamias dæmonis crudelitas exercet. In prædictionibus ac patefa-

Nonnulla fiunt naturaliter.

S.Thom.2. par.q.110. art.4. Deeſt modus.

Præſtigia Satanæ.

1.Cor.7.

Cauſſa efficiens deeſt.

Mouẽs deeſt

Deeſt optimus finis.

Satanæ fraudes circa abſtruſas res

ctionibus rerum abſtruſarum non minùs manifeſta eſt Satanæ vanitas & fraus. res enim præteritas facilè quidē noſſe poteſt, quibus ipſe interfuit, & præſentes eadem ratione: cogitatus mentis noſtræ ſolus Deus nouit. ſed dæmon ex cōiecturis exterioribus eos colligit, ex vultu, ex geſtu, ex phātaſia quoque, quæ illi peruia eſt: certi tamen nihil habet, quemadmodum in rebus futuris, quas ille in magnis coniecturis venatur, aſtrorū peritia, qualitatibus elementorum: quod faciunt agricolæ & nautæ, cum admiratione eorum, qui ea ignorát. tum multas prædictiones rerum futurarum philoſophi naturales tradunt, multa ſua in arte medici. curſu etiam rerum & experimentis futura prædicit, vt ex prioribus ſequentia colligat, vt faciunt inter nos viri prudentes, de quibus eſt illud, Qui bene coniecerit, hunc tu vatem optimum perhibeto. aſpectu etiam ſanctorum angelorum, quibus ſimiles ſunt in natura, & comprehédendi intelligendíque ratione. et vt ſunt omnia coniecturis & notis collecta, ita ſunt eis incerta, & reddunt reſponſa ambigua, veluti hæc,

Vnde dæmones multa occulta ſcire poſſunt.

Reſpōſa dæmonum ambigua.

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe. &
Crœſus Halym penetrās magnam peruertet opum vim. &,
Ibis redibis non morieris in bello, & cetera eiuſdem generis.

Modus etiam, quo exequuntur diuinationes has, ineptus eſt, & meritò à maximis ingeniis inter tenebras deriſus, vt per garritus, aut volatus auium, per paſtum pullorum, per exta animantium, per ſtridorem ſoricum, per voces temerè iactatas.

Modus ineptus.

TALIA ſunt Caluine dæmonum miracula, tales præſtigiæ Satanicæ, hę ſunt notæ, quibus à veris miraculis diſtingui & diſcriminari valēt: ac prodigia, quæ nos tibi obiicimus, quæ eccleſia noſtra celebrat, & quæ vniuerſitas fidelium ſuſpicit, & miratur, vera ſunt, ac ſolidam habent admirabilis prodigij ſubſtantiam. ipſorum qualitas ſupercæleſtis eſt, modum retinent diuinum eorum proxima ac prima cauſſa efficiens Deus eſt, inquit Auguſtinus, inſtrumentalis & media ſimul cū miſericordia Dei, ſancti ſunt: ipſum verò mouēs multiplex eſt, intra tamen diuinæ diſciplinæ legem. primùm mouet fides, mouet &

Miracula vera ſubſtātiam, qualitatē, modū, cauſſam ac finem debitum habēt.

Chriſti gloria, mouet manifeſta oſtenſio innocentiæ ſanctorum, mouent denique multa multis & rationabilibus de cauſsis: at finis quàm ſit Dei operibus dignus, q̃ conueniens, exitus ipſe declarat. Deus benedicitur, ſancti honorantur, peccatores corriguntur, iuſti vnicè animantur, angeli exultant, tota demum eccleſia in officio & ſpe retinetur, dum virtuti ſua præmia & hîc etiam non deeſſe videt ac conſiderat. quapropter vt meminerimus Caluine, ſua eſſe Satanæ miracula, & talia, quæ imprudentes & imperitos deludãt, tamen eiuſmodi ſunt, quæ ſi ad leges, diximus, verorum miraculorum examinentur, nullo labore occurrat mox meras Satanæ præſtigias, & fraudes. magi & incantatores etſi miraculis ſemper claruerunt, & idololatriam ſtupenda miracula aluerunt: non tamen aut magorum, aut idololatrarum ſuperſtitionem nobis approbant. At ſanctorum prodigia vnicè fidem noſtram confirmant. ſcis quare? quia nihil erat illis commune cũ veris miraculis, hæc verò noſtra apprimè cum Chriſti prodigiis conueniunt.

Reſpondetur ſextæ Caluini obiectioni contra ſanctorum miracula, diui Auguſtini, & Matthæi, atque Pauli apoſtolorum loci quidam enarrantur de omnipotentia, & ſignis regni Antichriſti.

CAP. XI.

Obiectio 6. Cal. ID maximè miror Caluine, quòd, cùm viuendi finem ſis iam iam ipſe facturus, maledicere verò nunquam ceſſes. immo quaſi per numeros tua quotidie maledicentiſsima oratio creſcit, & augeſcit: arguis enim ſextò ad hunc modum, *Atque hoc olim ariete vulgi ſimplicitatem concutiebant Donatiſtæ, quòd miraculis pollerent. idem ergo nunc noſtris aduerſariis reſpondemus, quòd tunc Donatiſtis Auguſtinus, dominum vtique contra iſtos mirabiliarios cautos nos feciſſe, cùm prædixit venturos pſeudoprophetas, qui ſignis mendacibus, variiſque prodigiis in errorem electos, ſi fieri poſſet, inducant. & Paulus admonuit, Antichriſti regnum futurum cum omnipotentia, & ſignis, & prodigiis mendacibus*: atque hoc olim ariete, Caluine, miraculorum veritatem concutiebant Porphyrius, Eunomius, Euſtathius, quòd dæmonum præſtigiæ eſſent, è quorum cineribus, benedictiſque fauillis

Auguſt. in Ioan. tract. 13.
Matt. 24.
1. Theſ. 2.

te natum habemus. is etiam error tibi cum Lutheranis communis eſt, à quibus mirum, quàm aliàs diſcrepes & diſſentias. ſed quid ego ad illos recèns natos, tanquam ad primos tuos patriarchas, te refero Caluine, cùm tui præceptores iidem ipſi fuerint, qui Chriſto obiectarunt, in Belzebù, principe dæmoniorum, eiicere dæmonia? non animaduertis alienis te vocibus diuinam potētiam execrati? quid? inimicorum etiam olim ſepultorum rabie in nos vtēre Caluine? Sed ad teſtimonium Auguſtini venio. quouſque Chriſtiana patientia abutère Caluine? quouſque in antiquos patres tam procaciter peccaſſe non te pudebit? quid eorum ſententias luxas? quid corradis? quaſi verò diuus Auguſtinus veris miraculis his verbis vel minimum quidem detrahere voluerit: immo magis oſtendit vera non eſſe ea miracula, quæ ad ſcindendam vnitatem fidei non conſeruandam inducuntur: quæ etſi vera eſſent, (inquit) contra caritatem nihil probarent. colligitur inde iuxta mentem Auguſtini, bene nobis, qui vnitati antiquæ ſtudemus, fauere miracula, qualia illa erant, quæ ipſe ad ſanctorum martyrum inuocationem facta frequenter narrat: nihil tamen omnino prodeſſe poſſunt Donatiſtis, Lutheranis, Zuinglianis, reliquíſque Antichriſti miniſtris. verùm legatur locus magni Auguſtini, vt pudore ſuffundatur os iſtud Caluinianum.

In concilio Gang.

Sententia Augu. explicatur.

EGO, inquit eccleſia, ſi ſponſa ſum, ſi arrhas accepi, ſi pretio ſanguinis illius redempta ſum, audio vocē ſponſi: & vocem amici ſponſi tunc audio, ſi ſponſo meo dem gloriam non mihi. Dicat amicus, Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſpōſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Ecce habes ſacramenta, & ego concedo. habes formam, ſed ſarmentum eſt de vite præciſum. tu formam oſtendis, ego radicem quæro. de forma fructus non exit, niſi vbi eſt radix. vbi autem radix niſi in caritate? audi formam ſarmentorum. Paulus loquitur, Si ſciam, inquit, omnia ſacramenta, & habeam omnem prophetiam, & omnem fidem, & quantam fidem? ita vt montes transferam, caritatem autem non habeam: nihil ſum. nemo ergo fabulas vendat. & Pontius fecit miraculum, & Donatus orauit, & reſpondit ei Deus de cælo. primò aut falluntur, aut fallunt. poſtremò fac il-

Verba Auguſt.

1. Cor. 13.

lum montes transferre, Caritatem, inquit, non habeam: nihil ſum. videamus, vtrùm habuerit caritatem. crederé, ſi non diuiſiſſet vnitatem. nam & contra iſtos, vt ſic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens,

Marc.13. In nouiſsimis temporibus exurgent pſeudoprophetæ, facientes ſigna & portenta, vt in errorem adducant, ſi fieri poteſt, etiam electos. ecce prædixi vobis. ergo cautos nos fecit ſponſus, quia & miraculis decipi non debemus. aliquando enim & deſertor terret prouincialem: ſed vtrùm in caſtris ſit, & aliquid illi proſit character ille, in quo ſignatus eſt, hoc attendit qui terreri, & ſeduci non

1.q.1.c. Teneamus. vult. Teneamus ergo vnitatem, fratres mei, præter vnitatem, & qui facit miracula, nihil eſt. in vnitate enim erat populus Iſrael, & non faciebat miracula. præter vnitatem erant magi Pharaonis, & faciebant ſimilia Moyſi. populus Iſrael, vt dixi, non faciebat miracula: qui erant ſalui apud Deum, qui faciebant, an qui non faciebant? Petrus apoſtolus reſuſcitauit mortuum, Simon magus fecit multa, erant ibi multi Chriſtiani, qui non poterant

Act.9. facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Si-

Act.2. mon. ſed vnde gaudebunt? quia nomina eorum ſcripta erant in cælo. nam & redeuntibus diſcipulis dominus noſter IESVS Chriſtus propter fidem gentium

Lucæ 10. hoc ait. dixerunt enim gloriantes ipſi diſcipuli, Ecce, domine in nomine tuo etiam dæmonia ſubiecta ſunt. bene quidem confeſsi ſunt, detulerunt honorem nomini Chriſti: & tamen quid ait eis? Nolite in hoc gloriari, quia dæmonia vobis ſubiecta ſunt: ſed gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. Petrus dæmonia excluſit, neſcio quæ anicula vidua, neſcio quis homo, qualiſcunque laicus, habens caritatem, tenens integritatem fidei, non facit hoc. Petrus in corpore oculus eſt, ille in corpore digitus: in eo tamen corpore eſt, in quo & Petrus. & ſi minùs valet digitus, quàm oculus, non eſt tamen præciſus à corpore: melius eſt eſſe digitum, & eſſe

1.Cor.3. in corpore, quàm eſſe oculus, & euelli de corpore. Proinde, fratres mei, nemo vos fallat, nemo vos ſeducat: amate pacem Chriſti, qui pro vobis crucifixus eſt, cùm Deus eſſet. Paulus dicit, Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. & quiſ-

quam noſtrûm dicit,quia aliquid eſt?ſi dixerimus, quòd aliquid ſumus, & non illi gloriam dederimus, adulteri ſumus,nos amari nolumus, ſed ſponſum. vos Chriſtum diligite,& nos in illo, in quo & vos à nobis diligimini. inuicem ſe diligant membra, ſed omnia ſub capite viuant. dolore quidem,fratres mei,multa dicere coactus ſum,& pauca dixi. Hactenus eccleſiæ nobiliſsimum ſidus,& ſponſi amicus diuus Auguſtinus. Appendantur, oro & obteſtor te,lector,verba ſingula. Si ſponſo meo, inquit,det gloriam, non ſibi. & illud, Sarmentum eſt de vitæ præciſum. rurſum, Vbi radix, niſi in caritate? & aliud, Nemo ergo fabulas vendat. item, Aut falluntur,aut fallunt. præterea illud, Crederem, ſi non diuiſiſſet vnitatem, & quod ſequitur, Præter vnitatem, qui facit miraculum. nihil eſt. item, Melius eſt eſſe digitum,& eſſe in corpore, quàm eſſe oculum, & euelli de corpore. tandem illud, Nemo vos fallat,nemo vos ſeducat, amate pacem Chriſti. quæ vtique eò omnia diriguntur,quò planum fiat,contra quos mirabiliarios (vt ipſe loquitur) eum Deus ſuus cautum reddiderit, nempe aduerſum eos, qui gloriam ſibi magis, quàm ſponſo quærunt,qui præſtigiis aut falluntur, aut fallunt, qui vnitatem non retinent,qui in radice minimè manent. ad hæc optimè oſtendit magis credendum eſſe his,qui in vnitate continentur,etiam ſi miracula nulla faciant,quàm illis,qui cùm extra vnitatem diu agentur, prodigiis tamen pollere creduntur. quod ſanè nos maximè probamus:ſic tamen,vt liceat nobis inde colligere, multò minus non eſſe credendum Caluino abſque vllis miraculis, cui nec cum illis aſſentiri deberemus, quòd vnitatem nõ ſeruet,ſtationem deſerat,fœdus rumpat, fidem abiiciat, caritatem poſtremò nullam habeat. colligimus præterea,ſemper hærendum eſſe eccleſiæ Chriſti, tot miraculorum ſplendore præfulgenti, cui ſine vllis portẽtis credere teneremur. hęc ſiquidem vnitatem ſeruat,caritatem tenet,fidem cuſtodit,nunquam ſui ſponſi præcidit veſtẽ. Vides lector, quàm ſit hoc veritati germanum & proprium,vt quæ in eam excogitantur commenta,non modò non ipſam labefactent,aut quoquo pacto contundãt, aut attingant,ſed magis mirabiliter confirment,illuſtrẽt,

& quaſi nutrimentis perpetuáque auctoritate augeant, Sanciant, atque roborent.

Septima Caluini obiectio ſoluitur, de Ieremiæ ſepulcro, & ipſius miraculis multa in Epiphanio, Iſidoro, atque Hieron. referuntur. CAP. XII.

PEriculoſum eſt, vt vulgò dicitur, canem inteſtina guſtaſſe itaque, cùm ſemel corium ſanctorum edere didicerit Caluinus, nulla ſpes eſſe poteſt, eum aliquando deſiturum. ad Ieremiam nos mittit, atque ad illius ſepulcrum nos relegat. ipſius verba ſic habent, *Olim Aegyptij ſepultũ apud ſe Ieremiam ſacrificiis, alíſq; diuinis honoribus proſecuti ſunt. nónne ſancto Dei propheta ad idololatriam abutebantur? & tamen ſepulcri veneratione conſequebantur, vt curationem à tactu ſerpentum putarent iuſtam illius mercedem eſſe. Quid dicemus? niſi fuiſſe hanc, ſempérque fore iuſtiſsimam Dei vindictam, iis, qui dilectionem veritatis non receperunt, mittere efficaciam illuſionis, vt credant mendacio*: obſtinatorum hominum & pertinacium ea eſt pugnax impudentia lector, atque vſque eò ſui iuris ſententiæq́ue ſunt, qui nimis perfractè aliquid aut defendunt, aut oppugnant, vt de ſuſcepta ſemel per ipſos dementia, ac propoſito errore nulla vis, nulla auctoritas, nullum argumentum depellere poſsit immo verò contradicentes lingua inſpergunt, & quò alios ſuarum opinionum prauitate inficiát, vniuerſa inſolenter, immoderatè, arroganter, ſuperbéque tractant. quod ſanè Caluino cùm alibi ſæpe, tum hîc maximè veniſſe vſu facilè videre poteris. Ieremiæ prophetæ hiſtoriam, vitam, & mortem, atque poſt obitum miracula continentem, tres viri maximi nominis in eccleſia nobis reliquerunt. diuus Epiphanius Conſtantiæ Cypri, diuus Iſidorus epiſcopus Hiſpalenſis, & diuus Hieronymus presbyter Stridonenſis: qui omnes facti huius meminerunt, non vt iniquus iſte interpres calumniatur, quò aut Aegyptios reprehendant, vt qui illius ſepulcro abuterentur, aut nos à veneratione viri Dei dehortentur, aut ab inuocatione auocent, à cultu diſſuadeant, & à miraculis illis, tanquam à Satanæ præſtigiis nos deterreát. vera vtique fuerunt ea miracula, quæ dominus in ſui ſancti honorem & gloriam egit. Qualem credimus fore virum illum ſanctiſſ. erga fideles, qui ab infidelibus inuocatus

Vita Ieremiæ.

Epiph. in li. de vitis prophetarum. Iſidorus in libr. de vitis prophetarũ. Hierony. in præfat. ſuper Ierem.

catus

catus tot præſtitit? ſi, cùm vix pró merito coleretur, tot bona eis hominibus impetrauit, quid futurum opinaris, ſi iuxta fidei noſtræ & religionis leges cultus, & innocatus fuerit? potuit fortaſſe rudis ille populus in ipſo cultu deficere: (quod, neſcio quo pacto, mirabilem ſancti virtutem, incredibilémque Dei erga ipſum amorem cōmendat, dum & ſic quidem innocatus ſuis cultoribus tam magnificè patrocinabatur) verùm ad emortui ſepulcrum debito cultu ſupplices proceſsiſſe, non magis ſuperſtitioſum fuiſſet, quàm ad memorias martyrum, iuxta vnam omnium patrum vocem cōfugiſſe. Sed quia tecum non niſi productis teſtibus certandum eſſe initio duxi, libet rem explicatiùs euoluere.

DIVVS Epiphanius ita de Ieremia ſcripſit, Ieremias propheta Anathothides apud Taphnas in Aegypto à plebe lapidibus obrutus occubuit. iacet verò in eo loco ſepultus, quo dudum rex Pharao habitauerat. Aegyptij poſtea eum magna religione colebant, vbi pluribus officiis ab illo adiuuari cognouerunt. aſpides enim, & vndarum belluæ, quaſi hephot appellitant Aegyptij, Græci verò τοὺς κροκοδείλους, eos interimentes, poſtulatione Ieremiæ beneficio ex illis finibus profigati ſunt. quíque vel hodie adhuc fideles comperiuntur, eodem in loco ſupplicare conſueuerunt, &, ſumpto puluere, aſpidum morſibus medentur. feræ quoque aquatiles hinc fugam dedere. Item propheta ſacerdotibus Aegypti notam exhibuit dicens, oportere olim cuncta eorum ſimulacra concidere, ſimul vndique manu facta præcipitari, vbi Aegyptum aſcenderit cum ſuo infante virgo enixa, Deo quidem perquàm amœna. id quod tandem illis vſuuenit. Hæc Sanctus Epiphanius. Quid hîc obgannis Caluine, qui ſanctos emortuos vocas, & nihil poſt mortem poſſe nugaris? vidéſne hîc, quot beneficia Aegyptiis conferantur ad ſancti prophetæ, apud eos ſepulti, interceſsionem?

Epiphanius.

ITEM Iſidorus Hiſpalenſis, Ieremias, inquit, ex tribu ſacerdotali, ortus in vico Anathot, qui eſt tribus millibus procul ab Ieruſalem, ſacerdos in Iudæa poſitus, propheta in gentibus conſecratus, antè, quàm plaſmaretur, agnitus, antè, quàm de ventre matris procederet, ſanctus,

Iſidorus.

&,vt virgo permaneret,admonitus. hic prædicare puer cœpit,arguens populum ob delicta,& ſæpius cohortans ad pœnitentiam. ſed plebis perfidè ſæuientis crudelitate afficitur,atque ſæpe ligatur,in carcerem & in lacum mittitur.ad vltimum autem apud Taphnas in Aegypto à populo lapidatur. Sepultus eſt in eo loco, vbi Pharao, rex Aegypti,habitauit. veruntamen precibus ſuis ſerpentibus ab eo loco fugatis,Aegyptios obnoxios aſpidũ morſu eripuit.inſigni autem veneratione,ampliſsimóque honore eundẽ Aegyptij colunt.ſepulchrúmque eius hactenus inſigni cultu fideles venerantur. Hæc Iſidorus. Vbi precor obſeruari,quòd in ſanctis veteris teſtamenti propriam mercedem habuit virginitas:deinde illud peto animaduerti,quòd ſancti Ieremiæ precibus poſt ipſius mortem ſerpẽtes ab Aegyptiis fugati ſunt. Quid ad hęc reſpondebunt noſtri temporis nouatores iſti?

Hieronymus. TERTIVS eſt diuus Hieronymus, qui de ſancto propheta Ieremia ſic inquit:Ieremias propheta, cui hic prologus ſcribitur,ſermone quidẽ apud Hebræos Eſaiæ, & Oſeæ,& quibuſdam aliis prophetis videtur eſſe ruſticior,ſed ſenſibus par eſt:quippe qui eodem ſpiritu prophetauerit. portò ſimplicitas eloquij à loco ei, in quo natus eſt,accidit:fuit enim Anathothites, qui eſt vſque hodie viculus, tribus ab Ieroſolymis diſtans millibus, ſacerdos ex ſacerdotibus, & in matris vtero ſanctificatus,virginitate ſua euangelicum virum Chriſti eccleſiæ dedicans. hic lapidibus obrutus occubuit. iacet verò in eo loco ſepultus,quo dudum Pharao rex habitauerat. & quoniam poſtulatione ſua defugatis ab eodem loco ſerpentibus Aegyptios à tactu aſpidum facit eſſe ſecuros, magna eum ibi religione Aegyptij venerantur. Hæc Hieronymus.

EX his grauiſsimis auctoribus ſanè euidenter habemus,non ab idôlo,non à dæmone,non à pſeudopropheta,ſed à Deo,à viro ſanctiſsimo,à veriſsimo propheta huiuſmodi miracula acta fuiſſe. vt igitur hæc ſit Satanę ars Caluine,transfigurare nimirum ſe ſæpe in angelum lucis,tamen in profligandis à commemorato loco ſerpentibus,non diabolica fraus,non ſatanicus dolus, ſed diuina virtus ad ſancti preces regnauit.Tantúmne beneficiũ

cacodæmoni magis contra tot ſanctos, quàm τῷ δαίμονι tribues? *At ſancto Dei propheta ad idololatriam abutebãtur:* *Obiectio.* quòd honorem,atque reuerentiam illi ſepulcro referre *Reſponſio.* non Aegyptij ſolent,ſed & fideles ſoliti fuerint,ego lego: quòd verò latria,diuinóque cultu illum proſequerentur, tanquam verum Deum,ego non lego.ſed vt conceſſerim ita eſſe,num erat abuti ſepulcro prophetæ ipſum colere, ipſum inuocare,vt cogamur contra voces ſanctorũ Dei opera,& ſancti miracula principi dæmoniorum aſcribere? Si quis igitur abuſus ibi fuit, (cuiuſmodi ego hoc loco nullum reperi apud ſanctos) non in conciliando ac promerendo propheta,aut in ipſis miraculis, ſed fortè fuit,quia maior cultus ei ſancto exhibebatur,quàm quo creaturam venerari illos decebat.quare curatio illa à tactu ſerpentum,iuſta merces credi poteſt fuiſſe & meriti prophetæ,& inuocationis populi,tanto amore ac fide in Dei virum propenſi. Quapropter ſi quod hîc adiunxit Caluinus,fuiſſe ſcilicet hanc,ſempérque fore iuſtiſsimã Dei vindictam,iis,qui dilectionem veritatis non receperunt,mittere efficaciam illuſionis vt credant mendacio, ſi,inquam,hoc de miraculis Ieremiæ dictum vult, Epiphanio,Hieronymo,atque Iſidoro viris illuſtribus contradicit:ſi verò vniuerſa miracula eccleſiæ ſanctæ eo ſermone comprehenſa eſſe ſentit,peſsimè errat,ab omnibus diſcrepat,vni magiſtro Euſtathio vtique conſentiens.demum ſi de filiis perditionis locutus id dixit,fatemur,non negamus,neque poſſumus,permittente Deo, huiuſmodi reprobas mentes,quæ non ſtatuerunt Deum habere in conſcientia,à dæmonibus in errorem & illuſionis efficaciam ſolitas eſſe mitti.

Vltimæ obiectioni Caluini reſpondetur,de ſcripturis apocryphis agitur,& quàm piè ſit ſentiendum de canonizatione,ac miraculis ſanctorum,ſatis Chriſtianè traditur.

CAP. XIII.

NIhil iam ſupereſſe contra vera Chriſti & ſanctorum miracula videtur,præter hæc vltima Caluini verba: *Miracula ergo minimè nobis deſunt,eáque certa non apocrypha, neque cauillis obnoxia. quæ autem illi pro ſe oſtendunt,meræ ſunt Satanæ illuſiones,quando à vero Dei ſui cultu ad vanitaten populum abducunt*: ſentíſne Caluine præter ea miracula,

quæ in arcanis & ſacris litteris leguntur, cetera omnia apocrypha,ſuſpecta,inania,falſáque fuiſſe? quid? cáne es arrogantia, vt dicere præſumas, in eiuſmodi prodigiis, quæ iam à primis & apoſtolicis temporibus ad martyrum memorias acta ſunt, deluſam eccleſiam, deceptos patres, vt qui verè ea miracula crediderint, & à Deo per ſanctorum miniſterium,aut preces exhibita? cùm Satanæ fuerint magis præſtigiæ,quibus à veri Dei ſui cultu ad vanitatem populus abduceretur, dum per ſanctos ſe exauditum iri fideles decepti crederent. ſed ommittẽda ſunt tua,& ad noſtra veniendum:precó rque te optime & Chriſtiane lector,vt paucula quædam,quæ hic edifferenda reſtant,benignè audias postulat enim vltima Caluini obiectio,vt nonnulla de hiſtoriis apocryphis,de ſcripturis,& annalibus vetuſtatis, de rebus geſtis per ſanctos, déque ipſorum miraculorum fide paucis iuxta mentem antiquorum patrum abſoluamus. ſpero, quòd non minùs fidem noſtram hæc omnia confirmabunt, quàm quòd quorundam rabiem & ſatanicam ſuperbiam retundent. id certè ſolùm huic libro deeſſe videbatur. Primùm igitur differendum eſt de ſcripturis apocryphis, deinde de auctoritate hiſtoriarum, quas eccleſiaſtici patres, aut referunt,aut ipſi ediderunt. ſciendum eſt ergo,quòd liber omnis apocryphus extra canonem eſt,non tamen omnis,qui eſt extra canonem,apocryphus habetur. conſueuerunt ſiquidem patres apocrypha ea appellare,quæ recondita ſunt,occulta, & falſitatibus ſuſpecta,non edita ab his,à quibus edita deſignantur. vnde Origenes,Scripturæ,inquit, apocryphæ appellantur, eo quòd multa in eis corrupta ſunt, & contra fidem inueniuntur tradita,& ſine auctoritate pleraque dicta. Diuus etiam Hieronymus de eiſdem ſcripturis ſic ait, Caueat fidelis omnia apocrypha: & ſi quando ea non ad dogmatum veritatem,ſed ad ſignorum reuerentiam legere voluerit,ſciat non eorum eſſe,quorum titulus prænotatur,multáque hìs annexa vitioſa,& grandis eſſe prudentiæ aurum in luto quærere. S. item Auguſtinus, Etſi in apocryphis, inquit, aliqua veritas inueniatur: tamen propter multa aut falſa,aut ſuſpecta, nulla eſt canonica auctoritas. quæ iccirco apocrypha appellantur,quòd oc-

Quid appelletur apocryphum.

Orig. hom. 1. ſuper cãt.

Hier. epiſt. ad Lætam.

Aug. lib. 1. cõtra adver. l. & proph. c. 20.

culta eorum origo patribus non claruit, à quibus variarum ſcripturarum auctoritas ad nos certiſsima & notiſſima ſucceſsione peruenit.

Ex ſupradictis primùm liquet, quòd apocrypha cum eccleſiaſticorum patrum ſcriptis & conueniunt, & ab eis differunt. conueniunt quidem, quòd neque in his, quemadmodum neque in illis auctoritas canonica eſt. non enim quia Hieronymus ſic vel ſic docet, non quia Auguſtinus, atque alius quiuis ex patribus aſſerit, iccirco verum eſt, & tenendum, ac ſi eſſet orthodoxæ fidei ſententia, canonicáque doctrina: ſed quia Hieronymus, Auguſtinus, ac ceterorum patrum quiſpiam demonſtrauit vel ex ſcripturis canonicis ſic eſſe, vel vniuerſalem eccleſiam & apoſtolicam ab initio ſic tenuiſſe, atque credidiſſe, icirco tenendum eſt, tanquam fidei, & de canonica Chriſtianæ religionis ſententia. conueniunt igitur vtraque in hoc: differunt tamen, quòd in patribus, (vt inquit Hieronymus) non ſicut in apocryphis, repertum eſt, fidei pietatem vacillare. ideo non ſolùm ſine periculo fidei, ſed cum ipſius incredibili lucro recepta ſunt, tanquam ſatis digna, quæ in eccleſia legantur, & piè ſatis credantur. in apocryphis verò vel comperta falſitas eſt, vel fidei pietas nimiùm ſuſpecta. quare meritò remota ſunt non à canonicis tantùm, ſed à patrum etiam ſcripturis: quippe quæ aut non ſine periculo, aut non ſine irriſione Chriſtianæ fidei in eccleſiis legantur. nimiùm ſanè hæreticorum & infidelium hominum irriſioni exponitur eccleſiæ fides, dum falſa quædam nos credimus, quæ ipſi occultè ſub nomine alicuius apoſtolici viri conſinxerunt. Quamobrem eccleſia iam ab initio curauit, ne quid publicè legendum proponeretur, quod non certo auctore ſub fidelium atteſtatione relatum ſciret.

In quo conueniāt apocrypha cum patrum orthodoxorū ſcriptis, & in quo diſferant.

Cetervm & hoc ſciendum, quòd etſi librorum apocryphorum auctoritas non ſit tanta, quāta ſanctorum patrum, qui nunquam ſe à ſanctæ Romanæ eccleſiæ vnione ſeparauerunt: vtiliter tamen libri apocryphi quidam ab antiquis conſcripti in eccleſia leguntur ſecundum ſpiritum directionis à viris ſtudioſis, conſiderantibus ex eiſdem antiquum eccleſiæ ſtatum, veteres eccleſię mores, ritus, & cōſuetudines, & bonas & rectas quaſdam

Quatenus vti liceat apocryphis.

ſanctarum ſcripturarum explanationes. Beatus Cyprianus Tertulliano magiſtro vtitur, eiúſque, tanquam ardentis & eruditi viri, delectatur ingenio: ſed tamen non ſequitur in libris illis Montanum, Maxillámque hæreticos, auctores hæreſis Cataphrygarum, damnantium ſecundas nuptias, & ſeſe ab eccleſia Romana ſeparantium. Hieronymus, ceteríque patres Origenem legerunt, eiúſque laudauerunt ingenium in dilucidandis ſcripturis, ſed in libris eius neque probant, neque imitantur errores de ſpiritu ſancto, de carnis reſurrectione, de animabus ab initio conditis, aut de liberatione illarum ab inferno: quos ſcripſit in epiſtola ad Demetrianum, ſpiritus ſancti negans ſubſtantiam. vide ſuper his omnibus Hieronymi cenſuram in epiſtola aduerſus Vigilantium. Origenes hæreticus quid, inquit, ad me, qui illum in pleriſque hæreticum non nego? errauit de reſurrectione corporis, errauit de animarum ſtatu, de diaboli pœnitentia, &, quod his maius eſt, filium Dei, & ſpiritum ſanctum in commentariis Eſaiæ ſeraphin eſſe teſtatus eſt. & paucis interpoſitis, At idem ſcripturas in multis bene interpretatus eſt, & prophetarum obſcura diſſeruit, & tam noui, quàm veteris teſtamenti reuelauit maxima ſacramenta. item Caſsianus monachus, multa vtilia ſcripſit de collationibus patrum, ac de gratia Chriſti: contra eum tamen beatus Proſper librũ edidit ante Gelaſij tẽpora. veteres patres orthodoxi ſumunt interdum ſententias ex ethnicorum libris, nõ quòd illos aut probent, aut auctoritatem habere velint, ſed quatenus nos doceant, aut arguant ſuper his, quæ etiam ethnici agenda, vel omittenda conſiderant: non tamen leguntur aſſumpſiſſe vlla teſtimonia ex aliorum apoſtolorum euangeliis. ſic apoſtolus Paulus ex gentilium ſcriptis citat teſtimonia, ſic Ambroſius ex capite ſeptimo quarti libri Eſdræ citat teſtimonia, Reuelatur filius IESVS cum his, qui cum eo iucundabũtur. Etiã morietur filius meus Chriſtus, & ſæculum conuertetur. diuus tamen Hieronymus tertium & quartum librũ Eſdrę appellat ſomnia, hortans, ne quis delectetur eiſdem. Sed in huiuſmodi rebus, (vt iam diximus) conſiderandum eſt, quòd dicit Auguſtinus, in apocryphis reperiri aliquam veritatem.

Maxilla. Montanus. Cataphryga. Origenes.

Hieronymus de Origene.

Caſsianus monachus. Proſper cõtra Caſsianum.

Catholici patres ethnicorum libris vtuntur nõ rarò.

Ambr. ſuper Luc. c. 1. in fine.

De tertio, ac quarto libro Eſdræ.

ſed non eſſe in eis aliquam canonicam auctoritatem. oportet enim aduertere, quòd aliud ſignificamus dicẽtes, in apocryphis non eſſe vllam canonicam auctoritatem, aliud autem dicentes, in apocryphis non eſſe vllam canonicam veritatem. quamobrem non oportet mox aliquid falſum eſſe, ſi fuerit aut in apocryphis libris ſcriptum, aut ex apocryphis deſumptum.

VERVM hic iam aperta eſt via quædam rectè piéque ſentiendi de canonizatione ſanctorum, & de rebus geſtis, ac de miraculis eorum. vnde quædam leguntur per vniuerſam, eccleſiam cælitus ex ſcripturis ſacris edoctam, veluti ſunt geſta ſanctorum in ſcripturis ſacris, quales ſunt diui Stephani, & Iacobi apoſtoli hoſtoriæ. quædam verò leguntur quidem per vniuerſam eccleſiam, non ſic ex ſcripturis ſacris, ſed aliter edoctam, veluti ſunt hiſtoriæ, quas de geſtis, miraculis, & glorioſis triumphis ſanctorum ſcripſerunt probatiſsimi patres, Athanaſius, Baſilius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, & alij laudatiſsimi viri, in quibus fidei veritas non vacillauit. huius generis ſunt ſancti, quorum memoriã agimus in canone ſacrificij miſſæ, vt Xyſti, Laurentij, Agnetis, Cæciliæ, & aliorũ poſt editum canonem miſſæ, quorum gloriæ vitæ conuerſatio, & exitus ſanctus innotuerunt toti mundo, ſicuti B. Martini, Nicolai, Benedicti, Bernardi, & aliorum. quædam autem leguntur non ſic generaliter per vniuerſam eccleſiam, ſed per loca & prouincias, in quibus ipſi ſancti miraculis, & ſanctimonia vitæ claruerunt. & ne per angelum Satanæ, qui ſeſe nonnunquam transfigurat in angelum lucis, populus illuderetur, aut falſis teſtimoniis, aut confictis miraculis, eccleſiæ iudicium moderamen canonizationis adhibuit. quãquàm verò cenſura tales canonizandi non antiqua, ſed noua ſit obſeruatio: cultus tamẽ & memoria ſanctorum, vt ſuprà nos docuimus, antiqua res eſt. antiquitus enim ob certiſsimam quorundam vitæ ſanctimoniam, præſertim atteſtantibus miraculis publicis, incepit populus colere, venerari ſanctos, ac celebrare diem glorioſi exitus eorum: quemadmodum patet ex diuerſis Cypriani epiſtolis, & aliorum antiquorum patrum ſcriptis. Quidam ergo ſunt ſancti in cælo, de quibus, quòd ſunt ſancti, iam

Piè ac catholicè credẽdũ eſt de canonizatione et miraculis ſanctorum.

Quo pacto credendum ſit ſanctos ĩ cælis viuere.

cælo regnantes, oportet credere ex fide Chriſtiana, reuelatione deſuper facta in ſcripturis ſacris, Abel, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, ceteríſque multi patriarchę, & prophetæ. Ioannem Baptiſtam, Stephanum, duodecim apoſtolos, latronem in cruce morientem, cui dixit Chriſtus, Hodie mecum eris in paradiſo, Paulum, & alios multos iam ſanctos in cælo viuere, & regnare credimus, eadem fide qua credimus articulis ceteris in ſcriptura ſacra expreſſis. Alij autem ſancti ſunt in cælo, de quibus, quòd ſancti ſunt, oportet credere, ſed non ſic ex reuelatione deſuper facta in ſacra ſcriptura, quorum laudabilis vita & religioſus exitus illuſtrauit iam olim totam eccleſiam in vniuerſo mundo. iccirco de eis, quòd ſancti ſunt, rationabiliter, immo ſine incredibili temeritate atque impudentia aut negare, aut dubitare non poſſumus. Si ſtupidus & temerarius cenſeretur, quiſquis negare præſumeret res profanas de regibus, ducibus, principibus, aut philoſophis huius ſæculi in toto mundo vulgatis, quantò magis temerarius erit, qui vniuerſalis eccleſiæ iudicium, iam olim tot epiſcoporum, tot doctorum, tot hominum ſecumdum ſeriem ſucceſſionis ſuccedentium conſenſu firmatum, negare præſumpſerit? Alij ſunt ſancti, qui in diuerſis regnis & prouinciis claruerunt mirabili vitæ ſanctimonia, quorum vita laudabilis, glorioſúſque exitus innotuit toti aut regno, aut prouinciæ, ſuper quibus & eccleſia ex fidelium hominum teſtimoniis, aliíſue indiciis cenſuram ſuæ canonizationis adhibuit. & hîc ſunt gradus multi, ſecundum quos vitæ ſanctitas ſub miraculorum atteſtationibus in aliis plus, in aliis minùs emicuit. quamuis verò non oporteat nos omniũ horum ſanctitatẽ tam firma tantáque immobili fide credere, quàm credimus ſanctitatem eorum, qui in canonicis ſcripturis deſcribuntur: (ſuper his enim credere, aut dubitare eccleſiam fuiſſe deluſam hæreſis eſt) ſuper illis tamen credere, aut dubitare eccleſiam potuiſſe deludi, & decipi, etſi non hæreſis, eſt profectò quidem inhumana audacia, & inſignis impudentia. neque poſſumus illæſa fide aut contemnere, aut nihili facere obſeruationem eccleſiæ, quaſi olim ipſa fuiſſet aut deluſa, aut leuitate vſa, inſtituens celebrandam huius vel illius ſancti memoriam, verùm

quidem eſt, eccleſiam in his, quæ ſunt, facti errare poſſe, & angelum Satanæ ſeſe interdum transferre in angelum lucis, aut ſimulatione ſanctitatis, aut miraculis falſis, ſigníſque mendacibus, qualia pronuntiat Chriſtus per Antichriſtum futura: ſed hæc omnia per ſatellites ſuos vtpote hæreticos, aut hypocritas, iam olim & fecit Satanas, & nunc facit, & facturus eſt per Antichriſtum, vt populum nimirum fidelẽ fallat, deludat, à fide & à caritate Chriſti auertat: per ſanctos verò, quos ſuo iudicio eccleſia diuino lumine illuſtrata probat, minimè gentium. immo de eis certa eſt Chriſti eccleſia vſque ad exitum permanſiſſe in profeſſione fidei & caritatis, in pace, & vnione totius eccleſiæ. proinde noſtri iudicij non eſt humanas noſtras phantaſias contra piam fidem, quam habuit eccleſia de ſanctimonia vitæ ſanctorum canonizandorum, præſumere quidquam definire. Iam olim eccleſiaſtici patres & pontifices vtique nouerunt ſcripturas, quibus dicitur, Qui citò credit, leuis eſt corde. Non omni verbo credas, Innocens omni verbo credit. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probare ſpiritus ſi ex Deo ſint. Angelus Satanæ ſeſe transfigurat in angelum lucis. quare omnibus modis eſt præſumendum eoſdem patres in celebrandis quorumlibet ſanctorum memoriis nihil temerè aut inſtituiſſe, aut admiſcuiſſe, ſed, matura deliberatione præhabita, & diligenti examinatione ſatis commodè præmiſſa, confiſos diuino adiutorio, quod videbatur pro deuotione fidelis populi amplianda, ſtatuiſſe. qui hũc in modum de prouidentia & circumſpectione eccleſiæ, in qua & habitat diuinus ſpiritus, tam piè ſentit, perniciosè non ſinitur errare. nam Deus ad fidem reſpicit orantis, ſecundum quam ipſe colens & venerans creaturam cælitus ſanctificatam, & poſtulans illam apud Deum habere interceſſorem, non in vllam creaturam, ſed in Deum ſuam ponit fiduciam, quemadmodum gloſſa magiſtralis docet in ſupradicto verbo apoſtoli, Angelus Satanæ transfigurat ſe. Angelus Satanæ, inquit, cùm ſe fingens bonum, ea vel facit, vel dicit, quæ congruunt bonis angelis, ſi credatur bonus, non error periculoſus ac morbidus, niſi quis Satanæ adhæreat, dum ad ſua mala & falſa incipit adducere. ſicut & nihil eſt periculi, ſi quis vnũ-

Eccleſ. 19. *Ibidem.* *Prouerb. 14* *1. Ioann. 4.* *2. Cor. 11.*

Gloſſa ordinario, quo pacto angelus Satanæ ſe in lucis miniſtrũ transfiguret.

Matt. 7. quemque viuorum ex coniecturis fructuum, ſine operũ externorum reputet bonum, Chriſtianum, fidelem, iuſtũ, caſtum, & qui forſan talis non eſt. Ex fructibus eorum, inquit ſaluator, cognoſcetis eos. neque hoc eſt citò omni ſpiritui credere omnia, quæ audit bona & laudabilia dici de eo, quem diligit. vnde ſpiritum caritatis habens credit omnia, quæ ſunt ſecundum caritatis ſpiritum credenda, ſicut & caritas ſperat omnia, quæ ſunt ex caritate ſperanda. *1. Cor. 13.* ſpiritus autem caritatis non eſt ſuſpicioſus, non cogitat malum de proximo, non temerè iudicat: qui verax eſt in omnibus ſecundum caritatis ſpiritum, facilè æſtimat & cæteros eſſe veraces. quemadmodum autem quis interdum piè & ſanctè credit id, quod falſum eſt, verum eſſe, interdum autem quis impiè & temerariè credit verum eſſe, quod verum eſt: ita contingit interdum eos, qui falſis ſententiis aſſentiunt, veros eſſe catholicos, eos autem, qui veris temerè aſſentiunt, eſſe pertinaces. Hæc quamuis videantur forſitan ad hanc rem minimè pertinere, diligenter tamen conſiderata, iuuabunt ad diſſoluendum improborum quorundam argumenta.

Quãtus miraculis ſanctorũ teneamur fidẽ adhibere. AMPLIVS verò hîc ſciendum eſt, quòd licet oporteat nos credere ſanctos regnare in cælo: non ob id tamen credere oportet, quæ de huiuſmodi ſanctis & apoſtolis, ſiue de domina noſtra Maria, aliiſque publicis in libris quibuſdam leguntur conſcripta, præſertim in his, quorum ignorantur auctores, in quibus neque eccleſia vnquam habuit teſtes idoneos. proinde nec illis ſedes apoſtolica, nec ſancti patres præbuerunt aſſenſum, eo quòd vel ab hæreticis, vel infidelibus ſub nomine apoſtolorum, vel ſanctorum ſuſpicantur eſſe compoſita. in quibus tametſi vtilia nonnulla inueniantur, & antiquus Chriſtianæ eccleſiæ ſtatus dignoſcatur: eccleſia tamen ſemper illa, vt ſuſpecta, & à ſcripturis ſanctorum patrum cenſuit aliena. Quòd autem in his omnibus maximè mirandum occurrit, hoc eſt: quouis ſanè modo cõſideres antiquum eccleſiæ ſtatum, veteres mores, ritus, atque conſuetudines, apud omnes ſcriptores omnibus ætatibus id obſeruatum reperias, ad ſanctorum vtique martyrum memorias hominum multitudinem conuenire ſolitam, quòd viderent, audirentque mirabilia ac

prodigioſa multa, quæ fidelis plebs ad ſanctorum inuocationem conſequebatur. vt temerarius ſit omnis is, immo dicam, hæreticus, qui poſt tot ſæculorum approbationes, poſt tot ſcripturarum teſtimonia, poſt ſanctiſsimorum patrum hac de re ſententias, poſt vniuerſalis demum eccleſiæ ſuper ipſo negotio latum iudicium aut ſanctorum canonizationem irrideat, aut ipſorum res geſtas, velut apocryphas, ſine diſcrimine habeat, aut martyrum miracula (quod audire eſt omnium moleſtiſsimum) illuſiones dicat eſſe Satanæ, quibus fidelis populus à Dei ſui cultu auocetur.

Liber totus abſoluitur, atque omnium, quæ dicta ſunt, epitome traditur.

CAP. XLIIII.

QVæ cùm ita ſe habeãt Chriſtiane lector, grauiter tamẽ nobis, iraſcitur Caluinus, &, qua pollet maieſtate, ſuccenſet nobis, quòd præter illa miracula, hiſtoria euangelica cõprehenſa, quæ omnino certa ſunt, nullis obnoxia cauillis, vlteriora ab ipſo flagitemus. Quid nobis indignaris maxime cenſor? nos huic euangelio, quod illa miracula vnicè confirmant, ſanctè credimus, tibi verò non credimus, neque, vnde te habeamus, ſatis nouimus. eſto tu ipſe iudex, vide, quantũ iuſtę cauſſę noſtræ cõfidamus: iudica ipſe, modò iſtis importunis affectibus, qui te malè torquent, & cruciant, vel ad horam quidem iuſſeris valere: exue paululùm rei perſonam, etſi libet, quaſi nihil ad te cauſſa pertineat. ęqui iudicis partes age. ſit ita. nihil proſit eccleſię Chriſti antiqua innocentia, tantorum ſanctorum partus, tot magiſtrorum amplitudo, quos vero ſimile non eſt aut matrem cariſsimã fefelliſſe, aut ipſoſmet miſerè fuiſſe falſos: nihil horũ huic cauſſę faueat. ſit vt lubet. finge optime iudex cauſã eam agi apud tuam celſitudinẽ, cuius hic ſit ſtatus: Noui quidam inuaſores & graſſatores in imbellis humilíſque mulieris poſſeſsiones inmoderata rabie inuaſerunt, eos nunc ea apud te reos agit & accuſat, quòd in antiquam poſſeſsionẽ iuſto titulo habitã, ſimilibus eam nominibus ac nouis in dies acquiſitam, tanta iniuria aſsiliendum nó foret: illos autẽ atque antiquum ius habuiſſe, neque nonum quidquam afferre præter vim & iniuriam, quod co-

ram tua amplitudine magne prętor producere poſsint: ſi tuam ergo fidem ſupplex imploret, ſi te iudicem appellet, ſi tuum auxilium expoſcat, officium obteſtetur, téque inuocet prætorem ſuum, & defenſorem, nónne rem totã ſumma diligentia & pietate tranſigere curabis? atque ſi nouos titulos ad antiquos optimè quadrare intellexeris, ſi pacificè hactenus retinuiſſe compereris, nónne omnẽ operam nauabis, quo ab iniquis prædonibus, quæ tam diu bona fide poſſedit, in integrum ſaluis omnibus reſtituatur? ánnon iure ac meritò abs te petet & efflagitabit, ne patiare alienis bonis illos ditefcere, à quibus coram te quæri, quid agant infeliciſſimi illi in ſuo horto, homines logè diuerſi? quo iure ſuam ſyluam illi cædant? qua licentia fontes ſuos interturbent? Si id pluſquam iuſtum & ęquum in muliere illa iudicabis Caluine, finge animo tuo, audire te iam eccleſię Chriſti voces, quibus de nouis iſtis prædonibus queritur, & apud te his, aut ſimilibus certè verbis eam agere cogita: Diuina ſcriptura, & ſanctum Chriſti euangelium mea vtique eſt poſſeſsio, olim poſsideo, origines firmas habeo, Chriſti & apoſtolorum ipſa ego hæres. ſicut illi ſuo teſtamento cauerunt, ſicut meæ fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo, ita obſeruo, nouis ſemper mirabilibus aucta. iſtos perditionis, non ſuos, filios exhæredes nominatim ſcripſerunt, abiecerunt, nihílque illis præter anathema & væ æternum reliquerunt. cùm in eam hęreditatem dono ac beneficio teſtatoris ac ſponſi mei aſciſceret, prodigia acta eſſe memini non, quæ me terrerent, aut timorem vllum mihi incuterent, vt antiquiora illa veteri ſynagogæ fecerunt, ſed quæ mirum in modum confirmarent, in amore retinerent, & in ſponſi deſiderium allicerent. quanta ego hiſce oculis prodigia vidi, dum ille mihi, cùm adhuc viueret, euãgelicam doctrinam dono traderet, quàm aperta eius rei, quam profitebatur, teſtimonia. profectò ſi eorum numerus, ſubſtantia, modus, tempus, locus, cuncta denique pro dignitate expendantur, tantíque magiſtri vita, innocentia, manſuetudo perpendatur. exquiratur, atque examinetur: omni dubio procul vera eſſe quæ docebat, ij, quibus ea videre contigit, intelligere potuerunt. Dedit

etiã & in morte ſigna,quibus quam mihi reliquiſſet hæreditatem,mirè confirmaret: ipſe etiam & reſurgens adauxit:abiens verò in cælum non protinus cæleſtem virtutem à me ablatam voluit, aut aſportandam ſecum curauit,ſed magis mecum ipſam magnificentiſsimè communicauit,addens,quòd qui in ipſum credidiſſet,multò plura faceret illis,quæ ipſe feciſſet. vt quoniam vna erat cõmuníſque doctrina, vna etiam eadémque foret illius atteſtatio,ac publica cõfirmatio. neque cum apoſtolis quidem poteſtas ad miracula cælos conſcendit, ſed mecum manſit,ſempérque manebit. Conferantur itaque martyrum & ſanctorũ prodigia,quæ acta fuiſſe facilè eſt ſumma veritate ac certitudine probare ex Auguſtino meo, Epiphanio, Baſilio, Hieronymo, infinitíſque aliis cum Chriſti miraculis, mox occurret conſideranti eadem in omnibus ratio, idem finis & vſus, vt liceat hinc inferre vnum eſſe omnium auctorem, nempe Chriſtũ dominũ ſicut vna eſt religio, quæ Chriſti miraculis aſtruebatur, & quam noſtra ſtabiliunt. illa fidem hominum animis inſerebant,hæc iam natam ſummè roborant:illis Dei, & Chriſti gloria magis ſpectabilis apparebat,his item multùm illuſtratur:illis obſtinatorũ impudentia cõfundebatur,his etiã non minùs conuincitur:illis teſtabatur Deus noſtrarum rerum indefeſſam ſe curam gerere: hoc ſimiliter martyrum miraculis egregiè probatur:ſi illa in atteſtationem innocentiæ Chriſti acta ſunt, hæc in fidele & firmum teſtimonium vitæ eorum, qui, Chriſtum ſecuti, euangelicis veſtigiis penitus hæſerunt. quid dicam amplius? illis Deus benedicebatur,& laudabatur, his item in ſanctis benedicitur,honoratur,potentiſsimúſque prædicatur.& ſicut longè alius eſt finis,quem ſanctorum miracula prætendunt, ab eo,quem Satanicæ illuſiones obſeruant, ita longè alius eſt illorum & iſtorum auctor, aliæ notæ, alióſque longè diuerſos Lydios habent lapides. noſtri ſunt diuini,euangelici,à quibus tranſuerſum vnguẽ miracula, quæ nos iactamus,minimè deflectunt, nec declinant: illorum regula plumbea eſt, quoquo volueris ipſam inflectes, non habent modum,non ſeruant mouentem cauſſam, malos vt plurimùm habent exitus,

neque perſeuerare diutius poſſunt. quòd ſi, vt dixi, res ita ſe habet, ſi iſti nihil tale de ſe affirmare poſſunt, iniuria eſt, qua me grauiter afficiunt, dum me, legitima hærede poſthabita, & meos titulos obſcurant, & ſibi nouos falſos ac mendaces comminiſcuntur.

NON PVTO Caluine, ſi preſsiùs ac liberiùs ea tecum reputaſſes, ſi veritati ac iuſtitiæ paulisper inſeruire tibi libuiſſet, & non magis prorſus omnem rationem abieciſſes, humanitatémque penitus depoſuiſſes, non, inquam, puto defuturum te tam iuſtis eccleſię querelis cõtra nouiſsimos quoſque graſſatores: qui præter effrenatam quandam cupiditatem, quæ & illos ad prædam rapinámque miſerè excæcauit, quod tam antiquæ veritati, tam firmę, tam illuſtri obiicere poſsint, nihil habent. Confer, rogo te, atque oro, antiquorum patrum ſententias ſuper hac re cum Euſtathij tui atque Lutheri placitis, ſtatim re ipſa intelliges, quantum inter religionem & ſuperſtitionem, immo iſtam impietatem interſit. recordare. obſecro, eas omnes hiſtorias, quas omni ſæculo, & loco de memoriis martyrum habemus. pone quæſo, ante oculos tuos lætitiam Chriſtianæ eccleſiæ, fideliſque orbis in recenſendis diuinis prodigiis, (vt teſtis eſt Auguſt.) quæ ſibi per ſanctos contigiſſent. reſpice te etiam atque etiam oro, interdum Chriſti ſponſam, tuam verò parentem cariſsimam: quibus ortus ſis, non quibuſcum viuas, conſidera. Sed nimirum, vt quidam oculorum morbo aliquo, & ſenſus ſtupore lucem non ſentiunt, ſic vagi homines, & transfugæ veræ diſciplinæ guſtum non habent. *Quę autem*, inquit, *illi pro ſe obtendunt, meræ ſunt Satanæ illuſiones, quando à vero Dei ſui cultu ad vanitatem populum abducunt*: iudicia, vt video, diuina non metuis: ſi propter innocentiam, laudarem vtique. ſed quia ob elationem, & tui animi tumorem, mihi certum eſt, ea te paruipendere, non poſſum non mirari. at de te tu ipſe videris, Chriſti ſponſa de ſe ipſa hoc vnum, quod bonis temporibus facere inſtituit, profitebitur. defendit ſanctorum gloriàm adoleſcens, non deſeret ſenex: contempſit Porphyrij, Eunomij, Euſtathij gladios, non pertimeſcet tuos. exercere, quantum libuerit, alie-

nis vocibus, vtêre, quantum voles, inimicorum etiam olim ſepultorum contra nos rabie: nos verò militum Chriſto ſeruientium trophæa, prodigiáque nunquam enarrare ceſſabimus. vtquam illuſtris quàm ſplendida, quàm decora ſit eccleſiæ noſtræ facies, vndiq; appareat: contra tua ſynagoga quàm deiecta, obſoleta, ac ſupra pellis Salomonis, atque Moſis Aethiopiſſam denigrata, omnes intelligant,& admirentur.

Quarti libri finis.

LOCORVM CATHOLICORVM PRO ORTHODOXA ac veteri ſide retinenda,

De antiquorum patrum ſingulari & ſumma in fide noſtra conſenſione.
LIBER V.

F.Franciſco Horantio Hiſpano auctore.

CVm cæleſtis ac diuinus legiſlator noſter, & eccleſiæ fundator inclytus, Chriſtus IESVS, *optime & Chriſtiane lector, ſuæ religionis propagandæ initium ordiretur, eam nobis credendi, atque viuendi doctrinam tradidit, quæ vniuerſam religionis noſtræ ſummam, ſacramentorum rationem, ac vitæ degendæ præcepta contineret. Dei ſiquidē cultus, in quem ille vnum dies totos incūbebat, haud facilè amplificari, neque cum doctrina vera ipſa pietas coli à nobis potuiſſet, niſi principia de eiuſmodi rebus nō extenuato, ſed vniuerſa & abſoluta quadam ratione, atque generatim primo darētur: vt poſt in certos ac proprios modos ſingula ſuis locis, & verbis deſignarentur, generibus illuſtrarentur, partibus diſtribuerentur. Vi-*

demus enim in omni optimè conſtituta repub. eum morem, diſciplinámque ſeruari, vt certorum præceptorum deſcriptione definita ſint ſingula, & rerum agendarum munera, quò & ipſa intelligendi ratio mirabiliter vt in tabula ſit collocata. ſic porrò tam ij, qui aliis præſunt, quàm qui eorum poteſtati obediunt, intelligent, & velut vno aſpectu intuebuntur, quãtum ſibi impoſitum ſit & muneris, & fidei, quo loco, quo tempore, qua ratione, ac modo vnumquodque ſit & agendum, & credendum. itaque eiuſmodi rerum diſtributio primo gradu apoſtolis ſanctis à Chriſto cõmiſſa eſt: qui apoſtolica maieſtate clari, atq; eximia auctoritate præditi diuinũ cultũ conſtituerunt, euangelicas leges declararũt, apoſtolicas ſanxerũt, ſingulis ordinibus officia, & propriam viuendi normam dederunt, ſacra, cæremonias, preces, ieiunia, ritus, ſolennia omnia inſtituerunt, fidẽ, hoc eſt, credẽdi legẽ, pro ratione temporũ explicauerũt. hi fuerunt communes omniũ noſtrum parẽtes, hi noſtri progenitores, apud quos patria & auita illa noſtra philoſophia, quam doceremur, depoſita eſt à Chriſto, & academiæ illius moderatores ſunt conſtituti, in qua dies, noctéſque nos verſari oporteret: hi noſtri niduli, noſtri foci, natalis ſedes, denique nõ terra pa-

rens, ſed cælum nos generans. hos primos Chriſti diſcipulos, ac Chriſtianæ reipub. ſenatores ſummos ſecuti ſunt ex eorum ſemine cæleſtes filij quamplurimi, martyrij ipſorum hæredes, fidei ſucceſſores, auctoritatis eorum vicarij, omnes patricij, antiquiſsimique ciues, Clemens Romanus, Dionyſius, Ignatius, Petrus Alexandrinus, Athanaſius, Cyprianus, Irenæus, Baſilius, Gregorij tres, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, atque innumeri alij, quorum nomina liber ille æternæ vitæ apud ſe perpetuò ſcripta continebit. Cùm igitur horum vita, prædicatione, libris, atque ſententiis noſtra eccleſia tantopere glorietur, lætentur pij omnes, hoſtes verò noſtri gemant. Caluinus ægrè ferens tanta gloriatione nos frui, atque de ſe ipſo glorioſiùs locutus, iactare in ſua epiſtola nõ eſt veritus, quòd ſi patrum teſtimoniis res hæc tranſigẽda eſſet, maior victoriæ pars ad Zuinglianos, hoc eſt, Sacramentarios contra eccleſiam inclinaret. immo conuincere laborat multis exẽplis productis, in antiquos noſtrorum patrum terminos nos ſæpe impegiſſe: quippe qui impudenter ipſos prætergreſsi non ſemel fuerimus. Acacium profert, & Ambroſium contra noſtrorum templorum, ac vaſorum ſacrorum apparatum, & ſplendorem. Speridionem ſe-

nem ſanctum & pium contra eccleſiaſtica ieiunia, ciborum delectum, atque quadrageſimalem obſeruationem. Auguſtinum contra noſtri temporis monaſticen, Epiphanium contra imagines, Ambroſium contra curã mortuorum, & ſuffragia, quibus nos eos iuuari firmiter credimus, Gelaſium, ac Cyprianum contra communicationem, quæ fit à laicis hominibus ſub vnica duntaxat ſpecie nempe panis, Chryſoſtomum, ac Calliſtum contra miſſas priuatas, vt iſti vocant, Auguſtinum cõtra ſcholaſticos doctores, Paphnutiũ tãdẽ cõtra ſacerdotũ cælibatũ. Quapropter operæpretium Chriſtianæ reipub. nos facturos non omnino ſine ratione arbitrati ſumus, ſi cùm patres, ac maiores noſtros benedictóſque manes ab iſtorum hominum libidine, atque impetu pro noſtra virili parte vindicare ſtuderemus, tum etiam ea omnia, quaſi per manus tradita, ab ipſiſmet accepiſſe oſtenderimus: quorum terminos quaſi tranſgreſsi fuerimus, homo iſte adeò perdita & deplorata impudentia eſt, vt nos caſtigare auſit. Multa itaque hîc congeſta intuebere lector Chriſtiane de templorum ornatu, ac ſacrarum veſtium & vaſorum ſplendore, multa de origine, incremento, obſeruatione, tempore, ac qualitate ieiuniorum, multa de antiqui & noſtri ſæcu-

li monaſtice, veſtitu, antiquitate, votis, vita, exercitio, atque laboribus, multa de mortuorum ſuffragiis, pœnarum remiſſionibus, ac purgatorio, multa de miſſis priuatis, id eſt, de his miſſis, in quibus ſacerdos ſolus Chriſti corpus aſſumit; multa de communione ſub vnica tantùm ſpecie, multa de ſacerdotum cælibatu, de ipſius ortu, ratione, progreſſu, atque perpetua obſeruatione, multa demum de antiquis conſuetudinibus patrum: quæ omnia, optimè ſcio, legiſſe neminem aliquando pigebit. ſunt hæc præclara nimis, nõ omnibus peruia, & quæ niſi magno labore, ac ſumma cura colligi non potuerunt. Quamobrem tu lector his candide fruere, & in tàm ſuſpicioſa & maledica quorundã inuidia, precor, vt locũ ſermoni obtrectatorum nullum relinquere velis. quotus enim quiſque maledicta hominum iſtorum maleuorum, & maledicorum conuicia, probra, contumelias effugere poterit? ſed ego in ea ſemper fui ſententia, atque ſic animum meum iam à puero induxi, vt ex defendendo, quàm ex accuſando, cùm apud homines, tum apud Deum ipſum maiorem gloriam comparatum iri non dubitarem, ſed firmiter ſemper crederem. neque poſſum non vitio & ſceleri vertere, ſi quos video, liuidam in eos exercentes cenſuram, qui can-

didè, ſincerè, purè, benignè, ſplendidiſſimóque animo nobis & vigilant, & laborãt. fruantur illi Iſmahelis gloria, ſint eorum manus contra omnes, aduerſum quos iuſtè omnium manus ſe erigent: tu tamen benigne lector, potiùs Chriſti noſtri imitare ingenium, qui poculum aquæ frigidæ æterno atque infinito pretio numerare cõſtituit. noli munuſcula noſtra repudiare, noli nos deſpicere, qui magnifica dare non poſſumus, ſed pro tua erga nos humanitate in referenda gratia non commodum, ſed noſtrum animum vide etiam atque etiam, & conſidera. tale igitur de te iudicium non poteſt mihi non ſummè iucundum eſſe: quod cùm ita ſit, eſſe gratum neceſſe eſt atque valde me magnificè, grauiter, animoſéque incenſum, & inflammatum in omne diſcrimen reddere.

Antiquorum patrum concordibus ſententiis optimè ſe tueri eccleſiam, ſequendamq; eſſe antiquitatem, multiplicibus exemplis oſtenditur: Caluini verba, quibus veteres patres Sacramentarios & Zuuinglianos fuiſſe ſentit, referuntur, atq; eis reſpondetur.

CAPVT I.

NIHIL vnquam longius hoc lætiſſimo die, in quo pro patribus dicendum eſſet, mihi viſum eſt Chriſtiane lector. cum enim ęquitas tripartita ſit, vnáque ad Deum, altera ad manes, tertia ad homines pertineat: mihi ad dicẽdum gratius illa altera, vel ad inueniendum copioſius, nihil occurrere potuiſſet. nulla res (liberè fateor) me magis non mouere modò, ſed oblectare poſſet, quàm vt oſtenderem orthodoxos illos patres noſtros, non auos tantùm & proauos, aut atauos, ſed etiã, ſi ad Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Cyprianum aſcendendum ſit, nunquam à catholicæ & Romanæ eccleſiæ (quam magiſtram non ſemel declararunt & nominarunt) tramite defeciſſe: nunquam à Chriſtiana republica, à ſuo imperio, nomine, legibus deſciuiſſe: illius ſemper dignitatẽ obſeruauiſſe, fidem coluiſſe, qui ſi quid in fide & religione ambiguum cernerent, mox ad Petri ſedem deferebant: ad quam, tanquam ad immobile ſaxum, adhæreſcebant, omnémque ei ſuam auctoritatem ſacrabant. ſed & labores, vigilias, ac ſudores, adde vitam ipſam, ad hoc negotium, ſi neceſſitas poſtulaſſet, conficiendum referebant. quoniam copias, aut opes cariſſimæ parenti dicaſſe, parum eſſe angelicis illis mentibus, veréque apoſtolicis animis videbatur. eorum veſtigia illi ſeruabant, & greſſibus preſſiùs hærebant, quorum doctrinam & mores prudentiſſima hæc mater probauiſſet: contrà cum hæreticis ac perditiſſimis hominibus non communicare, à quorum non modò familiaritate, ſed etiam congreſſione eccleſia patrio iure, & poteſtate ſuos filios prohibuiſſet, ſumma religione teneri ſe arbitrabantur. quid plura? Romana fides Lydius lapis erat, ad quem ſua omnia conferentes inter vltimos vitæ

ſuæ ſpiritus nihil magis acclamabant, quàm in ea fide velle ſe ſenes mori, in qua pueri nati forent: tunc etiam non minùs, quàm nunc nouatores quidam noua dogmata, & nunquam eatenus audita Romanis auribus inculcabant. non poteſt itaque horum commemoratione Chriſti ſponſa (nouit eos ſiquidem ex numero omnes & per nomina ſæpe recenſet) non recreari mirum in modum, & quos olim ſuo imperio obedientiſſimos & obſequentiſſimos habuit, nobis nunc imitandos patres non proponere & ſtatuere. atque ſi de eccleſiæ ſenſibus diſceptatio ſit, quis eo benedicto partu ſuæ matris ſinus penitus perſcrutatus eſt? quibus, niſi his pia parens toties nudauit pectus? ſi de moribus, ritibus, cæremoniis, déque multis aliis quæſtio inter nos oriatur, quis teſtis oculatior? quis fide dignior his, qui & viderunt ipſi, & patres item ſuos ita referentes audierunt? rem quidem omnem, ſuper qua controuerſia oriri continget, ab apoſtolis primùm, per hos deinde, quaſi per aquæ ductus, ad nos vſque profluxiſſe, in re tam aperta vti probationibus, ac teſtibus minimè neceſſariis, & mihi laborioſum ac moleſtum fuerit, & lectori etiam non nimiùm gratum. ſatis ſit hoc vnum obſeruaſſe nos hîc. orthodoxi ſiquidem illi patres omnino curauerunt, vt quam ab eccleſia fidem recepiſſent, eam nobis integram ſuis libris exprimerent, vt & acceptam gratiam matri referrent, & nos ſibi pari beneficio, & officio deuincirent, atque obſtringerent. Sunt igitur ſanctiſſimi hi patres ex apoſtolico ſemine exorti, per quos & nos habemus, vt ſimus apoſtolico lacte nutriti, & educati. hi ſunt ciuitatis noſtræ muri, quos nos ſanctos eſſe non abs re dicimus. vt ſi Hannibal ad portas venerit iaculo nos traiecturus, de huiuſcemodi muro ac propugnaculo eum impediamus, & omnes ipſius impetus infringamus, nihil clamantes magis, quàm, Patres noſtri id annuntiauerunt nobis. cuius rei memoria dum noſtris erit infixa mentibus, firmiſſimo nos muro ſeptos eſſe arbitrabimur. at, quoniam huic Caluinianus aries non parcit, Chriſti ciuitati, tam impiè à ſicariis obſeſſæ, non inutile fore duxi, ſi inde aduerſarium repellam, feriam, ac propulſem.

ſpero enim, & confido, iſtum experturum, longè veriſſimum eſſe ac certiſſimum, quod Dauid rex ad Ioab per manus Vriæ tranſmiſit. Cur pugnando tam propè ad vrbem acceſſiſtis? an non exploratum habuiſtis, iaculaturos eos è muro? quis feriuit Abimelech filium Ierobeſeth? an non mulier deiecit fragmentum lapidis molaris è muro? cur igitur acceſſiſtis ad murum? Te conuenio Caluine: tu ne vſque eò audax eris, vt ſic tam prope vrbem noſtram murum quaſſurus, vniuerſamque antiquitatem vno ictu & impetu perditurus accedas? an non exploratum tibi erat, inde nos ſpicula iaculaturos & ſaxa, tot patrum ſententiis munitos atque armatos? hoc vnum ſaxum, antiquam ſcilicet patrum traditionem, quam perennem in eccleſia vigere intuemur, velut è muro firmiſſimo iecit Irenæus in Valentinum, cùm prope vrbem accedere non dubitaret hæreticus ille: eo vno è præſidio Tertullianus Martionem percuſſit, Origenes Celſum, Nycena ſynodus inde contra Arrium certiſſimo iaculata eſt. hoc item iaculo traiectus eſt à S. Baſilio Eunomius, à Hieronymo verò Iouinianus, Vigilantius, Luciferianus, Neſtorius item à Cyrillo beatiſſimo. eo, inquam, ſaxo fortiter vrbem propugnat proclus Conſtantinopolitanus epiſcopus, ad Armenios ſcribens, Theodoritus item in Polymorpho contra ſui temporis hæreticos. quid Auguſtinum commemorem, cui nihil magis in manu eſt, quàm ab apoſtolis ſatis conueniens ſacerdotum & patrum ſucceſſio, dum cùm Pelagianis, Donatiſtis, Iuliano cominus congreditur? Leo, Gelaſius, Ioannes, Romani pontifices, nulla tela frequentiùs in ſuos hoſtes contorquebant, quàm ſuſceptam antiquitus à patribus & cuſtoditam omni in loco de fide & religione doctrinam. his, non aliis armis. contra hoſtes in arenam proceſſit Maxentius in libello fidei, quem apoſtolicæ ſedi contra varios hæreticos dicauit. ſexta ſynodus contra Monothletas, ſeptima verò contra Iconomachos, patrum ſententiis, concordique patrocinio munitæ, arma & ſcutum apprehenderunt. de Beda venerabili, de Petro Clunacenſi contra Henricanos & Petrobruſianos, de Bernardo illius æquali contra Petrum Habailardum,

2. Reg. 11.
Iud. 9.

de Euthymio contra diuerſos multorum temporum hæreticos, déque multis aliis nihil referre hîc oportebit. Quòd ſi magno tandem ſtudio, & ſumma attentione perquiras à quamplurimis ſanctitate & doctrina præſtantibus viris, quónam modo poſſis certa quadam, & quaſi generali ac regulari via catholicæ fidei veritatem ab hæretica prauitatis falſitate diſcernere, huiuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè referas: quòd ſiue tu ipſe, ſiue quiſpiam alius velit exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueóſque vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam, domino fauente, debeat, cùm diuinæ legis auctoritate, tum deinde eccleſiæ catholicæ, atque eccleſiaſticorum patrum traditione. etſi porrò ſcripturarum canon perfectus eſt, ſibíque ad omnia ſatis ſupérque ſufficere videtur: opus nihilominus eſt, vt ei eccleſiaſticæ intelligentiæ auctoritas adiungatur. vt non iam penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ eruantur, tam variæ, támque contrariæ, ſed potiùs propheticæ atque apoſtolicæ interpretationis linea iuxta eccleſiaſtici, veréque catholici ſenſus legem dirigatur. vt & in ipſa eccleſia (quod magnopere curandum eſt) id omnes teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. hoc eſt Chriſtiane ac pie lector, hoc eſt verè propriéque catholicum (quod ipſa vis nominis ac ratio declarat) omnia catholicè vniuerſalitérque comprehendens. nihil habemus firmius, nihil proferre poſſumus ſanctius & ſtabilius, quàm ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. vniuerſitatem porrò cuſtodiet quiſquis eam veram fidem crediderit eſſe, quam per orbem terrarum longè latéque diffuſa Chriſti eccleſia in vniuerſum amplexata eſt. ſeruabit item antiquitatem quiſquis ab his ſenſibus nunquam deflexerit, quos maiores ſuos, viros ſanè & ſanctiſſimos & eruditiſſimos celebrauiſſe intellexerit. concordiam & vnitatem tuebitur quiſquis ſic in illius vigilia manſerit, vt omnium, vel reuera penè omnium ſacerdotum, pariter & magiſtrorum diffinitiones, ſententiáſque ſectabitur. Quamobrem non nobis iraſcatur Caluinus, quòd

Vinc. Lirin. lib. contra hæreſes.

quinto loco nouo euangelio antiquum, nouis docto-
ribus & magiſtris antiquos, probos, ſatíſque probatos
opponimus. At, dum ad hæc nobis ipſe reſpondet,
tum in nos liberiùs debachatur, tum etiam (quod om-
nium moleſtiſſimum nobis videtur) ſummam iniuriam
benedictis illis manibus infert, cùm contra eccleſiaſti-
cam diſciplinam & contra catholicos patres pro hære-
ticis nouo euangelio ipſos pugnare fingit. gloriatur e-
tiam, ſi ſuperis placet, quòd ſi patrum auctoritate cer-
tamen dirimendum eſſet, melior victoriæ pars (vt tem-
peratiſſimè loquatur homo modeſtiſſimus) ad ipſum
inclinaret. Sed modo nobis vſitato Caluiniana verba
referamus, vt & noſtræ cauſæ vires iuuemus, & illius
ſimul arrogantiam, in ſanctos verò iniuriam, in eccle-
ſiam demum non vulgare mendacium oſtendamus.

Præterea calumnioſè nobis patres opponunt (antiquos & meliores adhuc ſeculi ſcriptores intelligo) ac ſi eos haberent ſuæ impietatis ſuffragatores: quorum auctoritate ſi dirimendum certamen eſſet, melior victoriæ pars (vt modeſtiſſimè loquar) ad nos inclinaret. Verùm, cum multa præclarè ac ſapienter ab illis patribus ſcripta ſint, in quibuſdam verò iis acciderit, quod hominibus ſolet, iſti, pij ſcilicet filij, quæ ſunt & ingenij & iudicij & animi dexteritate, eorum tantùm lapſus & errores adorant: quæ benè dicta ſunt, vel non obſeruant, vel diſſimulant, vel corrumpunt: vt dicas prorſus, illis curæ fuiſſe in auro legere ſtercora. tum improbis clamoribus obruunt, ceu patrum contemptores & aduerſarios. nos verò adeò illos non contemnimus vt ſi id præſentis instituti eſſet, nullo negotio mihi liceat meliorem eorum partem, quæ hodie à nobis dicuntur, ipſorum ſuffragiis comprobare. ſic tamen in eorum ſcriptis verſamur, vt ſemper meminerimus omnia noſtra eſſe, quæ nobis ſeruiant, non dominentur: nos autem vnius CHRISTI, *cui per omnia ſine exceptione parendum ſit. hunc delectum qui non tenet, nihil in religione conſtitutum habebit: quando multa ignorarunt ſancti viri illi. ſæpe inter ſe confligantur, interdum etiam ſecum ipſi pugnant. Non ſine cauſa, inquiunt, à Salomone admonemur, ne transgrediamur antiquos terminos, quos poſuerunt patres noſtri. at non eadem eſt regula in agrorum limitibus, & obedientia fidei, quam ſic comparatam*

Caluinus in epiſt.

1. Cor. 3.

eſſe oportet, vt obliuiſcatur populum ſuum, & domum patris ſui. Quòd ſi tantopere ἀλληγορίζειν geſtiunt, cur non apoſtolos potius, quàm alios quoſuis patres interpretantur, à quibus præſcriptos terminos nefas ſit reuellere? ſic enim interpretatus eſt Hieronymus, cuius verba in ſuos canones retulerunt: hæc, quæſo, nunc ſufficiant vniuerſaliter dicta, mox ad particularia quæque deſcendemus. dicit enim, & effutit multa ſine ordine: quibus tamen modo, & numero, atque ordine ſuo mihi eſſe reſpondendum ſtatui. accomodatiſſimus ſanè hic in progrediendo curſus mihi viſus eſt, ſi primò ab his maledictis Chriſti eccleſiam vindicemus: altero verò loco patres illos à mendacio, quo eos particulariter & ex numero notat Caluinus, liberabimus, apoſtolicíſque mentibus ſuum nitorem riſtituamus. Quæ, rogo te atque etiam oro Caluine, iſta calumnia eſt, quā adhibemus tibi, dum patres opponimus? Quæ iſta tua audacia, qua impunè credis cōuiciari te poſſe Chriſti ſponſæ, ac ſi aliquando alicui impietati ſtuduerit? quis iſtos tuos furentes impetus, crudeliſſimóſque conatus cohibebit? quis iſtum furorem, effrenatámque dicendi libidinem continere, domare, ac refrenare poterit? diſce, diſce ſemel, diſce, te amantiſſimè obſecro, quandoque animum vincere, cohibere iracundiam, liuorem ac maledicentiam frenare. Quicunque igitur tuo furori non ceſſerit, móxne tibi calumniator, ac malitioſus interpres habendus erit? ſi quis per tuam vim malè oppreſſus vel maiores ſuos, vel quoſuis alios in auxilium vocet, (ô rem nouam, crudelémque, ne dicam, ſceleratam, & impiam) móxne tibi culpandus eſt, ac ſi eos habere vellet impietatis alicuius ſuffragatores? percutis, feris, crucias, nec exclamare permittis? obiicis eccleſiæ ingentia crimina, non illi liceat per te fide dignorum hominū teſtimonio ſe purgare? quæris tu, cur ſic ſentiat de ſanctis, de purgatorio, de indulgentiis, de ſacramentis, déque multis aliis, an non licebit antiquitate ſe defendere? Dum ergo tibi patres opponimus Caluine, non calumnioſè agimus, ſed noſtrum ius perſequimur. dum ad patres prouocamus, dum eos appelamus, non, crede mihi, impiæ fraudis iudices, aut patronos tunc eos creamus: ſed ſuis

Partitio cū propoſitione.

ſenſibus tam concordibus, tam receptis, vt iam pridem in rem iudicatam negotium iuiſſe videatur, vniuerſa finiri, & tranſigi cupimus. *At*, inquis, *errores tantùm & lapſus adoratis, & in auro ſtercora legitis*: futilis, mea quidem ſententia, nimiúmque elumbis ea videtur oratio Caluine, qua non minùs vti poſſit aduerſarius contra te atque tu ipſe in illum conieciſti: ſi verò magis ei faueat, contra quem agis, quàm tibi ipſi, qui dicis, non eneruata modò, atque exãguis, ſed ſtulta omnino erit. Quis ita non antiquorum tantùm, ſed omnium ſæculorum lapſus & errores adorat, ſicut vos? quis minùs, quàm vos bene dicta vel obſeruat, vel diſſimulat, vel ſic corrumpit, vt dicamus, prorſus curæ vobis fuiſſe in auro legere ſtercora? Sed de hoc paulo mox longiùs pertractabimus: nunc tantummodo oſtendere conabor Caluino, quãto ſtudio, quantáque diligentia Romana ſedes (quæ verè mater & veritatis magiſtra ſemper extitit) vni huic labori incubuerit, vt orthodoxos patres tum ab hęreticorum ſcripturis atque apocryphis ſecerneret, tum etiam vt ipſos ab erroribus, ſi qui ſunt, purgaret, bene dicta verò reciperet, & vt a ſpiritu ſancto profecta oracula adoraret.

Fructus, qui ex aſſidua lectione librorum patrum antiquorum percipiuntur, recenſentur, ſtudium Romanæ ſedis, quò eiuſmodi opera & ab hæreticorum libris, & ab apocryphis ſcripturis diſtincta forent, ponderatur.

Cap. II.

POſt veteris & noui teſtamenti ſcripturas, poſt concilia à ſanctis patribus legitimè ſub vno capite pontifice max. Romano coacta, poſt eiuſdem apoſtolicæ ſedis (quæ perfidiæ, aut hæreſi nunquam patuit) reſpõſa, nihil habet Chriſti eccleſia illuſtrius, nihil admirabilius ac firmius antiquorum orthodoxorum patrum ſcripturis, vigiliis, lucubrationibus, feliciſſimíſque ſudoribus. poſt prophetarum quidem vaticinia, poſt diuina oracula, poſt apoſtolorum voces, nihil ſic delectat, quàm in manu eos habere frequenter, eorum frui amplexibus, & delectari ingeniis, quorum libros inoffen- *Hieron. ad Latam.*

Fructus qui percipiuntur ex libris patrum orthodoxorum.

ſo pede decurrere poſſis, & in quibus fidei pietas non vacillet. & ideo non vacillat in eccleſiaſticis patribus, & eorum libris, quia zelatores fuerunt fidei, & in nullo à conſortio ſanctæ eccleſiæ deuiarunt, & vſque ad poſtremos vitæ ſuæ ſpiritus in ea permanſerunt. quæcũque affirmant, fidem ædificant, mores componunt, ſcripturas elucidant, Dei iuſtitiam, aut domini noſtri Ieſu Chriſti bonitatem docent, ex ſcripturis, ſiue rationibus, ſiue coniecturis veriſimiliora demonſtrant. quos cùm intueamur eccleſiæ vnitatẽ ſemper retinuiſſe, meritò viros dignos fide exiſtimabimus, & tales, qui neque mentiri vnquam, neque fallere voluerint: quippe qui feruentes fidei ſpiritu hæreticis reſtiterunt, ſcripturarum ænigmata reſerarunt, nodos apparentes, & contrarietates earundem optimè ſoluerunt, obſcura dilucidarunt, ambigua declararunt. Cúmque orthodoxi patres cum apocryphis, & (quod magis dolendũ videbatur) cum hæreticis promiſcui legerentur, Romanæ ſedis, ac proinde Chriſtiani orbis gubernator & rector Gelaſius papa, vir ſanè ſanctus, atque plurimæ ſapientiæ, conſilio ſagax, veritatis cultor, antiquitatis amans, granum (vt dicitur) à paleis ſeiunxit, recenſens magna diligẽtia ſanctorum patrum opuſcula, quæ poſt veteris ac noui teſtamenti ſcripturas, & concilia à ſanctis patribus celebrata, altero gradu ab eccleſia recipiuntur. Opuſcula, inquit, B. Cypriani martyris Carthaginienſis epiſcopi, B. Baſilij Cappadocenſis, B. Ioannis Conſtantinopolitani, B. Hilarij Pictauienſis, opuſcula B. Athanaſij Alexandrini epiſcopi, B. Gregorij Nazianzeni epiſcopi, Auguſtini Hipponenſis, Ambroſij Mediolanenſis, beatiſſimi Hieronymi presbyteri, B. Proſperi viri religioſiſſimi, epiſtolam B. Leonis ad Flauianum epiſcopum opuſcula inſuper omnium patrum orthodoxorum, qui in nullo à ſanctæ Romanæ eccleſię conſortio deuiarunt, nec ab eius fideli prædicatione ſeiũcti ſunt, ſed communionis ipſius gratia, vſque ad vltimum vitæ ſuæ diem participes fuerũt, legenda decernimus. Vbi pimum locum (vt vides lector) in catalogo eccleſiaſticorum ſcriptorum diuus Cyprianus occupat, quem tamen multos patres orthodoxos

Studiũ Ro. ſedis ſeparãdi orthodoxos patres ab apocryphis, & ab hæreticis anno 480. Gelaſius habetur 15. d. ſancta Rom. eccleſia.

Ante Cypr. multi patres in eccleſia vixerunt.

præceſſiſſe, qui longè antè ſuis ſcriptis eccleſiam fide & moribus illuſtrarunt, conſtabit illi, qui Dionyſij Areopagitæ, Clementis Romani, Ignatij Antiocheni, Irenæi Lugdunenſis, Clemẽtis Alexandrini, libros multò ante Gelaſij tempora edita euoluerit. qui omnes viri catholici, glorioſiſſimíque martyres generali illo verbo cõprehenſi ſunt à ſancto eodémque docto ſummo pontifice: Inſuper omniũ orthodoxorum patrum, qui nullo à Romanæ eccleſiæ conſortio deuiarunt. quamuis ego non multùm repugno illis, qui ſentiunt non eſſe expreſsè factam approbationem operũ, quæ ij patres feruntur edidiſſe per Romanam ſedem, quòd multa, quæ ipſorum eſſe dicebantur, aut comperta, aut certè ſuſpecta erant, non eſſe ipſorum, vel eſſe ab hereticis deprauata, aut quòd non dum planè intellectæ eſſent ab illis ſcripturæ prophetarum. ſic Hieronymus diuus teſtatur de libris quibuſdam Tertulliani, Lactãtij, Victorini, Seueri, Irenæi & Apollinarij, intelligentium ex ſcripturis futuram eſſe rerum omnium felicitatem in terrena Ieruſalem. ſic & ipſe Gelaſius teſtatur de octo libris Clementis Romani epiſcopi, in quibus, teſte Hieronymo, Eunomij dogma aſſeritur, filiũ Dei creaturam blaſphemans, quòd & interdum reperiri dicit in libris Clementis Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopi. ſic de Tertulliano (qui ante Cyprianum ſcripſit) Hieronymus dicit, quòd poſt mediam ætatem ab eccleſia defecerit, & quòd contra eccleſiam ingenium acuens volumina ediderit. ſic de Origene idem affirmat, in multis enumeraſſe contra fidem catholicam, & hic Cypriano prior ſcripſit. ſic de Euſebio idem dicit, eum fuiſſe quidem virum doctiſſimum, ſed non catholicum in ſex libris, quos pro defenſione Origenis ſcripſit. Ampliùs autem poſt Gelaſij tempora non defuerunt eccleſiæ eruditiſſimi ſacræ theologiæ interpretes, Caſſiodorus, Fulgentius, Boetius, Gregorius Magnus papa, Iſidorus, Theodorus, Beda, Alcuinus, Remigius, Anſelmus, Bernardus: qui ſudoribus multis, & laboribus ſacroſanctam theologiam illuſtrem reddiderunt.

Cur horum Gelaſius nõ meminerit.

Lege Hieron. in cõm. ſuper Ezech. c. 36. & ſuper verbo Papiæ de viris illuſtr.

Hiero. lib. de viris illu.

Patres orthodoxi poſt Gelaſij tempora.

Quatuor regulæ, quas omnino ſeruare oportet, dum antiquorum patrum ſcripturas percurrimus, diligenter referuntur, ac copioſè confirmantur. *Cap. III.*

QVę verò eccleſiaſtici hi patres ſcriptis illuſtrarũt, & celebrarunt, ab eccleſia recepta ſunt, non quòd omnia, quæ ipſi dixerunt, ſint ex fidei neceſſitate credenda, & de nullo poſſit controuerti & diſputari, & de re non ſatis recepta, ſed quòd ſint aut declarationes ſcripturæ ſacræ, aut certè ſatis vtilia pro Chriſtiana religione, & iccirco minimé contemnenda, ſed reuerenter tractanda, vt quæ omnia dicta ſint à viris, qui ſpiritu ſancto adiuti, neque mentiendi voluntatem habuerunt, neque homines fellerunt, etſi vt homines aliquando decepti ſunt. neque oportet credamus, quòd ſancti patres omnia, quæ docuerunt, locuti ſint diuino ſpiritu ſemper ſuggerente: id enim apoſtolici muneris fuit, vtpote qui ſpiritus haberẽt primitias, & qui primo loco à hierarcha noſtro cæleſti in ſua eccleſiaſtica hierarchia deſignati ſunt. immo & prophetę ipſi, etſi nihil in ſanctis ſcripturis aſſeruerunt, quod à dictante ſpiritu ſancto non recepiſſent, ceterùm non ſemper eam poteſtatem habuerunt quodlibet dicendi ex ſpiritu prophetico, cùm nec ſic ſemper ipſorũ mentes diuiniore illo lumine prophetico tangerentur. Eliſeus dicebat, Dominus cælauit verbum à me. & Nathan nõ ſpiritu prophetico, ſed more magis hominum de conſtruendo dominico templo cum Dauide tractabat. Seruarunt igitur antiqui noſtri magiſtri, & patres illi, quoad potuerunt, fidei & charitatis ſpiritum, qui vtique mendacij ſpiritus eſſe non poteſt, ſed veritatis fidiſſimus teſtis. non tamen inde conſequens mox ſit, quòd in omnibus ex eodem zelo docentes ſemper verè attigerint profundiora ſcripturarũ, aut cæterorum ſacramentorũ myſteria, quamlibet in eis ſpiritus ſanctus eo modo, quo diximus, manſerit. Spiritum ſanctũ cùm ſic haberet Aurelius Auguſtinus à conſilio, fidem tamen ſuis dictis haberi non vult, ac ſi prolata eſſent diuini ſpiritus illuſtratione & reuelatione. Nobis, dicebat Origenes, non eſt abſque periculo tale quid præſumendum, quibus non eſt tanta ſpiritus abundantia.

4. Reg. 4. *2. Reg. 7.* *Aug. in lib. retract. & alibi ſæpe, & de trin. 1. p. Orig. lib. 1. ſuper cantic.*

Item

Item Auguſtinus ait, Sunt quædam, in quibus inter ſe etiam doctiſſimi, atque optimi fidei catholicæ defenſores, ſalua fidei compage, & caritatis ſpiritu, diſſonāt: alius alio melius de re aliqua dicit, in quibus non immobili ſententia locuti ſunt. Quædam, inquit Hieronymus, ſunt, de quibus ſatius eſt piè dubitare, quàm temerè diffinire. quædam ſunt, quæ non tanquam conficta prorſus irridere, contemnere, reprobare, aut reiicere debemus, quibus etiam neque tam firmiter & immobiliter, quàm ſacris ſcripturis adhærere licet, neque item tam firmiter & pertinaciter, quàm oppoſitis fidei noſtræ diſſentire: ſed in quibus oportet via media incedere piè ſentiendo de veracitate ſanctorum virorum, quibus ſic viſum fuit. Nullus igitur ſanctorum eccleſiaſticorum patrum eam fidem adhiberi ſibi poſcit, quam præſtamus illi, qui dixit, An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus? et rurſum, Nam & ego exiſtimo, quòd Dei ſpiritum habeam, non ſpiritum caritatis tantùm & fidei, ſed ſpiritum me ipſum erudientem ac docentem, ad cognoſcendum & docendum Chriſtianæ fidei veritatem. Quare multa tradiderunt nobis patres, non tanquam fide firma ipſis probata, ſed vt quaſdam opiniones pias, aut probabiles ac veriſimiles, non procaciter reiiciendas, quæ ad ſacras litteras adipiſcendas nimiùm conducunt. Cùm itaque id ſemper de eccleſiaſticis patribus ſenſerit iam ab initio Chriſtianus orbis, quaſi aut ſibi ſoli propriũ fuiſſet, aut nos antiquorum patrum dicta diuina oracula crederemus, Caluinus, ſuo ſenſui gratulatus, & nos damnans, dicit, *Sic tamen in eorum ſcriptis verſamur, vt ſemper meminerimus omnia noſtra eſſe, quæ nobis ſeruiant, non dominentur, nos autem vnius Chriſti, cui per omnia ſine exceptione parendum eſt*: et quis non ſic verſatur? quis illis patribus, & non ſoli Chriſto, aut his, qui ipſius ſpiritum, & perſonam induerunt, ſine exceptione parendum eſſe decernit? *Hunc delectum qui non tenet, nihil in religione cōſtitutum habebit*: (ecquis eſt qui non teneat?) *quando multa ignorarunt ſancti illi viri, ſæpe inter ſe confligebantur interdum etiam ſecum ipſi pugnant*: quàm inuidè ſtudes modis omnibus antiquitati detrahere, & quàm

Augu. lib. 3. contra Donat. c. 17.

Hiero in ſerm. de aſſumpt. B. Mariæ.

2. Corin. 13.

1. Cor. 7.

moliris illius maieſtatem comminuere, ac labefactare. Pro patrum ignoratione, mutuóque conflictu, ac repugnantia, quarum tam impudenter iſte meminit modò lector, canonem hîc alterum aſcribendum cenſui, quò beatiſſimis illis manibus honor atque fides debita ſemper exhibeatur, ac ne nobis vlteriùs obiectet Caluinus tritum illud, Ne quid nimis.

Altera regula pro intelligendis antiquis patribus. Patres illi ſancti nõnulla ſuis in libris ſcripſerunt, & crediderunt, ſecundum humanũ ſenſum, innixi opinionibus hominum, præſertim in deſcribendis hiſtoriis, rebúſque ab aliis geſtis recenſendis, ſiue egregiè factæ illæ fuerint, ſiue perperam. in quibus ſanè colligendis, aliorum aut hiſtoriis, aut rumoribus, iuxta humanæ infirmitatis conditionem, multùm inſeruierũt, mutuantes ab illis multa, quæ in ſcripturis aliorum legiſſent, & quorum illi auriti ſolùm teſtes fuerant, ac per hominum opiniones tantùm ſcripſerunt. ſic antiquiſſimus Irenæus per auditum duntaxat ſcripſit *Irenæus lib. 2. cap. 39.* Chriſtum poſt quadrageſimum ætatis ſuæ annũ paſſum, inductúſque eſt aliquot argumentis, quæ minùs efficaciter id probant. ait enim, & euangelium, & ſeniores omnes, qui in Aſia apud Ioannem conuenerant, id teſtari, & Ioannem idipſum ſibi tradidiſſe. contrà verò diuus Ignatius, diſcipulus etiam ipſe ſanctiſſimi apoſtoli Ioannis in Aſia, de ætate domini non illam, ſed *Igna. in epi. ad Trallianos.* communem eccleſiæ ſententiam tenet. Triginta, inquit, annos baptizatus eſt, annis tribus euangeliũ prædicauit, faciens coram Iudæis ſigna atque prodigia, die paraſceue hora tertia accepit ſententiam à Pilato: ſexta verò hora crucifixus eſt, nona ſpiritum emiſit, ante Solis occaſum de cruce depoſitus eſt in monumento: mox ſepultus, ſabbato manſit ſub terram in ſepulchro, deſcendit ad inferna ſolus, inde ad nos aſcendit cũ multitudine, maceriem dirumpens, quę à ſæculo fuerat die verò dominico à mortuis reſurrexit. Hæc Ignatius. Sic etiam eccleſiaſtici hiſtoriographi in eiuſmodi hiſtoriis multùm Græcis hærentes, à vero deflexerunt. ſcimus certè Græcos circa tempora, ac genealogias (ſicut Ioſephus atque Euſebius optimè obſeruarunt) *Ioſephus cõtra Appionẽ* nihil certi affirmare, ſed magis, vt cuique viſum eſt, di-

uerſas proferre ſententias: quod & Iuuenalis verſus confirmat, Quidquid Græcia mendax audet in hiſtoria. qui ergo illis hæſerunt, (vt Euſebius, & Oroſius fecerunt, ille in ſupputandis tẽporibus, atque enumerandis regibus Perſicis, hic verò in recenſendis Aſſyriorum geſtis) non vſquequaque à noſtris recipiuntur. Sed hæc, quę in eorum hiſtoriis habentur, aut ad fidem noſtram omnino non pertinent, aut certè iuxta hiſtoriam ſcripturæ ſacræ corriguntur.

Grãmaticũ.

Euſebius de temporib. in prima olympiade.

In omnibus, quæ ad fidei & morum Chriſtianæ religionis neceſſitatem ſpectant, pro generali regula in ſingulis ſanctorum patrum libris obſeruandum eſt ſtudioſo ac pio lectori, quòd eiuſmodi patres, qui ad mortem vſque permanſerunt in eccleſiaſticæ fidei vnitate, in qua Petri cathedra per Chriſtum regnat, non aliter intelligi ſe volunt, quàm hactenus catholica eccleſia id ipſum, de quo agunt, intellexit. quamobrem, hæreſibus non dum exortis, ſecuriùs dixerunt multa, quæ poſtmodum hæreticis ad ſenſum alienum torquentibus, ciuili interpretatione indigent. accipienda verò ſunt tum ex his, quæ præmittuntur, vel ſequuntur, tum ex aliis ipſorum ſcriptis. exempli cauſa, ſancti patres antequàm hæreſis Pelagiana exorta eſſet, pro libero arbitrio contra Manichæos, multa dixerunt, quæ Pelagianæ phreneſi fauere videntur. ſicut idem ipſe Pelagius poſt, quaſi ſuum errorem aſtruerent, producebat. veluti illud Ioannis Chryſoſtomi, Infantes non habere peccata. & illud, Noſtrum eſt credere, noſtrum eſt incipere, pulſare, orare, & petere, Dei autem perficere, aperire, dare. Hæc, & id genus alia Pelagius in ſuam hæreſim malè detorquebat. contra quem mox Auguſtinus ex ſcripturis ſuam doctrinam poſuit pro gratia. ſed & hæc poſterioribus ſæculis rurſum ad ſenſum à mente Auguſtini longè alienum deprauari cœpta ſunt. vt videretur liberum arbitrium non modò extenuaſſe, ſed penitus è medio ſuſtuliſſe. cùm id non obſeruant noſtri temporis hæretici, dum probatiſſimos viros calumniantur, impietatem ſuam ac malitiam indicant. ſúntque eiuſdem generis multa apud eccleſiaſticos auctores.

Canon 3. pro doctrina patrum.

Cùm igitur ſanctos legimus, plurima erũt nobis etiam atque etiã conſiderãda. Primũ verba, deinde ſenſum appendemus, quem nobis ex proximè præcedentibus, atque ex his, quæ è veſtigio ſubſequũtur, facilè eruemus: poſt, quo tempore ſcripſerit, contra quos, quæ hæreſes eo temporis depopularentur eccleſiam, ponderabimus: auctorem vltimò ipſum ſecum componere, locúmque vnum ad aliũ quadrare mira accuratione ſtudebimus. Quare conſilio ſpiritus diuini nouiſſimi doctores prodierunt, qui ſcholaſtici appellantur quantumuis eos naſo ſuſpendat adunco Caluinus: vt Gulielmus Altiſiod. Alexander de Hales, S. Thomas, S. Bonauentura, Henricus, Ricardus, Scotus, Thomas de Argentina, Durandus de S. Pontiano, Ocham, & alij, qui, ſepoſito omni verborum ornatu, per quæſtiones & argumenta, per propoſitiones & (vt ipſi vocant) corollaria, per præciſas verborum formas in rebus fidei procedentes, tutiſſimam nobis contra hęreticas theologiam reddiderũt. qui & auferentes occaſionem hæreticis prauè interpretandi doctrinas patrum, licentiam quodlibet dicendi coercuerunt. hi, quantum attinet ad intellectus eruditionem, ſunt (ait Gerſon) compẽdioſiores, commodiores, & vtiliores, tametſi veteres ad inflammandum affectus vehementiores ſint. hi, hæreticis per captioſas quæſtiones, variáque argumenta ſimplicẽ Chriſtianorum fidem interturbantibus, abſque ſæculi huius eloquentiæ fuco, in eius fidei defenſionem, atque in eccleſiæ confirmationem, & rationes ſoluunt, & ex ſcripturis multa dicunt: quæ etſi videntur ad fideliũ ſimplicitatẽ nõ pertinere, reuera multùm ad veram fidem conducunt. cuiuſmodi ſunt ſententiæ de futuris contingẽtibus, de diuinarum perſonarum proceſſionibus, emanationibus, notionibus, diſtinctionib⁹, déque multis aliis, quibus ſcripturam integram ſeruamus, patres rectè tenemus, & vehementer hæreticorum perplexitates ac nodos callemus, & diſſoluimus. Nequaquam igitur doctores hi (vt iſti oblatrant) ſacratiſſimæ theologiæ candorem polluerunt ſuis ſordibus, ſed magis illuſtrarunt, dum in ſacris litteris intelligẽdis, in patrum ſententis & ſcripturiis explicandis, vbi congruit, vbi

Quàm ſint vtiles eccl. ſcholaſtici doctores.

opus eſt, eiuſmodi ſcholaſticis diſtinctionibus vtũtur. neque verum eſt, quod iſti obſtrepant, candorem ſcilicet caſtiſſimæ theologiæ fuco ethnicorum philoſophorum eſſe pollutum, dum multas ſententias ex Platone, Ariſtotele, ceteriſque ſæculi ſapiẽtibus in ſuos codices aſportarunt. quàm certè friuola ſit eorum obiectio, ſatis iam olim oſtendit diuus Hieronymus ad magnum oratorem Romanum, recenſens viros eruditiſſimos, patréſque ſanctos ante ſua ſæcula tam Græcè, quàm Latinè ſcribentes: quorum ſanè libri leguntur referti ſententiis philoſophorum nimiùm accommodatis ad res ipſas religionis Chriſtianæ. ex Græcis refert Quadratum, apoſtolorum diſcipulum, atque eccleſiæ Athenienſis pontificem, Ariſtidem, philoſophum eloquentiſſimum, illius æqualem Iuſtinum, qui Antonio pio, ac filiis eius, totíque ſenatui librum contra gentes tradidit, defendens crucis ignominiam, ac Chriſti reſurrectionem tota prædicans libertate, item Melitonem Sardenenſem epiſcopum, Dionyſium Corinthiorum antiſtitem, Tacianum, Irenæum Photini martyris ſucceſſorem, Pantheum Stoicæ ſectæ philoſophum, à Demetriano Alexãdriæ epiſcopo in Indiam miſſum, vt Chriſtum apud Brachmanos prædicaret: Clementem item Alexandriæ eccleſiæ presbyterum longè omnium eruditiſſimum, qui octo ſcripſit Stromatum libros, & totidem hypotyſeon, & alium contra gentes, quem imitatus eſt Origenes, comparans inter ſeſe Chriſtianorum ſententias, omnia etiam religionis noſtræ dogmata, ex Platone, Ariſtotele, Numenio, Cornutóque confirmat. ſcripſit Miltiades cõtra gentes egregium volumen, Hyppolytus quoque Apollonius Romanæ vrbis ſenatores, Iulius Africanus, Dionyſius Alexandrinus, Anatolius, Pamphilus, Pierius, Lucianus, Malchio, Euſebius Cæſarienſis, Euſtachius Antiochenus, Athanaſius Alexandrinus, Euſebius Emiſſenus, Triphillus Cyprus, Aſterius Scytopolita, Seraphio confeſſor, Titus Boſtrenſis epiſcopus, Tertullianus, Baſilius, Gregorius, Amphilochius Cappadoces omnes tres, qui in tantum (ait Hieronymus) philoſophorum libris atque ſententiis ſuos refarciuit

Philoſophia theologiæ nõ repugnat, neque ipſam polluit.

Hieronym' ad magnum oratorem Rom.

Catalogus eorum, qui ſcripſerunt pro Chriſtianæ fidei defenſione ante Hieronymum.

libros, vt neſcias quid in illis primùm debeas admirari, eruditionem ſæculi, an ſcripturarũ ſcientiam. Veniam, inquit Hieronymus, ad Latinos. Quid Tertulliano eruditius? quid acutius? ſeptem libros aduerſus gentes Arnobius edidit, totidémque diſcipulus eius Lactantius, qui de ira quoque, & opificio Dei duo edidit volumina. quæ ſi legere volueris, (ait Hieronymus) dialogorum in eis Ciceronis epitomen reperies. Victorino martyri in libris ſuis licèt eruditio deſit, tamen non deeſt eruditionis voluntas. Cyprianus quòd idòla dij non ſint, qua breuitate, qua hiſtoriarum omniũ ſciẽtia, quo verborum & ſenſus ſplẽdore perſtrinxit? Hilarius, meorum confeſſor temporum, & epiſcopus, duodecim Quintiliani libros & ſtylo imitatus eſt, & numero. Iuuencus preſbyter ſub Conſtantino hiſtoriam domini ſaluatoris verſibus explicuit, nec pertimuit euangelij maieſtatem ſub metri leges mittere. Hactenus Hieronymus de viris, qui ante ipſius tempora pro defenſione Chriſtianæ fidei libros ediderunt, mutuatíque ſunt à philoſophis innumeras ſententias. ſunt enim omnes pænè philoſophorum libri, exceptis his, qui cum Epicuro litteras didicerunt, eruditionis doctrinæque pleniſſimi. neque porrò naturalis philoſophia per rationis lumen adinuenta Chriſtianæ religioni contraria eſt, ſed magis pediſſequa, & ancilla eius, tantum abeſt, vt debeãt propter ipſam malè audire doctiſſimi ſcholaſtici ab hæreticis.

Quarta regula pro doctrina prin. Nunquã patres concorditer errarunt.

Etſi vt homines nonnulli ex antiquis illis patribus optime lector, in rebus etiam, quæ ad fidei noſtræ ſubſtantiam pertinerent, aliquando lapſi ſunt: in re tamen religionis noſtrę concorditer nunquam errarunt. quoniam hoc Chriſti pollicitationi & perpetuæ ſpiritus præſentiæ maximè repugnabat. verba vtique illa Chriſti, Qui maneat vobiſcum in æternum. & rurſum, Ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis: non ad apoſtolos modò, nec propter ipſos tantùm, ſed ad eccleſiam, & propter nos etiam dicta ſunt, qui non minùs ſpiritu illuſtratore indigemus. Suggerit ergo & nobis ſpiritus diuinus, quæ nos filius docuit, dum per doctores ſacros in ſcripturarum intelligentiam ac lu-

Ioann. 14.

cem nos aſſerere nunquam ceſſat. ſicut apoſtolus etiam manifeſtè oſtendit dicens, Et ipſe quoſdam dedit apoſtolos, quoſdam prophetas, quoſdam verò euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores. Prophetas autem B. Ambroſius declarat eſſe ſacrarum literarum interpretes. porrò de doctoribus negabit nemo, quin eos à Deo datos eccleſiæ dixerit. ad quid verò dederit, declarat, ſubiiciens apoſtolus, Vt videlicet iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circunuentionem erroris. veritatem autem facientes in caritate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Christus. Hæc Paulus. Qui ergo à Deo dati ſunt, ne nos ventorum impetu quateremur, credibile non eſt, quòd in errorem omnes aliquando ceciderint. ſed quò luculentius id perſpiciat Chriſtianus homo, rem non minùs breuiter, quàm verè ſic probabo. In re maximè ardua errauit Cyprianus, at non multo pòſt ab Hieronymo, Auguſtino, ceteríſque patribus ſanctus martyr correctus eſt, vicítque Stephani æqualis illius de non rebaptizandis hæreticis ſententia. Hieronymus etiam in quibus alucinatus eſt, à poſterioribus, immo à ſui ſæculi hominibus eſt notatus: idem Auguſtino longè doctiſſimo contigit. Sed quò feror? cui non? vt facile ſit inde cuiuis noſtrum colligere, quòd ſi (vt ſæpe accidit) antiquiſſimi vnius ex patribus ſententiam Hieronymus confirmet, eidémque Ambroſius ſubſcribat, Auguſtinus eandem amplectatur, adhæreant eidē Gregorij tres beatiſſimi ac doctiſſimi, ſequantur Caſſiodorus, Beda, Bernardus, ceteríque boni nominis apud nos, aut certè ſi non expreſſè probent, taceant tamen: ſatis profecto quidem hinc probabitur apoſtolicam, veram, Chriſtianam, & vniuerſalis eccleſiæ eam eſſe traditionem, atque doctrinam, ab ſpiritu veritatis profectam, quam tanto conſenſu in re maximi momenti, tanta animorum concordia tot patres, ſæculis, & longis terrarum ſpatiis quandoque ſeparati, atque idiomate diſcreti, aliorum libris nunquam lectis, ſed Dei ſpiritu ſuggerente, tam vnicè confirmant, docent, prædicant, atque tenent.

Epheſ. 4.

De errore Cypriani.

Liceat hoc loco ex his, quæ præmiſimus, duo colligere longè certiſſima. vnum, quod etiam olim Petro Abailardo Bernardus obiectabat, & nos his miſerabilibus temporibus Luthero, Zuuinglióque opponere poſſumus: Sancti etſi homines fuerint, & errare potuerint, verùm quia homo homini multùm præſtat, & ſtulto non ſatis conuenit cum intelligente, atque inter profanum & ſanctum futurus eſt ordo aliquis: plurimum ſanè antiquitati deferendum eſt, vt maximæ audaciæ atque ſuperbiæ ſignum ſit, probati alicuius ſancti pij & docti de nobis bene meriti ſententiam pro libito ac temerè reiicere, contemnere, nihilipendere, & poſtponere. quoniam hoc ſtultiſſimum eſt: dicit enim Eccleſiaſticus, Anima viri ſancti enuntiat aliquando vera magis, quàm ſeptem circumſpectores, (quales eſſent Lutherus, Zuuinglius, Caluinus) ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Hoc ſit primum. ad alterum eſt veniendum. Arrogantiſſimus iure cenſebitur & temerarius, atque imprudentiſſimus, (quales hoc ſæculo hæreticos habemus) qui ſibi tantum tribuat, vt, Chriſtianis patribus poſthabitis, tot doctoribus contemptis, tot ſapientibus calcatis, quorũ doctrina eccleſia in modum Solis præfulget, proprio malit in errore ſordeſcere mẽdacióque teneri. quare qui verum è ſcripturis elicere ſenſum conatur, ei cauẽdum in primis eſt, ne apud ſemetipſum videri velit prudens, quod & propheta Eſaias, & Paulus fugiendum non ſemel monuerunt. quamobrem illud obſeruatum oportet, quod beatus Clemens, Petri ſucceſſor, admonet, vt ſcilicet cùm Dei lex legitur, veram illius intelligẽtiam ab eo diſcamus, qui eam à maioribus ſibi traditam ſeruat. tanti refert illis antiquis ſacerdotibus & magiſtris aſſentiri. Sed id melius hic ediſſerẽtem audiamus Irenæum. Vbi chariſmata, inquit, domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea, quę ab apoſtolis eſt ſucceſſio, & id, quod eſt ſanum, & irreprobabile, ſermonis conſtat. hi enim & eam, quæ eſt in vnum Deum, fidem noſtram cuſtodiunt, & ſcripturas ſine periculo nobis exponunt. hoc ipſum & dictum & ſemper obſeruatum legimus à Gregorio Naziãzeno, & Baſilio Magno, præ-

Ezech. 33.

Eccle 37.

Scriptura ſenſus à patribus maximè petendus eſt.

Rom. 11. 12.
Eſa. 5. 66
Clemẽs lib 10. recogn. epiſt. 5.

Iren. lib. 4. c. 45.

cipuis Græcorum theologis, de quibus in eccleſiaſtica hiſtoria ſcribit Ruffinus, quòd, cùm, omnibus Græcorum ſæcularium libris remotis, in ſolis diuinæ ſcripturæ libris totam ſuam curam collocaſſent, eorum intelligentiam non ex propria præſumptione, ſed ab antiquioribus quiduis poſtulabant, quos ipſos ex apoſtolica ſucceſſione eam intelligendi regulam, ſuſcepiſſe cõſtabat. Vidéſne Caluine, patrum doctrinam, vbi omni ſæculo & loco concordes diuina illuſtratione locuti ſunt in re quidem, quam ſcire magnopere noſtra intereſſet, apoſtolicã vocari? intelligíſne, quàm à nobis pugnet verbũ illud Salomonis, quo admonemur, ne terminos antiquos prætergrediamur, quos nobis patres noſtri præfixerunt? nec diſpar tantopere tibi ratio videri debet Caluine de agrorum limitibus & obediẽtia fidei: quaſi verò de illis, & non de his potiùs terminis ac finibus, diuinus ſpiritus ſolicitus fuerit. Quòd autem iubemur obliuiſci populum noſtrũ, & domum patris noſtri, habet hoc valde diuerſam interpretationem. non vtique Dei populum, quæ eccleſia eſt, aut ſpirituales illos patres noſtros, antiquóſque magiſtros præcipimur obliuioni tradere, cùm dicat ſcriptura, Interroga patres tuos, & dicent tibi, ſeniores tuos, & annunciabunt tibi. & iterum, Verbis ſapientium accommoda aurem tuam. & rurſus, Fili mi hos ſermones ne obliuiſcaris, mea autem verba cor tuum cuſtodiat. Quid ergo, quæres, obliuiſci iubemur? de mundo ac de rebus breuibus, fugacibus & caducis, aut certè de gentium ſapientia (quæ euangelicę prædicationi maximè, teſte Paulo, repugnabat) verbum hoc intelligendum & interpretandum eſſe omnes docent. ſed quia notior res eſt, quàm vt brobari debeat, prætereo. Non hîc tantopere ἀλληγορίζειν geſtimus, quãtopere tu fingis, cùm hęc, quæ paternis limitibus non tranſiliendis in fidei cauſis diximus, non ad tropum, ſed rei ipſius ſubſtantiam magis pertineant. Quòd tandem perſuadere nobis niteris, vt apoſtolos potiùs, quàm alios quoſuis patres interpretemur, à quibus præſcriptos terminos nefas ſit reuellere, ſicut Hieronymus interpretatus eſt, cuius verba in noſtros canones retuliſſe non negamus, nec piget, aut

Ruffinus in eccl. hiſt. li. 2. c. 9.

Prou. 22.

Pſal. 45.
Deut. 31.
Prou. 22.
Prou. 3.

Qui ſint illi termini patrũ noſtrorũ, quos prætergredi non liceat.

pigebit vnquam, actum agis. dum enim volumus, ne quis terminos per Clementem & Romanum & Alexã-drinum, Dionyſium, Irenæum, Polycarpum, Cyprianũ, Auguſtinum, Baſilium, Athanaſium, ceteróſque omnes ſumma pace ac concordia præſcriptos reuelet, nihil aliud petimus, quàm quòd apoſtolica dogmata, tanta ſucceſſione confirmata, per nouatores iſtos, iniquóſque agrorum diuiſores ſarta & tecta maneant. Annon tibi apoſtolica traditio ea habebitur, cuius initium vſqueadeo in his patribus, quos præ te contemnis, non inuenies, vt ſi curioſiùs inueſtigare rerum & cauſas & origines pergas, ad apoſtolos vſque, & ipſum Chriſtum tibi ſit aſcendendum? deſine apoſtolicis mentibus detrahere. qui, rogo te, ſic in rem vnam homines & ætate, & locis diſtincti conuenirent omnes, ſi non idem ille ſpiritus, qui apoſtolos docuit, & his etiam patribus multa ſuggeſſiſſet? vt mihi quidem videtur, hæreſis nota non minùs inurenda illis eſt, qui dicũt eccleſiam in religione & fide à patribus antiquis deceptam fuiſſe, & ſic erraſſe ea ſequendo, quæ communi earum omnium voce aſſerta & prædicata legit, quàm qui ſuſpicaretur à ſanctis Chriſti apoſtolis, patribus, ac ducibus noſtris potuiſſe fideles falli, ſupplantari, eludi. ſanctus igitur ille ſpiritus, qui iam ante Chriſti eccleſiam per apoſtolos inſtruxit, idem ipſe eccleſiaſticorum patrum occupans mentes & linguas, ſuggerit, & dictat, quæ credenda, & quæ agenda ſunt nobis. vt verè dicatur, quòd ſacerdotum hic tam continuatus, tam cohærens, interruptus, iunctus, conueniens, támque perennis conſenſus, teſtis vtique eſt haud reiiciendus apoſtolicæ fidei, & diſciplinæ, quæ tam diu in eccleſia viguit, vigebítque, donec dominus gentes iudicaturus, adueniat.

Sancti omnes, nunquã ſimul errarunt, quod hoc contra Chriſti promiſſionem fuiſſet.

Plurimis exemplis, ex inſtitutione Caluiniana ſumptis, probatur antiquorum patrum doctrinam ſcienter ipſum faſtidiſſe, atque quàm fuerit à veritate alienum, quod de patribus affirmat, quaſi ij ſuæ doctrinæ faueant, à nobis oſtenditur. CAP. IIII.

GRauiter & moleſtè fero, quod tam impudenter iactat Caluinus. *Si,* inquit *patrum auctoritate dirimen-*

dum certamen hoc eſſet, melior victoriæ pars ad nos inclinaret: improbi ſatis noſtri clamores iſti habentur, dum veluti patrum contemptores & aduerſarios Zuuinglium, Vergerium, Caluinum accuſamus. *Immo*, inquit, *illos non contemnimus, vt ſi id præſentis inſtituti eſſet, nullo negotio mihi liceat, meliorem eorum partem, quæ hodie à nobis dicuntur, ipſorum ſuffragiis comprobare*: promittis facilè Caluine: promiſſis diues quilibet eſſe poteſt. rogo te per immortalē Deum, quo auctore defendes non licere ſanctos venerari, colere, inuocare? num aliquo ex veteribus? at tu ipſe obiiciens tibi, quòd diſtinctio latriæ & duliæ nimis ſit antiqua, *Quid tum*, inquis. *ſi omnes perſpiciunt non modò impropriam eſſe, ſed penitus friuolam?* vide, quàm tua comprobes antiquorum ſuffragiis. ſi lis ſit Caluine de arbitrij libertate, & infinitos penè maiores obiecerimus, quid reſpondebis pro antiquitate? ſed operire paululùm, nihil loquere, memini, quid reſponderis aliquando. *Veteres hoc mihi videntur conſilio vires humanas ſic extuliſſe: ne ſi impotentiam disertè eſſent confeſsi, philoſophorum ipſorum cachinnos, quibuſcum tunc certamen habebant, excuterent*: ecce quàm tibi plaudit antiquitas. ac paulò mox, productis Chryſoſtomo, Origene, Hieronymo, nonnulliſque aliis antiquorum patrum præcipuis, inquis, *Vides certè his ſententiis pluſquam par erat ad virtutis ſtudium antiquos illos eſſe largitos. Id autem quanta dexteritate ab illis factum ſit, poſtea videbimus*. concludis poſtremò antiquitatis obſeruantiſſimus, ac cultor illuſtris, *Certè quas retulimus ſententias eſſe falſiſsimas, paulò mox conſtabit*: audet iſte, proh ſancte Deus! dicere, quòd ſi patrum auctoritate dirimendum eſſet certamen, melior victoriæ pars ad ipſum inclinaret. cupiebamus patrum auctoritate certamen illud dirimere: at, quas retulit Caluinus ex patribus ſententias, eſſe falſiſſimas, idem ipſe, antiquitati ſcilicet deditus, nobis oſtendit. rurſum dicitur à veteribus nullam rebus neceſſitatem inferri ex Dei prouidentia. *Solent*, ait Caluinus, *hac ſolutione vti veteres, ſed quaſi dubitanter*: ò præclarum antiquitatis ſectatorem! item de ſatiſfactione, parte tertia pœnitentiæ, concorditer ſcripſe-

Sæpe Caluinus patres expreſſe reiicit.

Cal. lib. 2. inſtitu. c. 2.

Cal. lib. 2. inſt. cap. 2.

runt antiqui patres : at quid ſentit de ea re Caluinus? *Parum autem me mouent, quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. video quidem illorum nonnullos, dicam ſimpliciter, omnes, quorum libri extant aut hac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſperè ac dire locutos* : ſiccine pro antiquitate pugnas Caluine? ſiccine, nullóque negotio meliorem eorum partem, quæ à te hodie dicuntur, ipſorum ſuffragiis comprobas? quid, ſi non hoc eſt omnes eos contemnere, ac deridere? ſed quid infinita ego perſequor? innumeri ſunt loci, quos aut iam antè produximus, aut oportuno tempore producturi ſumus : in quibus ſanè tam piè & tam religioſè, vt hîc vides benigne & optime lector, in patres noſtros Caluinus ludit.

Cal. lib. 3. inſti. cap. 4.

De templis, atque eorum ornatu agitur: de ſacrorum vaſorum vſu, materia, & apparatu diſſeritur, preces, in templis adhibitas, Deo eſſe gratiores oſtenditur, ac de iſtorum omnium antiquitate latiſſimè diſputatur. CAP. V.

Obiectio 1. de templis, vaſis ſacris, ac veſtibus.

Cal. in epi. Acacius in l. 11. c. 16. tri. hiſt. Ambr. lib. 2. de off. c. 10.

SEd tempus eſt iam expendere, quàm iuſti iſtius clamores ſint, quibus nos obruit, ceu patrum contemptores & aduerſarios. *Quòd ſi eorum, quos intelligunt, fixos volunt eſſe terminos, cur ipſi, quoties libet, adeò licenter tràſgrediuntur? ex patribus erãt, quorũ alter dixit, Deũ noſtrũ non edere, neq; bibere, itaque non habere opus calicibus, neq; diſcis: alter, ſacra aurum non quærere, neq; auro placere, quæ auro non emuntur. Tranſgrediuntur ergo limitem, cùm in magnificis templis, & in ſacris tãtopere auro, argẽto, ebore, marmore, lapillis, ſericis delectantur, nec rite Deum coli putant, niſi omnia exquiſito ſplendore, vel potiùs inſano luxu diffluant*: dum antiquos patres ſic tu Caluine notas, duplici odio dignus mihi videris, vel eo, quòd hæreſis venenũ fucata antiquitate, ac ſimulata auctoritate propinare aliis non erubeſcis, vel eo etiam, quòd ſancti cuiuſque viri memoriam, tanquam ſopitos iam cineres, profana manu ventilas, & quæ ſilentio ſepeliri oportebat, ſi verum eſſet, quod ſic pater ille ſenſiſſet (& non potiùs ipſe falleris, aut in alienum ſenſum detorques) rediuiua opinione diffamas. quæ cùm facis Caluine, non vides auctoris tui Cham ſequi omnino veſtigia, qui veneran-

Gen. 9.

di Noe nuditatem non modò operire neglexit, verùm & ridenda ceteris quoque enuntiauit? vnde tantam læſę pietatis offenſam adauxit, vt etiam poſteri ipſius paterni peccati maledictis obligarentur? O beatiſſimos illos fratres, longéque diſſimiles, qui nuditatem ipſam reuerendi genitoris neque ſuis temerare oculis, neque alienis patêre paſſi ſunt: ſed auerſi, vt ſcribitur, texerunt eũ. quod eſt, erratum ſancti viri nec approbaſſe, nec prodidiſſe. atque ideo beata in poſteros benedictione donati ſunt. Deinde Caluine, quid faciet vnus, aut item alter ex antiquis patribus contra tãtam nubem teſtium, quã impoſitam habemus? poſtremò quando contra doctrinam eccleſiaſticam ex patribus agere ſtatuiſti, hi omnes ſumptus tibi priùs computandi erant, num ita ſentiret ille, cuius teſtimonio armatus pugnaturus venis, num veriſſimis verbis ageret, ſempérne ſibi ipſi illa in parte conſtitiſſet, num & ceteris patribus ſuis coæqualibus idem viſum fuerit. hæc omnia diu excogitata in judicium afferre te oportuiſſet, ne illud abs te mutuari aduerſum te poſſemus, ac meritò quidem: quòd, cum multa præclarè ac ſapiẽter ab illis patribus ſcripta ſint, tu pius ſcilicet filius, qui es & ingenij, & iudicij, atque animi dexteritate, eorum tantùm lapſus & errores adoras: quæ benè dicta ſunt, quæ omnium ordinum calculis approbata, quæ ſummo conſenſu recepta vel non obſeruas, vel diſſimulas, vel corrumpis, vt dicere verè poſſimus, tibi curæ fuiſſe prorſus in auro ſtercora legere, & in agro odoris pleno coloquintida. Quid, ſi patres illi nihil tale dicunt? quid, ſi longè alienam à tua interpretationem habent? quid, ſi quod affirmant, catholicę veritati, vſuique eccleſiaſtico non repugnat? quid, ſi non antiquitus obſeruatam conſuetudinem damnant, ſed magis quoſdam abuſus, qui omni ætate peregrino ornatu religionis ſcilicet irrepſerunt, quos etiam eccleſia mater execrata ſemper eſt? quid, ſi non reprehendunt in aliquibus moderatam diligentiam, honeſtum vſum, ſed magis nimiam curioſitatem verbis caſtigant, vt patres: exagitant, vt ſancti: vt magiſtri, redarguunt: vt maiores, inſectantur, & aſperiùs appellant: vt grauiſſimi cenſores, in crimen vocant, damnãt, condemnant, *Hebr.12.*

culpant? Sed ad propoſitum redeamus.

De templorũ antiquitate, atque vſu in eccleſia Chriſti.

PATRES cum primis erant Caluine, immo patrum duces apoſtoli ſancti, qui quocunque irent, quibus etiam in locis euangelium prædicare contingeret, nominatim autem in Aſiæ, Syriæ, Æthiopiæ, & Indiæ ciuitatibus, quin & apud ipſos Antropophagos, vt Philippus, Bartholomæus, Thomas, Matthæus, & Andreas, templa & quidem maxima atque ornata conſtruxerunt, quæ & conſecraſſe quoque dubium non eſt: vt in alios vſus ea transferri fas non fuiſſet, vtcunque alij ad Hyginũ Romanum pont. VIII. à beatiſſimo Petro iuxta Euſebianam computationem baſilicarum cõſecutiones referant. quare apoſtolicum fuiſſe inſtitutum hoc minimè ambigendum eſt. apoſtolorum æqualis erat, qui de apoſtolicis viris ſcribit, quòd ſacra domicilia habuerint, quæ ſemnia, ſiue monaſteria vocabant, in quibus manentes, honeſtæ ac ſanctæ vitæ myſteria celebrabãt, nihil illò inferentes, nec potum, nec cibum, nec aliud quidem eorum, quæ ad corporis ſuſtentationem neceſſaria ſunt, ſed leges, & oracula propheratũ, & hymnos, ac reliqua eiuſmodi, quibus ſcientia & pietas augeſcũt, & conſummantur. Pater patriæ erat, fideiq́ue catholicę acerrimus propugnator & defenſor, & nunquam ſatis pro dignitate laudatus Chriſtianiſſimus Conſtantinus imper. qui ante annos, 1300. ſacras ædes numero penè infinito in honorem Chriſti, & ſanctorum ſublimibus columnis, & ornatu eximio, atque imperatoris magnificentia illuſtres erexit, & omnis generis cultus amplitudine decorauit, immẽſa ſublimitate extulit, maxima longitudine & latitudine vaſtas, variegatis marmoreiſq́ue incruſtationibus obtectas, picturatas, vt quaſi quibuſdam lucis radiis vniuerſæ reſplẽderent. legat, legat, qui volet, quę Auguſtus hic immortalitate dignus Chriſto principi, genitriciq́ue ſuæ, ac martyribus ſanctis monumenta conſtruxit, quàm opulenta, quàm regia ſtructura illuſtrata omnia & exornata. omitto pictas tabellas, pulchras, deauratas, quas religioſiſſimus rex non in obſcuro, ſed in bono lumine collocauit. Pater erat, qui dixit, Maiori cum fructu ſupplicatur in eccleſia, quàm quouis in alio priuato loco. & ille etiam qui ait, Et do-

Nicephor. lib. 2. cap. 39. 40. 41. eccl. hiſt.
Gratian. de conſecr. lib. 1. c. omnes, & Iuon. cap 2. decret.
Euſeb. lib. 2. cap. 17.
Euſeb. de vita Conſtãt. Magni lib. 3.

Preces in tẽplo Deo ſunt gratiores.
Ambr. lib. 5. in Lucam.
Chryſoſt. ad pop. Antioc.

mi quidem orari poteſt, ſic autem, vt in eccleſia, non po teſt. vbi tanta patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Pater erat, qui dixit, Nobis quoque periculum eſſe malè obiti mandati, ſi loci rationem neglexerimus: maximè ſi ſacerdotij myſteria in profanis, nec ſatis ornatis locis celebrauerimus. propterea quòd ea res indicium haberet contemptus in celebrante, offendiculum quoque generaret pro varietate affectionum multifaria, propter variam multorum in rerũ diuinarum ſcientia infirmitatem. Pater erat, & eccleſiæ pontifex ſummus, qui ante mille annorum præcipiendo dixit, Quòd ſicut non alij quàm ſacrati domino ſacerdotes miſſas cantare debent, nec ſacrificia ſuper altare offerre, ſic nec in aliis, quàm in ſacratis locis miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licebit. ſatius enim eſt miſſam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, vbi fieri non oportet, niſi id pro ſumma neceſſitate con tingat. Pater erat & nomine, & honore illius æqualis, qui dixit, Mandamus, vt ſuper memorias martyrum miſſæ celebrentur, ne eorum memoria à perfidis extingui, aut veneratio prohiberi poſſit. Patres erant, qui in conciliis Laodicenſi, & Cabilonenſi idipſum ſtatuerunt. Pater erat, qui dixit, Quemadmodum ratio non permittit, vt commune vas in ſancta loca inferatur, ita neque permittit, vt ſacra in profanis ædibus celebrentur. Pater erat, qui dixit, multa loca præ aliis à Deo miraculis illuſtrata: vt ſicut non omnes ſancti dona curationum habent, nec omnes habent diiudicationem ſpirituum, ita nec in omnibus memoriis ſanctorum miracula fieri voluit, qui diuidit vnicuique propria, prout vult. Pater erat, qui ſcripſit certamen fuiſſe inter Palæſtinos & Cypros, dum hi corpus ſanctiſſimi Hilarionis, illi verò ſpiritum eius habere ſe iactarent: & tamen in vtriſque locis, inquit, magna quotidie ſigna fiunt, ſed magis in hortulo Cypri, forſitan quia plus illum locum dilexit. Patres erant, qui ob locorum ſanctitatem, & ante, 1300 annos in Ieroſolymam, & ad martyrum ſepulcra religionis ergô peregrinationes ſuſceptas eſſe etiam ex voto, & memoriæ prodiderunt, & approbauerunt: quíque illorum locorum

hom. 29.
Baſil. de bapt. ſerm. 2.c.8.
Felix papa in epiſt. ad omnes epiſc. c.1.
Felix I. in epiſto. 2.
Baſil.q.310 in contractioribus regulis.
Aug. in epi. 137.
Hierony. in vita Hilarionis.
Euſeb. l. 1. c.12.
Socr. l. 7.c. 47.
Sozom. l.2. c. 14. & l. 4.c.5.
Theodorit. l.4. de curãdis affectib' Græcorum.
Chryſoſto. hom.5. de B. Iob. & homil.5. ad populum Antioch.
Prudentius de Hemetrio & Chelidonio loquens.

viſendorum ſummo deſiderio tenebantur. Pater erat, qui adorare vbi ſteterunt pedes domini, partem fidei eſſe dixit, & quaſi recentia natiuitatis & crucis ac paſſionis veſtigia videre. Pater erat & Hieronymi æqualis, qui dixit, Non aliter affectus homines Ieroſolymam rapit, niſi vt loca, in quibus corporaliter præſens fuit Chriſtus, videant, atque contingant, poſſintque & de ſuo fructu dicere, Introiuimus in tabernacula eius, adorauimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. Patres erant, qui nobis teſtatum reliquerunt, ab immanibus etiam barbaris tantum honoris ſacris locis exhibitum fuiſſe, vt quiſquis eò confugiſſet, is ab hoſtium inſultu liber eſſet. Patres erant, apud quos templa martyrum, baſilicas apoſtolorum, & martyrum nominatas, eccleſiam apoſtolorum, eccleſiam Theonæ, eccleſiam Dionyſij, ſacrum Euphemiæ, martyris templum, paſſim legere licet. non quòd ſanctis ad Dei honorem (vt inquit Innocentius III.) ſed Deo potiùs ad honorem ſanctorum, templa primùm ſint dedicata, altaria erecta, & oblata ſacrificia. deinde, etiam ſanctorum nominantur baſilicæ, & in ipſorum honorem conſtruuntur, quòd ibidem martyrũ, ceterorúmque beatorum memoriæ celebrentur, ſintq́; eo loco recondita corpora, aut aſſeruatæ reliquiæ præcipuè ſanctorum martyrum. quas ſincerè honorandas, acſi Chriſti membra eſſent, pro quo illi paſſi ſunt, & baſilicas eorũ nominibus appellatas, velut loca ſancta cultui diuino mancipata, pio affectu, & deuotione fideliſſima adeundas eſſe admonuit Auguſtinus, cùm tamen templum illi verè dicatum ſit, cui ſoli ſacrificia in illo offeruntur. atque in hunc ſenſum idem Auguſtinus dicebat, quòd ſi templum alicui ſancto angelo excellentiſſimum de lapidibus & lignis faceremus, anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab eccleſia Dei, qui creaturæ eam exhiberemus ſeruitutem, quæ vni tantùm Deo debetur. vtique loquebatur ſanctiſſimus pater Auguſtinus, ſi baſilica cuiquam apoſtolorum conſtrueretur, vt illi ibi ſacrificium offerrẽt homines: (quod ſanè idololatriæ flagitium eſt) non verò ſi quiſquam in ſanctorũ memoriam templum ædificet, in quo Deo vero ſolùm litandum ſit. immo idem ipſe eccleſiæ doctor martyris baſi-

Hieron. ad Deſid. de viris illuſtr. de Alexan. epi. ſc. Capp. & in epiſt. ad Marcellum. Paulin. in epiſt. ad Machar. Augu. lib. de ciui. Dei. Sozom. l. 9. c. 9. eccl. hi. Chryſo. ho. 28. ad pop. Ant. Hier. ad Ripar. & aduerſus vigilantium. Socr. l. 1. c. 16. & vlt. & l. 2. cap. 11. Sozom. l. 4. c. 9. Euagr. l. 2. c 3. Innoc. de myſt. miſſæ, c. 11. Augu. de eccl. dog. cap. 73. Aug. in lib. de cura pro mortuis agenda. Idẽ ad Mauduren. epiſt. 42.

baſilicā quodam in loco nominat. idem etiam alibi dixit, Videtis ſimulacrorum templa, partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clauſa, partim in vſus alios commutata, ipſaque ſimulacra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel deſtrui, atque ipſas huius ſæculi poteſtates, quæ aliquando pro ſimulacris Chriſtianum populum perſequebantur, victas & domitas non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis, & contra eadem ſimulacra, pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſuos, legéſque vertiſſe, & imperij nobiliſſimi eminētiſſimum culmen ad baſilicam, ac ſepulcrum piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare.

Aug. in lib. de cura pro mortuis agē da.

Idē ad Mauduren. epiſt. 42.

Tranſgreditur ergo limitem Caluinus, cùm docet cauendum eſſe, ne aut (quemadmodum ſæculis aliquot haberi cœperunt) propria eſſe Dei habitacula ducamus, vnde propiùs nobis aurem admoueat, aut ſecretam neſcio quam illis affingamus ſanctitatē, quæ ſacratiorem apud Deum orationem reddant. prætergreditur paternos limites, cùm affirmat, doctrinam hanc patrum Iudæorum & gentium craſſitiem eſſe, nóſque præceptum habere de inuocando domino citra loci diſcretionem in ſpiritu & veritate. *Dedicatum*, inquit, *erat olim Dei iuſſu templum precibus ac victimis offerendis. ſed quo tempore veritas ſub talibus vmbris figurata deliteſcebat, quæ nunc ad viuum expreſſa nobis in nullo materiali templo nos hærere patitur. grauiter reprehenſi ſunt à Eſaia, & Stephano, qui Deum in templis manufactis habitare vllo modo putant:* quaſi verò antiqui illi patres, qui templorum ſanctitatem præcipuam, nimiùm nobis pro effundendis ad Deum precibus, & diuinis ſacrificiis peragendis, atque Dei verbo pertractando, ac diuulgādo commendatam reliquerùnt, ignorarint, aut quòd cælum neque cæli cælorum Deum noſtrum capere poſſunt, quantò magis domus vna, aut id, quod de veris adoratoribus, qui in ſpiritu adorant, veritas in euangelio dixit. vera ſunt Caluine iſta duo, & quòd in manufactis templis Deus corporaliter, & ad menſuram non habitat, cùm immēſus ſit, ſpiritualis, incorporeus, & infinitus, & quòd ſpiritu & veritate orandum eſt, hoc eſt, fide vera & caritate non ficta. cùm hoc audiuiſti, antiquiores patres mul-

Cal. inſt li. 3. cap. 20.

Ioan. 4.

Eſaia 66.

Act. 7.

3. Reg. 8.

Ioan. 4.

Cur baſilicæ laudentur à ſanctis patribus. tis nominibus ſacrarum ædium laudes celebrare: vel quòd dicatæ ſint & conſecratæ cultui Dei, & ſacrificio ſanctiſſimo, vt dicebant Baſilius & Auguſtinus, atque vterque Felix huius nominis: vel quòd eas particularibus prodigiis Deus illuſtrauerit, vt audiuimus ex Hieronymo, Chryſoſtomo, Paulino, & Prudentio: vel quòd diuina opera prodigioſiora in vno loco, quàm in alio oſtenſa fuerint, vt ex patribus & antiquis hiſtoriis nuper intelligebamus. quare meritò à multis ſæculis in orbe Chriſtiano receptum eſt, vt locus vnus alio ſit ſanctior, ac proinde à piis hominibus non ſine mercede magis frequentatus. eſt quidem ita Caluine, quòd in omni loco Deum adorare fas eſt. Iudæorum enim error erat iſte, qui contenderent Deum nuſquam adorādum, niſi Ieroſolymis, in templo, & ibi iuſtitiam quærēdam. quaſi Deus alibi vota precantium non audiſſet: aut certè Samaritanorum, qui ſimiliter negabant Deū vſquam adorādum, niſi in monte Garizim. idq́ue patrum exemplo, qui Deum verum Iſrael ibidem coluerūt. hos duos errores vno verbo Chriſtus profligauit, dicens, Quia *Ioan. 4.* venit hora, quādo in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis patrem. cauſam porrò explicat nimirum tempus inſtare, immo horam adeſſe, quando & Samaritanorum impius delebitur cultus, & Iudæorum carnalis religio transferetur, & illa antiquata, pius & verus cultus, hoc eſt, ſpiritualis, fiet, & apparebit manifeſtus, in quo patrem adorabitis, non in hoc monte, quaſi eo concluſus ſit: eſt reuera non montis huius modò, verum orbis totius dominus, nō Ieroſolymis, quaſi verò ne alius quidem ſit ad adorandū patrem locus idoneus, ſed vbicunque erit piorum congregatio, ibi futura eſt Ieroſolyma, ibi ſpiritualis erit cultus, non nidore pecudum delinitus, ſed ſanctis precibus, ſed piis votis ſed diuinis ſacrificiis, ſed caſtis affectibus. non in typis, & vmbris, vt hactenus fecit ritus ille Moſaïcus, non in mendacio, quemadmodum gentium populus, ſed in ſpiritu, ſed in *Ierem. 38.* veritate. ſic Ieremiam in cœno, ſic Danielem in lacu, ſic *Dan. 7.* Iob in ſterquilinio iacentem, ſic Ionam in ventre ceti, *Iob 2.* ſic latronem in cruce pendentem, ſic Ezechiam in le- *Iona 2.* ctulo decumbentem, ſic Paulum in carcere clauſum,

Deum deprecatos,& ab eo legimus exauditos. Quis ti- *Eſaiæ 38.*
bi hoc negare velit Caluine? ſed ſi illam mentem ferui- *Act. 16.*
dam ad locum ſanctum,& ad congregationem ſanctam attuleris, certum eſt, neque iure negabis, quòd ex tali mente profectæ preces, multò cùm Deo gratiores,tum ad quiduis impetrandum fore efficaciores.

Hæretici erant,non patres, Caluine, duo illi Euſta- *Euſtathius*
thius & Claudius,quorum vnus ante mille ducentos & *hæreticus.*
ampliùs annos loca ſanctorum martyrum cõtemnebat, & omnes,qui illuc conuenirent,& ſacramenta conficerent,reprehendebat. contra eum in Gangrenſi ſynodo, *Gangrenſ.*
quæ Nycenæ proxima fuit, pro templorum ſanctitate *ſynod. Clau*
pronuntiatum eſt,& vniuerſæ orationes & oblationes, *dius.*
quæ ibidem fiunt ob loci diuinitatem,plurimùm commendantur. alter verò ante annos ſeptingẽtos peregrè proficiſcentes ad ſanctorum martyrum ſepulcra (vt facit Caluinus) irridebat. quòd nihil ſanctitatis vlli loco ineſſe crederet, ob ſanctorum memorias, ſepulcra neq; reliquias,hunc peſſimum hominem in eorum, quos De cultu imaginum ſcripſit libro tertio, grauiter confutauit vir doctus Ionas epiſcopus Aurelianenſis. Hæretici
erant Vualdenſes,ſæpius eccleſiaſtica cenſura damnati, *Vualdenſes.*
qui omni templo etiam Dei viuentis detraxerunt, non diuorum ſolùm, dicentes, (vtì antea ex Caluino retulimus) templum Dei latè patentis ipſum mundum eſſe,& coarctare maieſtatem eius,qui eccleſias,monaſteria, oratoriáque conſtruunt, quòd propitior in eis diuina
maieſtas inueniatur.Hæretici erant pſeudoapoſtoli no *Pſeudoapo-*
minati,qui plus etiam furoris ac dementiæ adiecerunt, *ſtoli.*
(ſemper enim quaſi per momẽta in peius impietas ruit) quòd ſacrata eccleſia non plus ad orandum conduceret quàm porcorum ſtabulum. ſtabularij quippe & heluones de Deo ac de diuinis perinde ſentiunt, atque de tabernis, culinis, & ſtabulis. Hæretici erant Boemi qui-
dam Thaboritæ appellati,quorum dux fuit & princeps *Thaboritæ.*
Ziſcha quidam nobilis genere, erroribus Ioannis Hus infectus. is incredibili furore perditorum hominum turbam aggregans eccleſias inuaſit, euertit templa, ſacrarium ſpoliauit, monaſteria deſtruxit, fugauit monachos, aliáque ſimilia facinora perpetrans.

quò autem ſecuriùs degeret, locum munitum elegit: hunc mœnibus cinxit, & vt quiſque ex militibus tentoria fixerat, ita ædificari ſibi domos imperauit. Thabor illi loco nomen indidit, comitéſque ſuos Thaboritas appellauit, tanquam cum tribus apoſtolis ſaluatoris Chriſti transfigurationem in monte Thabor vidiſſent, indéque ſuas opiniones mutuati eſſent, quas fidei veritates appellabant. Conſideret igitur Caluinus, vtris magis aſſentiendum, Euſtathio & Claudio, an Baſilio, Hieronymo, Auguſtino: expendat ſecum, vtris firmiùs inhærendum, Vualdenſibus, an patribus concilij Gangrenſis: eligat, velítne pſeudoapoſtolorum & Thaboritarum ſequi vexilla, an potiùs in ſanctiſſimi eiuſdémque glorioſiſſimi imperatoris exercitu verè, piè, ſinceréque Chriſto domino militare: videat nunc, vtra ſigna militaria illi magis probentur. ſunt enim longè contraria, nimiúmque oppoſiti, & ſibi repugnantes mores. illi eccleſias inuadunt, hi in ipſis genua flectunt, & ſupplices adorant: illi euertunt templa, hi conſtruunt, & ædificant: illi prædantur ſacrarium, hi adaugent, & omnium rerum affluentibus copiis ditant, atque locupletant: illi poſtremò, quæ ſua non ſunt, è templo auferunt, hi, quæ verè ſua erant, in Dei peculium & cenſum transferunt, ac donant. Sed, heu me miſerum! quàm ſerum eſt conſilium, quod damus Caluino. pridem ſe iam ab his profugus, in illorum miſer deflexit caſtra, à quibus miſerandum in modum nunc nunc eccleſias paſſim profanari videmus, & audimus: neque in horrea modò pleraque templa commutata, verùm & equorum ex eis ſtabula facta, & in quoſcunque tandem vſus Deo dicatas domos, à Lutheranis, à Zuuinglianis, à Caluinianis conuerſas. quódque etiam dictu horrendum eſt, neque facile creditura poſteritas videatur, in eo ipſo loco, vbi tremendum ſacrificium, non ita pridem Deo oblatum fuit, furcam videre aliquibus ex noſtris licuit erectam ab iis, qui euangelici, quàm Chriſtiani dici malunt. iſti ſunt fructus præclari iſtius euangelij. Verùm ad noſtra redeamus.

Patres item erant, & Chriſti apoſtoli, atque eccleſiæ principes, qui de vaſis aureis atque argenteis ita ſtatue-

runt: Vas aureum, & argenteum ſanctificatum, aut velamen linteum nemo ampliùs in ſuos vſus aſſumat. iniquum enim eſt. ceterùm ſi quis deprehenſus fuerit, ex communicatione mulctetur. Quo canone certè intelligimus altaris vaſa etiam apoſtolorum temporibus aurea fuiſſe, & argentea, quæ & ſanctificabantur, vt in profanos ac proprios vſus nequaquam tranſire poſſent. Patres erant, qui ſententia ſanè concordi ſanxerunt, vt calix domini cum patena, ſi non ex auro omnimodo, ex argento fiat. Nec, inquiunt, cauſentur preſbyteri, auaritia ſuadente, de paupertate vel impoſſibilitate, cùm quarta pars ex omnibus, quæ ad eccleſiam pertinent, in fabricis ipſius eccleſiæ ſit impendenda: admonendus aiunt, eſt etiam populus, vt aliquid in donariis domini offerat, ſicut ille antiquus populus ſub Moyſe in tabernaculo domini feciſſe legitur. ſi quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum calicem habeat de ære autem, aut ex orichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum prouocat. Hactenus concilium. Patres erant, qui de eiuſmodi vaſis ſacrificij ſancti ita pronuntiant, Vaſa, quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria, calices ſunt, & patenæ, de quibus Bonifacius martyr & epiſcopus interrogatus, ſi liceret in vaſculis ligneis ſacramenta conficere, reſpondit, Quoniam ſacerdotes aurei ligneis calicibus etiam vtebantur, nunc contrà lignei ſacerdotes aureis calicibus vtuntur, Zephyrinus decimus ſextus Rom. epiſcopus patenis vitreis miſſas celebrare conſtituit, deinde Vrbanus decimus octauus papa omnia miniſteria ſacra fecit argentea: nos itaque ſtatuimus, vt deinceps nullus ſacerdos ſacrum miniſterium corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti in ligneis vaſculis vllo modo præſumat conficere. Hæc prouincialis illa ſynodus. Pater erat, de quo legimus, quòd eccleſiam fecerit in prædio cuiuſdam preſbyteri ſui, qui cognominabatur Equitius, vbi hęc dona contulerit, patenam argenteam penſantem libras viginti ex dona Conſtantini Auguſti, ſyphos argenteos duos, qui penſauerunt ſinguli libras duas, patenam argenteam criſmalem auro clauſam, penſantem libras quinque, pharos corona-

De vaſis & ſacratis veſtibus.

Can. apoſt. 72.

Concil. Romen.

Gratian. de conſecr. d.1. c.44.

Iuo. lib.1. de ſacr. euchar. c.38.

Burchar. li. 3. cap. 96.

Concil. Tribur. cap. 18.

Bonif epiſc. Zephyr. epiſco. R. Vrbanus papa.

Silueſter in lib. pontificali Dam. papæ.

tos decem penſantes ſinguli libras octonas, pharos æreos viginti, cantharos ceroſtrotos duodecim æreos penſantes ſinguli libras triginta, calicem aureum penſantem libras duas, calices miniſteriales quinque penſantes ſinguli libras binas, amas argenteas duas penſantes ſingulæ libras duas. Pater erat, qui baſilicæ, quam proprijs ſumptibus ipſe conſtruxerat, patenam argenteam, amam argenteam, ſcyphum argenteum, calices miniſteriales argenteos, coronáſque pariter argenteas donauit. Pater erat, qui, enarrans illud pſalmi, Simulacra gentium argentum & aurum, inquit, Hoc enim venerantur, quod ipſi ex auro, argentóque fecerunt. ſed enim & nos pleraque inſtrumenta & vaſa ex huiuſcemodi materia, vel metallo in vſum habemus celebrandorum ſacramentorum, quę ipſi miniſterio ſacrata ſancta dicuntur in eius honore, cui pro ſalute noſtra inde inſeruitur. & ſunt profectò iſta inſtrumenta vel vaſa quid aliud, quàm opera manuum hominum? veruntamen nunquid os habent, & non loquuntur? nunquid oculos habent, & non videbunt? nunquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo? Hactenus diuus Auguſtinus. Pater erat, & inter patres præcipuus, qui Neopotianum commendabat à cura, quam gerebat, vt altaria ſplendore niterent, pauimenta tergerentur, vaſa ſacrificij ſancti perlucerent, eſſétque mirum in modum pia ſolicitudine occupatus. Pater erat, qui pro ſacratiſſimo Chriſti corpore mundè ac decenter in nobis excipiendo, optima inducta ſimilitudine ſic argumentabatur, Si in linteo aut minùs pretioſo vaſe & polluto Chriſti corpus mitti non poteſt, neque debet, quantò magis accipi non decet corde polluto ac indecenti, cùm hanc Deus immunditiam præ ceteris execretur? Pater erat, qui, verſans illud Chriſti, Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, dicebat, Confundantur hoc loco, qui pauperes Chriſto præficiunt. audiui enim ego aurifabros dicentes, quòd ſi diſſectum ſacrum vas dem ego pauperibus, vtique condemner. audiant igitur quomodo ſe pauperibus Chriſtus præferat: Chriſti autem corpus propriè, quod in diſco aureo, & ſanguis, qui in poculo. qui igitur diſcum pretioſum abſtulerit, &

Damaſus in libro pont.

Augu. Pſal. 113.

Hieron. ad Neop.

Primaſius. Cor. 1. c. 12.

Theophila. ad. c. 14. Mar.

feceris, vt Chriſti corpus in vaſe viliori ponatur, prætexens ſcilicet pauperes, ſciat cuius partis ſit. Patres erant, qui tanto ſtudio leges tulerunt de veſtibus, quarum vſus erat in eccleſia Chriſti. Pater erat, & à diuo Petro apoſtolorum principe ordinatus presbyter, qui eccleſiaſtica veſtimenta, quibus domino miniſtratur, non vulgaria ſtatuit, ſed ſacrata debere eſſe, honeſta tamen, quibus in quotidiano vſu, & niſi in eccleſia vti non liceat. Patres ſimiliter erant, qui eiuſmodi decreto ſubſcripſerunt. Stephanus, Silueſter, Marcus, Gregorius. Chriſtiani candoris zelo flagrabant, pietatis ac religionis vnicum erant ſpecimen illuſtriſſimi imperatores, & reges, Conſtantinus, Carolus, Sigibertus, qui tot in eccleſiam dona contulerunt, vt vix vllus inueniri poſſit, qui calicum veſtiúmque pretioſiſſimarũ, quas integerrimi ac nobiliſſimi principes hi erogarũt, in numerum certum comprehẽdat. Diuini cultus amãtiſſimi patres erant, qui in Laodicenſ. & Aruernenſ. conciliis decreuerunt, ſummo ſtudio veſtes ſacratas ac vaſa ſancta à fidelibus, ſummáque religione obſeruanda eſſe, vt neque paſſim à quouis tangi, neque defunctorum corpora etiam presbyterorum velo, vel pallis obuolui licere quoquo pacto ſtatuant. quòd & patres in conciliis Antiſidiorenſi & Bracharenſi primo ac ſecundo multa pro diuini cultus religione adiungentes communibus ſuffragiis comprobauerunt. vt Clementem, Xyſtum, Stephanum, Origenem, Gregorium Nazianzenum, infinitóſque alios omni ætate eccleſiæ vbique terrarum pro veſtibus ſacris, pro vaſis ſanctis, próque aliis miniſteriis tremendo altaris ſacrificio accommodatis nimiùm ſolicitos prætercam. timeo, ne me longiùs obeuntem, aut tempus, aut certè benignitas tua lector, qua videbor abuſus, deſerat atque deficiat. quid enim pro dignitate dicemus de religioſiſſimis illis auguſtis, potentiſſimíſque principibus, qui immenſas largitiones, atque ampliſſimas donationes à ſuis maioribus iam pridem factas non ſolùm confirmauerunt, verùm amplificauerunt, & auxerunt: atque etiam lege ſanxerunt, ne ſanctæ veſtes, aut ſacrata vaſa, ceteráque diuina vllo pacto,

De veſtibus pretioſis pro S. ſacrificio. Conc. Cart. 4. c. 41. & Matiſconẽ. 1 c. 6. &, Tolet. 4. c. 27. & Brac. 3. c. 3. et, Brac. 1. c. 27. & Remẽ. c. 23. Anaclet. epi. 3. Step. epiſt. 1. ad Hilarium. Euſeb. de vita Cõſt. li. 3. Hiſt trip. lib. 5. ca. 37.

l. ſancimus. C. ſacros eccleſiis. l. iubemus. §. ſcientes. C. eod. tit. 4. Reg. 23.

redemptione captiuorum excepta, diſtrahãtur, aut impignorentur.

Dan.5. NABVCHODONOSOR rex erat Caluine, non pater, qui dæmonis figuram gerens, cùm Ieroſolymam inuadit, templum domini non modò ſpoliat, ſed illius pretioſiſſima quæque aufert, ædem Deo ſacratam turpiſſimè fœdat, conſpurcat, & magna ea parte diſſipat, ac deſtruit, ſublatis inde pulchris omnibus vaſis & capitellis. BALSARAR erat, non eccleſiæ, ſed Nabuchodonoſor ſucceſſor, qui vino incalens, mente errans aduerſum cæli dominatorem ſe attollens, afferri iubet profanus vaſa aurea & argentea, quæ Nabuchodonoſor pater eius aſportauerat de templo ſancto, vt biberent in eis rex, & optimates eius, & vxores eius, atque concubinæ. verùm omnipotenti Deo noſtro viſum eſt, ne labia ſanctis calicibus ſemel admota, iterum profanis adiungerentur. nam ea ipſa nocte (horrendum dictu) & regno ſimul, & vita priuatur, cùm & antè tremenda viſione ſui ſceleris fuiſſet admonitus. quo etiam exemplo in eos, qui diuiniora noſtra polluunt, & profanant, patres in Aurelianenſi concilio vſi *Cap. nono.* ſunt. ANTIOCHVS, non pater erat. non fidelis *1. Macha. 1.* quiſpiam principum, qui manu violenta, barbarica rabie, Deo poſthabito, ſanctum locum aggreſſus, aureum altare, luminis candelabrum, pretioſas veſtes, aurea vaſa, propoſitionis menſam, libatoria, phialas, mortariola aurea, velum, coronas, ornamentum aureum, quod erat in facie templi, vniuerſa demum, quæ Dei domui ſplendorem conferebant, quæ illuſtrabant, quibus & ſacra peragebantur, quibus diuinus cultus celebrabatur, ſacrilegus tyrannus, impius prædo ad vnum ſuſtulit, diripuit, atque expilauit: &, vt numeros omnes impietatis impleret profanus ille, non iam ampliùs ſacrificiis, & oblationibus ibidem Deo litan-*Iulianus Iuliani auunculus.* dum cenſuit. IVLIANVS erat, non catholicus, longéque Conſtantino illi diſſimilis, qui, cùm ſacra vaſa pretioſiſſimáque eccleſiæ magnæ, quam magnus Conſtantinus conſtruxerat, in imperatoris fiſcum inferri mandaſſet, difficili atque incognito morbo mox correptus eſt, & ad dies xl, diſtentus iacens, neque lo-

quebatur, neque ſentiebat quidquam. cauſa morbi porrò erat, quòd ſacris vaſis, quæ terræ illiſerat, pro ſedili vſus fuerat. FELIX autem, imperialium theſaurorum curator, vaſis vtique tanti pretij conſpectis, arridens, & vrbanè iocans, Ecce, inquit, qualibus vaſis Mariæ filius diuina re peragenda colitur. eámque nec ob aliam cauſam ex interioribus eius venis vna, quæ maxima eſſet rupta, tanquam per fiſtulam ſanguinem per os eius emiſit. ſic & ipſe horrendum cernentibus omnibus ſpectaculum factus, nō totum perdurauit diem, ſed circa crepuſculum vnà cum ſanguine iam deficiente, ſimul etiam animam euomuit. DONATISTAE, non patres erant Caluine, qui antiquitatis pertæſi, & (vt dicitur) rectè factis faſtidientes, Chriſtianorum eccleſias comburebant, (quemadmodum Auguſtinus ad Bonifacium comitem refert) atque eccleſiaſtica omnia profanabant. FAVSTVS hæreticus, non catholicus Auguſtinus erat, qui ſenſibilia templa, altaria, incenſa, vaſa, illuminaria, veſtes, ſimulacra, ſacrificia demum ipſa negabat. PARMENIANVS Donaſtita, non Hieronymus ſanctiſſimus erat, & Romanæ eccleſiæ inimiciſſimus, ad quem hæc catholicus Optatus dicebat, Hoc immane facinus (de fractione altarium loquebatur) geminatum eſt, dum fregiſtis calices Chriſti ſanguinis portatores, quorum ſpecies reuocaſtis in maſſas, mercedem nefariis nundinis prouocantes. Si hos Caluine Patres intelligis, quorum ſuffragiis certamen ſit dirimendum, fateor te viciſſe: maior victoriæ pars, immo totus intergérque triumphus ad te iam diu eſt quòd inclinat. Donatiſtas imitaris, Manichæos ſequeris, Sagarellos excipis, à Maſſilianis nihil deflectis, Vuicleuiſtas ſectaris, Huſſitas probas, Picardos ſuſpicis, Lutheranos denique vel hac parte foues, & ſi quid eſt his deterius, quod ego nihil eſſe ſuſpicor. Iſtorum patrum limites quis fidelis non prætergrediatur? quis terminos non reuellat?

Niceph. lib. 10. cap. 29. Theodorit. l. 3. cap. 12. Caſsiod. li. 6 cap. 32. trip. hiſt.

Aug. cont. Fauſt. li. 20.

Optatus li. 1. cōtra Parmen.

Reſpondetur Caluino obiicienti Ambroſium, & Acacium, quorum ſententiæ, productis ipſorum verbis, perſpicuè explicantur. Cap. VI.

VErum eſt Caluine, non iſtos terminos à nobis ſeruari, dum Dei templa, pretioſa vaſa, ſancta ac mũda, veſtes ſacratas omni veneratione proſequimur, atq; omnẽ circa ea profanationẽ piè & religioſè execramur. Sed quia duos ex antiquis patrib⁹ nobis obiicis, quorũ non teneamus greſſus, Acacium & Ambroſium: paucis reſpondebo, ſi hoc vnum præfatus fuero. Quoties antiqui patres in eiuſmodi rebus mediocritatem ſeruandam cenſuerunt, eò ſpectabãt, aut quòd in maxima egenorum neceſſitate miſerabilibus perſonis ex eis ſubueniendum omnimodo eſſet, aut certè nos admonere curabãt, quòd interior noſtra pulchritudo, atque humani cordis ſplendor pluris à Deo æſtimari ſoleat, quàm ſenſibilis templi ac vaſorum amplitudo hæc, & quàm ſpecioſiſſimarum veſtium affluentia, quantumcũque aliâs Deo grata hæc omnia ſint, dummodo exquiſitiùs abſit ſplendor, luxúsque inſanus, qui longè abeſſe debet à Dei dono. Iuxta priorem conſiderationem principes illi in præallegatis legibus captiuorum redemptionem excipiebant, hac exceptione ſe tuebatur S. Ambroſius, cùm illum accuſarent Arriani, quòd in redemptionem captiuorum ſacra vaſa confregiſſet, adiiciens, quòd qui ſine auro apoſtolos miſit, eccleſias ſine auro congregauit: Aurum, inquit, habet eccleſia, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt, ait, cuſtodire, quod nihil adiuuat? an ignoramus, quantum auri atque argenti de templo Aſſyrij ſuſtulerint? nónne melius conflat ſacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quàm ſacrilegus aſportat hoſtis? nónne dicturus eſt dominus, Cur paſſus es tot inopes fame emori? & certè habebas aurum, vnde miniſtraſſes alimoniam. cur tot captiui abducti ſunt, nec redempti? cur tot ab hoſte occiſi ſunt? melius fuerat, vt vaſa viuentium ſeruares, quàm metallorum. His non poteris reſponſum dare. quid enim diceres? Timui, ne templo Dei ornatus deeſſet. reſpondebit, Aurum ſacramenta non quærunt, neque auro

Duplex conſideratio circa ornamẽta ſacra.

l. ſancimus. Et. l. iubemus
Ambr. lib 2. offic. c. 28.

placent, quæ auro non emuntur. ornatus ſacramentorum, redemptio captiuorum eſt. Hactenus Ambroſius. Non hîc in vniuerſum aurum ſacramentis reiicit diuus hic pater, vtcunque adminiſtrari ea poſſint ſine auro & argento: ſed quod optimè habetur citra neceſſitatem, id turpiter in eccleſia retinetur, quando in epiſcoporum oculos vehementi neceſſitate oppreſſa turba miſerabilium reſpicit. hoc, inquam, eſt, quod toto orationis decurſu ſuadere contendit Ambroſius. & niſi neceſſitas captiuorum ſanctum epiſcopum preſſiſſet, non (mihi crede) auro, quod habebat, ſpoliata eſſet per ipſum eccleſia. virtus enim ſacramentorum neque ab auro eſt, neque per aurum perficitur, vt abſque eo placeāt Deo. quis hoc negabit Ambroſio? Hac item exceptione Cyrillus vſus eſt, qui, cùm fames Ieroſolymorum prouinciam occupaſſet, nec poſſet aliter tantæ inopiæ ſubueniri, vaſa & veſtes diſtraxit, atque in pauperum alimoniam, inſumpſit. hac tandem vtitur Acacius Amidæ epiſcopus, qui, cùm magna Perſarum multitudo fame propemodum periret, conuocatis clericis, & habita præclara illa oratione, (quam peſſimè & in prauum ſenſum detorquet Caluinus) Deus noſter neque diſcis aureis, neque calicibus opus habet: quia neque comedit, neque bibit. vaſa conflauit, vnde miſeris & cibum, & redemptionis pretium conficeret. non ille reprehendebat abuſum Caluine, neque vaſorum ex pretioſa materia confectorum vſum his verbis corrigebat, ſed magis oratione hac tam præclara, multò Deo gratius fore moliebatur oſtendere, ſi quodcunque pretioſum vas in tam pios vſus diſtraheretur, quàm ſi Deo aſſeruarentur, qui neque comedit, neque bibit, neglectis his, qui cibo, & potu indigent. Eandem porrò conſiderationem obſeruat Hieronymus, cùm Exuperium Toloſæ epiſcopum ſui temporis ſummopere laudat, quòd corpus domini in caniſtro vimineo portaret, & ſanguinem in vitro potiùs, quàm vllum pauperem fame perire pateretur. In poſteriorē cōſiderationē reſpiciebat nobilis martyr Bonifacius epiſcopus, cū diceret, QVONDAM SACERDOTES AVREI LIGNEIS CALICIBVS

Tripar. hiſt. libr. 5. Li. 11. c. 16.

Hiero. ad Neopotianum 8.

Bonifacius.

VTEBANTVR, NVNC VERO CONTRA LIGNEI SACERDOTES AVREIS VTVNTVR CALICIBVS. Eò etiam reſpexit Hieronymus noſter, cùm poſt ſanctum prophetam Ieremiam admoneret, non eſſe confidendum in verbis mendacibus, nec importuniùs acclamandum, Templum domini, templum domini, templum domini eſt. quoniam (vt ait propheta) ſi bene dixerimus, ſi iudicium fecerimus, ſi nullam iniuriam intulerimus, tūc ſanè, nec aliter, dominus habitabit nobiſcum. præcepit, ait, tunc populo Iudæorum Deus, & hodie nobis, qui videmur in eccleſia conſtituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum ſplendore, aureíſque laquearibus, & veſtitis parietibus, marmorum cruſtis, & dicamus, Templum domini, tēplum domini, templum domini eſt. illud enim tēplum domini, in quo habitat vera fides, ſancta conuerſatio, omniúmque virtutum chorus. Hæc Hieronymus, non ſenſibilia templa optimè elaborata reiiciens, ſed docens, ad materialem illam pulchritudinem, ſpiritualem quoque noſtræ mentis, qui Dei templum, ſtructura, & ædificatio ſumus, accedere debere, neque illam ſine hac poſſe vel minimùm iuuare corā Deo. hoc verò quàm ſit omnium certiſſimum, nouerunt catholici omnes, non tantùm vnus Caluinus.

Hier. Iere. 7.

Verùm, ne hîc ſimus longiores, iterum in breuem ſummam colligamus, quàm conueniant ſacra vaſa, tēplorum cultus & ornatus, cum modo ab antiquioribus patribus pręſcripto. quid? non tale hodie in templis cōſpicitur Caluine? quid eſt, quod ad honeſtam mediocritatem, & priſcam frugalitatem compoſitum non ſit? quàm apertum commentum eſt, nihil omnino ſanctis epiſcopis placere, niſi quod luxum, & temporum corruptelam ſapiat? cùm ſint & nunc multi, qui viuorum templorum habent curam, vt potiùs multa vaſorum milia, aut calicum confringant ad inopiam pauperum ſubleuādam, quàm minimum quidem fame perire paſſuri ſint. immo noui ego multos ex patribus ac ſanctiſſimis epiſcopis, quos, ſi nunc Exuperius ille Toloſę epiſcopus, quem retulimus, ſi Acacius, ſi Ambroſius, aut ſimilis quiſpiam à mortuis excitarentur, laudarent vti-

Quorundam antiſtitū humanitas, ac liberalitas in pauperes.

que, ac ſibi ipſis gratularentur, quòd pari erga Chriſti pauperes animo affectos reperiſſent. certè nunquam catholici antiſtites probabunt in ſumma pauperum neceſſitate non licere eiuſmodi opes aliò transferri. vidi etiam, & agnoui multos, qui non expilando templa, nō comminuendo imagines, non diſtrahendo ſacrata vaſa, non pretioſas veſtes vendendo, ſed his omnibus ſaluis, vltra quàm dici poſſet, ſibi etiam ſubtrahendo neceſſarium cibum, in Chriſti pauperes erogabant. vidi, vidi ego Caluine eccleſiaſticum paſtorem famis tempore integris ſacris, ſtudioſiſſimè multitudini cōſulentem, à quò cùm quærerem, quid eſſet facturus, ſi (quod Deus auerteret) grauiter ſuam plebē fames exederet, abſumptis iam propemodum nō eccleſiaſticis tantùm, verùm & paternis etiam bonis, nō minùs eleganter, quàm piè atque Chriſtianè reſpondit: Si fames inualuerit, ſacrata vaſa illi obiiciam, quibus tantum incendium extinguam. ſignificans ſanè, vtcunque aureis vaſis diuina celſitudo honeretur, at magis tunc Deo gratum fore, ſi ea maſſa auri, aut argenti in miſera pectora traiiceretur. quod ſi ſecus quiſquam aliquando fecerit, vel facit Caluine, aut ab aliis reprehenditur, aut certè apud nos malè audit: vt libera eſſe debeat ſancta mater eccleſia ab omni tua calumnia.

Ieiunium multùm fuiſſe à patribus commendatum, meritoriū eſſe apud Deum, atque à primis temporibus dicata eſſe quædam tempora ieiunio, de quadrageſimali obſeruatione, de ieiunio quatuor temporum, ac de vigiliis martyrum diffuſè agitur. CAP. VII.

SEd iam vlteriùs progrediamur, videamúſque, an feliciùs ſuccedat Caluino in his, quæ ex patribus iam rurſum producit. quem rogo, vt tantorum patrum maieſtatem reuereri velit, ne tam immanem iniuriam ſanctis inferat, dum ipſorum ſententias, quas tanto elaboratas ſtudio nobis reliquerunt, ipſe temerè atque impiè præſcindat, luxet, reſecet, & arrodat. ſed neſcio, an id à ſe ipſo aliquando impetrabit. *Pater erat, qui dixit, ideo ſe liberè carnes edere, quo die ceteri abſtinebant, quia Chriſtianus eſſet. itaque fines tranſiliunt, cùm diris animam*

Obiectio 2. de ieiunio, ac ciborum delectu.

Sozo. in lib. 1 c. 1. Eccle. Hiſt.

Ieiunium à patribus cõmendatum. *Chryſoſto. hom 31. in Ioan. Baſil. de pœniten. homil. 1.* *Athan de virg.*

deuouent, quæ per quadrageſimam carnes guſtauerit: patres erant, & Orientis lumina duo præclara quidem, qui omnibus præconiis extulerunt ieiunium, & à cibis abſtinendum commendauerunt, Ioannes Chryſoſtomus, & Baſilius Magnus. quorum ille ieiunium vocat animæ purificationem, hic verò continentiam à cibis peccati cõdonationem eſſe dicit, carnalium affectuum abalienationem, corporis atque ipſorum etiam naturaliũ affectuum & deſideriorum mortificationem, ſpiritualis vitæ initium, æternorúmque bonorum conciliationem. Pater erat, qui dixit, vt ex paradiſo ob eſcã & inobedientiam perturbatus Adam eſt, ita rurſum per ieiunium & obedientiam qui volet, eò redibit. Sed quorſum attinet veterum ſentẽtias omnium proferre, quorum pleróſque, editis etiam ea de re ſermonibus, maximis laudibus ieiunium in cælum tuliſſe legimus? immo

Cal. inſt. li. 4. c. 12 ſect. 14.

Caluinus ipſe negare non potuit, eius obſeruationẽ & vtilem eſſe, & veteri eccleſiæ ab ipſis apoſtolis ſemper in vſu fuiſſe: atque veritate compulſus, coactus eſt fateri, ne ipſos quidem apoſtolos primos fuiſſe auctores, ſed exemplum ſumpſiſſe ex lege ac prophetis. Verùm vlteriùs progrediamur. Pater erat, qui dixit, Ieiunium, culpæ mors eſt, delictorum excidium, animæ purificatio, ſalutis remedium, ſacrificium reconciliationis, quo faciliori & celeriori gradu ad Deum peruenitur. idem, Qui ſunt inquit, qui ieiunij meritum excludunt? nónne gentilium vox eſt ita dicẽtium, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur? num placet, vt Chriſtum exuentes pecudem induamus? & expoliantes Chriſtum, ſuperueſtiamur diaboli amictus? O ſtultum Eliſeum, qui ſylueſtribus ramis & amaris paſcebat prophetas! ô immemorem ſcripturarum Eſdram, qui memoria ſcripturas reddidit! ô Paulum inſipientem, qui tantopere ieiuniis gloriabatur, ſi nihil proſunt ad vitam ieiunia! Hactenus Ambroſius. Pater erat, qui de ieiunij merito

Ieiuniũ eſſe meritorium. *Ambr de eccl. & ieiunio. c. 3. 8. 9.* *Idem. epiſt. 22. ad Vercell. eccleſiã.* *4. Reg. 4. Num. 8. 2 Corin. 11.*

Aug ſer. 60. 69. 230.

dicebat, Nemo pro laude humana, ſed pro peccatorum indulgentia ieiunet. & alio in loco, Quantò plures dies ieiunij ſunt, tantò maior eſt remedij cauſa, quãtò prolixior abſtinentia, tantò redemptio ſalutis copioſior. idémque alibi ieiunium & orationem, cùm plena fide

exercẽtur, pietatem vocat. Pater erat qui dixit, Nos pro peccatis propriis inedia & vigiliis debere Deum ad clementiam flectere. idem contra Iouinianum ſcribens dixit, Diuinam iram & Sodoma placaſſet & Gomorrha. ſi voluiſſent agere pœnitentiam, & lacrymas pœnitentiæ patrocinante conciliare ieiunio. Pater erat his longè antiquior, qui dixit, Quotquot viros virtutum vidimus, ſine ieiunio non legimus aſcendiſſe: neque aliquid magni moliti ſunt, niſi priùs abſtinẽtia prçceſſiſſet. quoties aliquid obtinere à Deo conati ſunt, ieiunio incubuere & lacrymis, nec defuit prouentus. Pater erat, qui dixit, Omnium erga victus macerationem hæc eſt ratio, qua rurſus interdicto cibo, & obſeruato præcepto primordiale iam delictum expiaretur, vt homo per eandem materiam cauſæ Deo ſatisfaciat, per quam offenderat. & iterum, Non modò naturæ mutationẽ, aut periculorum auerſionem, aut delictorum obliterationem, verùm etiam ſacramẽtorum agnitionẽ ieiunia de Deo merebũtur. & rurſus, Sicut primum vſus cibi perdidit, ita ieiunium Deo ſatisfaciat, atque ſalutem æmulo modo reaccendat inedia. Pater erat, qui dixit, Curãdis læſionibus, trium maximè remediorum medicina adhibenda eſt, in orationis inſtantia, in caſtigatione ieiunij, in eleemoſynæ largitate. quæ cùm pariter exercentur, creator colitur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur. Pater erat, qui dixit, Quid eſt cõdonari cõmiſſa, niſi ieiunio breui ieiunia redemi ſempiterna? gehennam enim meruimus, vbi nullus vnquam cibus eſt, conſolatio nulla, terminus nullus: vbi guttã aquæ diues poſtulat, & accipere non meretur. bonum ergo & ſalutare ieiunium, quo redimuntur æterna ſupplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. non ſolùm autẽ abolitio eſt peccatorũ, ſed extirpatio vitiorũ, non ſolùm obtinet veniã, ſed & promeretur gratiam, non ſolùm delet peccata præterita, quæ commiſimus, ſed & repellit futura, quæ cõmittere poteramus. Paterna igitur traditio eſt, nõ ſuperſtitio, vt vult Caluinus qua perſuaſum nobis ſit, quòd ritus hi, cultus quidã Dei ſunt, id eſt, opera, quibus Deus iudicet ſe honore affici, & ob quæ peccata condonet. immo Fauſtus ille Manichæus

Hiere. ad Demet.

Cypr. de ieiunio & tẽtatione.

Tertull. l. de ieiunio contra Pſychicos.

Leo. mag. ſer. 4. de ieiunio.

Bern. de oratione. & ieiunio ſerm. 4.

(quemadmodum apud Auguſtinum legimus) olim catholicæ eccleſiæ obiectabat, quòd non ſolùm abſtinerent, ſed etiam gloriam inde captarent, & eò acceptiores ſe crederent Chriſto, quò eſſent à cibis abſtinentiores. Fert, inquit, in oculis eos, qui ab animalibus abſtinent, omnis eccleſia, & ſumma veneratione ſuſcipiens, ſolùm non deos exiſtimat. Pater erat, qui à diuo Ambroſio doctus, & diem dominicum dicit non ieiunandum ob deteſtationem Manichęorum, & in ſabbatho ſtandum omnino conſuetudini illius eccleſiæ, cui contingat applicari nos, ſi volumus aut ſcandalum non pati, aut facere. Pater erat, qui de ſanctorum martyrum vigiliis dicebat, Sanctorum feſta præcipua antiqua patrum ſanxit auctoritas, votiuis præueniendo ieiuniis. Pater erat, qui tam vetuſtum inſtitutum hoc quarta & ſexta feria ieiunandi tradit, vt apoſtolicum eſſe non dubitet. vnde & Auguſtini tempore antiquiſſima habebatur conſuetudo abſtinendi à carnibus quarta & ſexta feria. Patres erant, qui ieiunandũ præſcribunt quartis feriis, quòd concilium ea feria conuenit, quomodo per dolum comprehenſus Chriſtus occidi poſſet, pridie antequam pateretur, vt illa dies paſſionis Chriſti initium rectè dici poſſit. Pater erat, & ante 1300. annos eccleſiam moderabatur, qui, cùm ieiunium ter in anno multò antè celebratum videret, conueniẽtius fore iudicauit, ſi per quatuor tempora ieiunium hoc obſeruaretur, iuxta temporum numerum, per quæ annus voluitur. Pater erat, qui complures de ieiunio quatuor tẽporum ſermones conſcripſit. Pater erat, qui ante 1100. annos tradidit quadrageſimę ieiunium non ab hominibus conſtitutum, ſed diuinitus conſecratum, nec terrena cogitatione initiatum, ſed cęleſti maieſtate pręceptum. Pater erat, qui de quadrageſimali ieiunio dixit, Non tam ſacerdotum hæc præcepta, quàm Dei ſunt: atque ideo, qui ea ſpernit, non ſacerdotem ſpernit, ſed Chriſtum, qui in ſuo loquitur ſacerdote. Pater erat, qui quadrageſimæ ieiunium traditionem apoſtolorum eſſe vult. qui & alibi quadragenarium numerum afflictionis, pœnæ, luctus, ieiuniique vocat. cuius ſanè oratio non minùs ſanctarum ſcripturarum locis in eam rem com-

Aug. cont. Fauſtum. lib. 20. c. 3.

Aug. epiſt. 80. de die dominico & ſabbatho.

Bernar. ſer. in vigilia S. Andr.

Epiph. in cõpẽdiaria doctrina cath. fidei de 4. & 6. feriis.

Augu. epiſt. 68. Ignatius epi. 4. Orig. hom. 10. in Leuit.

Theophil in 14 Matth.

Calliſt. epi. 1 ad Benedictum. Leo. ſerm. de ieiunio 7. menſis de ieiunio. 4. temporum.

Maximus Tauren. ſer. priore in die cinerum.

Ambr. ſerm. 39.

comprobandam diues eſt, quàm verborum elegantia pollens. Pater erat, qui obſeruatores quadrageſimalis ieiunij participes futuros reſurrectionis dominicæ dicebat, ac toto in ieiuniis dominicę paſſionis tempore demorantes, quadam domino compaſſionis ſocietate coniũgi. Pater erat, qui dixit, Eccleſia ſimul ob gratiam ieiunat, I E S V opus agnoſcẽs, vtpote cũ crucifixo crucifixa cõpatitur domino vt cũ domino glorificetur. & infinita alia in adhortationẽ obſeruationis huius quadrageſimalis ieiunij. Pater erat, qui antiquiſſimâ dicit cõſuetudinẽ fuiſſe eccleſiæ ad paſſionem domini & reſurrectionem per humilitatem carnis venire, vt ſpiritualis ſaginæ corporis ieiunio præparemur. Pater erat, qui dixit, Habemus quadrageſimam ab apoſtolis inſtitutam, & ordinatam. Pater erat, qui dixit, Dies feſtos nolite inhonorare, quadrageſimam verò nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet Dei imitationis: hebdomadam etiam paſſionis nolite deſpicere. Pater erat, qui de quadrageſima tam eleganter pronuntiabat, Non inſula, non terra, non ciuitas, non gens, nõ denique locus vllus tam deſertus eſt, vbi prædicatio de quadrageſima audita non fuerit, ſed & exercitus, & iter facientes terra maríque, mercatores quoque omnes ſimiliter audiunt, libentérque ſuſcipiunt. Pater erat, qui dixit, Habemus quadrageſimæ dies ieiuniis conſecratos. Ex quibus certè teſtimoniis etſi fortè non ſatis cõſtet eam fuiſſe à Chriſto inſtitutam ſub præcepto: cõſtat tamen ad Chriſti exemplum fuiſſe ab apoſtolis obſeruatam, & ſub præcepto fuiſſe Chriſtianis iniunctã. audiatur in fine apoſtolorum canon ſexageſimus octauus, Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut lector, aut cantor, ſacram quadrageſimam paſchæ, aut quartam feriam, aut paraſceuen nõ ieiunauerit, deponitor, præterquam ſi imbecillitate impediatur corporis: ſin laicus ſit, communione priuetur. Patres item erant, qui in Agathenſi concilio ſtatuerunt, vt omnes eccleſiæ filij, exceptis diebus dominicis, in quadrageſima ieiunent. Vt iã ex tam multis colligamus, pleráque ex his, quæ nunc certis anni temporibus ieiunia ſancta eccleſia ſeruat, non recèns inuenta, ſed ab apoſtolis, at-

Hier. cont. Mont. errores, & ad Lætam. tom. 2. epiſt. idẽ in Ezech. et Amos. Hil. c. 15 in Matth. Chryſo. ſer. de ieiunio. Hiere. in Matth. 9. Theoph. Alex. Ignat. epiſt. 4. Baſil ſerm. poſt. de ieiunio.

Orig. hom. 10. in Leuit.

Clemẽs lib. 5. conſt. c 13.

que eorum ſucceſſoribus inſtituta, & quæ quidem ex quo tempore Chriſtus terras reliquit, quàm longè patuit Chriſtianum nomen, tanto ſemper ſtudio ab omnibus obſeruata ſunt, hoc præcipuè quadrageſimale nullibi non receptum, nullibi non admiſſum. Patres ſe ſequi optimè ſciebant illi omnes, qui, cùm Byzantij ante mille annorum fames increbuiſſet, Iuſtinianúſque imperator ſecũda ſtatim ieiunij hebdomada carnes in foro proponendas promulgaret, illi quidem, cùm ſemel patrum pietatem conſectandam ſtatuiſſent, neque eas emebant, neque edebant, mortem ſibi potiùs adeundã eſſe cenſentes, quàm vt quidquam (inquit Nicephorus) de patriis moribus, & traditionibus mutarent, neque aſſentior illis, qui quamuis bene concedant ab apoſtolis inſtitutum quadrageſimale ieiunium, credunt tamẽ à Teleſphoro, qui ſeptimus à Petro Romanam ſedem moderatus eſt, circiter annũ 141. tum primùm promulgatum decretum de abſtinentia carnium, quaſi tale ante ieiunium celebraretur per ſolam ciborum parſimoniam. hoc, inquam, mihi ſtudioſe lector probari nullo modo poteſt, tum quòd apud patres, Teleſphorus hic glorioſus martyr ac pontifex, non talis ieiunij inſtitutor legitur fuiſſe, ſed exactor, (quod & illius verba, ſi curioſiùs expẽdãtur, præſeferre videntur, cùm antiquam cõſuetudinem referat, iuxta quam ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum paſcha omnes clerici à carne ieiunabant) tum etiam quòd apoſtolico tempore in vſu erat eiuſmodi abſtinẽtia à carnibus. neque vero ſimillimũ puto, eã alio tẽpore, quã in ieiuniis obſeruatã. adde etiã, quòd vbicũq; ieiuniũ receptũ eſt, ibi ſemper & patres abſtinentiæ huius meminerunt, cuius ſemper fideles admonuerunt. teſtis eſt diuus Chryſoſtomus ante 1200. annos: teſtis eſt Theophilus Alexandrinus. quorum ille, Adueniente, inquit, ieiunio, etiã ſi millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogant vinum delibare, & cibum ieiunij lege non conceſſum guſtare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitũ tãgere nutrimentũ: hic verò grauiter eos inſectatur, qui clàm clauſiſque parietibus carnibus diebus quadrageſimæ veſcebantur. ſic vnus idémque vſus erat Antiochiæ, & Alexã-

Byzantinorũ religio ex Niceph. lib. 13. eccl. hiſt. cap. 32.

Quadrageſima ab apoſt. precepta ſub abſtinẽtia à carnibus. Teleſph. l. 3. Paſchalis.

Euſeb. lib. 2 eccl. hiſt. Chryſoſt. hom. 6. ad pop. Antioch. Theophil. Alex. lib. 3. Paſchalis.

driæ: neque minùs vtriſque patria, lex & antiqua traditio illis ea habebatur, quàm nobis, qui poſt tot ſæcula ſubſequuti ſumus. ſiue itaq; cóſuetudo ea fuerit ab apoſtolis dimanans, ſiue lex expreſſa ſuper hac re ab ipſis lata, (parum enim refert) vitio tamen ac culpæ ſemper vertebatur, ſcilicet ſine ratione, aut neceſſitate pias patrum leges, (vt dicitur in conciliis Brachareñſi primo, Gangrenſi, & Toletano 8.) penitúſque ſancta clauſtra arrogantia, ſuperba, & propria ſcientia reuellere.

Iouinianus hæreticus, nō pater erat eccleſię, Caluine, qui nullius meriti, nulliúſq; virtutis actum, neq; partem eſſe eius cultus, quē Deus elegiſſet ſibi, ieiuniū eſſe dixit, quòd corporalis eſſet exercitatio, parū valitura. cōtrà patres erant Theophilactus & Ambroſius, qui vterque aut ſpiritualē exercitationem eſſe affirmāt, aut certé, ſi corporale exercitium intelligatur, modò ſit cū pietate coniunctum, plurimùm valeat: ſecus verò, ſi pietas illi non addatur. neque id ieiunio propriū eſt, ſed ipſum habet cōmune cum omnibus exterioribus & corporeis factis, ſeu ſenſibilibus ſignis, quibus veram animi pietatem, qua Deus maximè colitur, foras producimus: cuiuſmodi ſunt genuflexiones, manuum extenſiones, orationes, ieiunia, atq; id genus alia. qui enim propriè Dei cultus dicitur, non conſtat niſi mente & ſpiritu, ſicut & Deus ipſe ſpiritus eſt, & ſpiritu coli vult, ac proinde amando (teſte Auguſtino) propriiſſimè colitur: cùm hoc tamen ieiunium, quod religio præſtat, & caritas imperat, Deum placat, & patrem habet in abſcondito ſibi reddentem, cui demum non minùs, quàm aliis, iuſtitiæ nomen Chriſtus ipſe impertitur, & ratio diuini cultus conuenit.

Quos ſequatur Calui.

Theophil. 1. ad Tim. 4.

Ambro. 1. ad Tim. 4.

Aug. epi. 29.

Aerius hæreticus erat, non pater, Caluine, qui ante 1300. annos veteres cātilenas, quas tu modò in nos canis, perſonabat, vt teſtes ſunt Epiphanius, Philaſter, Auguſtinus. Quid eſt paſcha, dicebat ille hæreticus, quod apud vos perficitur? Iudaicíſne fabulis rurſus addicti eſtis? nō enim oportet paſcha peragere, paſcha enim noſtrū immolatus eſt Chriſtus. ſed neque ieiuniū erit ordinatum. hæc enim Iudaica ſunt, & ſub iugo ſeruitutis. iuſto enim lex nō eſt poſita, ſed parricidis, ac matricidis

Epiph. hær. 75.

Hiero. cont. Iouin. lib. 2.

Hiere. ad Gal. 4 Aug. lib. 20. cōt.

Fauſtum. Leo ſerm 4. de ieiunio. Auguſt. lib. 30. contra Fauſt. c. 5. Chryſ. hom. 12. in priorẽ ad Tim. Theodor. in epito. diuin. decr. c. de abſtinentia. Cyril. Ieroſ. Cathaceſi. 4.

& his ſimilibus. ſi enim omninovolo ieiunare, qualemcunque eligam diem à meipſo, & ieiunabo propter libertatem. Contrà, patres erant Hieronymus, Auguſtinus, Leo, Chryſoſtomus, Theodoritus, Cyrillus Ieroſolymitanus, qui ſanè quàm diuerſam fuiſſe cauſam docuerunt, quare abſtinerent Iudæi ab ea, qua abſtinent catholici, ſicut & hæc longè alia ab illa eſt, qua abſtinẽt hæretici Manichęi, Tatiani, & quicũq; alij. Iudęi ſignificandi gratia, hæretici Manichæi quòd ipſam creaturã bonam negant, catholici domandi corpus cauſa, & humiliandi ſe coram Deo: cui cor contritum & humiliatũ placationis ſacrificium eſt longè gratiſſimum. Attoniti & phanatici Gnoſtici erãt, de quibus Epiphanius affirmat, ieiunia non recepiſſe, quòd crederent à mundi huius principe, nõ à Deo in orbem inuecta. Pſychicorũ, id eſt, animalium iſte fuit contra ieiunium error: quos Tertullianus damnat, atque efficaciſſimis rationibus cõuicit in tractatu, quẽ edidit contra eos, ſatis eccleſiaſtico & erudito. Igitur ſicut hi patres fuerunt noſtri, qui eam doctrinam, quam tenemus, nobis tradiderunt: ita illi tui manes fuerunt Caluine, inferioréſque dij, à quibus iſta omnia mutuò accepiſti.

Non tantùm ieiunandum eſſe, cùm noua occurrit neceſſitas, ſed præfixa ab eccleſia, determinatis anni temporibus, ieiunia, ac pracepta modis omnibus eſſe ſeruanda: ieiunium partem eſſe diuini cultus, tres dènum ieiunij fructus, qui inde percipiuntur, facilè colliguntur. CAP. VIII.

Cal. lib. 4. c. 12.

PRiùs, quàm reſpondeamus ad illud, quod ex Piridone Caluinus detorquet, docebimus ex inſtitutione ſua hoc loco, aut Iouiniani errore eum laborare, aut omnino eum Arrianum eſſe, aut tandem Manichæum Fauſtum è mortuis reuocare, qui obſoletis iam pridem conuiciis, probris omnibus, maledictíſque nũc denuò eccleſiam vexare non erubeſcat. Principiò vult Caluinus, quòd pro temporum neceſſitate exhortentur paſtores plebem vel ad ieiunia, vel ad ſolennes ſupplicationes, vel ad alia humilitatis pœnitentiæ, ac fidei exercitia, quorum nec tempus, nec modus, nec forma præſcripta eſt Dei verbo, ſed in eccleſiæ iudicio relinqui-

tur. hoc certè, ſi planè intelligatur, verum eſt: & id veteri eccleſiæ ab ipſis apoſtolis ſemper in vſu fuit. quanquàm ne ipſi quidem apoſtoli primi auctores fuerunt, ſed exẽplum ex lege, & prophetis, atque Chriſto ſumpſerunt. videmus enim illic, quoties graue aliquod incidebat negotium, cõuocatam fuiſſe plebem, ſupplicationes indictas, indictum ieiunium: id ergo ſecuti ſunt apoſtoli, quod & Dei populo nouum non erat, & perutile, magnóque meriti apud Deum fore prouidebant. ſimiliſq; ratio eſt de aliis exercitiis, quibus plebs vel ad officium excitari, vel in officio atque obedientia contineri poteſt. Exempla paſſim extant in literis ſacris, ac ſanctis hiſtoriis, quæ ſanè colligere minimè eſt opus. quis enim negare poterit, quoties de religione incidit controuerſia, quam vel ſynodo, vel eccleſiaſtico iudicio finire oportet, quoties de eligendo pontifice agitur, quoties denique tractatur res aliqua perdifficilis, & magni momenti: rurſum, cùm appareant iudicia iræ domini, vt ſunt peſtilentia, bellum, & fames, hoc ſanctum eſſe, & ſæculis omnibus ſalutare inſtitutum, vt publicũ ieiunium, atque extraordinariẹ preces plebi indicantur? ſi quis teſtimonia, quæ ex veteri teſtamẽto adduci poſſunt, non recipiat, quaſi Chriſtianæ eccleſiæ ac libertati (vt ſerui iſti peccati garriunt) minùs conueniant, cõſtat apoſtolos, & Chriſtum ipſum ſic feciſſe. Sanctiſſimum igitur ſemper inter fideles habitum eſt, dum aut præſſuræ & anguſtiæ, aut neceſſitas nos vrget, in cinere & cilicio, in fletu & ieiunio diuinum expoſcere fauorẽ. ob eámque rem addidi, ſi verba ſua ſuperficie tenus audiantur. Quòd ſi diligentiùs iſtius doctrinæ ſinus ac receſſus præſcrutemur, duo Caluini errores ſtatim ſe prodẽt, vterq; quidẽ Aerianus. vnus eſt, quòd extra eã hypotheſin aliàs ſtatutũ & præfixum ieiunium, qualia eccleſiaſtica ſunt, quatuor temporum, ſextæ feriæ, quadrageſimẹ, in martyrum vigiliis damnat. alter eſt, quòd neque in ipſis etiãcaſibus, in quibus tempus ſit ad ieiunandum ſatis opportunum, vltra poteſtatem exhortandi quidquam aliud paſtoribus ac miniſtris tribuit, quaſi nulla ſit in eccleſia facultas id præcipiendi, ſicut peſſimè ante 1300 annos Aerius Chriſti eccleſiam moleſta-

Antiqui patres in ſumma neceſſitate ad ieiunium & ſupplicationes recurrebant.

Duplex Caluini error, atque vterque Aerij.

bat. vt opportunè ſatis verbis concilij Gangrenſis in Caluinum agere poſſimus non minùs, quàm olim in Aeriū iactata fuerunt. Si quis, ait ſancta ſynodus, communia ieiunia totius eccleſiæ putauerit contemnenda, perfectam in ſua ſcientia vindicans rationem, anathema ſit. De præcepto autem dicebat Auguſtinus, videre ſe præceptum quidem eſſe ieiunium in euangelicis & apoſtolicis literis: quibus verò diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, & teneamur præcepto domini, & apoſtolorum, non ſic expreſſè, inquit, definitum video, ſed eccleſiæ relictum ſtatuendum. Verùm veniendum eſt ad reliqua Caluini. *Sāctum ac legitimum ieiunium tres fines habet. eo enim vtimur vel ad macerandam ac ſubigendam carnem, ne laſciuiat, vel vt ad preces ac ſanctas meditationes meliùs ſimus comparati, vel vt teſtimonium ſit noſtræ coram Deo humiliationis, dum volumus reatum noſtrum corā illo confiteri. Primus finis non ita ſæpe locum habet in publico ieiunio, quòd non vna eſt in omnibus corporis conſtitutio, non vna valetudo priuato itaque ieiunio magis conuenit. Secundus vtriuſque communis eſt. tam enim vniuerſa eccleſia eiuſmodi præparatione ad preces opus habet, quàm priuatim fidelium vnuſquiſque. Tertius quoque ſimiliter*: hæc vniuerſa concedimus Caluino lector, modò viciſſim ipſe nobis nolit negare, gratiſſimam nos Deo exhibere hoſtiam, ſi ieiunio & lacrymis coram eo contendamus. vt vel hac ratione diſcat iſte, nō minùs ad diuinum cultum & Deum placandum, & cæleſtem fauorem promerendum, atque offenſam in Deum illatam condonandam ieiunium facere, ac valere, quàm externa cetera opera ex vera pietate & caritate dimanantia, plurimúmque ieiuniis humiliata mente Deum delectari. ſicut enim continentia, vbi nullum ſit prædicandum euangelium, ob diuinum honorem cuſtodita Dei cultus eſt, ſic & ieiunium, quo corpus mirè frangitur, ſuauitatis aſpirat odorem diuino aſpectui quàm gratiſſimum. quare iocatur Caluinus, nec verum eſt quod hîc profert, in hoc ſcilicet ieiunij genere non aliud ſpectaſſe ſanctos, niſi vt redderentur alacriores, & magis expediti ad precandum. immo verò id ſpectarūt, & peccatorum etiam veniam impetraturos ſe ieiuniis arbitrati ſunt, atque faci-

Auguſt. epiſt. 86.

Cal. ſect. 15. Tres fines ſancti ieiunij.

Ieiunium nō expeditos nos ad orandū modò reddit, ſed etiā Deo gratos, à quo peccatorū veniā impetrat.

lè inedia Dei iram placaturos ſe ſemper intellexerunt. Gregorius verè magnus dicit, Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris, & præmia. Ecce tres fructus ieiunij. Præterea ſi eò tantùm patres ſpectarunt, vt ſcilicet expeditiores redderentur ieiuniis, & non vt etiam eiuſmodi pœnitentia Deum ſibi propitium redderent, non iam tres fines (vt paulò antè dicebat iſte) ſed vnum tantùm ſanctum ieiunium habebit, nempe faciliorem expeditionem ad diuiniora. Vnde nec minus hoc loco dolendum eſt, quàm torto, vt dicitur, collo ſcripturas in ſuam hæreſim trahat. ait enim, *Sic intelligẽdum eſt quod refert Lucas de Anna, eam ſeruiuiſſe domino ieiuniis, & obſecrationibus. neque enim Dei cultum reponit in ieiunio, ſed ſignificat, ſanctam mulierem ſe hoc modo exercuiſſe ad precandi aſſiduitatem:* quis ſic intellexit Caluine? quis ſic interpretandum illum locum ſcripturæ ante vos ne ſomniauit quidem? non Ambroſius, qui ieiunium mortis excidium vocat, virtutum normâm, animæ purificationem, reconciliationis ſacrificium: non Auguſtinus, qui pro iudulgentia impetranda dicebat ieiunandum eſſe: non Hieronymus, qui ſic de Sodomis ac Gomorrhis affirmat, ieiunio potuiſſe Deum placaſſe: non infiniti pænè alij, qui etſi precationi adminiculi vice ieiunium ſæpe coniungunt, (hoc ſiquidem experimur, ventre pleno mentem non ita in Deum erigi, vt ex ſerio ardentíque affectu ferri in precationem, & in ea perſeuerare poſſit) tamen ieiunio propter ſe ſuſcepto placari Deum, ac ieiunio redimi æterna ſupplicia, nõ ſemel antiquiſſimi patres Orientis & Occidentis eccleſiæ in laudem abſtinẽtiæ docuerunt. Eſt ergo ieiunium ipſum virtus, pluribúſq; virtutibus auxiliatur: ſicut & gula vitium eſt per ſe ab aliis diſtinctum, & multorum aliorũ parens. viam aperit ieiunium caſtitati non minùs, quàm gula luxuriã fouet, ſicut de Sodoma Ezechiel affirmat. orationem viuificat ieiuniũ, & illius eſt comes, vt Nehemias dicebat, Sedi, & fleui, & mæſtus aliquot diebus ieiunaui, & oraui. ſicut contrà, cùm plus iuſto populus manducaſſet, & bibiſſet, ſurrexit non Deum cæli adoraturus, ſed aureum vitulũ. hinc profluit, quòd toties ſcriptura ſanctum ieiunium

Cal. ſibi contradicit, ac malè ſcripturam interpretatur.

Lucæ 2.

Ieiunium eſt virtus temperãtiæ pars & alias virtutes plures adiuuat.

Ezech. 16.

Nehem. 1.

Exod. 32.

3. *Reg.*17. cum oratione coniungit. ſunt vtique (quemadmodum
1. *Reg.*19. video obſeruaſſe ſanctos) ieiunium & eleemoſynæ aliæ
*Luc.*2. duæ, quarum adiutorio ſe in altum oratio tollit. ſunt
*Matth.*17. præter id ſuæ laudes ieiunio, ſunt huic virtuti ſua præ-
*Marc.*9. mia, ſi in Deum, eiúſque honorem referatur. *Paulus di-*
*Matth.*6. *xit, rectè facere fideles, ſi ad tempus abſtineant à toro coniu-*
1. *Cor.*7. *gali, vt liberiùs vacent orationi & ieiunio. vbi ieiunium pre-*
cationi vice adminiculi coniungens, nullius per ſe momenti eſ-
ſe admonet, niſi quatenus in hunc finem nempe orationis re-
fertur: eſtné hoc ſcripturas interpretari Caluine? eſtné
hoc prophetam in eccleſia agere Caluine? num quia ie-
iunium adiunctum eſt precationi, iccirco nullius per ſe
momenti, etiam ſi in Deum referatur, eſſe nos admo-
nuit Paulus? egregium ſanè quidem interpretem. ergo
Caluine, ſi apoſtolus adiunxiſſet, dicens, Vt vacetis ie-
iunio, orationi, atque aliis ſanctis operibus, pari modo
licuiſſet tunc nobis ex Paulo argumentari, omnia illa
precationi vice adminiculorũ ab apoſtolo adiecta fuiſ-
ſe, ac proinde nullius per ſe eſſe meriti, quantumuis in
Deum relata eſſent, ſi à precatione ſeparentur. ô bellam
theologiam! adiungitur precationi ab apoſtolo, ergo
mens Pauli eſt nullius prorſus per ſe momenti, nec me-
riti eſſe, immo nec virtutem appellãdam, niſi quatenus
refertur in hunc finem. quis locus arguendi Caluine? an
non licebit nobis potiùs ex eodem Paulo inferre, ma-
gni momenti ac meriti ieiunium eſſe, tum quòd pro
ieiunio abſtinendum monuit Paulus, ab his actibus,
qui citra peccatum fieri optimè, immo cum merito poſ-
Ieiuniũ Dei ſent, tum etiam quòd præcationi, quæ ſine dubio latriæ
cultus, ac actus eſt, tam intimè adiungitur? Qualiter igitur proli-
meritorium. xa barba, impexo capillo, pulla veſte, ſuppliciter ſe de-
mittere ſolebant ad conciliandam iudicis miſericordiã,
pertinebátque ea deiectio non parum ad iuſtitiæ ſatiſ-
factionem, & ſatis commeritam iram placandam, & ad
iudicis honori conſulendum: ita nos, qui ſæpe rei agi-
mur coram Dei tribunali, eius ſeueritatem mirabili ha-
bitu deprecari, ſuo honori ſatisfacere, tum eius gloriæ
intereſt, quæ optimè ſic colitur, tum nobis quoque ip-
ſis vtile eſt ac ſalutare. atque id quidem in vſu fuiſſe in
*Ioel.*2. populo Iſraelitico ex verbis Ioelis colligere promptum

eſt. nam, cùm iubet cani tuba, conuocari cœtum, indici ieiunium, & ea, quæ ſequuntur loquitur quidem, vt de rebus communiter receptis. paulò enim antè dixerat, de flagitiis populi cõſtitutam eſſe quæſtionem, ac iam imminere iudicii diem nuntiauerat, reóſque citauerat ad dicendam cauſam: poſtea vociferatur, vt properent ad ſaccum & cinerem, ad fletum & ieiunium. hoc eſt, vt externis quoque teſtificationibus, quas ſæpe Deus probauit, quibúſque coli, ac placari non ſemel teſtatus eſt, ſe coram domino proſternant. cinis quidem & ſaccus fortè illis temporibus magis conueniebant, ſed conuocatio, fletus, ieiunium, & quæ his ſimilia ſunt, non dubiũ, quin ad noſtram etiam ætatem ſimiliter pertineant, poſtquam ſemper rerum noſtrarum ita condicio poſtulat. Ergo externa hæc eſt cæremonia, qua ſæpe Deum placauit vetus illa eccleſia, qua etiam diuini furoris ignem & Niniuitæ, qui nihil doctrinæ præter vnam Ionæ prædicationem habuerant, facilè repreſſerunt, atque extinxerunt, qua demum, velut firmiſſimo adminiculo, nobis vtendum eſt, quamdiù à domino vero eccleſiæ ſponſo peregrinamur. hoc ſanè tempus & luctui, & ieiuniis idem ipſe dominus deſtinauit.

1. Reg. 7. 4. Reg. 1. Ionæ 3. Matth. 9. Luc. 5.

Quid ſit ieiunium, atque in quibus conſiſtat ieiunium, ſicut & cetera omnia opera, niſi in caritate fiat, & ab interiore in Deum affectu procedat, dignum non eſſe apud Deum æterna mercede: in ieiunio demum rationem meriti, ac cultus diuini reperiri adhuc ex patribus contra Caluinum docetur, cuius rationes etiam ſoluuntur. CAP. *IX.*

NEque ſimpliciter continentiam ac parſimoniam in victu, ieiunij nomine, intelligemus, ſed quiddã aliud. piorum quidem vita frugalitate & ſobrietate temperata eſſe debet, vt quandam ieiunij ſpeciem, quo ad fieri poteſt, toto ſuo decurſu præſeferret. ſed eſt præterea ieiunium aliud temporale, cùm aliquid ex conſueta viuendi ratione retrahimus, vel ad diem vnum, vel ad certum tempus, iuxta quod aut nobis ipſi præſcribimus, aut maiorum noſtrorum præſcriptum cuſtodimus, & nobis continentia indicitur in victu, ordinaria illa arctior ac ſeuerior. hoc in tribus ſitum eſt, in tem-

Ieiuniũ conſiſtit in tribus.

pore, vt conſuetudini ſemper ſtetur, in ciborum qualitate, non in abſtinentia carnium tantùm, ſed etiam vt omnes omnino lautitiæ abſint, ac plebeis, vilioribúſque cibis contenti, palatum delicatis non irritemus: parſimonia denique, vt parciùs ac leuiùs ſolito veſcamur, tantummodo ad neceſſitatem, non etiam ad voluptatem. Sed perſtringamus cetera. *At verò in primis cauendum hîc eſt, ne quid obrepat ſuperſtitionis, quemadmodum ante hac magno eccleſiæ malo accidit:* quid hoc eſt optime lector? quod hoc malum, quod ante hac accidit eccleſiæ: quid illud, antehac, eſt? quæ hæc eccleſia, cui accidit? *Ante hac,* inquit, *accidit*: num à temporibus apoſtolorum Caluine? quod ſi ſic, inueteratum multùm eſt, pænè iam conſenuiſſe videbitur. num à temporibus Tertulliani, Cypriani, Baſilij, Athanaſij, & horum æqualium? at & hoc nimiùm antiquum malum eſt, cui mederi non facilè tu vnus poteris. Sed videamus reliqua: inde ſpero nos collecturos, quod malum ſit hoc, & cui acciderit, ac per quos. *Multò enim ſatius fuerit nullum prorſus eſſe ieiuniorum vſum quàm diligenter obſeruari, & interim corruptum eſſe falſis pernicioſiſq; opinionibus, ad quas mundus ſubinde delabitur, niſi ſumma fide ac prudentia obuiàm eant paſtores*: proh immortalem Deum! & quò nunc ſe proripit iſte vir magni conſilij? quod tam infinitum malum, in quod paſtores omnes munit, & ad arma vocat, & velut claſſicum canit? noli morari nos, noli nos diutius detinere: perſequere, ac rem omnem à principio ediſſere: neque vereare vulnus à radice detegere: non eſt quod vereare læſores ipſos notaſſe, etiam ſi apoſtoli fuerint, ne dum parcatur Auguſtino, Hieronymo, Baſilio, Origeni, cecteríſque infimæ claſſis, & recèns natis hominibus. *Primum eſt, vt ſemper vrgeat, quod dicit Ioel, ſcindenda eſſe corda, non veſtimenta. hoc eſt, admoneant plebem non magno per ſe æſtimari à Deo ieiunium, niſi adſit interior cordis affectus, vera peccati & ſui ipſius diſplicentia, vera humiliatio, veruſque dolor ex timore Dei:* ecquis eſt non ex antiquioribus patribus modò Caluine, ſed ex recentioribus, qui hoc non vrgeat? quis huius rei nos non admonuerit? iam pridem ſcit Chriſti eccleſia, neque orationem, neque eleemoſynam valere ſine

caritate, ſine interiore affectu, ſine timore, ſine amore, in quo omnium potiſſimè ratio diuini cultus eſt collocatus. quia non puro & vero corde, ſed deteſtabili hypocriſi ieiunabant aliquando Iudæi, & mille ſceleribus contaminabant, nihil illis profuit ad ſalutem. quia non diuino amore tactus, nec Dei timore exagitatus flebat & orabat Antiochus, veniam ſceleſtus non eſt conſecutus. quia non in Deum vnum ſuum ieiunium collocauerat phariſæus, licèt bis in hebdomada ieiunaret, eius neque abſtinentia, neque oratio magno pretio æſtimata eſt. Quid minutiſſimos arenæ pulueres in iuſtum numerum redigere fruſtra pergo? nihil frequentius vel apud eccleſiaſticos ſcriptores legimus, vel ab antiquis patribus docemur, quàm eatenus ea omnia Deo grata fore, quatenus ex interiore affectu in Deum ipſum ordinentur. quid, quòd ſcholaſtici auctores, vtcunque peccatores ad ieiunium, & ad cetera pœnalia opera modis omnibus exhortentur, & eadem ipſa opera, quæ in peccato fiũt, tum pro præcepti ſatisfactione, tum pro temporalibus beneficiis aſſequendis, ac pro diuino auxilio feliciter impetrando, multùm poſſe dicant: omnes tamen ad vnum, niſi priùs ſciſſa ſint corda, niſi adſit interior cordis affectus, niſi vera ſit peccati & ſui ipſius diſplicentia, vera humiliatio, verúſque dolor, ex timore Dei & amore procedens. niſi hæc omnia adſint, nihil ad æternam ſalutem promerendam facere ieiunium, ſicut neque lacrymas, neque ſacrificium, neque fidem ipſam, vt dixi, cõmuni, ſatíſque conſtanti ſententia tradunt, atque docent? quo etiam in loco non pigebit Satanæ dolos, artes, & nequitiam, quam per iſtos ſuos miniſtros nũc exercet, explicatiùs detegere. cùm enim modis omnibus Chriſti fideles ab operibus bonis retrahere ſtudeat, nulla via commodiore ſe id, quod molitur, aſſecuturum arbitratur, quàm ſi ſemel miſeris hominibus perſuaſerit, per magiſtros ſuos, quos habet in omne malum paratiſſimos, omnia, quæ à nobis dominus exigit, ſi ſecus præſtemus, atque ab ipſo nobis præcepto ſuo expoſcit, nempe eo fine, eo affectu, ea caritate, non modò nihil nobis ad vitam, quæ finem neſcit, prodeſſe, ſed maximopere per ea

Eſaiæ 28. 2. Malach. 2. Luc. 10.

Ieiunium, ſicut cetera opera, ſicut caritate & interiore affectu Deo placere non poteſt.

offendi, non ſecus atque per hypocriſim, & execrãdam quandam deteſtationem, vt vel ſic rudis homo, qui vel proprij ſceleris conſcientiam habet, vel certè non ſibi ſatis conſcius, an ſit in amore, quaſi hypocriticum ieiunium execratus, ieiunare omittat. Hæ ſunt Satanæ machinæ, hi doli. Hoc de primo malo: ad alterum eſt iam veniendum. *Alterum malum ſummopere cauendum eſt, ne pro opere meritorio, aut ſpecie diuini cultus cenſeatur:* quid faciendum eſt hîc lector? Ignatius, Teleſphorus, Tertullianus, Cyprianus, Baſilius, Origenes, Hieronymus, ecquis non? inter meritoria opera, & in bono loco ſanè ieiunium conſtituunt. heu me infelicem, quid ſic nos fefelliſti magne Ambroſi, qui ad Dei cultũ maximè pertinere carnis mortificationem, Paulum ſecutus, multarum ſcripturarum pręſidio munitus, eccleſiaſtico ſenſu inſtructus, non obiter, aut aliud agens curſim, ſed data opera, prolixa oratione, coram plebe tibi credita toties docuiſti? Sed quid ego in ſanctos inuehor, & non in vnum potiùs Caluinum, qui vno digitulo cornicum oculos vult configere? quæ cùm facit, nihil agit magis, quàm bene conſopitos ignes ab eccleſia, denuò excitare, atque inflammare. Verùm ad rem eſt redeundum. Quid te mouit ô homo, vt neges ieiunium aut meritorium eſſe, aut ad diuinum cultum, ſicut multa alia externa, pertinere? *Nam, cùm ſit res media per ſe, nec quidquam habeat momenti, niſi propter eos fines, in quos reſpicere debet: pernicioſiſsima ſuperſtitio eſt, confundere cum operibus à Deo mandatis, & per ſe neceſſarius, non alio reſpectu:* ieiunium, Caluine, à Deo præceptum eſt, vt ex Auguſtino retulimus, quamuis tempus ipſum ex domini præcepto, nõ in ſcripturis expreſſum legamus. pro hac ergo parte nihil deperit ieiunio, quò minùs ad Dei cultum pertinere dicas. qui enim ieiunare iuſſit, & qui per ſuum apoſtolum hoſtiam vocat ſibi placentem, & obſequium rationabile, apertum teſtimonium exhibet, eam rem multum ſibi placere, atque ea, modò recto fine peragatur, im penſè delectari. colitur igitur Deus ieiunio: ídque ex Dei verbo, cui non poſſit repugnare Caluinus, colligimus. Quòd verò adiicit, externum eſſe opus, & rem per ſe mediam, tan-

Caluinus nõ vult ieiuniũ opus meritorium haberi, aut ad diuinum cultum pertinere cõtra patres.

1. ratio Cal.

2. ratio Cal.

tùm probat, ieiunio non ſic Deum coli, atque caritate, & interno affectu: non tamen conuincit, non aliquo modo nos eo Deum venerari, maximè ſi ab religione ac pietate diuinóque amore proficiſcatur. quamuis itaque nō tale ieiunium ſit, qualis dilectio atque interior pietas eſt, bonúmque & malum finem ſortiri queat: tamen ea natura ieiunium eſt, vt ſi à bono affectu proficiſcatur, & Deum placare, & ipſius impetrare clementiā, ſicut & cetera pietatis externa opera, egregiè poſſit. ſola dilectio via eſt rectiſſima Caluine, non ieiunium, non eleemoſyna, non oratio, non genuflexio ipſa. notiora hæc ſunt, magíſque antiquis & recentioribus ſcriptoribus frequentia, quàm aut pluribus probāda ſint, aut copioſiùs pertractanda. *Tale fuit olim deliriū Manichæorum, quos dum refellit Auguſtinus, ſatis clarè docet ieiunium non niſi ab iis, quos dixi, finibus æſtimandum, nec Deo aliter probari, niſi eò referatur:* non te pudet contra catholicos Auguſtinum aduerſus Manichæos diſſerēte referre? ſed quia tui non piget te, Auguſtini verba libens proferam, vt ſi fieri poſſet, nunc intelligere inciperent iſti tui miniſtri, quanto errore per te excæcati teneantur. ſic porrò Fauſtum loquētem inducit Auguſtinus, De vobis verò quid dicam? id eſt, de Chriſtianioribus apud vos, quorum nonnulli quidem porcina, plerique verò quadrupede omni, alij etiam cuncto animali penitus abſtinent, fértque ob hoc in oculis eos omnis eccleſia, & ſumma cum veneratione ſuſcipiens, ſolùm non deos exiſtimat. nec videtis indociles, quia ſi hoc verum, & ab apoſtolo dictum teſtimoniū eſt, dæmoniorum & ipſi ſunt ludificati doctrinis. Quid verò & de illo dicemus, quod ſanè fruſtrari quis audeat, aut negare, cùm conſtet hoc inter omnes, & æquè per orbem terrarum quotannis omni cum ſtudio celebretur in conuentu catholico? dico autem quadrageſimam, quam qui inter vos ritè obſeruandam putauerit, abſtineat neceſſe eſt omnibus his, quæ capitulum hoc à Deo ad percipiendum nobis creata dicit, & dæmoniorum inſuper doctrinam vocat abſtinētiam prædictorum. Quid ergo & vos cariſſimi, ritu ne tunc demoniorum viuitis, cùm hæc à vobis paſſionis Chriſti

3. ratio Cal.

Verba Fauſti Manichei.

2. Tim. 4.

Obſeruatio quadr. à tota eccl. celebrabatur ante Manichaos.

Fauſt. l. 31. cap. 2.

celebrantur myſteria, & ſeductorij ſpiritus fraude decipimini, & in hypocriſi loquimini mēdacium, & cauteriatam habetis conſcientiam veſtram? vos igitur ô catholici, qua excuſatione vtimini, Paulo clamante, nihil eſſe non mūdum, & doctrinas demoniorum appellante ciborum abſtinentiam, & mente pollutos vocante, qui aliquid putauerunt inquinatum, non ſolùm abſtinetis, (vt diximus) ſed etiam gloriam exinde captatis, & eò acceptiores vos creditis Chriſto, quò eritis abſtinentiores à cibis: id eſt, ſecundum hanc ſententiam, quò mentibus inquinati magis & magis conſcientia polluti. Hæc erat ſtolidiſſimi Goliath furioſa ac veſana argumentatio Chriſtiane lector, qua inſipiens homo tueri ſe moliebatur, eodem ſcelere notans, & aſpergens catholicos pro quadrageſimali obſeruatione, quo miſer ipſe teneretur, cùm nos non naturam aliqua maledictione polluamus, dum à cibis abſtinemus, ſed Chriſti exemplo, & apoſtolorum conſenſu, atque eccleſiaſtico, eóque antiquiſſimo præcepto certis diebus atque temporibus à nonnullis cibis nos temperemus. Sed iam audiatur Auguſtini reſpōſio, qua & Manichæorum phreneſis damnata manebit, & apoſtolica obſeruatio quadrageſimalis plurimam gratiam, ſi rectè fiat, apud Deum promereri demonſtrabitur. Audi ergo, inquit Auguſtinus, quòd confiteris te non videre, qua mente & conſilio hoc aduerſum vos Pauli capitulum proferamus, non quòd à carnibus abſtineatis. nam hoc à quibuſdam & primi patres noſtri fecerunt, ſicut commemoras: non tamen ea damnandi, ſed ſignificandi gratia, quod non intelligitis: & Chriſtiani non hæretici, ſed catholici, edomandi corporis cauſa, propter animam ampliùs ab irrationalibus motibus ampliùs humiliandam, non quòd illa eſſe immunda credant, non ſolùm à carnibus, verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper ſicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, ſicut per quadrageſimam ferè omnes: vos autem ipſam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis. Hæc diuus Auguſtinus. Quid hîc legis Caluine, quod non iuuet ad extollēdam quadrageſimalem obſeruationē, nimiúmque

Tit. 1. 1. Tim. 4.

Aug. l. 30. ca. 5. cont. Fauſt.

Iudæorū abſtinentia à certis cibis erat ſignificādi gratia, catholicorū, domandi corporis: Manichæorum verò, damnādi creaturam.

commēdandam? obſeruemus vſque eò probatam ac receptam in vniuerſo Chriſtiano orbe quadrageſimam temporibus Auguſtini & Manichæorum, vt tunc quidem omnibus fuerit religio carnibus veſci, immo quòd à quibuſdam terræ fructibus abſtinerent per quadrageſimam ferè omnes. antiquis temporibus ante 1400. annos, ante Auguſtini dies, ante Tertulliani ætatem in ſancta quadrageſima neque omnibus terræ fructibus veſcebantur viri verè euangelici: at vos noui euangeliſtæ, omnis temperātiæ faſtidioſi, & carnes comeditis reformatiſſimi ſcilicet Chriſtiani. Quòd verò ibi Auguſtinus dicit ſuſcipi ieiunium edomandi & humiliandi corporis gratia, mirum, quàm abſtinentiæ meritum & laudem foueat. an non edomatio ipſa, gratiſſima Deo hoſtia eſt? an non humiliatum cor & contritū, ſacrificium eſt Deo ſuauiſſimum? recedant, recedant incredibiles iſtæ delirationes, inſaniæ, ſtultitiæ, errores: ſatis deliratum vobis eſt. Sed nos inſtemus cœptis. ſumus iam in tertio malo, cui ne ieiunio accidat, Caluinus, publicæ vtilitatis amans, magnopere percupit prouideri. *Tertius*, inquit, *error non adeò quidem impius, periculoſus tamen, tanquàm vnum ex præcipuis officiis moroſius, ac rigidius exigere, ac immodicis encomiis extollere, vt homines ſe aliquid feciſſe exiſtiment, eximium cùm ieiunauerint:* ſic tuorum auram captas? ſic tuorum hominum, ac torpentis carnis libidini blandiris? minimíne æſtimabis tot patrum chorum, qui tam concinnè, tam pulchrè, tam numeroſè, tam eleganter, tam aptè ieiunij & abſtinentiæ, virtutis & meriti, laudum & encomiorum perſequuntur cantum? nónne vides, quos iſto errore macules? Cyprianus mira dicit, dum Chriſtiani ieiunij vtilitates enarrat, Tertulianus tribus libris nihil, niſi ieiunium laudat: Hieronymus in altero libro aduerſus Iouinianum pænè infinitas virtutū laudes texit, Ambroſius elegātem librū fecit, quē de Elia & ieiunio ſcripſit, in quo mirandū in modū ieiunij meritū extollit, Chryſoſtomus integro volumine nihil aliud curat, quàm plebem ſuam ieiuniorum amantem reddere. extant & ſermones antiqui Leonis, quos infinitis pænè laudibus ieiunij locupletauit. Baſilius dum de abſtinētia & ieiunio

Cal. de tertio errore.

Cypr. in ſer. de ieiunio & tentatione.

Tertul. l. de baptiſ. & cōt. Pſychicos, & in Apologetico contra gētes.

Hier. lib.2. cont. Iouin. idē epiſt.14. de regula ieiun. Chry in ſer. de ieiunio & homil.8.& 10. in Gen. Auguſt. epi. 108.& de ſalut.docum. cap. 48.& epiſt.111. ad Bonif. Athan.de Dan.& triū puerorum ieiunio.

loquitur, vix poteſt ſe à laude ipſius temperare. Auguſtinus, & Athanaſius veritatem hanc, quam tu errorem cenſes, ſilentio minimè prætereunt. Verùm quid agol cur cedo, non laudarent ieiunium, quod ſcirent & virtutem eſſe, & ad plures virtutes viam ſternere, & quàm gratiſſimum eſſe Deo ſacrificium, pro illius placanda ira, & dimittenda offenſa, atque gratia promerenda? ſed videor mihi, cùm hæc refero, iam audire deſiderare lectorem meum, quid his tam manifeſtis ſanctorum teſtimoniis, & integris codicibus antiquorum patrum reſpondeat Caluinus, homo adeò antiquitatis amator & obſeruator, vt dicere audeat, quòd ſi in his omnibus patrum auctoritate negotium dirimendū eſſet, melior pars victoriæ pro ipſo ſtaret. *Qua in parte non in totum excuſare audeo veteres, quin & ſuperſtitionis quædam ſemina iecerint, & occaſionem præbuerint tyrannidi, quæ poſtea exorta eſt. occurrunt quidem interdum ſanæ ac prudentes de ieiunio ſententiæ, ſed poſtea occurrunt ſubinde immodicæ ieiunij laudes, quæ ipſum inter præcipuas virtutes extollunt:* hoc Caluine non eſt contemnere patres antiquos, ac melioris adhuc ſæculi ſcriptores? non eſt eos omnes poſthabere? ſic ſcilicet nullo negotio ipſorum ſuffragiis tua omnia cōprobas? ô inexcogitabilem arrogantiam! quis hominum, quis mortalium, non Chriſtianorum tantùm, ſed etiam eorum, qui legem ignorant, in ius antiquos illos patres vocare auderet præter te, vt aliena excuſatione tegendi, adumbrādíque ſint? quis erroris notam illis omnibus inurere præſumit, vt culpa eximendi, & liberandi, purgandíque tibi ſint? quis ipſorum te tutorem ſuum, & excuſatorem appellauit? non poſtulant abs te Caluine ſanctiſſimi illi manes, nō abs te contendunt, vt ab eis culpam remoueas, doctrictrinam excuſes, delictúmque ſuum in alium conferas, vel transferas: nihil, nihil peccatum eſt illis, omnia in tuto collocata ſunt: vniuerſa, quæ dicunt, quæ docent, quæ tradunt, vera, catholica, ſancta ſunt. ſi tyrannis eſt Caluine, quam in eccleſia in ſuos filios, nunc hac in re exercet, ſi crudeliſſimus tibi dominatus videtur hic, non, mihi crede, antiqui patres ſemina illius iecerunt tantùm, ſed ipſam ſuperſtitionem (ſi ſuperſtitio tibi

vocanda

vocanda videtur) ipſi penitus ab apoſtolis inuectam laudarunt, & in primos illos viros naſcētis eccleſiæ reiecerunt ſi tyrānis eſt, non occaſionem præbuerunt illi ſolùm, ſed vniuerſam omnino fouerunt iam adultam. non noſtris temporibus recèns nata iſta tyrannis eſt Caluine, ſed cum euangelio orta obſeruatio, cum apoſtolis adoleſcens, cum priſcis patribus vegetata, quæ & leuiſſimum iugū nobis filiis ſuis eſſe profectò videtur. Hæc vniuerſa vera eſſe, ac certiſſima, liquidò probant, quæ ſuperiore loco pro antiqua ieiuniorum & ſub præcepto quidem obſeruatione ex patribus retulimus, potiſſimùm verò infrà poſita Baſilij oratio, quam vtinam Caluinus prælegiſſet.

Baſilij Magni de Ieiunij laudibus oratio.

IMperatores quidem, cùm exercitū in aciem educunt, adhortatione ante conflictum vtuntur: tanta enim vis eſt exhortationis, vt ſæpe multos etiam in ipſam contemptionem mortis adducat. magiſtri etiam palæſtræ, & hi, qui pueros inſtituunt, cùm ſuos athletas ad ea certamina, quæ in ſtadiis feruntur, educunt, multa in eam ſententiam diſſerunt, quòd coronarum gratia ſtrenuè laborandum ſit: & profectò ita eos perſuadendo afficiunt, vt multi non dubitent ſanguinem ſuum ob victoriæ ſtudium profundere. proinde & mihi, qui Chriſti milites ad bellum contra eos hoſtes, qui aciem oculorum fugiunt, inſtruere, & athletas pietatis ad iuſtitiæ coronas per abſtinentiam præparare cogito, neceſſe eſt exhortatoriam orationē inſtituere. Nonnulli ex angelis ad eam rem ordinati ſunt, vt eos per ſingulas eccleſias, qui inedia corpus ſuum affligunt, deſcribant. quapropter da operam, ne propter exiguam eduliorum voluptatem, damnum tam ingens accipias, vt ab angelo in numerum eorum, qui à nimio cibo abſtinent, non referaris, & teipſum apud imperatorem, qui exercitum luſtrat, deſertæ aciei reum ſtatuas. minus enim equidem is periculum adit, qui in acie, abiecto ſcuto, in fugam ſe coniicit, quàm ille, qui magnum ſcutum, ieiunium ſcilicet, abĭicit. Diues es? ne tamen afficias contumelia ieiunium, à conuictu tuo illud ar-

Ee

cens, nève à domo tua, velut ignominioſum, à volupta-te ſuperatum, ableges, ne aliquando te illud eam ob cau ſam apud ieiunij auctorem reum faciat, multiplicémque tibi ex condemnatione indigentiam ac egeſtatem inducat, nimirum aut ex corporis infirmitate, aut ex aliqua alia triſti calamitate. Paupérne dicta dicat in ieiunium, vtpote qui iam illud multo à tempore familiare ac contubernale habet. Mulieribus autem cibo pauco vti, ita proprium, & ſecundum naturam eſt, vt ſpiritum ducere. Pueri etiam, quaſi plantæ virides, ieiunij aqua irrigantur. Senibus familiaritas ac conſuetudo, quæ illis cum ipſo multo à tempore eſt, leuem laborem facit. labores enim, qui ex longa conſuetudine exantlantur, minore moleſtia, qui eos ſubeunt, afficiunt. Viatoribus verò ſuccinctum & expeditum comitem ſe præbet ieiunium: vtì enim deliciæ onus ipſos ferre cogũt, fruitiones voluptatum ipſis circumferendo, ſic illos leues & expeditos inedia efficit. ac mundi quidem militibus, pro laborum proportione, frumenti. & cibi copia augetur. verùm inter milites ſpirituales aliter ſe res habet: nam ei, qui minus alimenti habet, maior dignitas tribuitur. ſtultum ſanè eſt, ob animæ ſanitatem lætitiis non exultare, ſed mærore potiùs ob ciborum mutationem confici. eſt præterea hominis nullius conſilij, magis ſtudere velle voluptati ventris, quàm animæ curationi. expletio enim, apud ventrem gratiam conſequitur, at inedia magnum fructum animæ affert. Noli imitari, quæſo, Euæ contumaciam, noli rurſum conſilio ſerpentis vti, qui eſcam ſuauem carni ſuggerit, noli, cùm non ieiunas, debilitatem corporis prætendere: non enim mihi excuſationes affers, ſed ei, quem nihil clam eſſe poteſt. Ieiunare te non poſſe inquis? at explere te cibo, & corpus onere eſculentorum conterere potes. atqui medici iis qui aliquo morbo laborant, non eduliorum varietatem, verùm inediam ac famem præcipiunt. quomodo igitur is, qui hæc poteſt, illa ſe non poſſe prætendit? longè facilius eſt, medius fidius, ventri tenui victu grauato noctem perferre, quã redundantia ciborum aggrauatum iacêre. niſi fortaſſis dixeris, gubernatoribus facilius eſſe nauem oneribus

grauatam ſeruare, quàm leuem ac nullo onere preſſam. illá enim, quæ multis oneribus onuſta eſt, modicæ vndæ impetus demergit, at illa, quæ mediocri rerum pondere grauata eſt, facilè fluctus ſuperat. Nec mihi profectò ea contentione, ac tanto ſtudio opus eſſe puto, vt homines ad ieiunij obſeruantiam cohorter, quanto, ne hodie quiſpiam in ebrietatis mala incurrat. plerique enim ieiunium cùm ob conſuetudinē, tum ob mutuam quandam reuerentiam amplectuntur: at ebrietatem extimeſco, quam homines, vino dediti, veluti paternam quandam hæreditatem, tuentur. nam perinde ac hi, qui ad longas peregrinationes proficiſcuntur, ſic ſtolidi quidam hodie ad quinque ieiuniorum dies ſeſe vino explent. Hem quid facis ô homo? nemo, qui vxorē caſtam in matrimonium ducturus eſt, pellices ac meretrices præaſſumit, ſecúmque habitare facit: nam mulier honeſta ferre non poterit, vt ſcorta vnà ſecum habitent. noli igitur & tu, cùm inedia corpus tuum macerare vis, ebrietatem priùs introducere, ebrietatem, inquam, quæ nihil aliud eſt, quàm publicum ſcortum, quàm mater impudentiæ, quàm Mænas quædã, ad omne genus turpitudinis prōpta ac parata. IEIVNANTEM INTER SACRA SEPTA DOMINVS SVSCEPIT, AT EVM, QVI CRAPVLAE INDVLGET SVAE, TANQVAM PROFANVM AC IMPVRVM, ABIGIT. *Meritum ieiunij.* Si cras veneris, vinum adhuc olens, ídque putrefactum, quomodo, quæſo, crapulam tuam ieiunium æſtimare potero? non id cogites, quòd in pręſentia non infundas merum, ſed quòd à vino non omnino ſis purus. equidē neſcio, in quorum te numerum referam, in temulentorúmne, an in eorum, qui inedia corpus macerant ſuũ? præterita enim ebrietas te ad ſe trahit, præſens verò fames ieiunium teſtimonio tribuit. contendit de te ebrietas, quaſi de mancipio quodam, nec te liberum facere vult, & meritò quidem: nam euidentes ſeruitutis notas exhibet, odorem, inquam, vini, veluti in vaſe permanentem. Cuius, obſecro, præceptoris præſentia puerorum tumultum adeò bellè ſedat, ſicuti ieiunij conſpectus ciuitatis turbas comprimit? quis vnquam procus in ieiunio apparuit? quod tripu-

dium laſciuum à ieiunio profectum eſt? cantilenæ meretriciæ, me hercule, ſaltationéſque furibundæ repentè ex vrbe diſcedunt, à ieiunio, tanquam à iudice quodam auſtero, fugatæ ac pulſæ. Quòd ſi illud omnes in rebus agendis in conſilium adhiberent, nulla res profectò prohibere poſſet, quò minus optimã pacem per omnem terrarum orbem traheremus: & neque gẽtes, ita me Deus amet, contra ſe arma mouerent, neque exercitus manus conſererent, ſignáque cóferrent, neque loca deſerta homines, qui ſcelere & maleficio paſcuntur, alerent, neque ciuitates calumniatores, neque mare piratas, denique nec vita noſtra tot ærumnis eſſet referta, ſi ieiunium vitam noſtram regeret, atque gubernaret. Quis eſt, qui non intelligit, quòd nos nõ ſolùm ciborum abſtinentiam edoceret, ſed etiam auaritiæ, omníſque vitij contemptum? hoc magnum illum Sampſonem, veluti nutrix quædam, educauit. quãdo is inedia corpus macerabat ſuum, millenos ſternebat hoſtes, portas ciuitatum effringebat, leones denique ipſi robur manuum ipſius ferre non poterant: at, cùm ſe ebrietati, amoríque meretricio dedidiſſet, robur omne penitus amiſerat, oculíſque captus ludibrio erat pueris. Elias ieiunando tribus annis & menſibus ſex, ne plueret, effecit. cùm enim videret ingentem iniuriam ex ſatietate naſci, inuitum ipſis ex fame ieiunium adduxit, quo peccatum eorum, quod iam extra fines modeſtiæ proceſſerat, compeſcuit. per ieiunium, inquam, veluti per cauterij cuiuſdam vſtionem, aut ſectionem quandam, malum ne longiùs ſerperet, effecit. vt enim indomitum cor hominum duræ ceruicis molliret, etiam ipſe non dubitauit, eandem cum aliis afflictionem ſubire. vnde inquit, Propter hoc viuit dominus, non erit in terra aqua niſi per os meum. ſic etiam reſtituit viduæ filium, cùm ieiunio fultus, contra mortem fortiter ſe geſſiſſet. Sed, quemadmodum nulla vtilitas ex illa beneficentia proficiſcitur, quæ oſtentandi cauſa fit, ita etiam nullus fructus capitur ex eo ieiunio, quod fit omnibus coram. nam ea, quæ oſtentandi gratia fiunt, non quærunt fructum in futuro ſæculo, ſed laudem hominum in hoc venantur. Eliſeus autem

qualem, obſecro, duxit vitam? quomodo à muliere Sunamitide hoſpitio acceptus eſt? quomodo ipſe vates alios accipiebat? nónne olera ſylueſtria, & modica farina omnem hoſpitalitatem explebant? illi verò viri, qui colocynthidem attigerant, vitæ periculum adiiſſent, ni precibus ipſius venenum diſſipatum fuiſſet. atque omnino videre licet, ieiunium omnes ſanctos ad diuinam politiam, manu veluti quadam, adduxiſſe. Eſt quædam corporis natura, quam amianton nominant, ex eo quòd igne conſumi nequeat, quæ quidem in flammam iniecta, videtur in prunas redigi: at cùm ex igne exempta fuerit, ac ſi aqua eſſet illuſtrata, lucidior multò euadit. talia erant illorum trium puerorum corpora, quæ ieiunio naturã amianti induerant. in magna enim fornacis flamma videbantur veluti aurei eſſe: ſic omnem ignis noxam ſuperabant, immo auro ipſo validiores apparebant. non enim conſumpſit ipſos ignis, ſed integros ſeruauit. ac ſanè nihil aliud ingentem illam flammam ſuſtinebat, quàm naphtha, & pix, ac ſarmenta, quæ ita eam alebant, vt ad quadraginta cubitos diffunderetur, & circumcirca omnia depaſcendo, multos etiam ex ipſis Chaldæis conſumeret. illam vehementem flammam facilè pueri inedia deleuerunt, tenuem instar roris aerem in tam ardenti igne ſpirantes. ignis enim ne pilos quidem eorum contingere auſus fuit, eò quòd ipſi ieiunio corpus maceraſſent ſuum. Daniel autem vir ille deſideriorum, cùm tres hebdomadas panem non comediſſet, nec aquam bibiſſet, etiã leones ipſos, in puteum immiſſus, ieiunare docuit. nam quaſi ex lapide, aut ære, aut aliqua re ſolidiore conflatus fuiſſet, leones ei dentes infigere non poterant: ita ieiunium corpus illius veluti tinctura quadam ferri firmarat, ac leonibus inuictum reddiderat. Neque ſanè Moſes, vertice fumante, montem accedere, neque in caliginem ingredi auſus fuiſſet, ſi corpus ſuum priùs ieiunio non armaſſet. per ieiunium etiam præcepta digito Dei opt. max. in tabellis ſcripta, ſuſcepit: & ſuperiùs quidem ieiunium legum ferendarum cauſa extitit, inferiùs verò ingluuies idolorum cultui ſtudebat. quadraginta dierum, proh dolor! continuam

ieiunantis ac orantis ſerui perſeuerantiam vnica ebrietas inutilem reddidit. nam quas tabulas digito Dei ſcriptas per ieiunium Moſes acceperat, eas ebrietas contriuit, cùm indignum iudicaret vates, populo temulento leges à Deo condi. Quid, quæſo, ipſum Eſaum fœdum, quid ſeruum fratris fecit? nónne vnicus eſus, ob quem, miſer, primogeniti prærogatiua excidit? quadraginta dies Elias, cùm animam inedia afflixiſſet ſuam, in ſpecu, qui erat in Choreb, vidit Deum: ac ſanè ita vidit, quatenus homini dominum videre fas eſt. quorum artus, cedo, ceciderunt in ſolitudine? nónne, eorum qui carnes flagitabant? quibus quàmdiu ſatis erat māna, & illa aqua, quæ ex petra manabat, Ægyptios fundebant, per mare iter faciebant, neque vllus eorum in caſtris aliqua inualetudine conflictabatur: cùm verò in mentem illis veniſſet carnium, ac voluptatum Ægyptiacarum deſiderium eos cepiſſet, terram, quæ illis promiſſa erat, non conſpexerunt. Verùm neque ſapiens ille Daniel viſiones vidiſſet, ſi ieiunio perſpicaciorem animam ſuam nō reddidiſſet. ex craſſo enim alimento exhalationes quædam fuliginoſæ, nubis denſæ inſtar exhalant, quæ eas illuſtrationes, quibus ſpiritus ſanctus mentem illuminat noſtram, incidunt. Somni etiam leues, & è quibus facilè te excitare poſſis, tenuem victum conſequi ſolent. ac ſanè ſua ſponte tales ſomni dirimuntur, cùm cogitationes magnis de rebus habentur. nam qui tam graui ſopore detentus eſt, vt, diſſolutis ipſius membris, locus ſit abſurdis imaginationibus, hunc ſomnus in quotidiano mortis periculo verſari facit. Moſes ſecundas tabulas, in quibus leges erant ſcriptæ, accipere cùm vellet, ſecundario ieiunio corpus macerauit ſuum. & niſi cum Niniuitis etiam animantia rationis expertia ſimul ieiunaſſent, profectò minas euerſionis non effugiſſent. magnas, me hercule, vtilitates ieiunium humano generi affert. hoc enim decretum illud diuinum de excindenda Niniue reuocauit. tribus totis diebus in illa ciuitate prædicatum fuit, fore, vt funditus deleretur: vicit tamen euerſionem, ad Deum immortalem conuerſio. nam illæ euerſionis minæ, vbi ad Deum ſeſe

conuerterunt, conquieuere: & quamuis Ionas animo candido & vero interitum ac ruinam ciuitatis prædicaſſet, ieiunio tamen illi minas ſiſterunt, medicamentóque confeſſionis, atque ſupplicationis ſalutem ſibi pepererũt. Quis, obſecro, facultates ſuas ieiunando imminuit? numerando percenſere hodie ea omnia, quæ intus ſunt, & paulò pòſt idem ſi feceris, cognoſces profectò rerum tuarum inedia nullam diminutionem factam eſſe. neque enim vllum animal mortem deflebit ſuam, neque ſententia atrox aduerſus animantia ab implacabili ventre vlla feretur. quieſcet prӕterea coquorum gladius, menſa etiam iis, quæ ſua ſponte terra producit, contenta erit. Ad illud autem graue, ac venuſtum problema Encratitarum, qui quærunt, Cur non omnia comedam? illud reſpondeatur, Quoniã etiã excrementa noſtra execramur. nam ex dignitate ſui, olera herbarum nobis ſunt loco carnis. quemadmodum enim in oleribus peſtiferum à ſalutari ſecernibus: ſic etiam in carnibus ab vtili noxium ſeparamus. ſiquidem vt cicuta eſt olus, ita vultur caro. ſed tamen nemo vnquã ſanæ mẽtis carnẽ canis attinget, niſi ingenti aliqua neceſſitate aſtrictus, ſiquidem fieri non poteſt, vt eam comedendo legem non tranſgrediatur. Quietum aliquando redde, quæſo, coquum tuum, concede otium menſæ ſtructori, ſiſte manum eius, qui tibi eſt à poculis, quieſcat etiam is, qui varias placentas ac bellaria parat, conquieſcat denique aliquando domus ac infinitis tulmultibus, & à fumo, ac nidore, tum etiam ab iis, qui ſurſum ac deorſum curſitant, & ventri, veluti implacabili cuidam domino, miniſtrant. det venter vacationem ori, tribuat nobis quinque dierum inducias ille, qui ſemper expetit, nec vnquam ceſſat: hodie accipit, cras eius in obliuionem venit. cùm repletus eſt, de abſtinentia diſputat: at vbi alimentum ex ipſo efflauit, dogmata ex animo effluunt ſuo. Sed iam dicendi finem faciam, ſi me priùs apud regem illum, qui nobis res incurabiles imperat, excuſauero. Amabò, mi tranquille, parce nobis cùm tantas res poſſideamus, quantæ hodie nobis, ſi comedere eas vellemus, non ſufficerẽt. ſufficit enim nobis, vt par eſt, ars coquorum,

at gladius eorum nullum habet cum ſanguine cómercium. præſtantiſſima apud nos edulia habentur, herbarum cohors, cum modico pane, & vino flacceſcente, ita vt neque ob ingluuiem ſenſus noſtri ſtupeſcant, neque præ deliciis munia ſua negligant. quemadmodum enim in indumentis vſum ac vtilitatem eorum ſpectamus, ſic in alimento panis neceſſitatem famis explebit, & aqua ſitim hominis ſani reſtinguet: ex leguminibus verò obſonia robur corporis ad neceſſarios vſus cõſeruare poterunt. in comedendo autem rabioſa ingluuies non eſt detegenda, ſed omni in loco conſtantia, ac maſuetudo, & à voluptatibus continentia conſeruetur. Sed quid ago? cùm enim magnitudinem eorum, quæ dicta ſunt, conſidero, me longiùs prouehi animaduerto: cùm autẽ rurſus ſapientiæ, quæ in operibus elucet, varietatem cõtemplor, initium narrandi vix feciſſe me exiſtimo, ſimúlque illud etiã mihi perſuadeo, non eſſe inutile hîc nos diutius commorari: qua enim in re id, quod reliquum eſt ad veſperum tẽporis, meliùs contereretis? non vos vrgent ij, qui ad cœnam vocant, non conuiuia expectant. proinde ſi placet, ieiunio corporis ad animorum letitiã vtamur. ſæpe corpori miniſtraſti ad voluptatem, hodie animo indulge, ac oblecta te in domino, qui tibi id, cuius deſiderio animus tuus tenetur, concedet quis enim fructus eſt corpus inedia affligere, ſi animum infinitis vitiis referciasſ qui autem malum nõ patrat, at in otio eſt, qua, obſecro, non vtitur futili & vana oratione? quæ tandem aliena & abſurda non audit? otium nanque ſine Dei metu, improbitatis magiſter eſt his, qui rationem nullam habent temporis. Atque ex iis quidem, quæ à me commemorantur, aliquid fructus fortaſſe percipietis, ſin minùs, at certè ex hoc noſtro ſermone vobis à peccãdo licet deſiſtere. Itaque diutius vos hîc remorari, aliud eſt nihil, niſi vos diutius à malis abducere, & ad cæleſte illud regnum, quaſi manu ducere, cuius vtinam omnes participes ſimus benignitate & gratia I E S V Chriſti, cui ſoli gloria, & cultus in ſempiterna ſæcula. Amen.

Quadrageſimalem obſeruationem à Chriſto in exemplum, & ab apoſtolis præceptam fuiſſe oſtenditur, quatuor Caluini rationibus grauiter reſpondetur, de numero dierum, de tempore, de modo, de ciborum diſcrimine plurima traduntur. CAP. X.

VErum quò ſe explicatiùs hominis iſtius procacitas exerat, quæ de quadrageſimali ieiunio dicit, producamus. *Et tunc paſſim inualuerat ſuperſtitioſa quadrageſimæ obſeruatio, quia & vulgus eximium aliquod obſequiū Deo ſe in ea præſtare exiſtimabat, & paſtores eā cōmēdabāt pro ſancta Chriſti imitatione:* apud quos Caluine, paſſim inualuerat ſuperſtitioſa quadrageſimæ obſeruatio? lector nimirum apud apoſtolos, Clementem, Irenæum, Calliſtum, Ignatium, Teleſphorum, Tertullianum, Cyprianum, Baſilium, Auguſtinum, Hieronymum, Chryſoſtomum, Hilarium, Origenem, Leonem, Bernardum, omnes deniqueveteres orthodoxos obſeruare ſanctum illud ieiunium, nō vulgaris religio ac pietas habebatur. at quibus videtur ſuperſtitio? quibus? Pſychicis, Iouiniano, Vigilātio, Aerio, Luthero, Zuuinglio, atque Caluino ò præclaram cohortem! ò euangelica lumina! cum quibus non ſunt primi illi conferendi. Sed pergamus. quæ igitur rationes mouere Caluinum potuere, vt obſeruationem ſanctam, ſuperſtitionem vocet? quę? multę ſanè. *Principiò planum quidem eſt, non ideo ieiunaſſe Chriſtum, vt aliis exemplum præſcriberet, ſed vt euangelij prædicationem ſic auſpicando, non humanam doctrinam eſſe, ſed è cælo profectam reipſa cōprobaret:* cui, cedo, id planum eſt Caluine? tibíne? bene quidem. at nō Auguſtino, ceteríſque patribus, qui ſuo ieiunio Chriſtum tempus illud totum abſtinentiæ dicaſſe, infinitis in locis ſcripſerunt. verùm hoc parum mouebit te: tamen, vt video, mouet. *Mirum eſt tam craſſam alucinationem hominibus acuti iudicij obrepere potuiſſe, quæ tot ac tam claris rationibus refellitur:* quæ iſtæ rationes ſunt, quibus ſanctorum patrum conſtans aliàs doctrina corruit? *Non enim ſæpius ieiunat Chriſtus, ſed ſemel tantùm, cùm ad euangelij promulgationem accingit:* vt video lector, quærendus nobis alter Oedipus eſt, qui tā inexplicabilē nodum ſua interpre-

Cal ſect. 20. de obſeruatione quadrageſimali.

Ratio prima Cal.

Ratio ſecunda Cal.

ratione diſſoluat. ita decebat, Caluine, vt non niſi tam præclaro euidẽtique argumento à patrum veſtigiis deflecteres. rectè proinde tu, Amici apoſtoli, amicus Ambroſius, amicus Auguſtinus, ſed magis amica veritas, quæ in tam euidẽti ratione perfulget. valeat igitur Auguſtinus, & quibus volet, narret Chriſti exemplo ſanctam quadrageſimam nos ſingulis annis obſeruare teneri, valeat illius magiſter Ambroſius, valeat Hieronymus, valeãt quiuis alij: hac vna ratione Caluiniana proſtrati, atque conſternati, quando non ſæpius, ſed ſemel quadraginta dies ieiunauit. ſed dic ſodes, quoties legimus ſuorum diſcipulorum pedes lauiſſe Chriſtum? ego, quoniam labili ſum memoria, ſemel id humilitatis exẽplum præſtitiſſe recordor: tu verò, quia meliore es, fortè ſæpius feciſſe recordabere. at tunc, quod ſemel veritatis magiſter fecit, in æternum ac perpetuum humilitatis exemplum relinqui nobis præcepto ſuo ſanxit. Exemplum, inquit, meum dedi vobis, vt quemadmodũ ego feci, & vos faciatis. Quare, Caluine, non videtur oportuiſſe, vt ſępius ieiunaret Chriſtus, ſi anniuerſarij legem tradere vellet. quantò magis quòd hoc ieiunium non à Chriſto præceptum eſſe contendimus, licèt non pauci id ſenſerint, ſed hos dies ieiunio per ipſum fuiſſe dicatos, & ab apoſtolis ieiunari præceptos, tota Chriſti eccleſia aſſeuerat. Iacobus etiam ſimplici ratione exemplum nos accipere vult à prophetis, qui locuti ſunt in nomine domini, parum ſolicitus ſemel, an magis ſępius idipſum prophetæ præſtiterint, ſemel etiam Chriſtus paſſus eſt, at recordationis illius anniuerſarius dies vnus, iam à principio & ortu eccleſiæ conſtitutus nobis eſt. apage iſtas ſeniles argutiolas, & noli tam futili occaſione ab antiquitate ad Pſychicos & Iouinianos, atque Aerianos, deſciſcere. Sed inſtas tertio ipſe. *Nec ieiunat humano more, vt par erat, ſi homines ad imitationẽ prouocare vellet, ſed magis exemplum deſignat, quo in ſui potiùs admirationem omnes rapiat, quàm ad æmulandi ſtudium excitet*: iſti tuo cauillo Caluine ſic reſpondet magnus Auguſtinus, Sanctæ quadrageſimæ rationem, cuius hodie initium celebramus, frequenter edidimus, & cur tantorum dierũ numero ieiunemus, ſæpe docuimus. IESVS

Auguſt. in ſerm. de ieiunio ſæpe. Ambro. & alij.

Ioan. 13.

Iacob. 5.

Ratio tertia Cal.

Auguſt. ſerm. de ieiunio.

Chriſtus hunc eundem numerum ieiunij conſecrauit, & continuatis diebus noctibúſque, non capiens cibum vnum ieiunij corpus effecit. hoc eſt, licèt diei ordo noctis interrumperetur aduentu, non tamen interruptus eſt ordo ieiunij. vnde erant apud eum plura quidem temporum curricula, ſed abſtinentiæ dies vna, oſtendens nobis, ita nos numerum integrum debere ieiunare, vt qui totam quadrageſimam complecti non poſſumus, ſopito vno ieiunio vel ſolido, quotidianis eandem ieiuniis ſine intermiſſione celebremus, vt ſi quiſquam vnum diem abſtinendo prætermiſerit, totã quadrageſimam violauerit, & propter modici temporis cibum, magni laboris fructum amiſerit. Hactenus Auguſtinus. Vnde hæc tria colligimus: In ieiunio Chriſti eſt, quod admiremur, non imitemur. quod enim tot dies noctéſque ſine cibo perſiſtit, non homines ad imitationem prouocat, ſed magis exemplũ deſignat, quo in ſui potiùs admirationem omnes rapiat, quam in eo facto ad æmulandi ſtudium nos homines excitet. altero loco conſiderandum eſt, quòd in ieiunio Chriſti eſt, quod obſerues, quod ſecteris, teſte Auguſtino tibi quidem non omnino difficile. hoc eſt, vt qui tot dies ieiunio per Chriſtum dicatos ieiuni tranſigere nequimus, quotidianis tamen ieiuniis celebremus. deducitur tertiò ex Auguſtini producta ſententia, nullo modo ſanctam hanc obſeruationem violandam eſſe, ne tanti laboris ac meriti fructum modici temporis cibus abſumat. Pergit tamen iſte cauillari, *Denique non alia eſt iſtius ieiunij ratio, quàm eius, quo defunctus erat Moſes, cùm legem è manu domini acciperet. nam, cùm illud in Moſe editum eſſet miraculum ad ſtabiliendam legis auctoritatem, non debuit in Chriſto prætermitti: ne legi euangelium cedere videretur. atque ab eo tempore nemini vnquam venit in mentem, prætextu imitationis Moſis talem ieiunij formam in populo Iſraelitico exigere: nec vllus ex ſanctis prophetis ac patribus id ſecutus eſt, cùm tamen ad omnes pias exercitationes ſatis animi ac Zeli haberent. nam quod de Elia habetur, ſine cibo & potu quadraginta dies trãſegiſſe, non aliò pertinebat, quàm vt populus agnoſceret, eũ excitatũ eſſe legis vindicẽ, à qua vulgò propè totus Iſrael deſciuerat:*

In Chriſti ieiunia tria conſiderantur.

Ratio quarta Cal. Exod. 24. 34.

quàm ipſe trahis, vt video, cathenam, qua ſis conſtringendus, & quàm laboras gladium in maternum iugulũ reſoluẽdum exerere, quo ſis ipſe neſcius & ſtultus mox confodiẽdus. iam contra te huiuſcemodi rationes producemus: nullus ex ſanctis prophetis ac patribus, quamlibet ad omnes pias exercitationes ſatis animi & zeli haberent, Moſaïcam quadrageſimam proprio ieiunio ſecutus eſt, (quod ſanè ſcio certiſſimum & veriſſimum eſſe, vti tu affirmas) de Chriſti verò quadraginta dierũ ieiunio, non Europa, non Aſia, non Africa, non inſula, (vt dicebat magnus Baſilius) non terra, nõ ciuitas, non gẽs, non ætas, non denique locus vllus tam deſertus eſt, vbi quadrageſimæ prædicatio, non fuerit audita, excepta, & ſumma obſeruatione cuſtodita. Quid hoc ſibi vult Caluine? quod tam magnum ſacramentum? ieiunat quadraginta dies Moſes in mõte Sina, & in populo non habet, qui ſe imitetur, neque vnum quidem: ieiunat Chriſtus, & totus mundus, ecce illius ſequi veſtigia feſtinat, & laborat. quæ cauſa tam varij ſucceſſus, ſi non eſt alia huius ieiunij ratio, quàm illius, quo defunctus erat Moſes, cùm legem è manu domini acciperet? Sed quid miramur? nónne præ Moſe ampliore gloria dignus eſt Chriſtus? num expectatio gentium fuit Moſes? num in lucem populorum à Deo datus fuit ille? quam à Deo legem acceperat, populo reddidit, præceptis plenam, obſeruatu difficilem, importunam, grauem, atque moroſam, vt fuerit eis ſatis præcepta data adimpleuiſſe abſque eo, quòd ampliùs quidquam iure ab illis exigeretur: contrà Chriſtus, mirabilis in legiſlatoribus, leges tulit ſuaues, gratas, amoris & dulcitudinis plenas, qui & poteſtatem habebat iurium ac legum. quando vſurpauit fidelis famulus Moſes in Dei domo, vt diceret ſe eſſe lucem, viam, atque vitam? hæc porrò omnia Dei primogenito ſeruabantur propria, vt iam non leges illius cuſtodiſſe ſancti patres curauerint: verùm quia vita eſt, ipſius facta imitari, quia lux, ſplendoribus illius illuſtrari, quia via, ipſius veſtigia obſeruare ac tenere, & ad Chriſti ſui vitam, mores, facta ſe totos componere, vniuerſaque ſua erigere, & quaſi in corpore ſuo ipſum circumferre, atque illius mortificationem iugiter portare,

Baſil. ſerm. poſt. de ieiunio.

Hebr. 3.
Gen. 49.
Eſaiæ 49.
Legis et euãgelij diſsiduũ

omni ſtudio, atque diligentia curarent. Ieiunauit igitur Chriſtus non tam ad ſtabiliendam legis ſuæ auctoritatem, qui Deus erat, quàm vt ad ſimilem virtutem, & ſimile factum ſtirpem ſuam excitaret. *Fuit igitur mera κακοζηλία, & ſuperſtitionis plena, quòd titulo ac colore imitationis Chriſti ieiunium ornabant*: næ tu oculatior es Caluine, qui in tanta patrum turba ſolus iſtam κακοζηλίαν videre potuiſti, cùm & apoſtoli ipſi eadem lippitudine, vt oſtendimus, miſerè laborarint. vt itaque conſtet εὐζηλίαν, & non κακοζηλίαν, religionem, non ſuperſtitionem fuiſſe, obſeruandum eſt, quòd tribus ex cauſis ieiunium hoc celebratur in eccleſia: & propter trinum exemplum, Moſis ante legem, in lege Eliæ, poſt legem Chriſti, cùm nos, qui ab illo nomen ducimus, Chriſtianique vocamur, tanquam auctorem & inſtitutorem huius ieiunij ſequimur: & propter præceptum, vt ex omnibus decimas pendamus: & propter numeri myſteriũ. quadragenarius ſiquidem numerus (vt Hieronymus obſeruat in libro nono in Ezech. & Amos) afflictioni, pœnæ, dolori, fletui, ac ieiunio in ſcripturis ſanctis ſæpe deſtinatus fuit. ſic pluuiæ diluuij quadraginta diebus orbi naufragium intulerunt, ſic in deſerto populus Iſrael, annis quadraginta commoratus, acerba multa tulit, ſic nuntij Moſis quadraginta diebus exploraſſe promiſſam terrã leguntur, ſic quadraginta dierum ſpatio, qui fuerunt Niniuitis ad pœnitentiam præſcripti, ſubmerſam iri Niniuem prędicauit, ſic poſt quadraginta annos congregatos iri, qui diſperſi fuerãt, Ægyptios Ezechiel prædixit, ſic ille totidem dierum ſomnium in dextrum latus pro tribu Iuda obdormiuit, ſic quadringentis, hoc eſt, decies quadraginta annis populus in Ægypto ſeruiuiſſe nuntiatur, vt vel ex iis antiquarum rerum exemplis & monumentis appareat, hunc præcipuè numerum comprimendi corporis carníſque luxuriæ diuino conſilio in primis, quaſi conſecratum fuiſſe, quò iure is in ieiunium quadrageſimale relatus eſſe videatur. Hoc de numero.

Caluini corollarium.

Tribus ex cauſis quadrageſimale ieiunium celebratur.

Exod. 24. 3. *Reg.* 19. *Matth.* 21.

Gen. 17. *Exod.* 16. *Num.* 13. *Iona* 3. *Ezech.* 29. *Ezech.* 4.

Circa tempus verò occurret mox ordinatiſſima etiã obſeruata ab eccleſia & apoſtolicis viris ratio, tũ, quòd eo tempore propter humorum abũdantiam ad malum

membra laxentur, quare abſtinentiæ freno coercenda erat eiuſmodi petulãtia: tum etiam, quòd ſicut eo tempore per eſum illiciti cibi Adam in mortem creditur deſcendiſſe, ita per abſtinentiam liciti cibi Criſtianus ad vitam aſcendat, cùm patienti Chriſto priùs ipſe compaſſus fuerit, ſicut & Hilarius, atque Chryſoſtomus de quadrageſima differentes obſeruauerunt, quibus adiungendi ſunt Hieronymus, Auguſtinus, ac Baſilius. Vide ergo candide lector, quam κακοζηλίαν meram & ſuperſtitionis plenam Caluinus vocet. Væ tibi, qui bonũ dicis malum. Ecce iam, his omiſſis, nihil aliud magis laborat Caluinus, quàm vt ſpargat, & diuidat. Audiamus eũ adhuc diſſidia inter patres ſpargentem. *Quanquàm in modo ieiunij mira tunc erat diuerſitas, vt refert Caßiodorus ex Socrate hiſtoriæ ſuæ libro nono. Romani enim tres habebant ſeptimanas, ſed illis continuum erat ieiunium ex præcepto, die dominico & ſabbato exceptis, Illyrici, & Græci ſex, alij ſeptem, ſed ieiunium per interualla. nec minùs in ciborum diſcrimine dißidebant. alij non niſi pane & aqua veſcebantur, alij edebant olera, à piſcibus alij & volatilibus non abhorrebant, alij nullum habebant in cibis diſcrimen. Huius etiam differentiæ meminit Auguſtinus poſteriore epiſtola ad Ianuarium:* quod de Socrate Caſſiodorus refert, & noui iſti euangelici iactant, breui nunc abſoluemus. Demus Socratem non erraſſe circa alia multa in eccleſiaſtica hiſtoria, quæ alij ante nos notarunt, neque fuiſſe illũ quidem Nouatianum: diſſimulemus nos ſcire iſta, aut aſſentiamur non eſſe neceſſariò conſequens, vt qui in vno, aut etiam pluribus non dicit verum, idem quoque in ceteris mentiatur. ſit ita. nihil de eius auctoritate diminuat, quod in ipſo eodem loco de feſto paſchatis aſſeuerat, humanum eſſe inuentum, propter remiſſionem laborum & memoriam paſſionis Chriſti, non diuinum, neque apoſtolicum, immo neque vniuerſale. appellátq; Victorem Romanum pontificem immodicè vehementem, quòd is excommunicationem quatuordecim annis in Aſia decreuiſſet. nihil etiã de fide illius depereat, neque noſtris animis mox ſuſpicio ſubeat, Aerij & aliorum partes fouiſſe, cúm apud hiſtoricum noſtrũ ſic legimus, Hac de re (nempe de ſancta quadrageſima) quo-

Hilar. in Matth. 5.
Cryſoſtom. ſerm. de ieiunio.
Hierony. in Matth. 9.
Baſil. ſerm. poſt. de ieiun.
Augu. epiſt. 119.

Dißidiũ in tempore ieiunij.

Dißidiũ in cibis.

A Socrate nõnulla perperam ſunt aſſerta.

niam nemo ſcriptum aliquod mandatum oſtendere poteſt, liquet, quòd & illi in apoſtolici cuiuſque ſententia ac voluntate liberam reliquerint, ne metu quiſquam vel ex neceſſitate quod bonum eſt operetur. Hæc igitur omnia, quoniam non contra Socratem agimus nunc, ſed in vnum Caluinum intendimus, libenter prætereamus. iam verò (vt cetera nihil hîc nos iuuent) quomodo illud excuſari, aut diſſimulari poteſt, quod de tempore, quo ſeruandum eſſet hoc ieiunium, tam euidenter aut fallit, aut certè nos fallere laborat, videlicet ſuo tempore Romanos pro ſancta quadrageſima tres tantùm ante paſcha ſeptimanas ieiunare? fatemur nos lector decretum illud Teleſphori, æqualis fermè apoſtolorum, quo clericis ſeptem ſeptimanæ ante paſcha in ieiunio tranſigendæ præſcribuntur, eſſe deſuetudine obliteratum & antiquatum, vt in cœnobiis tantùm piè & religiosè inſtitutis iſtius canonis veſtigia cernas: at quòd Romani tribus hebdomadibus tantùm quadrageſimam compleuerint, vt nomen quadrageſimæ ſolùm maneret, ieiunium verò non niſi tam immaniter truncatum, neque à patribus, qui eo tempore vixerunt, ſeu pòſt, neque in hiſtoriis obſeruatum reperio: ſed omnia, quæ legimus, huic dicto omnino contraria ſunt, atque repugnantia. de ipſo verò delectu diximus, & ab apoſtolis eum cuſtoditum, & pòſt per Teleſphorum expreſſum. atq; fieri potuit, vt initiò conſuetudo tantùm fuerit, ieiuniorũ temporibus abſtinere à carnibus, quæ, cùm nihil de ea re generali concilio conſtitutum eſſet, non eadem ab omnibus obſeruabatur. ſed poſteaquam in deterius prolapſi ſunt mores hominum, factum eſt iuxta vetus verbum, vt bonę leges ex malis moribus procrearentur. adiectæque ſunt Teleſphori decreto ſacrorum conciliorũ vniuerſalium ac prouincialium ſanctiſſimæ leges. huius etiã differẽtiæ, quæ in ciborũ delectu, atq; in nõ nullis aliis ieiunij tẽporibus circa quadrageſimã cõſiſtit, meminit Auguſtinus poſteriore epiſtola ad Ianuariũ. atqui certè Chriſtiane lector notiſſimũ eſt, quoniã principes noſtri ſãcti apoſtoli de delectu ciborũ nõ ſemel mẽtionẽ fecerũt, quẽ Deo eſſe rẽ pergratã, ſi nõ creatura dãnetur, ſed vt caro per eã ſpiritui ſubdatur, ſępe tradiderũt.

Decretum Teleſphori tãtùm vigere in cœnobiis piè inſtitutis.

Eleuth. in epiſt. ad epiſcopos omnes

Act. 20.

Verba Caluini cum Iouiniano & Aerio cõmunia.

legantur hîc canones, 50. & 52. quos duos in vnum collegit Eleutherius papa, & Ancyrana ſynodus can. 24. eſt imitata. Sed percurramus, ſi quid habet vltrà Caluinus, quo vniuerſam oneret eccleſiam. *Secuta ſunt, inquit, deinde deteriora tempora, & ad præpoſterum ſtudium vulgi acceſſit epiſcoporum tum inſcitia & ruditas, tum libido dominandi, & tyrannicus rigor: latæ ſunt impiæ leges, quæ conſcientias exitialibus vinculis ſtringunt, interdictus carnium vſus, quaſi hominem contaminaret: additæ ſacrilegæ opiniones, aliæ ſuper alias, donec in profundum omnium errorũ ventum eſt*: dominus dixit, beatius multò eſſe dare, quàm accipere. vt hoc in beneficiis conferendis longè ſit veriſſimum, at in perferendis iniuriis, beatius eſſe accipere, & iniuriam perpeti, ac ſuſtinere, quàm inferre. omni aſſeueratione affirmare non verebor. Quòd poſt illa aurea ſæcula, veréque apoſtolica, poſt martyrum meſſem, poſt tot clariſſimorum doctorum ætatem ſecuta ſint deinde deteriora tempora, eheu quàm verum eſt Caluine. at tanti mali origo, ac fons patentiſſimus, ſicut in aliis, ſic & in ſuſcepto de ieiunij obſeruatione negotio, is eſt, quòd additæ ſunt à quibuſdam hominibus crucis Chriſti inimicis ſacrilegæ, Epicureæque opiniones aliæ ſuper alias. Pſychicis & Gnoſticis addidit Iouinianus, huic Aerius, Aerio Huſſitæ, Huſſitis Lutherus, Luthero Zuuinglius, Zuuinglio Caluinus, vt meritò ac iure iã dicere quis poſſit, in profundũ omnium errorum ventũ eſſe. Leges verò, quæ latæ ſunt de ieiunio, de abſtinẽtia, de delectu ciborum, atque de certis anni temporibus, hæ, inquam, leges non ex epiſcoporũ inſcitia, atque iſta tua ruditate: non ex libidine dominandi, & tyrannica origine profectas fuiſſe planè ac facillimè cognoſcet, qui apoſtolicos canones, quos produximus, conciliorũ decreta, quæ citauĩmus, patrum teſtimonia, quæ retulimus, ſincero & verè pio affectu relegerit, ac reuoluerit. prorſus intelliget ex his omnibus, primùm apoſtolicas aut certè prope ipſorum apoſtolorũ ſæculum latas fuiſſe. intelliget deinde, ex ſumma religione ipſas proceſſiſſe, nihílque præcepiſſe, quod Manichæorum deliriũ vel per ſomnium fouere videretur. vbi quidem certè mentem & verba antiquorum hæreticorum mutuatur Caluinus,

Caluinus, dum inquit, fuiſſe interdictum carniũ eſum, quaſi hominem contaminaret, intelliget poſtremò, antiquiſſimum, non recèns natum eſſe pręceptum in eccleſia ieiunij in certis anni temporibus, quando apoſtolorum conſtitutiones, conciliorum canones, pontificum antiquiſſimorum ſanctiones, atque ſacrorum vetuſtiſſimorum doctorum verba nihil magis ſonant, quàm obligationem, quàm præceptum, quàm neceſſitatem, modò facultas adſit. lex enim Chriſti, ac proinde ſanctiones omnes eccleſiaſticæ, ſuaues ſunt, obſeruatu faciles, ac neminem à ſpe ad deſperationem reuocant. quamobrem ſi huiuſmodi leges, impiæ ſunt, certè impietas hæc magnos habet auctores, & parentes. ſed quia illi ſumma pietatè viri fuerunt, profectò quas nobis tulerunt leges, ſanctiſſimæ ac religioſiſſimæ extiterunt: vtpote quæ nos in pietate & in Chriſtiano officio retinere debeant & poſſint. Verùm, cùm hæc omnia auctoribus illis legendis, quos enumerauimus, certiſſima & notiſſima erunt, libenter plura prætermittimus.

De abſtinentia ac ieiunij laudibus multa referuntur, penitus extinctam hanc maiorum noſtrorũ obſeruationem eſſe hæreticorum artibus, carnaliúmque hominum ingluuie oportunè ſatis ponderatur, atque Spiridionis dictum & factum, Apollonijque hiſtoria vltimò enarratur. CAP. XI.

VIderi poterat iſte, lector, ſcripturis, atque hiſtoriis vtcunque hactenus contra nos egiſſe, at nunc, vel quia bellicis illis inſtrumẽtis & machinis non multum (vt par erat) tribuebat, vel quia iſte eſt hominis malus genius, vt conuicia profugij loco ſibi habeantur, ad cõſuetam maledictionem, quaſi ad ſacrum aſylum, miſer deuoluitur. obiicit ineptiſſimo abſtinentiæ prætextu cum Deo nos ludere, in exquiſitiſſimis quibuſque deliciis ieiunij laudem quærere, nullas tunc nobis lauticias ſufficere, nunquam maiorem eſſe ciborum copiam, vel varietatem, vel ſuauitatem, quàm cùm ieiunia noſtra celebramus, ac peragimus atque id genus pænè infinita refert mirabilis iſte eccleſiaſticus hiſtoriographus. Fiunt, fateor, Caluine plura, quàm conueniret: ſed hîc non quærimus, quid noſtri faciant, aut veſtri, ſed quid

legiſlatrix noſtra, & parens eccleſia faciendum iuſſerit. nam quòd noſtri homines legi non obtemperant, culpa eſt eorum, non legis: quòd verò vos facitis, deſpicientia legis ſanctæ facitis. vt culpa iam duplex ſit, & quòd tam ſanctam legem tranſgredimini, (quod ſanè cum multis ex nobis habetis commune) & quòd non pudet vos, catholicos patres ſuperſtitionis, tyrãnidis, ignorationis, impietatis denique inſimulare. quod porrò vobis proprium eſt. Me certè loqui ſuppudet de hac virtute ſacroſancta ieiunij, quæ nomine tenus hodie in eccleſia obſeruatur. nam neque apud iſtos ſolùm, qui ieiuniorũ præſcriptiones damnãt, neque apud nos, qui meritò eas defendimus, in vſu ſunt ſancta ieiunia: niſi tantummodo ſecundum quandam externam cæremoniam. putamus enim nos ieiunare, ſi ſemel in die vſque ad ingluuiem prandimus, probè poti, ac meliùs paſti, non pro naturæ ſuſtentatione, aut vnius duntaxat diei, ſed in tanta quantitate, vt vel Miloni olim pro tribus diebus ſufficere potuiſſet. taceo qualitatem & quantitatem cibariorũ, & condimentorum, quãdo iam neque mare, neque terra, neque aer, neque ſalſamentarij gulę noſtræ ſufficiũt, eſſétque hoc vtcunque tolerabile, ſi hæc ingluuiei contagio ſolos laicos comprehenderet, & non potiùs ſacerdotes multos, atque religioſos, & eccleſiæ prælatos perualeret, quos videas vni huic rei tantùm inuigilare, vt potiùs ad ventris voracitatem natos eſſe dixeris, quàm ad imitandum apoſtolicam modeſtiam, in fraudem pauperum, & deſtructionem caſtitatis, quæ cum ſanctis ieiuniis terras videtur reliquiſſe. neque vllo pacto probare poſſum, quas nonnulli fingunt ſatis carnales epicheias, quibus ſiniſtrè ſanctiſſimas leges quotidie interpretantur. alij diſpẽſationibus (neſcio, an meliùs & veriùs, diſſipationibus, dixiſſem) quibuſdã ſe excuſant, & protegunt contra tam pium ac Chriſtianum rigorem: alij mille artibus ſtudẽt iugum hoc ſuaue & ſaluberrimum à ſuis ceruicibus excutere. adeò vt vel duo, vel nemo ſit, qui ſe ad ieiunia obligatum eſſe putet. ô rem lugendam! alius ætatem cauſatur, alius aduerſam valetudinem, alius naturæ difficultatem, alius laborem, alius aliud cõminiſcitur. Quod verò maximè hîc conſiderandum iu-

De abſtinẽtia, ac ieiunio.

dicio, hoc eſt: cùm nulla obſeruatio ſit in eccleſia magis laudata, nulla ab apoſtolis ſanctis ſic commendata, contrà nulla eſt minùs obſeruata, tanta eſt carnis noſtræ licentia, & morum diſſolutio, eheu condicionem huius temporis. Narrat Hieron. iam ſuo ſæculo quoſdam extitiſſe, qui pro ieiunio cibos delicatiſſimos vndique ſibi aduehi curabant. noſtro verò, ab eo tempore maximè, quo noui iſti & reformatiſſimi ſcilicet euangelici benedicto ſuo euangelio libidinis & intemperantiæ ignem malè conſopitum, libertate ſua, quam vocant Chriſtianam, inflammarunt, apud paucos hæc præclara virtus, plurimíque meriti hoſpitatur. verùm quamuis hanc ſacram obſeruationem operibus noſtris videamur quaſi damnare: doctrinæ tamen puritas & ſinceritas conſeruari plurimùm debet. vt cùm ſemel intellexerimus, quid ratio, quid ſcriptura, quid apoſtoli, quid ſancta traditio hac in re nobis præſcripſerit, altera ex parte cùm curiosè obſeruauerimus, quàm ab illis antiquis legibus deflexerimus, non eas damnemus, vt faciunt impudentiſſimi hæretici, ſed in nos ipſos ferrum acuamus, nimiúmque agnoſcamus nos ab his patribus, per quos Chriſti euangelium recepimus, degeneraſſe. Sed de hoc ſit ſatis hæc dixiſſe.

Hieron. ad Neop.

Veniamus iam poſtremo loco ad factum & dictum Spiridionis, quod ſic nobis obiectat Caluinus. *Pater erat, qui dixit, ideo ſe liberè carnes edere, quo die ceteri abſtinebant, quòd Chriſtianus eſſet*: ſolenne eſt calumniatoribus iſtis nunquam integram ſcriptúram, aut hiſtoriam referre, ſed dilaceratam, truncatam, atque luxatam. Sozomenum ipſum, quæſo, audiamus hiſtoriam ſcribentem erítque pòſt tuũ iudicare lector, vtrùm magis Spiridio fauerit hæreticis, an catholicis, Zuuinglianis, an verè Chriſtianis. Venit, inquit, ad Spiridionẽ ex itinere quidam, inſtante iam quadrageſima, qua ieiunium cum domeſticis ſuis continuare, certóque die cibum guſtare, ac intermediis diebus ieiunus perſiſtere ſolebat. cùm autem peregrinum delaſſatum cerneret, Age, inquit ad filiam, laua viro pedes, & appone, quod edat. reſpondente virgine, nec panem ſupereſſe, nec alphita, quòd talia propter ieiunium parari non ſolerent,

Obiectio Calu. Sozo. lib. I. c. II. eccl. hiſt.

præmiſſa oratione, petitáque condonatione, iuſſit filiæ carnes porcinas, quas domi ſale cōditas habebat, coquere. coctis illis, peregrinum vnà ſecum ad menſam ſedere fecit appoſitíſque carnibus veſci cœpit, virúmque hortatus eſt, vt ſuo exemplo ederet & ipſe. recuſanti, ac ſe Chriſtianum eſſe dicenti, Hoc minùs, inquit, recuſare debes. mundis enim omnia munda eſſe diuinus ſermo pronūtiauit. Hactenus Sozomenus de Spiridione. Quid in hac doctrina legitur, quod non ad confirmationem potiùs ab apoſtolis ipſis nobis traditæ quadrageſimalis obſeruationis pertineat, quàm vt hinc contemnendam eſſe doceri queat? nam, quòd ieiunium cum domeſticis in quadrageſima continuare, quòd certo die cibum guſtare, quòd intermediis diebus ieiunus perſiſtere ſolebat, quòd nec panis, nec alphita ſupererāt, cùm propter ieiunium talia non pararentur, nunquid hæc omnia clarè non indicant, Spiridionem epiſcopum ſanctè obſeruaſſe quadrageſimale ieiunium? cum Chriſtianiſmo eā quadrageſimalem obſeruationem ſimul ortā eſſe? quòd verò coctas carnes peregrino de via feſſo iuſſerit apponi, id eum neceſſitate feciſſe, quoniam aliud præ manibus non habebat, ex hiſtoria manifeſtè comprehendetur. neque ſolùm neceſſitate, verùm etiam Chriſtiana quadam caritate, cui leges cedunt, motus eſt, cùm indignum putaret, ſi itineris labore fatigatū hoſpitem, qui ad ſe veniſſet, cibo, quem tum habebat, nō reficeret. ſed hac etiam in re illuſtris eius pietas perlucet, qui non niſi præmiſſa oratione, petitáque condonatione carnes hoſpiti apponendas eſſe putauit. Quod Spiridioni licuit licuiſſe ſemper, liceréque & nūc, & in poſterum in eccleſia, ſi quis ardens erga proximum caritate peregrè venientem, longíque itineris labore feſſum, aliū cibum, quo reficere poſſit eſurientem, in manibus non habeat, nec ſecus à quoquam in caſu fieri debere, teſtes ſunt Aquitanicus Proſper, Innocentius tertius, Thomas Aquinas, Gerſon, & alij ſine numero. Non igitur indigemus Spiridionis exemplo, vt credamus licere nunc, ſempérque licuiſſe indictum ab eccleſia ieiunium ſoluere, non ſolùm ſi qua neceſſitas vrgeat, verùm etiam ſi poſtulet id fraterna caritas: ex qua quidquid pro-

Proſper. de vita cōtempl. lib. 2. ca. vlt.
Innoc. lib. 3. decretal. cōſtitut. 140.
S. Thom. quod. lib. 10 *art.* 10.
Gerſon. tom 4. in ſerm. dom. 1. quadrag.

ficiſcitur ſanctum ac Deo pergratum eſt, nihil iniquitatis, iuſtęque reprehenſionis habens ſed quod inter ea etiam quæ in primis rectè acta ſunt, connumerari iure ac merito debeat, neque hi ſunt Caluine, quos patres eccleſiaſtici diris deuouent ſi per quadrageſimã carnes guſtauerint, ſed quos optimè ſacra ſynodus Gangrenſis can. 19. circiter, 1200. annos ſic notauit: Si quis præter neceſſitatem ſuperbiat, & ieiunia totius eccleſiæ cõmunia putauerit eſſe contemnenda, perfectam in ſua ſciẽtia vindicans rationem, anathema ſit. Illud verò, quod paulò inferiùs contra eccleſiaſtica ieiunia producis, de Apollonio, ſcriptore antiquiſſimo eccleſiaſtico, ita mihi Deus bene ſit propitius, vix ea modeſtia, quam Chriſtianum hominum habere decet, aut audire, aut legere poſſum. expendamus, obſecro, priore loco tuam obiectionem, ex eccleſiaſtica hiſtoria ſumptã, deinde ipſum Euſebium producemus, ſtatímque manifeſtiſſimam calumniam ſe prodere videbimus. *Pater erat, qui Montano inter alias hæreſes exprobrauit, quòd primus ieiuniorum leges impoſuiſſet. hunc quoque terminum longè exceſſerunt, cùm ieiunia ſtrictiſsimis legibus ſanxerunt:* nihil hîc dicam, ſed loquatur ipſe Euſebius. Apollonius, eccleſiaſticus ſcriptor, eo quòd illo adhuc tempore vigeret in Phrygia Cataphrygarum hæreſis, elenchum compoſuit, & proprium contra illam volumen edidit & prophetias illorum, quę circumferuntur, tanquam mendaces, ad verbũ refutauit ac vitam eorum, qui in ea hęreſi duces fuerũt, qualis fuerit, declarauit. De Montano verò iſta dicentem audi. Verùm, quis ſit nouus ille doctor, & opera & vita illius oſtendunt. hic eſt, qui ſe, tanquam paraclerũ, habendum vulgo iactabat, mulieres verò illius Priſcillã & Maximillã ſuas prophetiſſas nominabat, hic eſt, qui coniugia diſſoluere docuit, qui ieiuniorum leges præſcripſit, qui Iuzam ac Tymium Ieruſalem vocauit, (ſunt autem illæ modicæ ciuitatis Phrygiæ) vt cunctos vndique ad illas congregaret. hic eſt, qui pecuniarum exactores conſtituit, qui ſub prætextu & nomine obligationum, munerum captationem artificioſè commentus eſt, qui ſalaria doctrinæ ſuæ prædicatoribus ſubminiſtrauit, vt per ventris ſtudium doctrina ipſius inuale-

Euſeb. lib. 5 cap. 18. eccl. hiſt. de Apollonio aduerſum Montanum.

ſceret. Omitto cetera, quæ refert ibidem Euſebius ex eodem Apollonio contra propheti ſſas illas, quæ aurũ, argentum, veſtéſque pretioſas pro mercede prophetiæ accipiebant. Principiò nihil hîc habetur, neque apud Apollonium, neque apud Euſebium, vnde colligere poſſit Caluinus, id Montano Apollonium exprobrauiſſe, quòd primus ieiuniorum leges impoſuiſſet: bene quòd pro ſuo arbitratu priuatus homo, & impius, vt per ventris ſtudium doctrina ipſius inualeſceret, nouas leges ieiunij, eccleſiaſticis reiectis, præſcriberet. & ne criminetur, id à nobis ſine ratione commentum eſſe, audiat, quid de Montano idem Euſebius referat: Vicus quidã in Myſia eſſe fertur, nomine Ardabau, in quo primùm Montanum quendam, qui nuper ad fidem venerat, ſub grato proconſule Aſiæ immodica primatus cupiditate captum, aditum ad ſe aduerſario præbuiſſe, lymphatúmque factum, ac ſubitò in mentis obſeſſione & abalienatione conſtitutum inſaniuiſſe, ac inſolita contra traditionem leges, & conſuetudinem antiquæ ſucceſſionis, ſub ſpecie prophetiæ loqui, atque tradere cœpiſſe ferunt. & paulò pòſt ex eodem auctore, erant autem ex Phrygibus pauci quidam ſeducti, cùm tamen omnem, quæ ſub cælo eſt, eccleſiam audax ille ſpiritus blaſphemare doceret, eo quòd nec honorem illi exhiberet, nec accedere ad eam pſeudopropheticus ſpiritus permitteretur. Hæc ibi de legiſlatore Montano. Iam verò, vnde bonam eſſe eiuſmodi argumentationis conſecutionem colligere potuit Caluinus, Exprobratur Montano, quòd ſua auctoritate ieiuniorum leges præſcripſerit, priuatus homo, Satanico agitatus ſpiritu, immodica primatus cupiditate captus: ergo meritò eccleſiæ Dei, Chriſti ſponſæ, diuino ſpiritu ductæ, quiuis obiectare valebit, quòd ſacratiſſima quædam tempora ſancto ieiunio Chriſtum & apoſtolos ſecuta, lege ſua præſcripſerit? vbi ſedes argumenti? quis locus? non licuit Montano, ergo nec toti eccleſiæ fidelium? non licuit vni hæretico, igitur nec vniuerſali omnium noſtrûm paſtori? Mitte, oro per immortalem Deum iſtas tuas commenticias futiléſque ſententias, quæ tuæ maieſtati plurimum adimunt. ante Montanum fuerunt

Cap. 16.

apoſtoli, ante Montanum fuit Clemens, ante Montanũ fuit Ignatius, ante Montanum fuerunt multi ex ſanctiſſimis patribus, per quos in Aſia, in Phrygia, in vniuerſo demum orbe ſanctiſſimæ quadrageſimæ obſeruatio, & ſub præcepto quidem, aliorúmque temporum præſcripta erant ieiunia. Montanus primus fortaſſe fuit, qui priuata auctoritate ieiuniorum leges præſcripſerit: (quamuis ne hoc quidem lego) qui verò Chriſti auctoritate atque imperio ieiuniorum leges præſcribere primi cœperunt, ſancti nimirum Dei apoſtoli fuerunt.

Monachatum rem eſſe antiquam, formam noui monachatus ad veterem monaſticen optimè quadrare, multúmque olim in vetere monaſtice fuiſſe tributum veſtibus, ac ceteris ceremoniis, pluribus ſanctorum locis confirmatur. Cap. XII.

ABſoluto de ieiunio ſermone, ſequamur Caluinianæ orationis filum, qui, vt video, monachatui inſidiari incipit. *Patres,* inquit, *erant, quorũ vnus dixit, monachorum, qui manibus ſuis non laboret, violento, aut ſi mauis, latroni iudicari æqualem: alter, non licere monachis ex alieno viuere, etiam ſi aſſidui ſint in contemplationibus, in orationibus, in ſtudiis. Et hunc limitem tranſgreſſi ſunt, cùm otioſos ac doliares monachorum ventres in luſtris ac fornicibus collocarũt, qui aliena ſubſtantia ſaginarentur.* Sæpe & multùm hoc mecum cogitaui Chriſtiane lector, tacerémne hîc, an magis reſponderem iſti ſecundum ſtultitiam ſuam, ne tantopere ſibi ſapiens videretur. nam, cùm ipſe monachus ſim ex inſtituto Franciſcano, videbor alicui fortaſſe hoc loco meam egiſſe cauſam, non communem eccleſiæ, atque non tam quæ Chriſti ſunt quæſiuiſſe, quàm quæ mea. huc etiam accedebat, quòd multi viri, nobiliſſimi quidem illi, inter milites Chriſtiani exercitus, cùm ipſi monaſticam profeſſionem nõ concepiſſent, veritatis ſolùm, ac pietatis amore inflammati, de Luthero, Caroloſtadio, nonnullíſque aliis apoſtatis pro monachis feliciſſimè triumpharunt. ac proinde videbatur mihi, ſi his diutius inſiſtere vellem, tum actum agere, atque in victos iam hoſtes ſine neceſſitate iraſci, & quaſi noſtrorum triumphis inuidere, tum etiam, quòd ſi rem penitus nobis animaduertere pla-

Obiectio 3. Caluini principalis ex patribus.

Tripar. hiſt. lib. 8. cap. 1.

Auguſt. de opere monachorũ ca. 17.

ceat, facilè comperturi ſimus, quòd nullus vnquam monachatui detraxit, niſi Epicurus voluptuarius, aut damnoſus ganeo: cui poſt tot conuicia, in monachos iactata, poſt tam impudentem & immenſam actionem ſola hac reſponſione fieri ſatis poſſit, Lutherus accuſat, Franciſcus negat, vtri iudices potiùs credetis? accuſat Caroloſtadius apoſtata, cauſam dicit Dominicus: quæ æquitas iſta, & quæ iudiciorum forma? accuſat Zuuinglius, Benedictus pater ſe defendit: quæ conuentio? vt antiquiſſimos illos ſanctóſque monachos Alexandrinos, Ægyptios, ac Thebanos omittamus. At parte altera ægrè & moleſtè ferebam, quòd in tam copioſo argumento, in quo & complures monachi non ſine laude & merito pro eccleſiæ gloria fortunatiſſimè verſati ſunt, ego ſolus tacerem, quem & hoſtis, vt diues lector, non mediocriter irritat. nec tantopere hæc ratio, quòd ſcilicet monachus ſim, me ad ſilentium hortatur, quin mox etiam occurrat licere Chriſtiano pro Chriſti lege, quam videt pollui omni ſcelere nefario, contra Iudæos, Saracenos, Turcas, atque hæreticos ingenium acuere. & in arenam deſcendere: vbi nihil impedit, quòd Chriſtiani ſimus. Quare igitur, dicebam, non licebit mihi monacho, pro antiquis iuribus, pro patriis legibus, pro matris meæ honore in quodcunque diſcrimen venire, præſertim vbi incredibilis ſpes futuræ victoriæ de hoſte nos tantopere conſolatur, ac propè in arenam coniicit? profectò quidem in hac re nimiũ dubius, ſatis incertus & anceps hærebã, videbatúrque mihi in locum cõtrouerſum, lubricum, ſuſpicioſum, variúmque incidiſſe, neque quam ſententiam ſequerer, habere facilè poteram. quid facerem? tacerémne etiam irritatus? non poteram ſanè, quid facto opus foret, ſatis cogitãdo diuinare. tandem quod mihi tutiſſimum conſilium ſequendum fuit viſum, hoc eſt: vt aduerſarium noſtrum inſequerer, & vt non plura dicerem, quàm dixiſſe me in iuſtiſſima cauſa Caluinus coëgiſſet. in neminem ſiquidem nunc agere intendemus, ſed ſolùm nos defendere totis viribus elaborabimus, ac curabimus. ſic fiet, ſpero, vt & nos ipſos ab omni ſuſpicione liberemus, & vt aliâs ſæpe, ſic etiam nunc ex defen-

dendo, quàm ex accuſando maior nobis gloria, atque meritum comparetur. Itaque religioſe lector, vniuerſa, quæ iſte in inſtitutione ſua contra noſtri ſæculi monachatum, quem omnes pij tanto fauore ac gratia proſequuntur, fouent & defendunt, euomit, breui ſumma nos hîc complectemur, & eò quidem libentiùs, quò magis magíſque conſilium hoc noſtrum tibi, piíſque omnibus probari intellexerimus.

Vt video, duo ſunt præcipua capita Caluinianæ accuſationis, quibus noſtri ſæculi monachatum apud ſimpliciũ hominum cœtus molitur traducere, vt viam virtutis, quam ipſe capeſſere non vult, eam petere cupientes latratibus ac morſibus impediat. Vnum eſt, quòd monachatus noſter multùm à vetere illo in ſubſtantia. & extrinſecis aliis degenerauerit: vt nihil ſit iam, quod antiquitate tueri nos poſſimus. alterum eſt, quòd & in priſca illa forma monachatus multa erãt, quæ cenſori noſtro parum placere iure poſſent. hunc itaque ſecuti ordinem à priore capite (pios omnes amantiſſimè obſecro, vt animis adſint, & antiqua beneuolentia me proſequantur) libet exordiri. Negare non poterat Caluinus antiquiſſimam rem eſſe monachatum, cùm ex patribus noſtris nonnulli ipſum ad Eliam referant, alij ad Ioannem Baptiſtam, alij ad feliciſſima ſæcula apoſtolorum, alij ad tempora Nicæni concilij: ſitque veriſimile, iuxta eccleſiaſticas patrum hiſtorias, & ſanctorum libros, in Chriſtiana eccleſia nunquam defuiſſe à temporibus ſanctorum apoſtolorum, qui arctiorem, quàm reliqua Chriſtianorũ multitudo, vitam iuxta viam ad perfectionem in euangelio oſtenſam ſectarẽtur, atque profiterentur. cùm verò tam euidentem veritatẽ negare nullo pacto queat iſte, nouum quid commentus eſt. dicit enim monachatum antiquum, non niſi præparationem quandam fuiſſe, qua pij homines ſeſe ad eccleſiæ gubernationem monaſtica diſciplina ſoliti erant preparare, quò aptiores, ac meliùs formati tantum munus ſubirent. inſuper monaſteria ipſa, quædã collegia fuiſſe affirmat, & veluti ſeminaria ordinis eccleſiaſtici, vbi patres illi talibus rudimentis ſe ad maiora munera pręparabant. Nos inge-

Cal. lib. 4. inſt. ca. 13. à ſect. 8. vſque ad 21.

Duplex caput accuſationis.

Monachat⁹ antiquiſſ.

Euſeb. li. 1. eccl. hi. c. 17.

nuè ac liberè fatemur, plures ex antiquioribus epiſcopis, in monaſteriis educatos, illinc ad epiſcopale munus vocatos fuiſſe, puta Baſilium Magnum, Chryſoſtomum, Gregorium Nazianzenum, & alios eorũ ætate magnos, ac præſtantes viros. at, quòd ea ſola ratione, & animo eò concederent, & non magis vt per totam vitam ad ſummam auſteritatem & patientiam ſe ipſos exercerent, humi dormientes, aqua & pane, herbis ac radiculis contenti, maiorum imperio obedientes, euangelicam paupertatem amplexati, cælibes, nudi, pauperes, ex tribus liquidò non modò coniicere, verùm facillimè cognoſcere poſſumus, nempe ex hiſtoria, ex ipſorum vſu ac conſuetudine, demum ex monialibus ipſis, quæ ad eam perfectionem ſimiliter currebant. dixi, perfacilè cognoſci id poſſe ex hiſtoria, quoniam quoquot monachorum vitam immortalitati ſcriptis ſuis tradiderunt, nunquam eius finis, quem præſcribit Caluinus, meminerunt. non Philo Iudæus, qui apud Euſebium de monachis Alexandrinis mira refert, de continentia, de paupertate, de obedientia, de ieiunio, de ſolitudine, de vigiliis, de oratione, de hymnis, d[illegible]que rebus aliis monachatui propriis, de præſidentia item inter eos. non Euagrius, qui de nonnullis ſanctis monachis catalogũ texuit, cuius & Socrates meminit. non Sozomenus, qui Ægyptiorum monachorum conuerſationem, inſtitutáque latè proſecutus eſt. nõ Hieronymus, qui de vita eremitica & monachali toties ſcripſit, cæleſtem, angelicam, & propè diuinam nominans. nõ Athanaſius in vita ſancti Antonij monachi: vbi, cùm in ſanctiſſimo Antonio monaſticæ profeſſionis viuos colores expreſſiſſet, per viam euangelici ſermonis ad perfectionem eum perrexiſſe optimè commemorat. eo tamen fine cæleſtem eum virum monachum factum, vt ſcilicet inde epiſcopus, aut plebanus crearetur, nunquã Athanaſius commemorat, etſi Alexandrinus ipſe Athanaſius foret epiſcopus. non Auguſtinus in his præcipuè locis, vbi veteris monaſtices formam nobis depingit. non Damaſcenus, dum monachorum laudes, agones, martyria ſub Arceniro rege Indiæ recenſet. Sed quò progredior? longè alia ſemper ratio habita eſt mona-

Euſeb. lib. 1. ecc. hiſt. c. 17

Socrat. li. 4. cap. 23.

Sozomen. li. 3. cap. 14.

Hie. tom. 1. epi. fo. 81. in vita Pauli primi eremitæ, & alibi.

Auguſt. in lib. de moribus eccleſiæ cathol.

chatus, & epiſcopatus. neque ideo monachi inſtituebātur, vt inde epiſcopos haberet eccleſia, quamuis multos ex eis habuit doctrina mirabiles, vita cæleſtes, ipſa verò in gubernando peritia ſummè commendatos. Ergo, Caluine, inſtituta ſunt antiquitus monaſteria, & in numerum ingentem aucta: quò qui ſe recipiebant, præter Chriſtum, & hunc patri obedientem, veſtibus nudatum, virginitatis ſplendidiſſimum ſpecimen nihil deſiderabant, non aliò ſpectabant. is vitæ finis præſcriptus erat, ſcilicet, Chriſti tenere veſtigia. Accedit altero loco vſus ipſe ac conſuetudo. certè ſi monaſteria eccleſiaſtici ordinis erant tantùm ſeminaria, eo fine inſtituta, vt non niſi talibus rudimentis inſtructi, quotquot eò iuiſſent, ſe ad maiora præpararent, & non magis vt perpetuò ibi totam vitam degerent, quid in cauſa fuit, rectè Caluinum percunctabor, quòd tam ægrè tulerint antiqui illi patres ad eccleſiaſticum munus ab illa ſumma animi quiete auocari? quid, quòd multi electioni non conſenſerunt, alij, ne inuenirentur, in latibulis abſconſi, alij errantes in ſolitudine? demum, quid quòd omnes non niſi inuiti trahebantur? reſponde, ſi poteris ab his te expedire: ſi ſeminaria tātùm erant, ſi ludi eccleſiaſtici ſolùm æſtimabantur, ad illum modum, quem tu fingis, cur ſic, cùm iam ex primis rudimentis exceſſiſſent, cùm ſatis cōmodè ſe exercuiſſent, tantopere illud munus ſubire detrectabant, ad quod ſe vocatos ex ipſa inſtituti & loci ratione iam pridem prorſus intelligere poſſent? qui itaque tam vehementer eccleſiaſtica officia obire recuſabant, apertè teſtabātur non loci ratione, in quo tam diu viguiſſent, non monaſticæ profeſſionis cauſa, ſed Chriſtiana tantùm caritate, qua ad Deum & eccleſiam ſemper flagrabant, publicis officiis in eccleſia inſeruiuiſſe, quoties ad illa exequenda rogati, repugnantéſque trahebantur.

Ratio ſecunda.

At, inquis, *Auguſtinus illud ſuo quoque tempore fuiſſe vſitatum oſtendit, vt eccleſiæ clericos, cœnobia miniſtrent*: quid ſi ego ex diui Auguſtini verbis probauero, id quod tu cōmemoras, factum quidem fuiſſe, ſed non iuxta loci, aut monaſtices primam inſtitutionis originē, ſed quòd vniuerſa ſint eccleſię matris neceſſitatibus poſthabēda?

Obiectio Cal.

Aug. epi. 76. 81.

lege Auguſtinum ad monachos Caprariæ inſulæ ſcribentem, vbi hæc ipſe videbis: Vos autem fratres exhortamur in domino, vt propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & in finem perſeueretis. at ſi quando operam veſtram mater eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis, ſed miti corde obtemperetis Deo: nec veſtrum otium neceſſitatibus eccleſiæ præponatis, cui parturienti, ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini, non inueniretis. Vidéſne ſolam parturientis matris noſtræ preſſuram in cauſa eſſe, quòd monachi ad publica officia ab Auguſtino vocarentur? & tunc quidem, vt idem Auguſtinus alio in loco auctor eſt, non deſertores monaſteriorum (vt Lutherus, Caroloſtadius, & alij multi) ad militiam clericatus eligebantur, ſed ſi ex iis, qui in monaſterio permanebant, electionem fieri contingeret, non niſi probatiores, ac meliores ad publica officia aſſumebãtur. Ad hęc tertiò non illum fuiſſe primum finem inſtituendorum monaſteriorum, quam potiſſimum, immo vnum vult Caluinus, manifeſtò deprehenditur, quòd & pro feminis etiam ſeorſum conſtructa ea loca fuiſſe hiſtoriographi ſcribunt. Sed quia de monialibus ſermo iterum nobis repetendus eſt, nunc prætereo. Habemus itaque, quid Caluinus de fine monachatus ſentiat, ac rurſus quid habeat catholica veritas. vult nãque Caluinus, quòd totus finis monaſtices ſit eccleſiaſticus ordo, cuius monaſteria ſeminaria tantùm ſint: nos contrà. etſi enim ex monachis, quando eccleſiaſtica neceſſitas poſtulabat, plurimi viri eccleſiaſtici in toto orbe clari prodierint, tamen longè alium finem ſpectaſſe contendimus, nempe, qui mundanis curis, ac ſæcularibus deſideriis vacui, mundo mortui, eam viam tenuerunt, quæ rectà in euangelicam perfectionem, ad quam toto pectore aſpirabant, tendit: atque, ſi hic eſt monachatus illius veteris finis, profectò non video, quare monachatus noſter, qui continua obedientia, rerum huius ſęculi, & cuiuſuis proprietatis abdicatione, atque adeò perpetua continentia conſtat, non poſſit longi temporis præſcriptione à nobis contra Caluinum defendi, opponentes eius ſanctimoniã, ſicut & contra Manichæo-

August. epiſt. 76. ad Aureliũ.

Ratio tertia.

rum calumnias, iam olim feciſſe Auguſtinum legimus. id verò faciliùs aſſequemur, ſi, vt etiam Caluinus fieri poſtulat, nō monachos cum monachis hîc conferamus, ſed præſentem tantùm monachiſmum cum ea profeſſione, quæ tunc monaſtica erat, comparemus. Hæc de fine, qui proculdubio vnus eſt vtriuſque monaſtices. *At forma noui monachiſmi cum antiqua monaſteria non conuenit*: cur ita optime cenſor? *Cur? Auguſtinus duobus præcipuè locis veteris monaſtices formam nobis depingit. libro de moribus eccleſiæ catholicæ, vbi aduerſus monachorum calumnias eius profeſsionis ſanctimoniam opponit: & altero, cui titulum fecit, De opere monachorum, vbi in degeneres quoſdam monachos, qui inſtitutum illud corrumpere cœperant, inuehitur*: ſicne tecum Caluine pepigiſti, poſtquam à recto deſciuiſti, vt nulla tibi linea ſine mendacio finienda ſit? porrò vtrunque illo libro De opere monachorū Auguſtinus facit: ſiquidem in otioſos monachos inuehitur, & ipſis euangeliſtis, & altaris Chriſti miniſtris, atque ſacramētorum diſpenſatoribus, naturali ac diuino iure, corporis ſuſtentationem contendit deberi. certè diuus Auguſtinus non tā ibi degeneres arguit, quàm hæreticos monachos, negantes non licere ſibi laborare, ſed vni orationi vacare ſemper egregiè confutat. at verò de iis, qui altari & ſtudio inſeruiunt, multa eo loco dicit, quæ poſtmodum omnia diuus Thomas, Auguſtini ſanctiſſimi obſeruans veſtigia, locupletiſſimè ſimul ac diſertiſſimè contra religionum hoſtes dilucidauit. Sed de hoc paulò pòſt ediſſeremus. *Explicat eo loco doctor Auguſtinus veteris monaſtices diſciplinam, obedientia plenam, caſtiſsimam, ſanctiſsimam, orationibus, lectionibus, diſputationibus ornatam, paupertate præcipuam, continentia præexcellentem, & à qua omnis procul aberat ſuperbia, & tumor: nulla ibi peruicacia, nulla inuidentia. ſic manibus operabantur, vt mens à conſueta meditatione cum Deo minimè impediretur. maioribus ſumma inerat in iubendo auctoritas, magna item aliorum in optemperando voluntas, incredibilis erat omnium abſtinentia, ciborum admirabilis delectus*: (perge, perge: iſta omnia veriſſima ſunt, atque ex Auguſtino fideliſſimè ſumpta: perge eam vitam deſcribere.) *Si quid illis cibi ac potus ſupererat, egentibus ma-*

Cal. ſect. 9. de forma antiqui monachiſmi.

Intētio Auguſt. in lib. De opere monachorum.

S. Thom. opuſ. 19. c. 5.

gna cum hilaritate diſtribuebatur. ſumma in eis humanitas perlucebat, apud quos nimirum ſic regnabat caritas, quæ vna perfectionis vinculum eſt. hæc vna ab illis cuſtodiebatur, huic victus, huic ſermo, huic habit⁹, huic vultus aptabatur, in hac coitur, in hãc cõſpiratur, hanc violare non minùs, quàm Deũ nefas ducebatur. huic ſi quis reſiſtebat, eiiciebatur foras, & euitabatur. poſtremò, hãc ſi quis offendebat, vno die durare nõ ſinebatur: eſt hoc veriſſimum Caluine, talis fuit olim monaſtice, qualem repræſentaſſe vir hic ſanctus tibi viſus eſt, & velut in tabula præfixiſſe. immo nonnulla diſſimulas, quæ diuus Auguſtinus illi beatiſſimæ monaſticæ tribuit, quorum & nos ſuo loco meminerimus. ad has profectò leges altero poſt euangelium gradu ſacrati illi inſtitutores, qui ea tempora ſunt ſecuti, Auguſtinus, Benedictus, Dominicus, Frãciſcus, ceteríque inſtituta ſua & ordines exigerunt: qui omni ſtudio in vnam hanc rem incumbebant, ſi quo pacto ſpiritum patrum in nos filios ſuos transferrẽt lege, qui à diuo monacho Benedicto, qui à ſancto Dominico, qui à beato Franciſco ritus viuendi inſtituti ſunt, nihil porrò in horum ſcriptis reperies, quod Chriſtianam caritatem, euangelicam vitam, apoſtolicámque celſitudinẽ non redoleat, vt per illos vel ob hanc cauſam videri poſſit patrum ſpiritus ſpirare etiam in filiis. Verùm hæc magis conſtabunt, cùm tua omnia diſſoluero. *Auguſtinus dum ſanctum ac legitimum monachiſmum nobis deformat, omnem rigidam exactionem vult abeſſe earum rerum, quæ nobis verbo domini liberæ relinquuntur. atque nihil eſt, quod hodie ſeuerius exigatur. ſcelus enim inexpiabile eſſe ducunt, ſi quis in colore, aut ſpecie veſtis, ſi quis in genere cibi, ſi quis in aliis friuolis ac frigidis cæremoniis vel minimum à præſcripto deflexerit:* quòd ea fuerit Auguſtini mens, vt quod ſemel quis Deo nouit, etſi id verbo domini liberum relinquatur, non ſit rigidè exigẽdum, non dum probaſti. immo verò ex eodem patre paulò mox ſum oſtenſurus, multa, quæ aliâs in libera noſtra poteſtate erant, ſola promiſſione nobis effici neceſſaria. verùm de hac re ſtatim agemus. de cibis autem cùm multa ſuprà diximus, tantùm videtur ſupereſſe hîc dicendum de monachali habitu, ac veſte, vt non minorem obſeruationem veteres

Forma noui monachiſmi ad veterem monaſticen optimè quadrat.

Cal. ſect. 10. *Diſſidiũ noui monachiſmi à vetere monaſtice ex Cal.* *Obiect.* 1.

illos monachos in hac vna re adhibuiſſe, quàm nos omnes intelligant. De beato cũ primis Antonio refert magnus Athanaſius ſuper eius vitam, ſibi atque Serapioni epiſcopo duas monachales veſtes teſtamento verè apoſtolico legaſſe, cilicium verò ſuis monachis. De ſancto Hilarione, illius diſcipulo, glorioſus doctor Hieronymus ſuper eius vitam refert, quòd cùm ad Antoniũ veniſſet, & veterem habitum exuit, & nouum induit. & rurſum de illo habitu inquit, Igitur ſacco tãtùm membra coopertus, & pelliceum habens pendyten, id eſt, ſuperindumentum, quem illi beatus Antonius proficiſcẽti dederat, ſagúmque ruſticum, inter mare & paludẽ vaſta ſolitudine fruebatur. & poſt multa, Igitur octogeſimo ætatis ſuæ anno, cùm abſens eſſet Heſychius, quaſi teſtamẽti vice breuem manu propria ſcripſit epiſtolam, omnes diuitias ſuas illi relinquens, euangelium ſcilicet & tunicam ſacceam, cucullam & palliolum. Monachalis item habitus S. Damaſcenus meminit in vita beatorum Barlaam & Ioſaphat confeſſorum, nécnon in ſanctorum monachorum agones, & martyria ſub Auenniro rege. Hos ergo, inquit, mirabiles & ſanctos viros & nos deſpicabiles & indigni imitari ſatagimus, nõ quòd pertingere valeamus ad altitudinem cæleſtis conuerſationis eorum, ſed ſecundum poſſe infirmæ naturæ, & miſeræ virtutis vitam eorum figuramus, & habitu eorum operti ſumus, quamuis operibus non impleamus. Hæc diuus Damaſcenus, & his plura, quæ eo loco legiſſe poterat Caluinus priùs, quàm nouis monachis veſtium præſcriptionem exprobraret. Meminit Theodoritus in Philotheo Cyrenenſis epiſcopus in vitam Maſimæ monachi, tunicæ & cucullæ monachalis. meminit diuus Gregorius in vitam ſanctiſſimi patris Benedicti. In ſumma quotquot veterem monaſticen ſcripto prodiderunt, omnes monachalem veſtẽ ac cucullam expreſſerunt: vt alio habitu cooperiri nefas haberetur. vt tamen ſemper apud eos valuerit beatiſſimi Antonij ſententia, quam apud diuum Hieronymum in ipſius vitam, in hunc modum legimus, Monachi cum primis veram monaſticen in Dei cultura, & legum eius obſeruatione collocent, ſitq; monachorum propoſitũ modis

De veſte monachali.

Greg. lib. 2. dial. c. 1. cũ ſequẽtibus.

omnibus, ſe ipſos mundo crucifigere,ac vitiorum concupiſcentias radicitus à ſe euellere: quod ſi non adſit, neque cilicium quidquam valet, neque cuculla proderit. multum tribuebant antiqui patres monachali indumento,illúdque nunquam à ſe reiiciebant,quò ſemper ſui inſtituti memores eſſent. ſic & tui ſæculi monachi,Caluine, nefas arbitrantur eſſe, ſi ſemel ſuſceptum habitum ſacrilegus apoſtata exuat, immemor datæ fidei,initíque cum Deo fœderis. ſi colores ſunt diſtincti, vnus eſt in omnibus præſcriptus finis, nempe caritas. ſæpe porrò dixi, frequénſque referam licèt enim inter nos ſint Caluine,qui monaſtice abutimur: nō ob id tamen monachiſmus ipſe contemnendus, aut penitus è medio tollendus eſt. *At cæremoniis vtimini*:nec minùs veteres illi vtebantur,non quòd omnem noſtram ſpem in eis collocemus,(ſcimus enim ſpiritu & corde in primis Deum noſtrum coli)ſed quò interior ille cultus exteriore ſigno obfirmetur: vt nihil iam ſit in his, qui in dominicam ſortem venerũt, quod pietatem & religionem non aſpiret. Cæremonias, quæ ex vera Dei religione profiſiſcũtur in omnibus ac ſingulis hominibus Auguſtinus deſiderabat. tantum abeſt, vt damnet,& reprehendat monachis, quibus apoſtolicum illud in ore eſſe debet, Semper mortificationẽ domini IESV circunferentes, vt & vita IESV in corpore noſtro manifeſtetur. ſemper enim nos,qui viuimus,in mortem tradimur propter IESVM, vt & vita IESV manifeſtetur immortali carne noſtra.

Plurimum tribuebant antiqui monachi veſtibus, ceteríſque cæremoniis.

2. Cor. 4.

De opere monachorum latiſſimè agitur, vniuerſa diui Auguſtini in libro De opere monachorũ capita perſtringuntur, catholica veritas ab iniquitate & hæretica maledicentia eiuſdem libri teſtimoniis vendicatur, ac tandem de vita contemplatiua nonnihil attingitur.

CAP. XIII.

Obiectio. 2. Cal.

Aug de opere monachorum.

PRæſentis rei, atq; inſtituti ratio poſtulare ſanè quidem videtur, vt ad opus & exercitia monachorum calamum conuertamus. *Auguſtinus fortiter contendit, non licere monachis de alieno otioſis viuere. tale exemplum ſuo tempore extitiſſe negat bene conſtituti monaſterij. noſtri*

præcipuam

præcipuam ſanctimoniæ ſuæ partem in otio collocant. nam, ſi otium illis tollas, vbi erit illa contemplatiua vita, qua ſe alios omnes excellere, & ad angelos propiùs accedere gloriantur? fuerunt olim in Syria monachi Pſalliani ab Auguſtino appellati, quos Caſſiodorus Maſſalianos nominat, qui nullum manuum laborem monachis licere, vt qui orationi ſemper inſiſtere deberent, pertinaciter aſſeuerabant. hunc ipſum errorem tutati ſunt Africani aliquot monachi apud Carthaginem, quemadmodum in ipſo libro De opere monachorum idem pater Auguſtinus recenſet. conſtat enim librum illum cauſa Aurelij tunc Carthaginienſis epiſcopi ab eodem doctore præclariſſimo editum pro errore præfato expugnando, qui tunc ad innouandum cum eccleſia bellum reuireſcere videbatur. Audiuiſti lector, quid occaſionem libro componendo dederit, iam accipe breui vniuerſa, quæ ibidem ſumma grauitate ac veritate tradita habemus. vt nõ minùs Vuilhelmus de ſancto amore, quidam hæreticus, Ioannes Vuiclef, Lutherus, Zuuinglius, Caluinus eiſdem armis feriantur, cùm monachos omnes ad laborẽ manuum ſine diſcrimine obligant, quàm primi illi hæretici dicentes, nullum eiuſmodi laborẽ monachis conuenientẽ eſſe. nos enim, debere monachos laborare, ne otio & ceſſatione feriatis torpere cõtingat, cũ patribus omnibus cõtra illos cõſtanter prędicamus. ſic enim Baſilius, Benedictus, Auguſtinus, Franciſcus, præceperũt ac monuerunt. cum hoc etiam eã legem non ſe neceſſariò extẽdere ad eos, quos diuinus cultus, verbi Dei prædicatio, ſtudium, ſacramẽtorum adminiſtratio, & ſi qua ſunt his ſimilia, occupatos tenent, contra nouos iſtos hæreticos ex eodem Auguſtino colligemus. agedum & ſententiæ, & verba, immo & ſyllabæ diui Auguſtini expendantur. Principiò de euangeliſtis, & altari ſeruientibus, nécnon ſacramentorũ diſpenſatoribus ſic legimus in Auguſtino, Iſti autem fratres noſtri (loquebatur, vt puto te non ignorare, de Maſſilianis monachis) temerè ſibi arrogant, quantũ exiſtimo, quòd eiuſmodi habeant in vniuerſum poteſtatẽ. ſi enim euãgeliſtæ ſunt, fateor, habent. ſi miniſtri altaris, diſpenſatores ſacramentorum, bene. ſibi iſtam non arrogant, ſed planè vendicant

Aug. lib. de hær. cap. 57. Trip. hiſt. lib. 7. ca. 11.

Quibus de alieno viuere liceat.

Aug. c. 21.

poteſtatem de ſumptibus fidelium viuendi. Hinc colligere licet, ab illius legis obligatione exemptos eſſe religioſos omnes, quotquot monaſticè viuentes, ſpiritalium miniſteriorum functione reip. Chriſtianæ inſeruiunt, vt non minori iure communibus ſtipendiis populi ſuſtentari debeant. quàm milites & equites, atque adeò iudices, qui ad bella gerenda, aut ad iuſtitiam tuẽdam, aut denique ad rempub. adminiſtrandã deſtinati ſunt. hi ſunt operarij illi Caluine, verè digni cibo ſuo, atque mercede ſua: hi ſunt, per quos ſpiritualium donorũ particeps factus populus, miniſtrare corpori ipſorum neceſſaria debet: hi ſunt quibus triturantibus alligare os diuino præcepto non liceat: hi ſunt, qui neque ſuis ſtipẽdiis militare cogendi ſunt, nec à fructu vineæ, quam plantauerũt, aut à lacte gregis, quem paſcũt, prohibendi ſunt: hi ſunt, qui cũ dies noctéſque altari inſeruiant, cùm altari poſſint participare: hi ſunt, qui, cùm in ſacrario operẽtur, quæ de ſacrario ſunt, edere habẽt: (ſic enim ordinauit dominus his, qui euãgelium annũtiant, de euangelio viuere) hi ſunt demum, de quibus Hieronymus in prologo ſuper Iob locutus illos obiurgat, qui malunt monachos fiſcellam iunco texere, aut palmarum folia complicare, vt in ſudore vultus panem edant, quàm quòd iuxta ſententiam ſaluatoris diuinum operentur cibum, qui non perit, ſanctis contemplationibus & orationibus vacantes, & qui ita à mundo ſurſum euecti ſunt, vt nihil in terris agentes, aut laborãtes, ſola contemplatione in cælo degunt. Sed nos reuertamur ad Auguſtinum. igitur Auguſtini intentio, quam toto illo volumine explicat, hæc eſt. primo enim capite locum illum Matthęi. Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, &c. producit: quo ſanè Chriſti verbo monachi illi ſuum neceſſarium otium defendebãt, interpretati illud Pauli, Qui non vult operari, non manducet. de ſpiritus, nõ manuum labore. vbi ſic caput abſoluit, Ita ſe iſti arbitrantur apoſtolicæ obtẽperare ſententiæ, cùm & euãgelium credunt non curanda corporali & temporali vitæ huius indigentia præcepiſſe, & apoſtolum de cibo & opere ſpirituali dixiſſe, Qui non vult operari, non mãducet. nec enim, inquiunt illi, potuit Paulus euangelio

Matth. 10. *Lucæ* 10. *Rom.* 14. *Deut.* 25. 1. *Cor.* 9.

In prologo ſuper Iob.

Auguſt. de opere monachorũ ca. 1. *Cap.* 6. 2. *Theſſ.* 3.

eſſe contrarius, vbi, ne ſimus ſoliciti, præcipimur. Hæc in primo illo capite. Iam vides Caluine, hoc parum ad tui ſeculi monachos pertinere, qui optimè ſciunt Chriſti verbũ cũ apoſtolico præcepto, ac cum labore etiam corporali quadrare. Verùm veniamus ad ſecundum caput. neque hîc reperies, quod contra noſtrum inſtitutũ ex Auguſtino obiectare poſſis: quoniam totus hoc loco Auguſtinus eſt, vt probet iuxta eundem ſenſum anxiam ſolicitudinem corporalis cibi, quæ à Dei regno nimiùm diſtrahat, tollendam eſſe, & id Chriſtum in euãgelio præcepiſſe. Iam tertium caput pro nobis eſt. poſtquam enim ex Paulo retulit, neque panem quidem ipſum apoſtolum gratis ab aliquo collatum manducaſſe, 2.*Theſſ.* 3.
ſed in labore & fatigatione die ac nocte fuiſſe operatum, ne quem fidelium ſumptibus oneraret, ex eodem Paulo ſubiungit Auguſt. Non quia non habuerimus poteſtatem, ſed vt nos formam daremus vobis qua nos imitaremini Audiãt ergo, inquit diuus Auguſt. quibus hoc præceperit, id eſt, qui non habent hãc poteſtatem, quam illi habebant, vt tantũmodo ſpiritualiter operãtes manducẽt panẽ à corporali labore gratuitum, ſicut dicit, Pręcipimus, & obſecramus in Chriſto, vt cum ſilẽtio operãtes panẽ ſuum manducent, non diſputent cõtra manifeſta verba apoſtoli, quia & hoc pertinet ad ſilẽtium, cũ quo debẽt operãtes mãducare panẽ ſuũ. Quartũ porrò caput noſtrũ inſtitutũ maximè cõfirmat: egregiè enim poſt Paulũ oſtẽdit licere viris apoſtolicis, qui 1.*Cor*.9.
Dei verbũ propagare ſtudẽt, in morẽ ſanctiſſimorũ apoſtolorũ ex euãgelio viuere, quãtumuis Paulus ſingulari conſilio ea poteſtate vſus non fuerit. Annon ſum liber? annon ſum apoſtolus? dicebat Paulus. nunquid non habemus licentiam manducãdi, & viuendi? nunquid non habemus licẽtiam ſororẽ, mulierẽ circũducẽdi, ſicut & ceteri apoſtoli, & fratres domini, & cephas? quòd etiam apoſtolis licuerit ex aliorum ſubſtantia viuere extenſiùs probat Auguſtinus capite mox ſequenti quinto, producto Chriſti exemplo, qui ſibi miniſtrantes religioſas feminas eſſe voluit, vt ſe ad præparanda, mini- *Matth*.4.
ſtrandáque neceſſaria ſequerẽtur. Oſtendens, ait Augu- *Ioan*.12.
ſtinus, quod euangeliſtis & miniſtris Dei, tanquam *Luc*.8.

*Math.*10. militibus, à plebibus Dei, tanquam prouincialibus, debetur. cõcludit demum, Hoc exemplum domini imitabantur apoſtoli ad accipiendum ſibi debitum cibum, de quo idem dominus apertiſſimè ſæpe in ſuo euangelio loquitur dicens, Dignus eſt operarius cibo ſuo, & mercede ſua. ad hoc enim, inquit Auguſt. dixit illa omnia ne portarent, vt vbi opus eſſet, ab eis acciperent, quibus annuntiabant regnum Dei. Sexto verò capite tantum abeſt, vt nobis, inſtitutóque noſtro cõtradicat, vt eam poteſtatem, quàm primo in duodecim dominus contulit, deinde in alios ſeptuaginta duos, eam ipſam, inquã, ad quoſcunque euangelij miniſtros & operarios, euangelij iure extendat. ſic tamen, vt obſeruet, cõtra monachos illos, quos toto opere coarguere moliebatur, poteſtatem eſſe non præceptum, conceſſionem ac licentiã, non iuſſionem: ne præcepti illius tranſgreſſione tãtùm apoſtolum notaſſe videretur, qui ſuis manibus victum ſibi quærebat. quod factum ſummopere probamus. Idẽ eſt ſeptimi capitis argumentum. ex epiſtola enim Pauli priore ad Corinthios colligit apoſtolicam licentiam, & poteſtatem non operãdi corporaliter, cum ceteris apoſtolis, quamuis ea vſus non fuerit, habuiſſe Paulum. vnde intelligere poterant tardiſſimi illi monachi, quippe laborare corpore apoſtolicã celſitudinẽ minimè dedecere. hæc enim illius cauſæ, quam ibi tractat Auguſtinus, theſis erat, & hic vnus illius actionis ſtatus. Ad hæc octaui capitis oratio eò ſpectat, vt ex verbis Pauli inferat Auguſtinus, quòd quoties de ea poteſtate, qua dicit apoſtolus ſe non fuiſſe vſum, ſermo apud eundem incidit, de poteſtate non laborandi manibus intellexit: vt ex hoc ipſo colligat externum corporis laborem aliis, non euangelij miniſtris, eſſe illo apoſtolico verbo præceptum, Qui non laborat non manducet. Quòd verò de corporali exercitio Paulus loqueretur, non de ſpirituali ſolùm, vt peruerſè illi interpretabantur, cap. 9. S. Auguſt. apertè oſtendit. Clamat, inquit, homo Dei, Dominus ordinauit iis, qui euangelium annuntiant, de euangelio viuere, iis, qui ſacrario ſeruiunt, de ſacrario viuere, iis, qui vineam plantant, de illius fructu viuere, iis, qui gregem paſcunt, de illius lacte bibere. ego

*Luc.*10.

1. *Cor.*9.

autem nullius horum vſus ſum: & conatur caro & ſanguis recta deprauare, aperta claudere, ſerena obnubilare. Spirituale, inquiunt, opus faciebat, & inde viuebat. Certè optime lector ſtollidiſſima illorum hominum, quos ibi detortæ ſcripturæ inſimulat Auguſtinus, loci apoſtolici explicatio erat. Rurſum cap. 10. redit etiam atque etiam, vt oſtendat quid S. Paulo iure dominico licuerit, & tamen ipſe non fecerit. at 11 & 12. cap. quare mercedem euãgelij iure ſibi debitam fugerit, explicat. in decimo quidem, vt infirmis gẽtilibus ſeſe accommodaret, ne quoquo pacto euangelium mercimoniorum, vt Auguſtinus ait, nundinas ſuſpicarentur. capite verò 12. id feciſſe apoſtolum Paulum refert Auguſtinus, ne ſuſpicionem haberent, aut in ſermonis adulatione, aut in occaſione cupiditatis apoſtolum apud eos fuiſſe. ad Corinthios, & ad Theſſalonicenſes etiam dixerat idem ipſe apoſtolus in quoſdam, Neque enim iſti Deo ſeruiunt, ſed ventri. quibus hanc præſcindere occaſionem hîc erga ſe vult. & quidem à Macedonia cùm apud Corinthios egeret, ne illis graue eſſet ſtipendium accepiſſe, ex eodem apoſtolo nunc commemorat Auguſtinus. vnde Paulus alio in loco dicebat, Omnia oſtẽdi vobis, quoniam ſic laborantes oportet iuuare infirmos, memores etiam eſſe verborum domini IESV: quia ipſe dixit, Beatius eſt dare, quàm accipere. Iam capite 13. reſpondet Auguſtinus importunæ ſatis quæſtioni: Quod igitur, inquiunt, iſtud opus erat, quod operabatur Paulus, & quomodo ei vacabat & operari, & euangeliũ prędicare? cui cauillo non minus feſtiuè & eleganter, quàm doctè atque eruditè reſpondet. Quid, ait, à me quæritis, quale opus faciebat, vel quando faciebat? ego neſcio: vnum tamen ſcio, quia nec furabatur, nec fractor, aut latro erat, nec auriga, aut venator, aut hiſtrio. Eò igitur ſemper ſpectabat diuus Auguſtinus, vt apertiſſimè explicaret, Paulum manibus laborauiſſe, non ſpiritu tantùm. oſtenſo iam igitur licere euangelicis prædicatoribus fidelium ſumptibus ſuſtentari, cum Paulus eo iure vſus non fuerit, quærit diuus Auguſtinus, & quidem oportunè ſatis capite 14. quales illi monachi ſint, qui tantopere manibus laborare refugiũt, & aſper-

1. Cor. 9.
2. Theſſ. 2.
Rom. 16.
2. Cor. 11.
Act. 20.

nantur. & quidem reperit eos, nulla re minùs, quàm euangelij prædicādi cura ſolicitos eſſe. quare meritò eos capite 15. exhortatur verbis Pauli, vt cum ſilentio operantes, non pigri, & ſine fructu panem ſuum manducēt.
2. Theſſ. 3
2. Tim. 2. quod vtique caput his verbis abſoluit, Labora, inquit ad Timotheū Paulus, ſicut bonus miles Chriſti IESV. nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit. nam qui in agone contendit, non coronatur, niſi legitimè certauerit. hîc, ne ille pateretur anguſtias, dicens, Fodere non poſſum, mendicare confundor. adiunxit, Laborantē agricolam primùm oportet de fructibus percipere ſecūdum illud, quod ad Corinthios dixerat, Quis militat ſuis ſtipendiis vnquā? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte eius non percipit? Fecit itaque ſecurum caſtum euangeliſtam non ad hoc euangelizantem, vt venderet euangelium, ſed tamen huic vitæ neceſſaria ſuis ſibi exhibere manibus nō valentem, vt intelligeret, quòd neceſſarium ſibi ſumebat ab eis, quibus, tanquam prouincialibus, militabat, & quos, tāquam vineam, cultura exercebat, vel, tanquam gregem, paſcebat, non eſſe mendicitatem, ſed poteſtatem. quam ſanè poteſtatem cap. 16. ad omnes eas perſonas, quæ eccleſiaſticis occupationibus tenentur, extendit. Audi, te precor lector, qua ſoles attentione, ego etiam, qua ſoleo breuitate, omnia percurram. eſt enim locus ſatis huic rei, quam tractamus, accommodatus. loquatur autem diuus Auguſtinus: Propter has igitur vel occupationes ſeruorum Dei, vel infirmitates corporales, quæ omnino deeſſe non poſſunt, non ſolùm permittit apoſtolus, ſanctorum indulgentias ſuppleri à bonis fidelibus, ſed etiam ſaluberrimè hortatur. excepta enim illa poteſtate, qua ſe dicit ipſe non vſum, cui tamen ſer-
Galat. 6. uiendum eſſe à fidelibus præcipit, dicens, Communicet, qui catechizatur verbo ei, qui ſe catechizat, in omnibus bonis. Excepta ergo hac poteſtate, quam verbi Dei prædicatores habere in eos, quibus prædicant, ſæ-
Act. 24. pe teſtatur, etiam ſanctis, qui omnia ſua vendita diſtribuebant, & Ieroſolymis habitabant, orationi, ieiunio, ceteríſque eccleſiaſticis occupationibus vacantes, in

ſancta communione vitæ non dicentes aliquid proprium, quibus erant communia omnia, & cor vnum in Deum ab eccleſiis gentium neceſſaria conferri præcipit, & hortatur. vnde illud ad Romanos, Pergam Ieruſalem miniſtrare ſanctis. placuit enim Macedoniæ & Achaiæ communionem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt Ieruſalem. placuit enim illis, & debitores illorum ſunt. ſi enim ſpiritualibus eorum communicauerunt gentes, debent & in carnalibus miniſtrare eis. Hoc ſimile eſt illi, quod ait ad Corinthios, Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus? item ad eoſdem in poſteriore epiſtola multa dicit de eiuſmodi communione miniſtrationis, quæ fiebat in ſanctos. poſt quæ apoſtoli verba ſanctus Auguſtinus pro merito ponderat non ſolùm curam ſanctarum plebium ſic ſanctis miniſtrantium, verùm etiam Pauli ipſius ſolicitudinem, qua vrgebatur, ne ſanctis quidquam deeſſet, modò id ad ſupplendam corporis neceſſitatem fieret, non ad paſcendam quorundam pigritiam. quam certè rem nos etiam duces noſtri, Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Dominicus, Frãciſcus, frequèns admonuerunt. immo vnoquoque die, qui nobis præſunt, ante oculos nobis conſiderãdum ſtatuunt, vt qui ſecus fecerit, ſciat ſuum ipſius non bene inſtitutæ monaſticæ diſciplinæ vitium eſſe. Tandem Auguſtinus, quò ſimul & caput illud, & totam noſtram controuerſiam abſoluat, & dirimat, ait, Sicut ergo non ceſſauit apoſtolus, vel veriùs ſpiritus Dei poſſidens & implens & agens cor eius, exhortari fideles, qui haberent huiuſmodi ſubſtantiam, vt nihil deeſſet neceſſitatibus ſeruorum Dei, qui celſiorem ſanctitatis gradum in eccleſia tenere voluerunt, vt ſpei ſæcularis vincula cuncta præciderent: ſic debent & ipſi præceptis eius obedire, vt compatiantur infirmis, & amore priuatæ rei non faſtidiant manibus ſuis in communi labore, præpoſitis ſine murmure obtemperare, vt hoc ſuppleatur ex oblationibus bonorum fidelium, quod laborantibus, & aliquid, vnde victũ tranſigant, operãtibus, propter infirmitates tamen aliquorum, & propter eccleſiaſticas occupationes, vel eruditionem doctrinæ ſalutaris deeſſe potuerit.

Rom. 15.

2. *Cor.* 8. 9.

Notetur verba. Aug. ca. 16.

Hactenus Auguſtinus. Sed quia cauſari poterant monachi illi, quos ſic laboris tædebat, vacare ſe orationibus, pſalmis, lectionibus, & eiuſdem generis occupationibus, ſanctus pater prouidè capite 17. reſpondet, non ſic ea continua eſſe, quin honeſtis etiam laboribus & tempus, & locus ſuperſit. capite verò decimo octauo ait, quòd, cùm non omnes in monaſterio vel diuinas lectiones exponere, vel de arduis quæſtionibus diſputare valeant, non omnes eadem facultate gaudere debēt. & tandem, inquit, ipſa erit optima gubernatio, ſi omnia ſuis temporibus diſtributa, ex ordine gerantur, ne animum humanum turbulentis implicationibus inuoluta perturbent. Capite 19. ſtudium prædicationis Paulinæ cum apoſtolico labore ſanctiſſimè ac veriſſimè coniungit: atque capite viceſimo apoſtolos alios, qui ex euangelio viuebant, in eo non peccaſſe, ſed id iure à fidelibus exegiſſe iterum probat. viceſimo verò primo capite ea verba habentur, quę nos ſuprà produximus pro euāgeliſtis, pro altaris miniſtris, pro diſpenſatoribus ſacramentorum, pro his, qui cultui diuino deſtinati ſunt: quibus otium à manuum laboribus diuina & naturæ lege concedi Auguſtinus affirmat. quare meritò idem pater capite 22. in eos inuehitur pulchra actione & ſeuera, qui ſola hac vna ſpe monachatum amplexi ſunt, quò ſcilicet otioſiùs viuant, cum corpore valeant, & communibus occupationibus implicati non ſint. différtq; hūc ſermonem vſque in viceſimum quintum caput, in quo poſt multa præclarè dicta, quibus pius labor monachorum ſatis redditur commendabilis, hæc duo ibidem legimus, quæ huic negotio videntur maximè accommodata. vnum tale eſt: Illi, inquit, qui, relicta, vel diſtributa ſiue ampla, ſiue qualicunque opulenta facultate, inter pauperes Chriſti pia & ſalubri humilitate numerari voluerunt, ſi corpore ita valent, & ab eccleſiaſticis occupationibus vacant, quanquàm eis tam magnum animi ſui documentum afferentibus, & eiuſdem ſocietatis indigentię, de his rebus, quas habebant, vel plurimùm, vel non parum conferentibus, vicem ſuſtentandæ vitæ eorum res ipſa communis, & fraterna caritas debeat: tamē ſi & ipſi aliquid manibus operētur, vt pigris ex vita

humiliore, & ob hoc exercitatiore venientibus auferãt excuſationem, multò miſericordiùs agunt, quàm cùm omnia ſua indigentibus diuiſerunt. quod quidem ſi nolunt, quis audeat cogere? Hactenus Auguſtinus. Ex quo loco colligimus inter monachos à corporali & manuũ labore exemptos eſſe cum primis infirmos & valetudinarios, quibus tamen inuenienda ſunt (ait idem pater Auguſtinus) alia opera à corporis functione liberiora: ſic tamen, vt & ipſi quoquo pacto panem ſuum cum aliquo labore manducent. altero loco excipiuntur hi monachi, qui cùm monaſterium intrauerunt, ſubſtantiam huius mundi habebant, quam pauperibus diſtribuerũt. & addit diuus Auguſtinus, non attendendum eſſe, in quibus monaſteriis, vel in quo loco indigẽtibus fratribus quiſque id, quod habebat, impenderit: omnium enim, inquit, Chriſtianorum vna reſpub. eſt. Ad hoc etiã pertinet, quod ex eodem Auguſtino retulimus de ſanctis, qui vnà Ieroſolymis viuebant, diſtractis in pauperum vſus propriis facultatibus. Tertio loco ad hũc manuum laborem non tenentur iuxta beati Auguſtini ſententiã, quam ex literis diuinis manifeſtò colligit, quotquot in monaſterio prædicatores ſunt verbi Dei, doctoréſque omnes, qui aut verbo, aut ſcripto diuinam legem docent, & qui ad altare, aut ad ſacramenta diſpenſanda incumbunt. Quid ergo iſti hæretici acerbè, contumelioſè, & prauiter in monachos inuehũtur? cur tam generali ſententia omnibus non laborantibus manibus panem interdicunt, quem dominus ſua benignitate indulſit euangeliſtis, & altari ſeruientibus? hoc ſit vnum, quod ex Auguſtino elicuimus. Alterum eſt: Illi autem, qui præter iſtam ſanctam ſocietatem vitam labore corporis tranſigebant, ex quorum numero plures ad monaſteria veniunt, quia in ipſo humano genere plures ſunt, ſi nolunt operari, non manducent. nec enim in militia Chriſtiana propterea ad pietatem diuites humiliãtur, vt pauperes ad ſuperbiam extollantur. nullo modo enim decet, vt in ea vita, vbi fiunt ſenatores laborioſi, ibi ſint opifices otioſi: & quò veniunt, relictis deliciis ſuis, qui fuerant prædiorum domini, ibi ſint ruſtici delicati. Hæc Auguſtinus. Rectè proinde pater ille di-

Qui pro dignitate artes fabriles exercere non debeant.

Qui diuino & apoſt. præcepto ad laborem obligentur.

cebat Caluine, de his locutus, (cuius nomen in hiſtoria non legi, ſed parum refert) Monachus, qui manibus ſuis non laborat, violento, aut ſi mauis, latroni iudicabitur æqualis. hi ſunt, vt vidiſti, de quibus Auguſtinus fortiter contendit, non licere talibus de alieno otioſis viuere. tale etiam exemplum negat idem Auguſtinus ſuo tempore extitiſſe bene conſtituti monaſterij, nóſque etiam noſtro ſæculo eſſe negamus. non enim, vel te id maximè volente, tam de monachis, quàm de ipſo monachiſmo locuti ſumus nos duo Caluine. *At, Auguſtinus ipſe dixit, non licere monachis ex alieno viuere, etiam ſi aſſidui ſint in contemplationibus, in orationibus, in ſtudiis:* vbi hoc ſanctus ille dixit Caluine? num capite decimo ſeptimo præfati voluminis De opere monachorum? iuxta igitur verbum Auguſtini Caluine non licet theologiæ ſtudentibus ſine manuum labore vitam tranſigere. quaſi verò non ſit motus vnus, atque idem in medium, qui & in terminum. Si ergo Dei legem explicaturis ſtudium neceſſarium eſt, hoc præſertim tempore, in quo ſanè plures ſunt corruptores verbi diuini, quàm candidi explicatores, profectò Caluine ratio ipſa poſtulat, vt eadem debeant facultate gaudere, qui ſacris ſtudiis vacant, atque doctores ipſi. neque, mihi crede, diuus Auguſtinus quidquam laborioſius à monachis illis Maſſilianis, neque à ſuis Africanis exegiſſet, ſi eos ſemel intellexiſſet vir ſanctus, vehementiſſimè inuigilare, quatenus per eos catholica fides integrè conſeruaretur, & ne miſerè laceraretur à crudelibus canibus, animosè defendere. hic labor, Caluine, omnium laudatiſſimus ac commendatiſſimus eſt. eſt enim non cuiuſuis, ſed euangeliſtæ opus. ſcilicet expediſſet magis eccleſiæ Chriſti centum habere ex Athanaſio monacho fiſcellas iunco textas, aut ex Hieronymo, aliíſque illuſtribus viris totidem palmarum folia complicata, quàm tot volumina eccleſiam ipſam plurimùm illuſtrantia? abſit, abſit Caluine, non ea Auguſtini fuit mens: ſed tantùm legem ſtatuiſſe, quam omnia bene conſtituta cœnobia de labore manuum habendo obſeruarent. vel quia non omnes excellentioribus exercitiis in monaſterio tenētur, vel quia non omni tempore orationi vacandum eſt, nec

continuò ſtudetur, neque perpetuò contemplationi indulgetur. quòd ſi ſtudia forent eius generis, vt totũ hominem ad ſe vocarent, cuiuſmodi ſunt ſtudia noſtra, vt multos etiam malè tractauerint, immo vita ipſa quamuis laudabiliter quidem priuauerint, non puto (qua humanitate S. Auguſtinus erat) corporis laborem huic labori ſpiritus, tam vtili & neceſſario eccleſiæ Chriſti, eũ adiungere voluiſſe. quod ſanè aliquot ſæculis poſt Nicolaus tertius non minùs doctè, quàm piè & Chriſtianè interpretatus eſt. cuius verba referre hîc minimè grauabor, poſtquam te, lector, ſolita benignitate me audiẽtem intueor. Continetur, inquit, in regula ſanctiſſ. Frãciſci confeſſoris, quòd fratres, quibus gratiam dedit dominus laborandi, laborent fideliter ac deuotè, ita quòd, excluſo otio animæ inimico, ſanctæ orationis & deuotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deſeruire. (vidéſne Caluine, quàm ſemper cordi fuerit ducibus noſtris, otiũ deteſtari, & quoad fieri poteſt, ipſum à monachorum caſtris in exilium agere. ſed reuertamur ad ſummum paſtorem noſtrum.) Quia verò ex verbo iſto, ait, fratres iſtos de otioſitate vitę, & de regulę tranſgreſſione improbè notare aliqui ſunt conati, nos, morſus eiuſmodi nefarios reprimentes, declaramus, non eam fuiſſe inſtituentis intentionem, quòd vacantes ſtudio, vel diuinis officiis, & miniſteriis exequẽdis, manuali labori, ſeu operationi ſubiiceret, vel ad hoc illos arctaret. cùm exemplo Chriſti & multorũ ſanctorum patrum labor iſte ſpiritualis tantò illi præponderet, quantò quæ ſunt animæ, corporalibus præferuntur. ad alios verò, qui ſe in prędictis ſpiritualibus exemplis non exercent, niſi tales aliorum fratrum licitis ſeruitiis occupentur, ne otioſè viuant, verba prædicta declaramus extendi: niſi tales tam excellentis & notabilis contemplationis, & orationis exiſterent, quòd meritò propter hoc non eſſent à tanto bono pro huiuſmodi exercitio ſubtrahendi. fratres enim quicunque ſtudio, vel diuinis miniſteriis non vacantes, ſed aliorum fratrum ſtudio, vel aliis diuinis officiis, & miniſteriis vacantium ſeruitiis inhærentes ſuſtentari merentur: quod aſtruitur æqua illa lege, qua ſtrennus

In c. exiui de verbo ſign.

S. Franc. c. 7. ſuæ reg. & in teſt.

pugnator ille Dauid iuſtè decreuit, videlicet,quòd deſcendentium ad prælium, & remanentium ad ſarcinas, æqua ſeruaretur portio. Hactenus pontifex & doctus & ſanctus. Natus non eras Caluine, & iam antea digito inter hæreticos à ſanctiſſimo Chriſti ſacerdote demonſtrabaris. ſed hoc vnum eſt, in quo alios crudelitate, & impietate excellis, quòd illi peruerſi canes, vt nuper audiſti, nos ſuis morſibus oppetebant, quòd paterni præcepti contemptores effecti, regulam & legem noſtram iuſtam illam & ſanctam prætergrederemur, tu verò regulam ipſam dilaceras, inſtitutum ipſum mordes, impietatis & iniquitatis cuncta inſimulans. at nos deſtinato operi nunquam (approbante Deo, diuíſque bene propitiis) vale dicemus, ſed Scyllæos canes obturata aure tranſibimus. Dum verò in cõtemplatiuam vitam tam iocoſè ludis, quam poſt Chriſtum omnes pænè ſancti, præſertim Auguſtinus, quem tuum toties nominas, amauerunt, & in quocũque eſſet, venerati ſunt, manifeſtò probas, quòd vulgò iactari ſolet, Nihil graculo cum fidibus, nihil cum amaracino ſui. Quid cani, & balneo Ioannes? quid cæco cum ſpeculo? quid iſtis auibus moleſtæ, ineptæque garrulitatis cum cæleſti cithara ſilentium poſtulante, & aures attentas exigente? ſic natura eſt comparatum nobis lector, vt ſtolidis vel optima puteant, ac diſpliceant. Caue rude animal ad cæleſtem illam lyram, angelicámque tibiam ſemel applicueris, quòd ei nullius penitus muſices ſenſus inſit. porrò qui eam vitam, quæ in contemplatione poſita eſt, ardentiſſimè & verè amant Caluine, nulla ſe arrogantia, ac prædicatione efferunt, neque, vt eos tua malitia vexas, contemplatiua vita ſe alios excellere, & ad angelos propiùs accedere gloriantur. ſed contrà, quò ſublimiùs in Dei contemplationem eriguntur, collatáque nobis diuinitus beneficia mente ſua voluunt, magis magíſque diuino illo fulgôre perſtringuntur, & cõfunduntur. immo certè hominem in puram ſui notitiam nunquam peruenire conſtat, niſi priùs Dei faciem ſit contemplatus, atque ex illius intuitu ad ſe ipſum inſpiciendum deſcendat. nam, quæ nobis omnibus ingenita ſuperbia eſt, iuſti ſemper nobis videmur,

Contemplatiua vitæ celſitudo, & ipſorum, qui eã verè amãt deiectio, atque humilitas.

integri,ſapientes,& ſancti,niſi cæleſtis illius iuſtitiæ,ac puritatis fulgôre, noſtræ iniuſtitiæ, fœditatis, ſtultitiæ & impuritatis conuincamur. non autem cõuincimur, ſi in nos duntaxat ipſos reſpicimus, & non in dominũ quoque,qui vnica regula eſſe debet,ad quam iudicium hoc exigatur. etenim, cùm ad noſtri amorem natura propenſi ſimus omnes, vel minima quædam iuſtitiæ ſpecies pro ipſa integra iuſtitia nobis abundè ſatisfacit. & quia nihil inter nos, vel circum apparet, quod non ſit quadam obſcenitate inquinatum, quod paulò minùs fœdum eſt, pro puriſſimo arridet, quàm diu mentem noſtram intra humanæ naturæ fines continemus. non ſecus atque oculus, cui nihil aliâs obſeruatur niſi nigri coloris, candidiſſimum eſſe iudicat, quod tamen ſubobſcura eſt albedine, vel aliqua etiam fuſcedine aſperſum. quin ex corporeo ſenſu propiùs idipſum adhuc diſcernere licet. nam ſi vel terram reſpicimus medio die, vel intuemur, quæ aſpectui noſtro circumcirca patent validiſſima perſpicaciſſimáque acie videbimur nobis præditi: at vbi in Solem ſuſpicimus, atque intentis oculis contemplamur, vis illa,-quæ egregiè in terra valebat, tanto fulgôre protinus perſtringitur, & confunditur, vt fateri cogamur, illud noſtrum in conſiderandis terrenis acumen, vbi ad Solem ventum eſt, prope meram hebetudinem eſſe. ita & in reputandis ſpiritualibus noſtris bonis contigit Caluine. quãtiſper enim extra terram non reſpicimus, propria iuſtitia, ſapientia, virtute pulchrè contenti nobis ſuauiſſimè blandimur, & tantùm non ſemidei videmur:at ſi ſemel cœperimus cogitationem in Deum erigere, atque expendere,qualis ſit, & quàm exacta iuſtitiæ, ſapientiæ, virtutis eius perfectio, ad cuius amuſſim exigenda ſint, quod antea in nobis iuſtitiæ prætextu tantopere arridebat, mox ſordeſcet.quod mirificæ imponebat ſapientiæ titulo, pro extrema ſtultitia fœtebit, quod virtutis faciem præ ſe ferebat,miſerrima impotẽtia eſſe arguetur. adeò diuinæ puritati malè reſpondet, quod videtur in nobis vel abſolutiſſimum. hinc, id eſt, ex huiuſmodi contemplatione, non inanis gloria, non tumor, non elatio, aut ſuperbia, ſed horror ille, & ſtupor pro-

Fructus vitæ cõtemplatiuæ.

Quò propiùs quis ad Deũ accedit, eò ſe profundiùs demittit.

ceſſit, quo paſſim ſcriptura recitat perculſos, atque affli
ctos fuiſſe ſanctos, quoties Dei præſentiam ſentiebãt,
Iud. 3. & ad ipſum contemplandum aſſurgebant. Moriemur,
Exod. 3. dicebatur vulgò, quia dominus apparuit nobis. immo
Hier. 1. videas prophetas ad Dei gloriam ſic quatefieri, & con-
ſternari, vt mortis horrore concidant, ac penitus ab-
ſorbeantur, & pænè nulli ſint. inde colligemus, homi-
Iud. 13. nem humilitatis ſuæ agnitione nunquam ſatis tangi,
Eſaia 6. & affici, donec ſe ad Dei maieſtatem contemplandam
Ezech. 2. comparuerit. ideo & hiſtoria Iob ad proſternendos
propriæ miſeriæ cõſcientia homines, potiſſimum ſem-
Geneſ 18. per argumentum à diuinæ ſapientiæ, virtutis, puritatis
3. *Reg.* 19. deſcriptione ducit. Abraham enim, ex quo propiùs ad
conſpiciendam Dei gloriam acceſſit, meliùs ſe terram
Eſaia 24. 2. & puluerem agnouit. Elias recta facie eius acceſſum ex-
pectare non ſuſtinet. tantum eſt in aſpectu formidinis.
& quid faciat homo cæleſti illa contemplatione ſupra
ſe raptus? gloriabitúrne? num alios præ ſe contemnet?
immo verò putredinem & vermen ſe penitus agno-
ſcet, cùm ipſos quoque Cherubin velare, ipſo pauore
faciem ſuam coram tanta maieſtate viderit. hoc ſcili-
cet eſt, quod propheta Eſaias dicebat, Erubeſcet Sol,
& confundetur Luna, cùm dominus exercituum regna-
uerit. hoc eſt, vbi claritatem ſuam extulerit, ac pro-
piùs hominum mentibus ipſam contemplantibus ad-
mouerit, lucidiſſimum quodque præ illa tenebris obſcu
rabitur. ad illam pulchritudinem aſpirant fideles mẽ-
tes Caluine contemplatione ſua, non vt aſſequantur,
(non eſt id ſanè in noſtra poteſtate) ſed vt ſuſpiciant,
admirentur, & quoad poſſunt, imitentur. mox illis in
ipſa ſua conſideratione occurrit, omnis boni fontem
illum eſſe iugem, & perennem, cuius contemplatione
fruuntur. mox vident illius beneficio ſolius in tam im-
mẽſa bona ſe eſſe aſcitos, vt nihil iam ſe habere de quo
glorientur, quaſi non acceperint, intelligant, ſed om-
nia referant accepta illi, cuius ſanguine potati ſunt, at-
que redempti, & cuius maieſtate in æternum fruentur,
atque pulchritudinem reuelata facie perpetuò contem-
plantes in eandem ſpeciem transformabuntur. hi ergo,
qui verè contemplatiui ſunt, & te, & me abiectos ho-

mines & carnales ſibi præferri non ægrè ferunt, modò nos eius, quem ipſi tantopere amant, dilectione flagremus. gloriantur quidem illi, ſed in domino. non quòd alios excellant, aut ad angelos propiùs accedant, ſed quòd ſic eſurientes bonis repleuerit, faſtidioſis diuitibus foras miſſis. Verùm de hoc ſatis ſupérque mihi dixiſſe videor.

Quo pacto ſtatus religionis ad perfectionem Chriſtianã pertineat, ex euãgelio, atque ex ſanctis planiſſimè explicatur, caritatem vinculum eſſe perfectionis, ex Paulo indicatur, ipſam item perfectionem in illis duobus præceptis, Diliges Deum, &, Diliges proximum tuum, conſiſtere oſtenditur, obſeruationem tandem conſiliorum eſſe clypeum pro cuſtodia diuinorum præceptorum declaratur.

Cap. XIIII.

QVòd autem de tui ſæculi monachis ioco iactas, præcipuam ſuæ ſanctimoniæ partẽ in otio cõſtituere, quódque otioſos ac doliares monachorũ ventres in luſtris ac fornicibus collocatos dicis, qui aliena ſubſtantia ſaginentur, conuicium eſt Caluine haud mediocre. ſed tu memineris, rogo, ne illorum tolerantia peruerſè abuſus, ex triuio maledictũ arripuiſſe, aut ex ſcurrarum aliquo probro videaris. nos verò hominis furioſi grauiſſimis contumeliis reſpondere nihil iam coget. ſatis iam ſatis in optimos quoſque clamore maledictionéq; debacchatus es, ſatis ſupérque exercitationes tuas, cũ intolerabili petulantia, tum diuturna impunitate muniuiſti. Verùm ſi tacere non potes, perge, ac profer nunc, ſi quid habes, vlteriùs, quod à veteri illa monaſtice noſtram degenerem probet. *Auguſtinus denique monachiſmum requirit, qui nihil aliud ſit, quàm exercitium adiumentúmque ad pietatis officia, quæ Chriſtianis omnibus commendantur*: ô Caluine, non te tui & pudet, & piget? quid pro tam manifeſta hæreſi Auguſtinum producis? is in eo libro, quem ſæpius in medium poſuiſti, in quodã loco ſic habet, Dicet aliquis, Quid prodeſt ſeruo Dei, quòd prioribus actibus, quos in ſæculo habebat, relictis, ad hanc ſpiritualem vitam, militiámque conuertitur? quaſi verò, reſpõdet Auguſtinus,

Cal. in inſt. & in epiſt.

Auguſt. de opere monac. cap. 25.

facilè poſſit verbis explicari, quantum proſit, quod dominus diuiti vltra communia præcepta, quæ omnibus data ſunt, conſilium capiendæ vitæ æternæ requirenti ait, quid faceret, ſi vellet perfectus eſſe, vt venditis, quæ habebat, & indigentiæ pauperum diſtributis, eum ſequeretur. Longè alia ratio eſt communium præceptorum Caluine, quæ Chriſtianis omnibus commendãtur, ab ea, cui nos monaſtica profeſſio aſtringit, vt iam monachiſmus non exercitium, atque adiumentum ſit tãtùm, ſed noua obligatio eius rei, qua teneri omnes Chriſtianos Deus noluit. vt vel hac ratione ſtatus huius perfectio omnibus pateat. quam quidem rem cum antiquis patribus communem habemus. Verùm de hoc paulò pòſt cumulatiùs diſſeremus. *At monachiſmi regula ex Auguſtino caritas eſt cum eccleſiaſtica vnitate, & pietate*: fatemur ingenuè, non negamus: quid tum poſtea? quid? *hac regula in veteri monaſtice ſeruabatur:* eſt, vt dicis, at etiam in noſtra perlucet *minimè gentium:* cur ita Caluine? cur? *quia vos ordinem veſtrum perfectionis titulo dignamini, & eundem omnibus Dei vocationibus in Chriſti religione adimitis. aut igitur caritatem pro regula non habetis, quæ Chriſtianis omnibus ex æquo præcepta eſt: aut, quod in idem redit, ab vniuerſo eccleſiæ corpore iſto perfectionis titulo vos ipſos ſeparatis. veteres verò monachi contrà ea pietate, & religione contenti, cuius ſummo ſtudio ſuos eſſe perpetuò intentos Chriſtus iubet: non nouam, vt vos, neſcio quam imaginabantur, cuius meditatione forent aliis omnibus perfectiores. Chriſtiana religio, Chriſtiana caritas cunctis fidelibus competunt.* Ad hæc breuiter reſpondebimus, & priori quidem loco de caritate, altero verò de vnitate. nihil enim ſic, quàm hæc duo amamus: ſic tamen procedemus, vt ex vtroque capite religionis votum ad ſtatum perfectionis, quod negant hæretici, plurimùm facere oſtendamus.

Obiicit Cal. ſect. 10. quòd votum religionis ad ſtatum perfectionis non pertineat.

Ex. b. Tho. 22. q. 84.

Aſſertio. 1. quòd caritas ſit omnis perfectionis vinculum.
Coloſſ. 3.

Chriſtianæ vitæ perfectio, ad cuius fidem ſuſcipiendam, adorandam, & colendam orbis vniuerſus obligatus tenetur, in ſolo caritatis culmine ſecundum ſuam eſſentiam, vt theologi loquuntur, & ſubſtantiam poſita eſt. hæc noſtra aſſertio eſt non minùs, quàm antiquorum monachorum, immo ipſiuſmet Pauli. Super

omnia,

omnia, inquit, caritatem habete, quæ eſt perfectionis vinculum. vinculum dixit, quo certè fini noſtro ſupernaturali intimè vnimur, & in quo tota ratio perfectionis noſtræ collocata eſt. vt igitur ex aliarum etiam virtutũ famulatu eadem perfectio pendeat, quippe quæ multarum adminiculo, eodem Paulo teſte, nutritur & protegitur: Accipite, inquit, armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & perfecti in omnibus ſtare. tamen ſecundum eſſentiam & ſubſtantiam ſuam in ſola caritate collocata eſt ipſa Christiana perfectio. addo etiam (vt intelligat iſte veritatis zelo magis, quàm libidine duci nos) eandem perfectionem Chriſtianam in præceptis illis duobus magnis dilectionis Dei & proximi ſitam eſſe. caritas ſiquidem, quæ perfectio noſtra proculdubio eſt, actibus horum præceptorum conſeruatur, fouetur, atque augetur. accedit etiam tertiò, quòd præcepta hæc caritatis nullum nobis præfigunt diligẽdi modum. finis porrò per ſe bonus, qualis Deus eſt, abſque modo & termino diligitur. vnde Auguſtinus lib. de perfect. iuſt. Cur ergo, inquit, non præciperetur nobis iſta perfectio, quamuis in hac vita non habeatur, ſcilicet in gradu perfectiſſimo, quæ nec venialem offenſionem admittit? Conſiderandum rurſum reliqua omnia præcepta, tam quæ in decalogo præcepta ſunt, quàm vniuerſa, quæ ad ipſorum rationes reducuntur, atque adeò cuncta conſilia ad perfectionem caritatis aſſequendam rectà tendere, quare in ipſis, tanquam in inſtrumentis, noſtram perfectionem optimè collocabimus: differenti tamen modo. præcepta enim ſic caritati inſeruiunt, vt impedimenta tollant, quæ vel contraria ſunt: vt, Non furtum facies, Non mœchaberis, & cetera, quæ nos ſub mortali reatu obligant: vel quæ eandem remittunt, quales veniales culpæ ſunt. Conſilia verò illa reſcindunt, quæ etſi licita ſint, nec caritati prorſus inimica: tamen nonnullo ſunt ad culmen & faſtigium aſpirantibus impedimento: vt rerum poſſeſſiones, matrimonia, quæ mortalibus innumera negotia impeditionéſque faceſſunt. vt iam ea via expeditior ſit ad perfectionem capeſſendam, quæ caritati, in qua vna totius perfectionis ſumma conſiſtit, non præ-

Epheſ. 4.

2. Perfectio in duob⁹ illis præceptis collocata eſt, Diliges &c.

3. His præceptis nullus particularis modus Dei diligendi præſcribitur

4. De aliis præceptis & conſiliis.

ceptorum tantùm, ſed & conſiliorum obſeruationem adiunxerit. hoc eſt dicere, Expeditiùs itur in caritatem, ſi non quæ contraria ſunt, aut quoquo pacto inimica illi remoueamus ſolùm, verùm quę nos morari poſſent, ne celeriùs, aut pleniùs, quò tendimus, perueniamus. quapropter qui ſic philoſophantur Caluine, nec conſilia præceptis anteferunt, vtpote qui non conſilia perinde, atque præcepta neceſſaria eſſe credunt, neque in cõſiliorum obſeruatione ſuam perfectionem collocant, ſed hàc in ipſam eundum fore, quò perfectiùs ea habeatur. hoc cum Chriſto, cum Paulo, cum eccleſia, cum antiquis patribus prædicant, docent, & tenent. eſt enim & præceptorum, & conſiliorum, vt optimè dicit diuus

Auguſt. c. 12 Auguſtinus in Encherid. perfęctio & finis, caritas at-

Rom. 12. que dilectio. adde etiam quinto loco, quòd non modò

1. Timo 1. conſiliorum obſeruatio viam ſternit ad perfectionem,

5. Obſeruatio conſiliorum clypeus eſt pro cuſtodia diuinorũ præceptorũ. vt vel hac ratione plurima commendatione digna ea ſint, verùm etiam clypeus eſt pro cuſtodia præceptorum. qui enim paupertatem ex animo delegit, longè abeſt à perpetrando furto, & qui voto caſtitatis ſe obſtrinxit, abſtractior etiam & ille ab adulteriis eſſe debet, & qui pompas ſæculi dereliquit, à cædibus, aliíſque

Auguſt. de morib. eccleſiæ, libr. 1. cap. 29. inferendis iniuriis erit tutior. Poſtremò libet hîc finem afferre, at non niſi his diui Auguſtini verbis, Caritati virtus, caritati ſermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur. Ergo ex his omnibus liceat colligere, votum religionis, quod in caſtitate, obedientia, atque paupertate conſiſtit, vt ex euangelio docere facile erit, & quod perpetua obligatione firmatur, in cauſa eſſe, quòd in religioſorum inſtituto perfectio reperiatur. dicuntur enim monachi in ſtatu perfectionis eſſe, qui eã ſtatuerunt ſe perpetuò ſequi viam: quæ expeditiſſimè in vnã illam perfectionem ducit. non hoc quidem propter progreſſum actualem, ſed propter votum. quamuis pudore deberent monachi omnes ſuffundi, qui non ad eum connituntur ſcopum, quem voto, habitu, & cæremoniis profitentur. Iam in promptu eſt iſtius cauillis reſpondere. vt enim omnibus præcepta ſit caritas, quæ vna perfectionis arcem occupat, teneantúrque omnes impeditiones auferre de medio ei contrarias,

aut quoquo pacto inimicas, at non omnes diuino ſtatuto (vt optimè explicuit nobis Paulus) aſtringuntur, etiam à minimis obſtaculis ſe expedire: quia non omnes Dei iuſſu conſtringuntur vniuerſa ſua indigẽtibus erogare, non ſic permanere, ſicuti beatiſſimus Paulus, non vnius hominis arbitrio ſe totos trahendos dedicare. quare vt caritas ſit communis, vt religio Chriſtiana communis nihilominus habeatur, immo ipſa præcepta communia ſint, at conſilia huic, qui ſe particulari lege, quam ſibi ipſe liberè tulit, & dedit, propria ſunt: & quò magis ad caritatem quiſque feſtinat, eò intimiùs vnitatem eccleſiaſticam ſeruat. Mirabilis homo reuera eſt Caluinus iſte, lector: conſpirationem, religioſorum inſtitutum, & ſeparationem vocat à toto corpore, quo ſignificet eo nomine non qualemcunque conſpirationem intellexiſſe, ſed ſceleratam quandam coniurationem, qua pauci homines, vt dicit, inter ſe deuincti ab vniuerſo eccleſię corpore ſeparantur, ô inſipientiam ſingularem! num ab vnitate eccleſiæ ſe præſcindunt, qui modis omnibus, nudi, cælibes, humiles Chriſti veſtigiis hærent? quam vnitatem in eccleſia ſcindunt, qui conſilia euangelica cum præceptis religioſiſſimè vniunt? quo pacto ab eccleſiæ corpore ſeparare ſe habendi ſunt, qui principis eccleſiæ pedibus ſubiacent? qui maiores eccleſiæ ſuſpiciunt? qui ſibi præpoſitos honorant? qui demum ſic profitentur eam ſe vitã colere cum virtute, vt illis iure exprobrare, & vitio vertere quiuis poſſet, quòd minùs perfectè viuant? certè Caluine ſi conſpiratio ea eſt, & ad ſcindendam eccleſiaſticam vnitatem turpis coniuratio: conſpirauerunt profectò ad eam vnitatem perdendam ſancti Dei apoſtoli, (vt nimis antiqua miſſa faciamus) cùm, relictis nauibus & patribus ſuis, Chriſtum ſecuti ſunt. nec ad veſtram vnitatem iſto modo, qui domos & agros habetis, qui vxores duxiſtis, qui præceptores non ſuſtinetis, pertinebunt viri illi, verè apoſtolici, Athanaſius, Baſilius, infinitique alij, egeni & pauperes, ſubiecti & humiles, virgines atque cælibes. vereor etiam, ne ſenſim & Chriſto domino ſcelus hoc impingere velitis, quòd adoleſcentem illum de æterna vita ſolicitum, ſic inſpe-

1. Corin. 15.

Monachi nullam vnitatem in eccleſiam ſcindunt ſui inſtituti ratione.

ratò à communi vnione reſcindere ſtuduerit, conſulens ei, vt, ſi vniuerſam ſubſtãtiam ſuam in pauperes diſtraheret, ac ſtatim Chriſtum ſequeretur, foret eo curſu perfectus. Sed bene tu conſpirationem nominaſti: & quidem conſpiratio hæc non mediocris eſt, & concordia omnium ordinum ad defendendam Chriſtianã veritatem. hæc conſpiratio hominum atque conſenſus re ipſa & cælos ornauit, & eccleſiæ, quæ nunc tot preſſuras per vos perfert, magnas vtilitates confert. hæc, hæc illa conſpiratio eſt, quam horrent principes, quam timent hæretici, catholici verò honorant. tanta eſt conſpiratio bonorum, tantúſque conſenſus virtutum. ne dubita: conſpirauimus omnes ad eccleſiaſticam auctoritatem, principatúmque illius, qui Romæ ſedet, defendendũ. ne hæreas: mirabiliter omnium generum atque ordinum conſenſus ad liberandam Chriſtianam rempub. conſpirauit. vtinam conſpiraretis nobiſcum, conſentiretíſque cum bonis. quotquot igitur in ea conſpiratione ſunt, ad perfectionem (noli ambigere) ſectandam conſpirant. Verùm tu inſta, quantùm voles, argumentare, vt lubet. *At neque me latet illa ſophiſtica ſolutio, non ſic vocari monachiſmum, quia perfectionem in ſe contineat, ſed quia ad acquirendam perfectionem ſit omnium optimus*: ſi non ignoras Caluine, quid nos cædis? non ea ſolutio recèns è noſtra ſchola prodiit, vetuſtior eſt multò tuo nouo euangelio, ex vetere illo deprompta, & à patribus ſanctiſſimis vſurpata. Sed tu vno verbo dic, quid eſt, quod te coëgit eam, ceu ſophiſticam, infamare. audiamus argumentum, quo vana iſta diſtinctio breui corruet. audiamus, ſed ignoſce lector, non eſt argumentum, ſed conuicium, non diſtinctionis illius accuſatio, ſed contumelia. ſcilicet res ſatis noua eſt, ex iſtius ore maledicta & contumelias pro ſolidis ſtabilibúſque rationibus accipere. *Cùm ſe*, ait, *apud plebem venditare, cùm rudibus atque ignaris adoleſcentibus laqueum iniicere, cùm priuilegia ſua aſſerere, cùm in aliorum contumeliam ſuam dignitatem extollere volunt, iactant ſe eſſe in ſtatu perfectionis. cùm propiùs vrgentur, quã vt inanem hanc arrogantiam tueri queant, ad iſtum cuniculum ſuffugiunt, ſe non dum perfectionem eſſe conſecutos, in eo*

Status monachorum, verè conſpiratio eſt, ſed cæleſtis diuina, ac ſumma laude digna.

Cal. ſect. 11.

tamen ſtatu eſſe, quo ad ipſam præ aliis aſpirant. interim manet illa in plebe admiratio, quaſi ſola vita monaſtica ſit angelica, perfecta, ab omni vitio repurgata. Hanc eſſe intolerandam ludificationem quis non videt? ô præclarum argumentatorem, qui poſſit pro libito Ariſtotelis leges mutare, variare, immo & perdere. magnum ille vitiũ in arguendo arbitratus eſt, ſi termini plures tribus argumentationem conſtruerent: at nouus ſophiſta non minùs, quàm theologus, mille terminorum ſyllogiſmum intrare patitur. eſt vtique vir inſigni caritate: quotquot libuerit, licebit augere. Quæ ſedes iſtius argumenti Caluine? bone Deus, quæ ſedes? quis locus? reſpondebis, Eſt locus à plebe, à rudibus, ab ignaris, ab adoleſcentibus, à priuilegiis, à contumeliis, à iactãtia, ab inani arrogantia, à cuniculis etiam, audebiſne poſthac locum quærere? Fabulæ ſunt iſtæ fabulæ, non eſt apud nos, eſt, & non eſt, ſed ſemper eſt. ſiue enim legendo, ſiue diſputando, ſiue docendo, ſiue reſpondendo, nulla premimur anguſtia, ſola veritate conuincimur. fatemur ergo in vna ſola caritate (vtì diximus) omnem rationem perfectionis eſſe collocatam, cetera verò omnia illius eſſe inſtrumenta, atque media: quæ quò propinquiora ſuo fini ſunt, eò ipſius nomine iuſtiùs gaudent. dicuntur à Chriſto domino beatitudines illæ octo, quas, perſpicuum eſt, conſtátque inter omnes, immenſo ſpatio procul à beatitudine, ſupremáque felicitate ipſas abeſſe ſola hac ratione, quòd certiſſimæ viȩ ſint in ſupremam felicitatem tendentes. vocatur etiam fides, ſiue cognitio per fidem vita æterna, quæ ſine vlla dubitatione in patria euacuabitur. Hæc eſt vita æterna, ait ſaluator, vt cognoſcant te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. dicitur à Paulo crux & tribulatio fidelium, gloria, non ob aliud, quàm quòd gloriæ pondus (vt idem apoſtolus loquitur) in nobis operetur: & verebimur nunc eum ſtatum, qui nos totos vni caritati vnit, expeditóſque in finem noſtrum, qui Chriſtus eſt, mirè reddit, perfectionis titulo honeſtare?

Qua ratione ſic dicta fuerint à Chriſto beatitudines illæ octo: item fides, vita æterna, atque tribulatio, gloria. Matth. 5.

Ioan. 17.

Multa eſſe conſilia in diuina & euangelica lege, quæ nō ſint omnibus præcepta, in quorum obſeruatione maior ſit perfectio collocata, quàm ſi quis præcepta tantùm decalogi obſeruet, apertiſſimè explicatur. Cap XV.

VErùm iam ad primum & ſummum caput huius diſputationis Caluinus accedit. *Sed perinde*, ait, *cum ipſis agamus, ac ſi nihil plus tribuerent ſuæ profeſſioni, quàm vocando ſtatum adipiſcendæ perfectionis:* iam dixi tibi perfectionem non teneri, niſi quando caritas tenetur: & ſic quidem poſſidetur, vt procul abſint illa, quæ ab huiuſmodi poſſeſſione aut impedirent, aut retardarent. ſic pro ipſa perfectione vel acquirenda, vel retinenda religioſorum ſtatus omnium eſt optimus. *Sanè hoc illi nomen deferendo, tanquam ſpeciali nota, ab aliis vitæ generibus diſtingunt*, falleris, falleris: non nos hunc denuò diſtinguimus, ſed idem olim euangelium diſtinxit, ſancti diſtinxerunt, eccleſia diſtinxit, totúſque orbis diſtinxit. *Et quis ferat, vt tantus honor transferatur ad inſtitutum, nuſquam vel vna ſyllaba approbatum, & indignè cenſeantur omnes Dei vocationes, ſacro eius ore non modò præceptæ, ſed inſignibus elogiis ornatæ?* auſculta parum. quòd tantus honor transferatur ad inſtitutum, nuſquam vel vna ſyllaba approbatum, quòd indignæ cenſeantur omnes Dei vocationes, hæc nullus fidelium ferre debet: at quòd tantus honor ad noſtrum inſtitutum transferatur, fert euangelium, fert auctor ipſe euangelij, fert apoſtolus Paulus, fert ceterorum apoſtolorum vita & doctrina, fert tota eccleſia,
Matth. 19. ecquis non feret? poſt illud Chriſti, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me. ſi iniuria fit Deo, vel te iudice, cùm omnes ipſius vocationes, ſacro ſuo ore non modò præceptæ, ſed inſignibus elogiis ornatæ, indignè tractantur, nónne maior illi fiet iniuria, ſi non modò vocationes hæ, quæ ipſius ore & præceptæ, & elogiis auctæ ſunt, ſed diuiniores illæ vocationes, quas nobis ob ſuam ipſarum celſitudinem liberas eſſe voluit, contemptui ac deſpicatui habeantur? atqui talis eſt monachorum ſtatus, ex præceptis communibus, & ex euangelicis con-

ſiliis huic vitæ propriis coagmentatus. cedo Caluine, quæ ſunt iſta vitę genera à Deo ordinata, atque eius teſtimonio laudata, quibus nos humanum neſcio quod anteferimus? num vita coniugalis diuinitus eſt præcepta, humanum verò commentum vita cælebs? num illud vitæ genus omnibus diuino ore præceptum eſt? num cælibatus commenticium neſcio quod eſt? nolles, opinor, nos tam procul tua omnia olfeciſſe. Sed venio ad tertium illud, quod pertractari video te percupere: nam in eo huius negotij tota ſumma cōſiſtit, atque rei iſtius cardo vertitur, ſcilicet de conſiliis, & præceptis. agat tamen priùs ipſe ſuis verbis, nos poſtea noſtris agemus. *Agè, calumniam eſſe dicam, quòd antea tradidi, non eſſe contentos præſcripta, & præcepta omnibus à Deo regula: atque etiam: ſi taceam, ipſi plus ſatis ſe accuſant. apertè enim docent, ſe plus oneris ſuſcipere, quàm ſuis omnibus Chriſtus impoſuerit. quoniam ſcilicet euangelica conſilia de diligendis inimicis, de non appetenda vindicta, de non iurando ſe ſeruaturos promittant, quibus non ſunt communiter aſtricti Chriſtiani:* videtur mihi lector optimè illud in nos duos quadrare, Aliud noctua ſonat, aliud cornix. ego loquor de vita cælibi, de qua præceptum nullum dedit dominus, ſed bene conſilium Paulus, loquor de paupertate euangelica, atque apoſtolica, de qua ſeruanda nullum præceptum habet Caluinus, bene conſilium, loquor de ſtrictiſſima obedientia, ad quam nulla extat obligatio, quæ communis ſit, (quãuis optimè viro illi apoſtolico dictum legamus, Nunc alius præcinget te, & trahet, quò aliâs nunquam eſſes venturus) loquor inquam, de his conſiliis, quæ voti monaſtici eſſentiam complent, vtcunque cetera magnopere monachiſmo quadrent: iſte verò è via oſtenſa deflectens, ad neſcio quæ non conſilia, ſed præcepta diuertit, cùm de nulla re minùs apud nos, quàm de eis diſceptaretur. Hîc profectò libẽter docerer à Caluino, qui ſint iſti monachi, qui inimicos diligere, non appetere iniuriam, non iurare profiteantur. nam ego penitus eos ignoro. neque credo apud aliquos hæc conſilia æſtimari, aut haberi. ſunt enim diuina præcepta, (quòd ego ſciam) nulli monaſticę propria: neque in vſu habent monachi,

Obiectio 3. Cal. ſect. 12. cum catholica reſponſione.

ſe hæc ſeruaturos promittere, cùm euangelica lege ad ipſorum obſeruationem teneantur omnes, Sed quid miror? ſolenne tibi eſt, nō vnum tantùm diuerticulū fraudis & inſidiarum vno eodémque veſtigio reperiſſe. iam age, ecce nos hac ſpeciali nota monachiſmum ab aliis vitæ generibus diſtinguimus, quòd qui monaſticen profitentur, tria illa, vt cetera taceam, ſe ſeruaturos promittant, quibus non ſint communiter aſtricti Chriſtiani: quid tu habes, quod huic veritati poſſis honeſtè obiicere? *In eo quam nobis antiquitatem obtendent? nulli vnquam veterum hoc venit in mentem, omnes vna voce clamant, nullam penitus voculam à Chriſto emiſſam, cui non ſit neceſſariò obtemperandum. & hæc ipſa nominatim, quæ iſti boni interpretes Chriſtum conſuluiſſe duntaxat nugantur, nulla dubitatione vbique docent. Sítque ſatis breuiter notaſſe ea opinione fundatum eſſe monachiſmum, qui nunc eſt, quam meritò pij omnes execrari debent: vt ſcilicet fingatur aliqua eſſe perfectior viuendi regula, quàm iſta communis vniuerſæ eccleſiæ Chriſti à Deo & ſub præcepto quidem tradita. huic fundamento quidquid ſuperſtruitur, non niſi abominabile eſſe poteſt:* in eo ſi plurimam antiquitatem vobis obtendero Caluine, quid erit pretij? ſi non vni, aut alteri modo, ſed plurimis ex patribus, immo Chriſto ipſi, & apoſtolis, hoc, quod tu vocas abominabile & execrabile figmentum, & nouum commenticium, in mentem veniſſe oſtendam, quid mercedis mihi dabis? ſi doceam, quo pacto vna voce omnes clamant, multas voculas à Chriſto emiſſas, quas liberas omnibus reliquerit, quibus verò bis, qui voto ſe illis ſemel aſtrinxerunt neceſſariò obtemperandum ſit, quid præmij, quid fructus abs te accipiam? ſi hæc ipſa nominatim, quæ nos mali interpretes Chriſtum conſuluiſſe duntaxat nugati ſumus, non ab eo iuſſa eſſe probauero, quam mihi penſionem ſolues? ſed ego hac vna mercede contentus ero, ſi, vt ſpero Chriſtianus orbis intellexerit, ea non opinione, ſed certiſſima & catholica veritate fundatum eſſe monachiſmum, qui nunc eſt, quam meritò pij omnes amplexari debeant, vt ſcilicet credatur, (vt iam olim creditum in eccleſia eſt) aliquam eſſe profectiorem viuēdi regulam à Chri-

ſto & ab apoſtolis nimiùm probatam, ac plurimum commẽdatam, quàm ſit iſta communis vniuerſis à Deo tradita. huic fundamento quidquid ſuperſtruitur, non niſi cæleſte Chriſtianum apoſtolicúmque eſſe poteſt.

Age iam oſtendamus longè maiorem perfectionem conſiſtere in obſeruatione conſiliorum, (quæ ſine ceterorum præceptorum Dei obtẽperatione ſtare nequit) quàm ſi quis ea ſeruet ſolùm, quæ decalogus præcipit. exordiamur ab Auguſtino, tum quòd is teſtis Caluino multùm probetur, tum quòd præ aliis hãc noſtram veritatem non obiter, aut aliud agens, ſed in vnam hanc rem intentus, ex ſacris literis pluribus in locis quàm veriſſimam oſtenderit. Auguſtinus igitur in ſerm. 61. de temp. ſic habet, Aliud eſt præceptum, aliud conſiliũ. conſilium datur, vt virginitas conſeruetur, vt à vino & carnibus abſtineatur, vt vendãtur omnia, & erogentur pauperibus. qui conſilium libenter audierit & fecerit, maiorem gloriam habebit. recitabo etiã verbum eiuſdem, quod in lib. primo cap. 14. de adulterinis coniugiis habet. Multa ſunt, inquit, facienda, non iubente lege, ſed libera caritate, & ea ſunt in noſtris officiis gratiora, quæ cùm liceret nobis etiam non impendere, tamen cauſa dilectionis impendimus. vnde dominus tributum ſoluit, Paulus gratis euangelium prædicauit, virgines, quod licebat, noluerunt, vt plus placerent ei, cui ſe deuouerunt. Sed dum id recito, ecce alius locus apud eundẽ memoriam meam ſubiit. In æterna, inquit, vita eſt quædam gloria egregia, non omnibus in æternum victuris, ſed quibuſdam ibi tribuenda, cui conſequendæ parum eſt liberatum eſſe à peccatis, niſi aliquid liberatori voueatur, quod non ſit criminis non vouiſſe, ſed vouiſſe, ad reddidiſſe ſit laudis. &, ſi Deo placet, audebit dicere, adeò eſt iſte pudore præditus, in conſpectu Solis huius, omnibus etiam audientibus, certo certius ſe ſcire, nulli vnquam veterum hoc in mentem veniſſe. ò hominem, & vel ipſa cæcitate cæciorem! quẽ non deberet pudere tam friuola iſtius hominis ſomnia amplecti, & tam vanas vmbras vagum & errantem ſequi? Verùm quid agimus? en ſe mihi offert eiuſdem Auguſtini verbum vnum, quod, te obſecro lector, vt

De conſiliis.

Matth. 17.

1. Cor. 9.

De S. virginitate, c. 14.

Aug. in chirid. c. 121.

attentiſſimè audias. Nõ te vouiſſe pæniteat, immo gaude iam tibi non ſic licere, quod cum detrimento tuo licuiſſet. quæcunque mandat Deus, ex quibus vnum eſt, Non mœchaberis, & quæcunque non iubentur, ſed ſpeciali conſilio monentur, ex quibus vnũ eſt, Bonum eſt mulierem non tangere, tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum. precor te, vt me dicentem perpetuo pudore obruas æquiſſime lector, ſi pro nouo noſtro monachiſmo quidquam aliud coram te commentus ſum, quàm quod ex iſtius ſanctiſſimi epiſcopi, & monachorum multorum patris, & inſtitutoris, ante ducentos propè annos ſupra mille ſcriptis ego nuper recitari feci. ſed ne commentum eſſe, & Auguſtinianum, & noſtrum ſuſpicetur Caluinus hoc quod de operibus ſupererogationis ex euangelio proferimus, accedat teſtis alter, diuus videlicet Hieronymus, qui, dum aduerſum hæreticum Iouinianum ageret, ſic ait. Quod præcipitur, imperatur, quod imperatur, neceſſe eſt fieri, quod neceſſe eſt fieri, niſi fiat, pœnam habet: (fruſtra enim iuberetur, quod in arbitrio eius ponitur, cui iuſſum eſt) at verò vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt, vbi præceptum, neceſſitas eſt ſeruientis. idem verſans illud Eſaiæ, Ne dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum, ſic habet, Iſte eſt cuſtos ſabbathorum, vt nunquam faciat opera nuptiarum. iſte elegit, quæ dominus voluit, vt plus offerat, quàm præceptum eſt. idem ſuper illis Pauli verbis, De virginibus præceptum domini non habeo, Profectò, ait, quia præmiſerat dominus, Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt: & qui poteſt capere, capiat. Proponit Agonothetes præmium, inuitat ad curſum, tenet in manu virginitatis brauium, oſtendit puriſſimum fontem, & clamitat, Qui ſitit, veniat, & bibat: qui voluerit, qui non potuerit currere, atque potare, ille vincet, & ſatiabitur. & ideo eos plus amat Chriſtus, quia ſponte tribuunt, quod ſibi non fuerit imperatum, maioriſque gratiæ eſt offerre, quod non debeas, quàm reddere, quod exigeris. idem rurſus, Voluntaria oris mei beneplaceant tibi domine. Philemon poteſt

Hier. lib. 1. — *Eſa. 56.* — *1. Cor. 7.* — *In epiſt. ad Philemon.*

dicere, plus faciens, quàm præceptum eſt. vicit eos, qui tantummodo imperata fecerunt, & iubentur dicere, Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. virginitas quoque propterea maiori præmio coronatur, quia præceptum domini non habet, & vltra imperata tendit. Hæc ille. Quid? tacebóne voces nobiliſſimi martyris Cypriani? clamet, clamet ille, Ecce iam floret eccleſia, tot virginibus coronata, & caſtitas, & pudicitia tenorem amplioris gloriæ ſuæ ſeruat. idem, Cùm adhuc rudis mundus eſſet inanis, copia fecunditatis generante propagamur, & creſcimus ad humani generis augmentum: cùm iam refertus eſt orbis, & mundus impletus, qui capere continentiam poſſunt, ſpadonum more viuentes, caſtrantur ad regnum. nec hoc iubet dominus, ſed hortatur, nec iugum neceſſitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium. ſed, cùm habitationes multas apud patrem eſſe dicat, melioris habitaculi hoſpitia demonſtrat. habitacula iſta meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrantes maioris gratiæ præmia in cæleſtibus obtinebitis. Clamat & Ambroſius, multis verbis confirmans vniuerſam hanc noſtram veritatem, de operibus, nullo diuino mandato præceptis, ſuper eiſdem Pauli verbis, Conſilium autem do. Clamat & Euſebius in hunc modum, In eccleſia Dei etiam viuendi modi inſtituti ſunt. alter quidem naturã noſtrã, & cõmunem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non ſobolem, non ſubſtantiam, non opum facultatem requirens. tota autem prorſus à communi & conſueta cunctorum hominum vita abhorrens, & ſoli diuino cultui, ex immenſo rerum cæleſtium amore addictus: & talis exiſtit quidem in Chriſtianiſſimo perfectus vitæ modus. alter remiſſior atque humanior. hic & modeſto coniugio, & ſobolis procreationẽ implicatur, & rei familiaris curam aſſumit. Sed quid torpemus? annon audimus ſanctiſſimi Ignatij, beatiſſimi vtique Ioannis nobilis diſcipuli, dulciſonos planóſque in hoc ipſum clamores? Eas, inquit, quæ in virginitate ſunt, honorate, ſicut ſacras Chriſti, viduas pudicas, vt ſacrarium Dei, veneremini. virgines agnoſcant,

Cypr. lib. 4. epiſt. 2. & tract. 2. de hab. virg.

Lege etiam Cypr. lib. 1. epiſt. 11.

Ambr. 1. Cor. 7.

Euſe. l. 1. demõſtrationis euãg. cap. 8.

Ignat. epiſt. 3. & 8.

Baſil.tom.2 ad interrogationem, 14.& 15. cui ſe,nullo iubente, conſecrarunt. Clamat non minùs Baſilius ille verè magnus non pro Caluino , ſed pro veritate contra impudicos omnes. Ceterùm horum, inquit,vnuſquiſque,qui monaſticen ſunt profeſſi, ſi poſteaquam intra reliquorum fratrum ſocietatem is aſcriptus fuerit , factam à ſe iam profeſſionem reſciderit , is perinde aſpici debet,vt qui in Deum peccarit,quem videlicet profeſſionis ſuæ teſtem adhibuerit,cuique ſe voto ſolenni obligarit.etenim qui ſe ipſum Deo ſemel deuouit,hic ſi ad aliud deinde vitæ genus tranſierit,ſacrilegij ſcelere ſe obſtrinxit:quippe qui ſe ipſum Deo, cui ſe conſecrauerat,veluti ſubterfuratus eſt.rurſus idem de *Lib. de virgin. Vide eũ in epiſt. ad virginem lapſam, & 63.* nonnis , ſeu monialibus , & voto virginitatis obſtrictis ait , Cùm virginitatem domino profeſſæ ſint , carnali poſtmodum voluptate male blanda delinitæ ac deuinctæ ſtuprum honeſto coniugij nomine obtegere cupiunt.quod etiam argumentum optimè inſecutus eſt S. Ambroſius , virginem lapſam à ſua profeſſione vehementer increpans,& adhortans,vt ſeſe colligat,ac nitatur illò reuerti,vnde miſerè deſciuit.quàm ſunt hæc illuſtria,quàm efficacia aduerſum ſectarũ ineptias? Mar-*Mart.in epiſto.ad Toloſanos,cap.9.* tialis vnus ex 72.diſcipulis,etiam ipſe ſic clamat,Ad virginitatem dominus nos inuitauit,non compulit,dicẽs, *Greg. orat. 30.* Non omnes capiunt hoc verbum:ſed qui poteſt capere, capiat.Gregorius item Nazianzenus,inquit,Cùm verò audis,Sed quibus datum, adde, Datum quidem his, qui volunt,& aſſentiuntur. Ex his igitur omnibus clamoribus ſanctorum habemus, cùm virginitatem à Deo nobis mandatam non eſſe, tum omnium rerum venditionem,atque adeò plura alia,ad quę diuina celſitudo,cum admiranda & incredibili benignitate coniuncta,aſtringere nos noluit, gratiſſima futura illi , ſi ſponte quis ea ſupeſimpenderit : vt quamuis voluntaria eorum ſusceptio,ipſa tamen probatio ex Deo ſit,qui tam diuini penitus conſilij auctor eſt , ac munificentiſſimus æſtimator,& penſor. vt iam euangelico ſuo verbo non hominum aut doctrinis , aut traditionibus Deum colere videamur. & audes tu dicere,veteres illos nulla dubitatione contrarium docuiſſe? qui ſunt iſti veteres? num omnes?non occurrit vel vnus quidem ex tam infinitis,qui,

vt oblatras, clamāt. profer vel tres, profer vel duos, profer vel vnum. *Omnes*, inquis, *vna voce, & penitus*: ô rem ſupra omnium opinionem, clamant omnes, & vna voce: at ne vnus quidem à nobis auditur. dic, quæſo, clamátne Auguſtinus, nullam penitus eſſe voculam emiſſam à Chriſto, cui non ſit neceſſariò obtemperandum? ſi minimè, igitur non omnes clamant: ſi maximè, agè, quo loco clamat? iubeto obſignari teſtimonia, cedo ſcripturam, exhibe, profer, da. fortè Hieronymus eſt, qui clamat: at vox nulla talis Hieronymum ſonat. *Omnes*, inquis, *clamant*: verum eſt Caluine, clamare omnes, ſed in tua nefanda dogmata. vociferantur quidem profectò omnes, & communi conſenſu ad auctoritatem, maieſtatémque S. R. E. defendendam conſpirauerunt, clamant contra vos è cælo, è ſepulcris, è libris, & voluminibus ſuis.

Locus ille Matthæi 19. Si vis perfectus eſſe, &c. iuxta patrū noſtrorum antiquam interpretationem apertiùs explanatur, reiecta à Caluino cōficta ſuper eo loco interpretatione.
Caput XVI.

NVllum lapidem relinquit immotum Caluinus, quò perfectionis viam omni candore, antiqua pulchritudine, & ſplendore priuet, atque vt cuncta ſine ordine maneant in eccleſia. ad euangelij ergo ſatis præclarum locum de perfectione vitæ iam feſtinus accedit. *Verùm* Cal. ſect. 13. *aliud ſuæ perfectionis argumentum afferunt, quod ſibi firmiſſimum eſſe putant. dixit enim dominus adoleſcenti, de perfectione ſalutis interrogāti, Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. perfectos igitur ſe factos iactant, omnia ſua relinquendo*: perfectos non nos iactamus Caluine, ſed ex hoc loco colligimus, bonorum abdicationem maximè ad perfectionem accedere, vt, qui perfectus eſſe velit, & in primo ſtare faſtigio perfectionis, facturus ſit, quod apoſtoli fecerunt: quò ſcilicet venditis, & in pauperes erogatis, quæ in via impedire nos ſolent, Chriſto principi firmiùs caritate hæreamus. teſtor Deum Chriſtiane lector, in conſpectu cuius ſto, quòd ad ſexaginta ſanctorū teſtimonia, ex ipſis fontibus collecta, habeo, qui ex præfato Matthæi loco euangelicæ & apoſtolicæ perfectionis argumētum colligunt, quod

ſanè nobis firmiſſimum reliquerunt, omnéſque vna voce clamant, dominum adoleſcenti de perfectione iuſtitiæ interroganti, ſimiliter de eadem reſpondiſſe, Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. non ea nunc memoriter referam, tum quòd res ea eſſet immenſi laboris, tum etiam quòd nimiùm oratio noſtra creſceret, abirétque in infinitum ſermo. auctores, libros, locos tantùm citabo, verba verò piis animis conſideranda relinquam. Cyprianus ſermone de eleemoſynis, idem in oratione dominica, Irenæus lib. quarto, capite vigeſimoſexto, Baſilius libro de virginitate, Hieronymus ad Hedibiam quæſtione prima, idem cõtra Iouinianum altero libro, idem aduerſus Vigilantium, idem ad Heliodorum monachum, idem ad Pammachium & Iulianum de obitu Paulinæ: Auguſtinus libro ſolutionum ad quæſtiones Hilarij quæſtione tertia, idem epiſtola 89. idem libro de fide & operibus ca. 16. idem de bono coniugali cap. 36. idem libro 17. de ciuitate Dei cap. 4. idem lib. 1. de adulterinis cõiugiis ca. 13 & 14. idem lib. 1. de ſermone domini in monte, idem libro illo toties à Caluino cõmemorato De opere monachorum cap. 25. idem de bono coniugali cap. 8. idem tractatu 122. in Ioannem: vbi poſt locum illum Chriſti, Si vis perfectus eſſe, & poſt illum Pauli, Conſilium autem do, diuerſum ſentire non Chriſtianos, ſed Iouinianos pronuntiat. Proſper libro 2. de vita contemplatrice cap. 9. Ambroſius libro de viduis, idem in 1. Cor. cap. 7. Chryſoſtomus pænè innumeris locis, hom. 64. ſuper Matth. cap. 19 idem hom. 19. in 1. Corinth. cap. 7. idem hom 22. in 1. Cor. 9 Athanaſius ſæpe in vita ſanctiſſimi Antonij, Ioannes Damaſcenus in vita, & martyrio Barlaam, cæterorúmque monachorum, ſed quid hæc colligere laboro? nullus eſt ex antiquis, qui ex eo euangelij loco perfectionem iuſtitiæ Chriſtianæ iuxta eum modũ, quem poſt ſanctos ſuperiore loco nos explicuimus, non colligat, non ſub vno aſpectu ponat. quod itaque (malum) iſtud nouum Caluinianum inuẽtum eſt? quid hoc eſt, quod ſic eruditionem obſcurat, efficítque, vt ſuperiores nihil ſciſſe, nihil vidiſſe videãtur? quę antiquitas magno conſenſu approbauit, temerè damnabis? quę

Referuntur auctores, qui ex præfato Matth. loco perfectionem euangelicam colligunt.

tanto conſilio ſanxit, tam inconſultè reſcindes? quę immenſo pondere firmauit, tu leuiſſime tam incõſideratè conuelles? quæ (malum) tam effrenis iſta tua ſuperbiẽdi libido? ô homo! vt nouo neſcio quo inuento veterem eruditionem obſcures, & penitus perdas? Verùm audiamus te, ne, vt ſoles, crimineris, nullas tibi ad dicendum pro te in cauſa perquàm graui vices per nos cõceſſas fuiſſe. dic tu liberè, ſi quid eſt, quod in communi illa interpretatione de perfectione iuſtitiæ te offendat. *Si in hoc ſita eſt perfectionis ſumma, quid ſibi vult, quod Paulus docet, eũ qui omnia ſua diſtribuerit pauperibus niſi caritatem habeat, nihil eſſe?* quia id à nobis amicè poſtulas, vno verbo tibi reſpõdebo. caritas ſtatus eſt, abdicatio verò rerum omniũ certiſſima, & expeditiſſima in caritatem via eſt. vt ergo ſine caritate, omnis vię termino, conſummatiſſimo quidẽ, cetera omnia nihili meritò faciemus, ſic ea eſt & caritatis & rerum terrenarũ condicio, vt tunc optimè ad illam ſe Chriſtianus homo expediuiſſe cenſeatur, cùm hæc, quę nos natura ſua morari ſolent, tranſcẽderimus. tu dicis, Qualis eſt iſta perfectio, quæ ſi abeſt caritas, in nihilum cum homine redigitur? ego reſpondeo, Magna quidem, quæ ſic caritati ſtudet, vt non modò vniuerſa contraria & inimica è medio tollat, verùm omnia, quę maximè amica, & illi expedientia ſunt, offerat. magna eſt huius perfectionis virtus, quæ natura ſua nos totos vni caritati dedicet. quantò tu plures caritatis commẽdationes congeſſeris Caluine, tantò ego maiorem & excellẽtiorem hanc perfectionem prædicabo, quæ dies noctéſque vni caritati militat. ad perfectionem tendentium ſummum hoc vitæ genus, perfectio verò ipſa, caritas eſt. *Verum hîc quoque,* ait, *Paulus reclamat, qui non dubitat caritatem ſine eiuſmodi renuntiatione facere vinculum perfectionis:* caritas, vt dixi, abſolutè & ſimpliciter perfectionis faſtigium obtinet. neque ea res apud patres vnquam controuerſa fuit: vtcúnque tamen alius alio maiore ſit caritate præditus, atque exinde alius alio ſit perfectior. hærere Deo fieríque vnum ſpiritum cum eo, hæc nimirum noſtra perfectio eſt, noſtra quies, noſtra beatitudo. in hunc finem niſi euangelica illa conſilia redigantur,

Obiectio Cal. ex Paulo.

1. Cor. 13.

Abdicatio proprietatis plurimùm caritati inſeruit.

non magis laude digna erunt, quàm aut virginitas gentium, aut philoſophorum contemptus, quem circa hæc fluxa ſe habere iactabant. hæc vna perfectio cum aliis & virtutis, & perfectionis nomen magnificentiſſimè communicat, & eò quidem liberaliùs, quò propiùs ad ipſam accedunt, ipſam quærunt, in ipſam oculos iniectos habent. inter quæ conſilia, ſuper quibus controuertimur, primum gradum obtinent, & nomen à fine mutuata, perfectionis ſtatum conſtituunt. fit ſanè Caluine, vt ſæpe cõtingat, maiori caritate apud Deum pollere, qui ad hæc obſeruãda non tenentur, quàm nos, qui ſolenni voto ad ipſa nos conſtrinximus. immo multos ex nobis (horrendum dictu) ſub mortali iacère culpa, cùm plurimi ſint ex communi vita fidelium à Deo dilecti, & in excellentiorem ordinem ſuo tempore præ nobis referẽdi. at quod in præſentia dicimus, hoc eſt: Nullus eſt ſtatus, ſic ad caritatem aſpirãs, ſic Chriſtum (qui finis noſter eſt) reſpectans, ſic perfectionẽ ſitiens, quàm qui à Chriſto domino eo loco traditus eſt, Si vis perfectus eſſe, vende vniuerſa, & veniens ſequere me. qualis etiam nunc eſt, & ſemper fuit monachorum ſtatus. noli comparationem facere caritatis & abdicationis propriarum facultatum. quàm certiſſimum enim eſt, hanc ab illa immenſo ſpatio procul abeſſe. ſed ſi cupis ſincerè noſſe, id quo gradu hæc conſilia Chriſtus collocauerit, confer, obſecro, ea ad vniuerſa alia vitæ noſtræ genera, & mox ſtatus hic aliis videbitur tibi perfectior, quantò magis cum deſtinato fine & caritate congruit.

Multi ſaeculares sũt Deo gratiores, quàm nõnulli ex religioſis. quare nõ debẽt perſonæ cum perſonis, ſed ſtatus cum ſtatu conferri.

Iam veniamus ad interpretationem, *Adoleſcens interrogat, quibus operibus ingredietur in vitam æternam*: ita eſt profectò. *Chriſtus quia de operibus rogabatur, eum remittit ad legem, & meritò. eſt enim via æternæ vitæ, ſi in ſe conſideretur, nec aliunde inualida eſt ad ſalutem nobis afferendam, quàm ex noſtra prauitate*: perge, perge: vt video veterem cantilenam canis, & antiquam illam tuam de corrupta natura incudem tundis. *Hoc reſponſo declarauit Chriſtus, ſe non aliam vitæ formandæ rationem tradere, quàm quæ in lege domini tradita olim fuerat*: verum eſt Caluine, ad quã homines communiter tenerentur, additis euangelicis præceptis, ad antiquam illam naturalem legem optimè quadrantibus.

Interpretatio Cal. illius loci, Si vis perfectus eſſe.

quadrantibus. præter hanc tamen tradidit alteram illa multò excellentiorem, quam ipſe tenuit, apoſtoli, atque viri verè apoſtolici tenuere, nóſque demum ingreſſi ſumus, vt teneamus. ſed nolo te detinere: nō dubitatur inter nos de priore illa parte reſponſionis Chriſti, Serua mandata. ſcimus illam inſtituendæ vitæ rationem omnibus neceſſariam, omnibúſque ſufficere, qui plura Deo ſtipulati non ſunt: ſed an illa ſit tota ratio, & præter illā nulla ſit alia, aut melior, aut perfectior, malè conuenit tibi cum antiquis patribus. id autē propiùs explicabis. *Ita & teſtimonium,* inquis, *legi diuinæ reddebat, quod eſſet perfectæ iuſtitiæ doctrina, & ſimul calumniis occurrebat, ne videretur noua aliqua viuendi regula ad legis perfectionē populum incitare:* vt video, magis tu incipis iam calumniari: ſancti ſiquidem reſpondent, Chriſtum teſtimonium legi diuinæ his verbis reddidiſſe, quòd eſſet perfectæ, id eſt, ſufficiētis iuſtitiæ doctrina. potiſſimùm enim priori parte orationis ſuæ docet, ſufficere ſaluti diuinorū præceptorū obſeruationem, non tamen perfectioni, ad quā poſteriori parte euangelicos animos feliciter animauit. neque opus illi magis fuit calumniis occurrere tunc, ne videretur noua aliqua viuēdi regula ad legis perfectionem ſuos incitaſſe, quàm cùm, relictis omnibus, iuſſit diſcipulos ſuos ſe ſequi, quàm etiā cùm eunuchos laudat, qui ſe caſtrauerunt propter regnum Dei: vtcunque tunc opus habeat exclamare, Qui poteſt capere, capiat. vnū nanque erat, quod omnibus iubebat, aliud verò quòd conſulebatur. *Iuuenis,* inquis, *non mali quidem animi, ſed vana confidentia tumidus, ſe omnia legis præcepta à puero ſeruaſſe reſpondet. certo certius eſt immenſo ſpatio procul ab eo abfuiſſe, quò ſe perueniſſe iactabat. & ſi vera fuiſſet gloriatio, nihil illi defuiſſet ad ſummā perfectionem. ſuprà enim demonſtratum eſt, quòd in ſe contineat lex perfectionis iuſtitiā. Et hoc ipſum inde patet, quòd via æternæ ſalutis vocatur eius obſeruatio:* de adoleſcente illo, an vera reſponderit, ſcio non ſatis patribus inter ſe conuenire, aſſerentibus quibuſdam, non tam opere præſtitiſſe, quod interrogatus iactauit, quàm quadam elati animi reſponſione interroganti reſpondiſſe. ſic Irenęus, ſic Hieronymus, ſic Origenes, ſic Auguſtinus ſcripſerunt: aliis tamen vera reſ-

An adoleſcēs ille vera reſ-

ponderit, nō eſt ita certū inter antiquos patres.

pondiſſe eum, ex euangelio Marci vtcunque colligunt. dicitur enim, quòd Chriſtus intuitus eum dilexerit. vt igitur vterq; modus & ratione, & auctore defendi poſſit: omnes verò vna voce clamant, quòd quamuis vera fuiſſet gloriatio, multùm illi ad ſummam perfectionem defuiſſet. Dices, Ecquod illud eſt? cum Chriſto ſanè tibi patres reſpondebunt, Vnum tibi ſupereſt, vende vniuerſa quæ habes, nihil tibi ſeruans, & ſequere me. in illo enim adoleſcente ſuos Chriſtus milites glorioſiſſimè in certamen coniicit. Quod verò patentiſſimum vocas, luculentérque demonſtratum, legem ſcilicet in ſuis præceptis iuſtitiam perfectam continere, hoc porrò vt magis à nobis dilucidè demonſtratum eſt, nulli vnquã veterum in mentem venit. illud etiam, vnde id clariùs colligi & patêre credis, quod nimirum via æternæ ſalutis vocetur eius obſeruatio, apparentiam certè haberet, niſi, vt optimè in hac parte obſeruatum à ſanctis legimus Cypriano, Hieronymo, Chryſoſtomo, ex euangelio cognouiſſemus in æterni patris domo manſiones eſſe mira varietate, diuerſoque ſplendore, & amplitudine fabrefactas. Iouinianus erat, (vt te nō ignorare arbitror) quem huius criminis antiqua ſæcula reũ faciunt, quòd omnes in gloria diceret futuros æquales. nō ergo ſummam noſtram perfectionem, quæ vlteriùs progreſſa ad non iuſſa, ſed ſponte & libere oblata ſe extendit, in ſolis præceptis collocabimus. iam propior fit Caluinus iſte, vt Chriſti verbum dilucidet, & incorruptè (vt ſcilicet ſolitus eſt cetera) interpretetur. *Vt edoceretur, quãtum in ea iuſtitia profeciſſet, quam ſe impleuiſſe nimis audacter reſponderat, operæpretium illi fuit familiare eius vitium excutere. diuitiis cùm abundaret, cor illis affixum habebat. ergo quia vulnus hoc ſecretum non ſentiebat, à Chriſto lancinatur:* proh ſancte Deus! quid eſt hoc, lancinatur? *Vade, inquit, vẽde omnia quæ habes. ſi tam bonus fuiſſet cuſtos legis, quàm putabat, non diſcederet mæſtus, hoc verbo audito. nam qui Deum diligit ex toto corde, quidquid cum eius dilectione pugnat, non tantùm habet pro ſtercore, ſed tanquã exitiale abominatur. ergo quòd diuitem auarum iubet Chriſtus dimittere omnia quæ habet. perinde eſt, ac ſi ambitioſum omnibus honoribus, voluptuoſum omnibus deliciis, impudicum omnibus li-*

Diuinorum præceptorum obſeruatio, via eſt ſalutis æternæ. cum hoc tamen in domo Dei manſiones multæ ſunt.

bidinis inſtrumentis iuberet renuntiare. ſic ad particularem mali ſui ſenſum reuocãdæ ſunt conſcientiæ, quæ nullo generalis admonitionis ſenſu tangũtur. fruſtra igitur hypotheſin iſtã ad generalem interpretationem trahunt, ac ſi Chriſtus hominis perfectionem in renũtiatione bonorum ſtatueret; cùm nihil aliud voluerit hoc dicto, quàm iuuenem ſibi vltra modum placentem ad ſentiendum vlcus ſuũ adigere: vt intelligeret ſe longo adhuc interuallo abeſſe à perfecta legis obediẽtia, quam ſibi aliàs falsò arrogabat: at quid reſpondebis antiquitati, cui omnino nouum videbitùr commentum iſtud? quid? *Fateor hunc, ait, locum fuiſſe à quibuſdam ex patribus malè intellectũ, atque hinc natam eſſe voluntariæ paupertatis oſtẽtationem, qua illi demum beati putabãtur, qui, abdicatis omnibus rebus terrenis, nudi ſe Chriſto deuouerent:* cuius, obſecro, cerebri eſt iſta explicatio illuſtris & perpolita? quo auctore? téne omniũ primo ipſam defendem'? cuius hominis aut angeli maieſtatem ingẽti illi torrẽti ſanctorũ videlicet obiiciemus? tuæné celſitudini id dabis? cui cõfidis? *Sed confido bonis omnibus: & non contẽtioſis, ſatisfactũ iri hac mea explanatione, vt de mente Chriſti nihil ambigãt:* cõfidimus & nos bonis omnibus, & non ſeductis hominibus ſatisfactum magis iri antiquiori illa omniũ calculis communibúſque ſuffragiis recepta explanatione, vt de mente Chriſti nihil ambigant, immo vt neque de tua dubitent, quàm errans ea ſit. ego verò efficiã, vt omnes de iſta tua explanatione iam ambigere incipiãt, immo non ambigere, ſed vero verius eſſe cognoſcãt, multò te longiori adhuc interuallo abeſſe à perfecta loci illius, & mentis Chriſti explicatione, quàm iuuenis ille à legis perfecta obediẽtia abfuerit, quãuis eam ſibi falsò arrogaſſet. principiò quantùm putas iſtam tuam explanationem, tanta arte & dolo à te compoſitam, támque elaboratam eſſe valituram, ſi dixerimus, (quod nouum non eſt apud patres, & ſubindicaſſe videtur diuus Marcus) iuuenem illa omnia obſeruauiſſe? quãtùm tibi proderint tot noctium malè tranſactæ vigiliæ? quid habebis vltrà, ſi (vt faciunt plerique) verbum illud Chriſti, Amen dico vobis, diues difficilè intrabit in regnum cælorum. per exaggerationem dicta fuiſſe ob pericula ingẽtia, quæ diuitiarũ poſſeſſoribus imminẽt: vel certè de

Quàm ſit repugnãs Caluiniana explanatio euãgelio.

Marc.10.
Matth. 19.

apoſtolici muneris perfectione, quod in Chriſti regno hoc faſtigium tenet, dicamus Chriſtum dominum locutum? ſed ne ſuſpicêre vi & acrimonia ingenij tui exagitatos nos ad iſtum cuniculum ſuffugiſſe, libenter concedimus lõgo adhuc interuallo (vt loqueris) à legis obſeruatione adoleſcentem abfuiſſe. ſit ita, cor diuitiis fixum habebat. liceat Caluino in dubiis, quod peius eſt, & præſumere, & ſequi: ex ſuo enim ingenio, quid mirũ, ſi alios metiatur? damus ergo tibi. ſed interim quantum credis valere ad hoc probandum illud tuum argumentum, quòd ſi tam bonus fuiſſet cuſtos legis, quàm putabat, non diſcederet mæſtus, hoc verbo audito? quaſi ſtare ſimul non poſſint & diuina mandata ſeruaſſe, & propriis poſſeſſionibus citra Dei offenſionem nolle carere, & nolle ſpoliari bonis, quæ retinere cum diuina dilectione optimè poſſet. *Si enim*, inquis, *Deum ex toto corde ille diligeret, non tãtùm pro ſtercore, ſed velut exitiale quoddam execraturus erat*: quid ſi negem, ſic repugnaſſe in illo bonorum poſſeſſionem cum Dei amore, vt præceptũ iam adoleſcenti illi eſſet, non conſilium, propriis fortunis carere? num ex euangelio me conuinces? *At inſtrumẽta*, ais, *erant, quæ dilectionem maximè impedirent non minus, quàm libidines ad impudicitiam, ad auaritiam ambitio, ad elationem honores, ad carnes illecebras, voluptates prouocant, & ſolicitant* iubet ergo Chriſtus hîc Caluine, mala inſtrumenta relinquere? Bene tu: ſed reſponde, ſuntné natura ſua ad malum inſtrumenta amplæ poſſeſſiones atque diuitiæ, ſicut illæ, quas hîc connumeraſti, libidines & voluptates, quòd ſi probaueris, Manichæi ignes bene hacteuus conſopitos excitabis: ſi verò, vt ſpero, reſponderis, non latifundia mala eſſe, ſed prauum erga ea hominis affectum, qui Dei verbo damnetur hoc loco, optimè tu quidem, facíſque, vt te decet, ſed tunc ſic te conuenio: ſi iſto verbo nihil Chriſtus cum adoleſcẽte tractabat quod diuino mandato præſtare ille non teneretur, cur rogo te, ipſum ſua omnia diſtrahere Deus præcipit, qui cæleſti iuſſioni facere ſatis potuit, ſi tã effrenatũ amorem, quo in ſua bona, Deo contempto, flagrabat, ab ſe proieciſſet? ambitioſus ne ſis, vtique diuino mandato conſtringeris, honores ne habeas, nihil ta-

le cæleſte præceptum continet. diuitias Deo poſtponere, immo vitam noſtram ſuo honori poſthabere, & naturæ lege, & Dei voce obligamur, nihil verò poſſidere lex Dei nunquam præcepit. libidinibus item renunciare, eodem ſanè, quo, non mœchari, præcepto conſtringimur, quòd ea ſint natura inſtrumenta iſta, vt ipſis bene vti homo, ſicut neque ambitione nullo in caſu valeat: honores tamen & diuitiæ id genus ſunt, vt ſæpe ipſis Deus colatur, honoretur & placetur. rurſus, quis Deus reuelauit Caluino, eò ambitionis atque auaritiæ proceſſiſſe commemoratum adoleſcentem, (ſi præceptum eſt, & non conſilium de eroganda vniuerſa ſubſtantia, quod à Chriſto eo loco traditur) vt mitiſſimus aliâs chirurgus neceſſe habuerit ad viuum reſecare, iubens non minùs res ipſas, quàm affectũ deponere? adeóne cancer iſte in iuuenis illius mẽtem irrepſerat, occultéque ſerpendo ad nuda iam oſſa depaſcẽda acceſſerat, vt niſi cum vita, aut cum tam moleſta rerum ſuarũ proſcriptione vlcus reuelli non potuerit? nónne ſatis illum lancinaſſet, ſi de præcepti obligatione & virtute ibi agebatur tantùm? nónne ſatis ad ſentiendum vlcus ſuum adegiſſet ſi effrenatam illam appetentiam, furioſamque cupiditatem, Dei legi inimicam, præcepto ſuo compeſceret, nec attentaret cum tanto dolore, quod aliâs bene ſanum erat amputare? non dubito Caluine, ſi ſic tecum cæleſtis medicus agere voluiſſet, ſi ſic lancinareris, atq; ſi ſic ad ſentiẽdum tuum vlcus te dominus adigeret, cęleſtis chirurgiæ iam te diu tæduiſſet. non credo, neque me ad credendum vnquam induces, in tam incredibiles anguſtias adoleſcentem à ſua plurima poſſeſſione redactum, vt aut Deo, aut certè fortunis omnibus neceſſariò carẽdum ſibi foret. Quòd ſi ſecuturo Chriſtum pretioſius non erat, nihil poſſidere, meo iudicio, nihil cauſę erat, cur ille mæſtus recederet, cùm in eodem apoſtolicæ celſitudinis gradu atque faſtigio etiã diues manere potuiſſet, modò illum immoderatum amorem exuiſſet: quod non minùs illi liberum & integrum erat, quàm vniuerſa ſua diſtrahere. item, quod tam pium lancinare, quod tam humanum adigere ad ſentiẽdum vlcus ſuum illud eſſet, ſcilicet ne nummum quidem etiam ad vitæ

Altera obiectio in explicatione Caluini.

Obiectio 3.

Obiectio 4.

Obiectio 5.

ſuſtentationem ſibi repoſuiſſe, & aſſeruaſſe, pręterea vt diuinum præceptum fuerit ſua diſtrahere, at quòd pauperibus darentur, quod præceptum eſſe poterat? non licebat illi aut conſanguineis relinquere, aut amicis conferre, aut certè quibuſuis dono dare? quare quòd Dei lege teneretur iſte pauperibus donare, vtcunque ad iniquitatem inſtrumēta illi forent diuitiæ, nec ego video, nec Caluinus ſcire poteſt. Sed eſto, præcepto, quo obligabatur omnia vēdere, puta dilectionis diuinæ, eodem, nec alio aſtringebatur, in pauperum vſus conferre: eſto vt lubet, nihil iam morabor: habeat hoc & apud cordatos viros apparentiam: verùm poſtquam iam ex aſſe in vniuerſas fortunas egeni ſucceſſerūt, quo pręcepto iuſſus eſt non apud ſe manere, non in domo paterna, aut conſanguinei alicuius, qui amore fortè erga eum tactus penes ſe hoſpitari humaniter coegiſſet, non vagari permiſſus eſt, non demum diu errare, ſed, abſoluto negotio, vniuerſaque re compoſita, audit veniendū ſibi mox eſſe ad Chriſtum, à cuius latere nunquam eſſet diſceſſurus? num & præceptum dilectionis ad apoſtolatum etiā eum conſtringebat? vehementer itaque confido fidelibus omnibus (apud quos patrum fides, & catholica veritas magis valet, quàm Caluiniana delitia) ſatisfactum iri antiqua illa explanatione, vt de mente Chriſti apoſtolicam perfectionem ibidem aſtruentis, nihil iam ambigant.

Obiectio vi. (margin, beside "nec Caluinus ſcire poteſt")

Vnum, non plures, eſſe Chriſtianiſmum, quamuis non vnus, ſed plures ad perfectionem in eo gradus contineantur, monaſticen longo interuallo à baptiſmo diſtare, atque in quo ſenſu accipiendum ſit, quod dici ſolet, monaſtices ſcilicet profeßionem baptiſmali ſanctificationi eſſe perſimilem, monachos non priuatam ſacramentorum adminiſtrationem ſibi aſciuiſſe, ſed communem eccleſiæ apud ſe retinere, certißimis rationibus declaratur.

CAPVT XVII.

Cal. ſect. 14. CEterum contra hanc nouam, vt ipſe vocat, formam monachiſmi aliud nouum commenticium affert,

quo probet à vetere monaſtice plurimum nos diſſidere ecquod illud eſt? *Quanquàm nihil minus cogitarũt patres, quàm ſtabilire eiuſmodi perfectionem, quæ poſtea à cucullatis ſophiſtis fabrefacta fuit, vt duplicem Chriſtianiſmũ ſic erigerent:* quòd patres nihil minus cogitarint, quàm duplicem Chriſtianiſmum erigere, immo ſummo ſtudio curauerint, vnam fidem, vnum baptiſmum, vnum Deũ, vnum omnium redemptorem, & vniuerſorum dominatorem, vnam tandem in toto orbe terrarum eccleſiam confiteri, credere, prædicare, vbique locorum & gentium docere, eſt ſanè quàm veriſſimum: quòd verò monaſticam perfectionẽ & euangelicam, à Chriſto traditam, ipſi & verbo, & facto, quoad potuerunt, non ſtabilierint, & quòd à cucullatis ſophiſtis illa perfectio poſt fabrefacta fuerit, duplicémque ab ipſis Chriſtianiſmum eſſe erectum, mendacium tam perſpicuum eſt, quòd ſi nos refellere negligamus, plus ſatis ipſum ſe accuſet. apertè enim ſancti patres (vt vidiſti lector) veteres illi & priſci docent, adiungere cõſilia præceptis non nouum eſſe Chriſtianiſmum erigere, ſed veterem illum, quem à Chriſto ſemel acceptum Dei gratia ſemper retinebit eccleſia, vnum & indiuiſum, omnibus ſuis gradibus, ſatiſque pulchra varietate decoratum ſua perfectione cumulare, & ornare. Sed auſcultemus: non dum enim maledicentiæ pharetra exhauſta eſt à Caluino. *Non dum enim,* inquit, *natum erat ſacrilegum illud dogma, quod profeſſionem monaſtices baptiſmo comparat. immo palàm aſſerit formam eſſe ſecundi baptiſmi. ab hac blaſphemia quis dubitet patres toto animo abhorruiſſe?* nullus certè Caluine: immo ab hac blaſphemia & execratione quis dubitet cucullatos iſtos, vt tu vocas, ſophiſtas, ad vnum vſque abhorruiſſe, vt monaſticen vni baptiſmo comparent, præter te vnum, qui ſemper apertè ludificari & calumniari ſciens videris? ſed quia non te puduit in iſta tam frigida, támque ieiuna calumnia, deliteſcere, paucis oſtendam, quid circa rem hanc non denuò commenti fuerint ſophiſtæ cucullati, ſed fideliſſimè ab antiquis patribus mutuati ſint. Elogia baptiſmo propria, quæ multa ſunt, qui ad mona-

Monachat' non eſt noua pietas, ſed intra eãdem religionem proximè accedit ad perfectionem.

ſtices profeſſionem trahat, nullus ſanè eſt. quòd profeſſio monaſtices ſacramentum ſit, quòd in eo ſit verbum vitæ, quòd lauacrum regenerationis & renouationis, quòd ianua ad ceteros gradus eccleſiaſticos, & id genus multa, nullus eſt, qui ſic deſipiat aut ex veteribus, aut ex recentioribus, vt affirmare velit, neque per ſomnium quidem, cùm nec martyrio quiſquam id laudis tribuere fuerit vnquam auſus. ſemper enim ſarta ac tecta illi ſacramento ſua virtus, præſtantia, auctoritáſque manſit. memineritque iſte in ius vocaſſe, quaſi baptiſmi cauſam malè tractent, non quoſuis, ſed qui aliquando feliciſſimè cùm Caluino pro virtute & efficacia baptiſmi decertarint. quantò meliùs de tanto ſacramẽto ſunt meriti, quos nunc iſte in baptiſmũ blaſphemare criminatur? nemo ergo ſacramentalẽ virtutẽ, quã in hoc diuino & primo ſacramẽto ſuſpicit & honorat catholica eccleſia, profeſſioni monaſtices, neque adeò ipſi martyrio, vt dixi, quandoque detulit. quis vnquam dixit, quòd neque fletum, neque lamenta monaſtices profeſſio requirit, vt de baptiſmo ſcripſit Ambroſius? quis ne ioco quidem ſuſpicatus eſt aliquando, peccata, quæ ipſam profeſſionem antecedunt, ſine oris ſacramentali confeſſione monaſticen ingreſſuro prodeſſe ad ſalutem? propria ſunt iſta Ioannes, illi primo ſacramento, per quod Chriſto conſepelimur in morte. immo hic ſolennis eſt, vbicunque Chriſtianiſmus cum monachiſmo colitur, nõ antè fideles monaſticen profiteri, quàm illa omnia præceſſerint, & ſanctiſſimi corporis, pretioſi videlicet pignoris, participes fiãt. Quòd verò nos nunc, non denuò comminiſcimur, ſed iam pridem à noſtris maioribus traditum cuſtodimus, ſcriptum obſeruamus, nobis commendatum noſtra memoria retinemus, hoc eſt: ſatis concors vna vox ac cõmunis & adeò veterum prouerbium fuit profeſſione monaſtices nos Deo totos, integróſque ſacrari. non hoc reticuit magnus Athanaſius, nõ Auguſtinus, nõ Baſilius non Nazianzenus, non Cyprianus, non Euſebius, non Caſſiodorus, non Damaſcenus, non Chryſoſtomus. non Ambroſius. de Hieronymo nihil dico, apud quem dubitare poſſis, an ſit verbum vllum, quod fre-

Per profeſſionem monaſtices Deo ſacramur.

quentiùs hic præclariſſimus eccleſiæ doctor, quàm hoc vſurpet. verba eorum & loca non referenda cenſui, quoniam initio cauſæ huius copioſè me id feciſſe confido: vnum verò nunc occurrit apud magnum Athanaſium, quod ſilentio præterire non poſſum. Hora, inquit, (de beatiſſimo Antonio locutus) circiter nona, cùm ante cibum orare cœpiſſet, raptum ſe ſenſit in ſpiritu, & ab angelis in ſublime deferri: prohibentibus tranſitum aëris dæmonibus, cœperunt angeli contradicentes requirere, quæ eſſet cauſa retinendi, nullis exiſtentibus in Antonio criminibus. illis verò ab exordio natiuitatis replicare peccata nitentibus, criminoſa ora angeli clauſerunt, dicentes, non debere eos à natiuitate eius delicta narrare, quæ iam eſſent Chriſti bonitate ſopita: ſi qua autem ſcirent ex eo tempore, quo factus eſſet monachus, & Deo ſe conſecraſſet, liceret proferre. Vbi vides pie lector, & conſecrationis, quæ in profeſſione monaſtices fit, mentionem haberi, & ſimul ſanctos illos angelos recordatos fuiſſe de diuina largitate, quàm piè credimus exercere in eos, qui ſeſe diuinis officiis totos conſecrant. Diuus etiam Cyprianus (ne dicat iſte neſcio cuius dogmatis nos primùm fuiſſe auctores) profeſſionem, iteratam natiuitatem vocat, per quam anima Deo ſanctificatur, conferens illam quodammodo baptiſmo. quæ ſanè comparatio quantùm ad peculiarem ſanctitatem, quæ ex noua abdicatione carnis deſideriorum accedit, vt iam eſt à nobis expoſitum, intelligi debet. audiantur verò verba ſanctiſſimi viri eiuſdémque glorioſiſſimi martyris Chriſti, atque eccleſiæ ſuæ præclariſſimi luminis. Omnes, inquit, qui ad diuinum munus & patrimonium baptiſmi ſanctificati perueniunt, hominem illic veterem gratia lauacri ſalutaris exponunt, & innouati ſpiritu ſancto à ſudoribus contagionis antiquæ iterata natiuitate purgantur: ſed natiuitatis iteratæ vobis maior ſanctitas & veritas competit, quibus deſideria carnis & corporis nulla ſunt, ſola in vobis virginibus Deo ſacris, quæ ſunt virtutis & ſpiritus, ad gloriam remanſerunt. Hæc Cyprianus. Quare addo alterum. quod in hac parte illi magiſtri nos docuerunt. piè credimus, quę

Athan. in vitâ magni Antonij.

Cyp. in tra. de habitu virginum.

In profeſſione monaſtices leuiores culpæ, ac temporales pœnæ remittũtur, adiũctis Romani pontificis indulgentiis.

Dei noſtri miſericordia & magnificentia eſt, leuiores culpas, quas veniales vulgò ſchola noſtra vocat, deinde pœnas etiam temporales, quibus ſoluendis tenebamur, his, qui vt par eſt, peccatorum pertæſi, ſuorum delictorum accuſatores coram ſacerdotis tribunali (vt euangelica lege præcipimur) extiterunt, pro diuina beneficentia, atque liberali voluntate largè condonari. accedit vltimò piæ matris eccleſiæ cum lætiſſima gratulatione coniuncta miſericordiæ ſatis plena indulgentia, haud ſecus, quàm ſoleant carnales noſtri progenitores, cùm rem attentamus, quæ illis pergrata ſit, & ſimul nobis gratulari, & quò feliciùs pergamus, cœptíſque animoſiùs inſtemus, quæcunque in ſe malè à nobis commiſſa ſunt, ſatíſque debita, condonare, indulgere, & remittere. Iam vides, quàm longè abſimus à blaſphemia, qua nos maculabas, quámque longè recedamus à ſcelere, & peſſima nota, quam nobis inurebas. dici etiam ſolet, (citra tamen iniuriam & offenſionem tanti ſacramenti) quòd ſicut vnum eſt votum fidelium omnium commune, non expreſſum quidẽ, ſed quod cum baptiſmo ipſo natura ſua coniunctũ eſt, quo Satanæ renuntiantes in diuinam nos ſeruitutem addicimus, vt ſanctis eius mãdatis obediamus, non autem obſequamur carnis noſtræ deſideriis, ita & profeſſione monaſtices & his etiam rebus renuntiamus, quibus bene vti lege noſtra non prohibebamur, quò ſacratiores Deo ſimus & expeditiores: vt conſilis ſuis, non mandatis tantùm obedientes, & carnis deſideriis obuiam eatur, & omnino mulier iuxta Pauli conſilium nobis non tangatur. Intellige iam lector, quàm iſte nouam perfectionem à cucullatis ſophiſtis fabrefactã vocet: attende, quanta iniuria nobis opponat, quòd duplicem Chriſtianiſmum erigamus: expende, oro, an quod de profeſſione monaſtices à nobis obſeruari diximus, ſit hoc ipſam monaſtices profeſſionem baptiſmo aut æquare, aut comparare, aut palàm aſſerere formam eſſe ſecundi baptiſmi. non minori mihi pœna dignus iſte videtur, qui alios in Chriſti ſacramenta execrationis ac blaſphemię malitioſè inſimulat, quàm eſſet æquum, quòd ſubiremus nos, ſi nouum ſacramentum

ſeptenario illi adderem⁹. ſed quia vix mille Caluini ſufficerent pro pœnis plus ſatis commeritis dandis, ſi vniuerſa, quę debet, ab eo exigerētur, prętereo libēter, quò etiā propior ſim alij calūniæ, quā extremā eſſe dicit, & vtinā media ſit in ſuo ordine & catalogo cōuiciorū. ſed parū refert. quis enim ſic mēte aliquādo errauit, vt aut de ſpinis vuas, aut de tribulis fic⁹ collectur ū ſe ſperaret? *Matth. 7.*

Omnes, qui in cœnobia concedunt, diſceſſionē ab eccleſia faciunt, à legitima fidelium ſocietate ſe ſeparant: ſtulta non minùs, quàm importuna calumnia. quid, cedo, vocas diſceſſionem ab eccleſia facere? num cum cauponibus, cum tabernariis, cum hiſtrionibus, cum nebulonibus non cauponari, non potare, non quotidie in publico & de publico conuiuari? ſi hoc eſt: (fateor) obtinuiſti, viciſti. eam enim vitæ rationem ingreſſi ſumus, quæ nihil habet cum iſtis commune, ſed a quibus monachis diſcedendum ſit & cauendum. ego nō puto heluonum, & ganeonum, atque gurgitum turbam & cohortem ſolùm eccleſiam eſſe: à fidelium verò eccleſia nulla ſeparatione nos præſcindimus, quam altero poſt Deum gradu, vt cariſſimam parentem vnam, ſanctam, catholicā, apoſtolicam, addo etiam Romanam, ſuſpicimus, ſequimur, & pro virili parte defenſamus. Sed obiicis, quòd peculiare miniſterium, & priuatam ſacramentorum adminiſtrationem nobis aſciſcamur. res ipſa loquitur Caluine, téque ſatis de calumnia accuſat. idem verbum eſt, & quod à nobis prædicatur, & quod in tota vniuerſali eccleſia auditur. non alia ſunt ſacramenta, quorum vſus apud nos eſt, ab illis, quibus reliqua eccleſia vtitur, niſi quòd, cùm meſſis ſit multa, mittimur & nos, qualeſcunque operarij in dominicam meſſem, & ab eo, qui toti huic cæleſti hierarchiæ poſt Chriſtum præeſt, pontifice videlicet maximo in partem ſolicitudinis ipſius aduocamur. Obſtruatur igitur os loquentis iniqua & peruerſi. non eſt priuata ſacramentorum adminiſtratio, ſed communis, ab ea ſede dimanans, quæ ex munere habet totum gregem verbo paſcere, ſacramentis nutrire, vita & exemplo in officio cunctos retinere. & audet iſte, pænè dixerim nullius frontis homo, quærere, quid ſit

Monachi nō ſe ab eccleſiæ vnitate præſcindunt quamuis à mundi frequētia remoti viuant.

eccleſiæ communionem diſſipare, ſi hoc non eſt? at quia hoc non eſt eccleſiæ communionem ſcindere, ſed conſeruare: (omnes enim in eum incredibili conſenſu conſpirauimus, & beatiſſimos cenſemus eos ſemper fuiſſe, qui, vt illam tuerentur, vitam profunderunt) oſtendam Caluino libenter & facilè, quid ſit eccleſiæ communionem diſſipare. Eccleſiæ communionē ſcindere eſt non id tenere circa diuinas ſcripturas, quod eccleſia tenet, & docet, non id ſentire de eccleſiaſticis ſacramentis, quod ipſa tanto ſtudio filiis ſuis ſequendum & tenendum propoſuit, non antiquorum patrum traditionibus ſtare ſed, vt lubet, & ſcripturas & fidē temerè corrumpere, nolle conciliorum generalium decretis obtemperare, nolle vnius ſummi principis, qui Petri locum, & Chriſti vices gerit, imperio parere, velle demum vniuerſa perpetua confuſione obuoluere, maximè curare, ne vlla veteris illius hierarchię, quam Chriſtus tradidit modis omnibus obſeruandam, vel leuiter preſſa veſtigia ſuperſint. hoc, inquam, eſt eccleſiæ communionem diſſipare, hoc eſt ab vnitate fidelium, & à capite ſe ſuperbè præſcindere. ſic ab eccleſię vnione ſe miſerè pręſciderunt illi, de quibus dilectus dicebat, A nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: quia permanſiſſent vtique nobiſcum. ſic ſe ſeparauerunt ab eccleſiaſtica vnione iā olim Manichæus Montanus, Arrius, Cerdo, Aërius, Sabellius, Photinus, infinitíque alij. ſic & ſæculo noſtro Lutherani, Anabaptiſtæ, Sacramentarij, Zuuingliani, ceteræque peſtes. hoc hoc eſt eccleſiā ſcindere, illius vnitatem præcipitare, proſternere, obterere, atque omnino affligere, & perdere. Omittam conuicia tua refellere, quibus & monaſticen ipſam, & monachos hîc laceſſis, maledictíſque tuis impudentiſſimè prouocas, ne tui ſimilis à populo iudicer, tuam enim illam maledictorum copiam nō mirari non poſſum, qui cùm totam iſtam affluentiam in maledicendo vnoquoque verbo effudiſſe, ac penitus exhauſiſſe & euacuaſſe videri meritò poſſis, ſemper tamen nouus venias. omittam flagitia, quibus vniuerſos ordines maledicentia iſta tua & procaci lingua ſine cauſa commaculas. cūcta iſta igitur prætereo, & libenter quidem certè vt malum in bo-

Cypr. lib. 1. epiſt. 3.

Quid ſit ab eccleſiaſtica vnitate præſcindere.

1. Ioan. 2.

no vincā. Sed de hoc ſatis, atque de priori parte, in qua noſtræ monaſtices formam multùm à vetere degeneraſſe tu rigidus exactor antiquitatis oſtendere moliebaris.

Monachorum vota Deo eſſe pergrata, nō temeraria, non imprudentia, multum habere laudis ac meriti apud Deum, quòd ſint perpetua: gratiam ad ſeruandam continentiam nemini petenti negaturum Deum, demonſtratur.

CAP. XVIII.

IAm, vt manifeſtius fiat, quo animo in nos hactenus fueris debacchatus, nunc ingenium & calamum acuis Caluine contra ſanctiſſimos cineres antiquorum patrum, beatiſſimóſque manes, qui omni liuore carent, & diuino cibo in æternum paſcuntur. ego quidem Chriſtiane lector, vt de me fatear, Dei dono, facilè patiar maledictis cuiuſuis prouocari. ſcio enim, quā paruo pretio iſtorum hominum venalis impudentia apud prudētes viros numeretur. ſe ipſum læſit, non indemnatum, atque innocentem petulans orator at neſcio quo bono fato, antiquorum patrum memoria afficior, vt nō priùs antiquitatis vindicandæ propoſitum ſua petulantia & vaniloquentia adimat, quàm ſuorum gladiatorum & mirmillionum violētia, atque impetu vitam. Hæc præfatus ſum, vt ſi quando modeſtiæ meæ fines prætergreſſus videbor, nulla animo tuo ſubeat admiratio. ſibi iraſcatur Caluinus, qui vniuerſam antiquitatem in ius vocare non horruit, non pertimuit, non mihi, qui pro antiquitate cùm dicam, minùs ſemper videbor dixiſſe, quàm rei magnitudo, & cauſę ſtatu poſtulant. ſed age iam, quid eſt, quòd tibi minus placet veteris monaſtices? *Interim non diſſimulo, vel in illa, quam Auguſtinus commendat, priſca forma, eſſe nonnihil: quod mihi parum placet:* quid tu diſſimulabis. quid eſt, quod tibi vel parum placeat, in quem illud ſeriò iactabimus, At hos cælat & obſcura latera lemniæ bouis? ecquod illud eſt ò Ethna grauior? *Pulchrum fuit, abdicatis facultatibus, omni terrena ſolicitudine carere, at pluris à Deo ſit familiæ piè regendæ cura. vbi ſanctus paterfamilias, omni auaritia, ambitione, aliiſque carnis cupiditatibus ſolutus & liber, hoc*

Altera pars Caluiniana contra veterem etiā monaſticen.

Cal. ſect. 16.

habet ſibi propoſitum, vt in certa vocatione Deo ſeruiat. pulchrum eſt in ſeceſſu, procul hominum conſuetudine: philoſophari, at Chriſtianæ mãſuetudinis non eſt, quaſi odio humani generis in deſertum & ſolitudinem fugere, & ſimul ea officia deſerere, quæ dominus in primis mandauit. etiam ſi demus nihil aliud fuiſſe mali in ea profeſſione, hoc certè non mediocre malum fuit: quòd exemplum inutile, & periculoſum in eccleſiam induxit: tibi patrũ antiquorum inſtitutum pulchrum videtur, multò tamen pulchrius videtur familiæ piè regendæ ſtudium: illis contrà hoc pulchrum, illud verò longè pulchrius habebatur. vtrùm magis credendum eſſe nobis exiſtimas, tot nimirũ patribus, tam antiquis, & probatis viris, an tibi vni, & aliquot nouis theologis, qui ex ſicariorum ſentina repentè illud veſtrum ampliſſimum muſæum euangelici magiſtri & diuini verbi ſequeſtres, atque arbitri prodierunt? eſto tu iudex: finge nunc denuo eccleſiaſticis myſteriis initiari te. ecce pars vtraque de maiori pulchritudine, te ſpectatore atque iudice, certat. illi parti tota antiquitas ſeſe accommodat, huic præter factioſos aliquot & nouos homines, quos neſcias, aut qui ſint, aut vnde venerint, nemo penitus? iam abs te quæro, num malis iuxta iſtorum formam ſacris imbui, an magis ad veterum ſentẽtiam, quam tota eccleſia ſequitur, te totum componere ego puto, quòd ſi non omnino mente erras, id libentiùs amplexaberis. ita & nos fecimus Caluine. noli nobis ſuccenſere, quòd tibi tantam nubem teſtium præpoſuerimus. tu in illis vitio vertis, quòd tam inutile & periculoſum exemplum in eccleſiam inuexerint: illi contra nihil magis laborarunt, quàm vt ſingulare iſtud à Chriſto, & ab apoſtolis exemplum ſumptum in eccleſiam expeditioribus mentibus ſequendum inducerent, atque proponerent. ne iraſcare, precor te, bone magiſter, ſi, te poſthabito, illorum ſequamur exemplum, qui & numero plures ſunt, & doctrina illuſtriores, & vita ſanctiores. percurre, quæſo, cetera, & quàm poſſis breuiſſimè: quoniam, vt video, & tu conuiciando, & ego refellẽdo ambo defeſſi ſumus. Sed vide tu lector, quàm amet iſte tenebras, quàm in obſcuro, & non bona luce ſine ordine ſua collocet. inceperat in veterem mo-

Licèt pulchrum ſit familiæ piè regẽdæ ſtudiũ, pulchrius tamẽ eſt, diuinis ſolùm vacare.

naſticen maledicta coniicere, iam, vt ſi eum ibi requiras, vnde tibi locutus videbatur, non inuenias: ecce pernicitate incredibili inde elapſus, iterum ad eam monaſticen ſe cōuertit, vt ſi quid ſupereſt de nobilitate eius, comedat, cui hodie monachi initiātur. verùm quidquid ſit, nos illud totum ſtrictim attingamus. exquirit enim cenſor noſter, & curioſiùs peruestigat naturam voti monaſtici. ſit ita, ſiátque bonis auibus.

Primùm, inquit, *abominatio eſt apud Deum quidquid vouent*: cur ita bone homo? *quia cultum nouū & ficticium promerendi Dei cauſa inſtituere, illis animus eſt*: at nos arbitramur antiquum, & euangelicum promerēdi Dei cauſa cultum nō inſtituere de integro, ſed à Chriſto inſtitutum ſequi. quomodo igitur tu id probabis Caluine? audite probationem. *Ex ſuperioribus*, inquit, *concludo*: ò belliam argumentationem, quam poſſum & ego ſimiliter vno verbo ſic retundere. hoc eſſe falſum, hæreticum, & ſtultum ex ſuperioribus concludo. *Deinde*, ait, *non tantùm, quod vouent, abominationi eſt Deo, ſed temerarium, & illicitus auſus*: bona verba quæſo, & hoc quomodo probabis? *Probo, quòd temerarium: quia nullo vocationis Dei intuitu, nulláque eius approbatione, viuendi genus quale libet ſibi ipſi cōminiſcuntur. Probo, quòd ſit auſus illicitus: quia nihil habet ipſorum conſcientia, quo ſe apud Deum ſuſtineat. & quidquid non eſt, ex fide peccatum eſt*: ò quàm eſt infirma oratio, quo nullo labore, non multis mutatis vti poſſit & aduerſarius: quòd prudens ſit eius votum, probo: quia excellentiſſimo illo vocationis Dei intuitui, quo nos ad ſe ſequendum accerſit, ſatíſque ipſius verbo expreſſa approbatione viuendi genus ſequimur, quod nobis vna cùm apoſtolo ſuo ſummopere commendauit ex quo etiam fit, vt multum habeamus & ſpei, & fiduciæ, quò apud Deum ſe conſcientia noſtra ſuſtineat, & quod promiſſa dabit, viréſque vnicè, atque animos augebit, vt non illicitus, ſed omnino laudatus auſus noſter ab ipſo iudicetur. *Præterea monachi non Deo, ſed dæmonio ſe conſecrant*: quæ multo liuore & odio in ſtomacho pridem coxeras, nunc malitioſè egeris. vt enim pharisæi olim innocentiſſimum dominum, ſic nos

Cal. ſect. 17. de votis monaſticis.

hodie illius ſeruos ac domeſticos dæmoniis conſecratos calumniaris. maius illud erat, & longè importunius cõuicium, quantò maior ac melior erat ille, quem probri ſacrilega ora inſimulabant: at maleuolentiſſimę obtrectationis cauſa non omnino videbitur abſimilis rē
Ioan.8. diligentiùs conſiderãti. illi dicebant, O vilis homo nullius æſtimationis & dignitatis, quouſque legis & cæremoniarum Dei tranſgreſſor eris? quouſque abuteris noſtra patiẽtia ò Nazarene? quid ex te audimus? obtrudis nobis nouam vitæ tuæ ſanctitatem, nouam doctrinæ tuæ veritatem, cùm vtraque veris criminationibus ſit obuia. vita es Samaritanus, quóuis apoſtata nequior, tua item doctrina ex diabolo eſt, cui te totum Deus donauit. nos ſcimus ex lege & prophetis, quòd ſumus populus ſanctus, gẽs ſancta ſacerdotale genus, nos ex prophetis & patriarchis ſumus, habentes teſtamentum & promiſſiones: tu verò contra Dei expreſſum verbũ prædicas, nos nec ex patre Abrahamo, nec ex Deo eſſe. huiuſmodi erant illæ voces, illæ probationes, quibus phariſæi probare nitebantur, Dei filium demoniis eſſe cõſecratum, ac Dęmonium habere. iam audi lector, qualiter idem ipſe Satanas, qui pro regno ſuo ſtabiliẽdo nimiùm eſt ſolicitus, Phariſęorum mouit ora, quę dęmoni ſacratum eſſe dicerent dominum vniuerſorum, nunc Caluini lingua in eandem cantilenam in illius domeſticos vtatur. *Dæmoniis*, inquit, *non Deo ſe ſacrunt*: cur ita? *ad nouos ſimul & peruerſos, & vſqueadeo impios cultus ſeipſos aſtringunt, & Dei cultum profanis cæremoniis corrumpunt, atque vna cum cuculla mille impiarum ſuperſtitionum laqueum ſubinducunt*: liceat non alia reſponſione
Ioan.18. ab illa, qua Chriſtus vſus eſt, breuiter cenſorij ſtyli mucronem retundere. Ego, ait, dęmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum: vos autem inhonoraſtis me. nos etiam Caluine, vtcunque Samaritani ſimus, vtcunque peccatores, corruptíſque moribus, at hoc vnum ſcimus, eos qui viuendi regulam nobis tradiderunt, Benedictum, Baſilium, Auguſtinum, Dominicum, Franciſcũ, ceteróſque dęmonium non habuiſſe, vt vt nos filij ſui viuamus. illi certè illius ſolius gloriam quęſiuerunt, qui nos genuit per crucem & euangelium, à quo vniuerſa

illi

illi in ſuos codices tranſtulerunt. Chriſtus dixit, Sunt qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum. ſicut ipſe docuit & commiſit, ita & iſti ſeruandum tradiderunt. ille dixit, Si vis perfectus eſſe, vende vniuerſa, & ſequere me: & habebis theſauros in cælis. hanc gloriam ecce quærebant hi, dum nihil habere nos filios ſuos voluerunt. ille dixit, Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & ſequatur me. huius cæleſtis progenitoris gloriam quæſierunt quotquot ſanctis inſtitutis, ſcilicet ieiunio, orationi, abſtinentiæ, humilitati, taciturnitati, mortificationi perpetuò eos, qui ſe ſequi vellent, obligarunt. his porrò terminis vniuerſus monachiſmus cõtinetur: ſit ille Franciſcanus, ſit Benedictus, ſit Auguſtinienſis, ſit quicunque: (non enim apud nos diuiſus eſt Chriſtus, neque pro nobis aut Frãciſcus crucifixus, aut Benedictus interfectus, aut Dominicus occiſus) impiúſne tibi cultus virginitas eſſe videtur? ſuperſtióne abs te iudicatur eſſe euangelica paupertas? num dæmonio conſecratum dices tu, qui præfecto ſuo iuſta ac ſancta præcipienti obtemperet? num vniuerſas illas ſanctáſq; virtutes, quas ſuprà retulimus, abſtinentiam ſcilicet, ieiunium, ciborum delectum, orationem, humilitatem, abiectionem ſui, continentiam carnis, & concupiſcentiarum crucem, has, inquam, ſacratas virtutes nimiúmque Deo caras, quas incredibili amore anteſignani noſtri proſecuti ſunt, & verbo vnoquoque nobis, quaſi nobiliſſimum & paternum depoſitum ſuo tempore reſtituendum, ſummo ſtudio commendauerunt, abs te tam male tractari patiemur, vt ceu profanas cæremonias, impias ſuperſtitiones, peruerſum cultum, & ſi quod apud te his peius habetur, nomines, infames, & contamines? perge autem: confido enim, quod quaſi per temporis puncta iſta tua impietas, quam habes ſic recoctam, ſeſe magis ac magis exeret.

Matth. 19.

Ibidem.

Luc. 8.

Monaſtica omnia exercitia pietate ac virtute plena.

Iam quæ votorum ſpecies? virginitatem Deo perpetuam promittunt, quaſi cum Deo antè pepigerint, vt ſe à coniugij neceſſitate liberaret: quaſi verò Caluine magis illi cũ Deo antè pepigerint, de quibus in euangelio dicitur, ſe caſtraſſe propter regnum cælorum: & quibus conſulebat Paulus, mulierem non tangere, & quibus optabat

De perpetuitate voti monaſtici.

cælibatũ. num hi, cũ Deo antè pepigerunt, vt ſe à coniugij neceſſitate liberaret? *At non eſt, quòd cauſentur, ſe non niſi gratia Dei fretos votum hoc nuncupare*: quare non? mirum enim eſt, quòd cùm, vel te docente, vnum ſit votum fidelium etiam infantium, quod in baptiſmo nuncupamus, cuius voti formula, vel certè ſumma ſit, Satanæ abrenuntiare, Deo nos in ſeruitutem addicere, non obſequi prauis carnis noſtræ deſideriis: vbi non obſtat, quòd perfectam legis obedientiam, quam Deus à nobis exigit, nemo à ſe in hac vita præſtare poſſit, quòd hęc ſtipulatio (vt tu reſpondes, & bene) in fœdere gratię ſit incluſa, ſub quo & remiſſio peccatorum, & ſpiritus ſanctificationis continetur: in voto tamen perpetuæ continentiæ dicere non liceat, nos non niſi Dei gratia fretos votum hoc facere. Video, quid pro diſcrimine afferas, cùm ipſe, inquís, non omnibus dari pronuntiet, fiduciam ſpecialis doni concipere non noſtrum eſt. at Caluine, quid reſpondebis Baſilio, dum ait, Donum hoc non ſupra te eſt, nec procul poſitũ, ſed iuxta te, ſi velis apud te manere, & cum Dei fauore tibi paratiſſimo per vitam ſabbathum agere? quid Chryſoſtomo dicenti, Sufficit bonorum ſpes, vt etiam pericula contemptim aggrediamur, quantò magis vt tantæ virtutis labores (loquebatur de perpetua virginitate) cum Dei gratia fortiter feramus? quid renuntiabis Auguſtino, qui conſecutionem huius doni labori noſtro & liberi arbitrij operibus & gratiæ tribuit? is enim verſans illud, Non omnes capiunt verbum iſtud. Nõ, inquit, omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt, ſic volunt, vt impleant quòd volunt. itaque hoc verbum, quod ab aliquibus nõ capitur, & quod aliqui capiunt, & donum Dei eſt, & liberi arbitrij. quid reſcribes Iſidoro, auctori plurimi nominis inter eccleſiaſticos, aſſerenti, A Deo datur continentia, ſed petite, & accipietis? quid ſancto patri Cyrillo prohibenti, ne de carnis noſtre infirmitate conqueramur, nec velimus dicere, quia volumus continẽter viuere, ſed non poſſumus? Nullus, inquit, continenter viuere voluit, qui non poſſet, at verò ſi tu, ait, das ſtimulos carni tuæ, tu eam aduerſum ſpiritum tuum armas, & potentem facis, cùm

Matth. 19. quòd donum caſtitatis ſit Dei donum.

Donum gratuitum ſemper in voto concluditur non minùs, quàm in baptiſmo.

Baſil. lib. de virgi.

Chryſ. hom. 36. in Gen.

Aug. de lib. arb. cap. 4.

Iſid. de ſum. bon. c. 40.

Cyr. lib. 9. ſuper Leuit.

eam carnibus ſatias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris, querériſque poſt, Dei de te donum non habere. Vereor, ne me vita deficiat, ſi ex patribus pro patribus hîc argumentari vellem. ſatis nunc ſit oſtendiſſe, vtcunque pulchrum illud continentiæ donum, (quod ſine ſudoribus acquiritur, non tamen, vt credo, ſine ſudoribus conſeruatur) non omnibus datum ſit: attamen ſi continentiæ, per quam ferè omnes ſancti cælibes perfecerunt, & de carne triumpharunt, radicem & initium expendas, eam gratuitam eſſe reperies, quando omne donum perfectum de cælis venit. quòd ſi ipſius complementum & perfectionem ſpectes, procul dubio cognoſces, non niſi ſudoribus & exercitiis & Dei ſpeciali auxilio illam perfici. nunquam ſic à carne noſtra nos inquietari ſentimus, & in tam inexplicabiles anguſtias redigi, quòd, niſi ad coniugij opem, quò confugiamus, non ſimus habituri, quaſi virtute ſola coniugij poſſimus difficili tyrannidi reſiſtere. igitur ipſa Dei gratia hanc coniugij neceſſitatem nobis radicitus ſuccindit, funditúſque euacuat, modò ſancta adſint exercitia, quæ continentiam nutriant, foueant, & vnicè conſeruent. porrò fiduciam tam præclari doni non concipere, animi quidem exigui, nimiúmque diffiſi eſt. *At certa*, inquis, *Dei vo-* 1.Cor.7.
catione citantur ad coniugium, quibus continendi facultas denegatur. ſi igitur non proficiunt, ne remedium, quod ipſis offertur, contemnant: primùm, quando, & vbi, quæſo mihi reſpondeas, in euangelica lege Dei præcepto quiſquam ad coniugium citatus eſt? deinde, qui ſunt iſti, qui ad coniugium citantur? deinde, de quibus dictum putas, melius eſſe nubere, quam vri? quid ſi à principio naſcentis eccleſiæ, ſemper à ſanctis hoc intellectũ pro- *Tertull. in l.*
bauero, vt quoties de cõiugio Paulo ſermo foret, eo po *de monoga-*
tiſſimũ loco ad Corinth. ſeptimo iuxta indulgẽtiã non *mia. Hiero.*
præceptum fuiſſe locutum? quid ſi verbum illud, Nu *aduerſus Io-*
bat in domino, oſtendero teſtimoniis patrum, qui *uinian. l.1.*
propè æquales fuerunt ſanctorum apoſtolorum, mi- *Aug. ſerm.*
nimè ad virgines, aliáſque Deo perpetuo continentiæ *60. ad fra-*
voto ſacratas mulieres pertinere? deinde, quid dicet *tres in ere-*
iſte, ſi docuero eum, per verbum illud, vri, intellexiſſe *mo.*

Epiph. impugnans Angelinorũ ſectam. ſemper eccleſiam, nõ libidinis incendium, moleſtiámque pati ſolùm, (nam & in eremo eiuſmodi incẽdia in corpore ſuo experiebatur vir ille nunquam pro dignitate laudatus Hieronymus) ſed importunis illis libidinibus vinci? non referam omnium verba, ne longiùs errem, præſertim cùm omnes in hoc vnum conſpirent, quòd hi, qui voto ſe conſtrinxerunt aſſeruandæ perpetuæ cõtinentiæ, non ad coniugium iam, ſed ad ieiunia, orationes, lacrymarum profuſionem, atque cetera exercitia pietatis, & religionis ab apoſtolo citãtur. in alios verò nullam apoſtolus legem fert, ſed tantùm quaſi indulgẽs, vt quod malum eſt, euitet, nempe vri, ad matrimonium, quod vtique bonum eſt, ille confugit. ita interpretatus eſt Tertullianus, ita interpretati ſunt Epiphanius, Syrus Ephren, Clemens Romanus, Ignatius, Athanaſius, Hieronymus, Auguſtin⁹, Cyprianus, Chryſoſtomus, Oecumenius, Theodoritus, innumeríque alij. quare mirari nunquam deſino iſtam tuam non certè humanam contumaciam & ſuperbiam: quia ſic omnes præ te vno contẽnis, & quaſi pro nihilo ducis. At dices lector, Fortè hæc nõ legit Caluinus, fortè hæc nunquã audiuit. nihil profectò quidem minus: ſingularis quædam eſt hominis inſolẽtia, non ignorantia, quæ iſtum, vt vides, in omnem errorem prçcipitat. quòd vt diligẽter, penitúſq; cognoſcas, faciam, vt & hoc ex ipſius ore audias. *Fateor*, inquit, *ab vltima memoria hoc fuiſſe obſeruatum, vt ſe alligarent continentiæ voto, qui totos ſe domino dicare vellent: fateor certè antiquitus receptiſſimum fuiſſe hunc morem:* quid igitur antiquitati reſpondet? oſtendi, nulla re minùs, quàm ignoratione rerum hîc iſtum laborare, iam oſtendo nulla in re magis inſolenter & ſuperbè ſe geſſiſſe, quàm in hac. *Sed eam ætatem ſic ab omni vitio liberam fuiſſe non concedo, vt pro regula habendum ſit, quidquid tunc factum eſt. & paulatim irrepſit inexorabilis illa ſeueritas, vt poſt conceptum votum nullus pœnitentiæ locus fieret:* non paulatim irrepſit, (vt ab hoc poſteriore exordiar) ſed magis ab ipſis apoſtolorum tẽporibus, ſemper vitio & peccato vertebatur, poſt eiuſmodi votum cõceptum, inde animum retrahere, & tanquam pilam, vt dicitur, retorquere. hæc vna omnium ſenten-

Ign. in epiſt ad Antioch.
Clemens in epiſt. 5. ad fratres Hieroſolimit.
Cypr. tractatu de habitu virgin.

Caluinus fatetur veterẽ fuiſſe in eccleſia vſum vouẽdi Deo perpetuã continentiam.

tia erat, quã ab euãgelio ſe fuiſſe mutuatos ſancti vbique clamabant Sed de hoc nihil addam. venio ad illud quod ſine ſtomacho audire non poſſum. *Non cõcedo:* ait Caluinus, *eam ætatem ab omni vitio liberam fuiſſe, vt pro regula habendũ ſit, quidquid tunc factum eſt:* nõ hîc exaggero incredibili animorũ conſenſu diuináque penitus concordia in eam regulã quã iſte ſequendam eſſe non concedit, omnes ætates conſenſiſſe: nihil ſit hoc: nihil etiam valeat, quòd illi patres eam regulam in apoſtolos reiecerint, cuius fuiſſe auctores, & ſectatores plerique illorum ſcripſerunt: nihil, inquam, horum quidquam valeat, do: ſed heus tu, num fungos, & truncos, ſtipites, atque ſaxa omnes mortales eſſe arbitrare, vt tuæ vnius ſententiæ tot labores, tot bene acta, & ſcripta committere velint? num id tantùm, quod ex tam multis tuus cẽſorius ſtylus probauerit, quaſi Apollinis oraculum nobis habendum eſt? nõ quòd patres id dixerint, ſed quòd idem cenſendum tuo calculo decreueris? num etiã illud neminem probaturum exiſtimas, quod tu ſemel non conceſſeris, quamuis id tota poſteritas ab vltima memoria & probarit, & conceſſerit? ò ſtultam & importunam hominis arrogantiam, attollentis ſe, & quaſi in digitos ſe erigentis ſupra ſe. ſed, cùm maiores illi hæc, quæ nunc ipſe non concedis, ſcriberent, cenſorem iam te fore verebantur: iccirco eam regulam de perpetua continentia ſeruanda poſt votum conceptum, & vitæ ſuę exemplo vehemẽter in noſtris ſenſibus affixam reddere curauerunt, & aduerſum quoſlibet nouos magiſtros firmiùs apoſtolicis ſententis muniuerunt.

Cypriani ſententia de virginibus Deo dicatis planiſſimè explicatur, Baſilij, Hieronymi, Cyrilli, & Auguſtini verba ſuper ea ipſa re referuntur, monialium monaſteria eſſe antiquiſſima, hiſtoriis oſtenditur, Pauli locus 1. ad Tim. 5. iuxta ſanctos dilucidatur.

CAP. XIX.

SEd vnius ſanctiſſimi Cypriani verba pro ſe Caluinus nobis obiicit. quid faceret, arbitraris, ſi multos aut Cyprianos, aut Auguſtinos haberet, quos contra anti- *Obiect. Cal. ex Cypr. epiſt. 11.*

quam regulam poſſet producere, poſtquam tanti martyris gloriæ inuidens nõ minùs adimit de verbis illius, quàm de ſanctitate & maieſtate detrahit? opponit itaque Cypriani verba in hunc modum, *Si ex fide dicauerũt ſe virgines pudicè & caſtè, & ſine vlla fabula perſeuerent, ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent: ſi autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt, vt nubãt: quàm vt in ignem ſuis deliciis cadant. Quibus probris non lacerarent nunc eum, qui continentiæ votum tali æquitate temperare vellet? longè ergo ab illo vetuſto more diſceſſerunt, qui non modò nullam admittunt moderationem, aut veniam, ſi quis præſtando voto impar deprehendatur, ſed grauiùs peccare nullo pudore pronuntiant, ſi accepta vxore carnis intemperantiæ medetur, quàm ſi ſcortando corpus & animam contaminet*: antè, quàm illa verba, quæ ex Cypriano decerpſit Caluinus, expendam, referam eiuſdem glorioſi martyris alia, quæ ad ſancti mentem aſſequendam hac in parte conducere mihi viſa ſunt. ait enim libro de habitu virginali poſt multa, quæ mirum in modum totam de ſacro cælibatu doctrinam confirmant, Dum ornari cultiùs, dũ liberiùs euagari Deo dicatę virgines volũt, eſſe virgines deſinunt, furtiuo dedecore corruptæ, viduæ antè, quàm nuptæ, non mariti, ſed Chriſti adulteræ, quàm fuerant præmiis ingẽtibus virgines deſtinatę, tã magna ſupplicia pro amiſſa virginitate ſenſuræ. hîc Chriſti adulteras vocat, quotquot Deo dicatæ virgines virginitatem amittunt. prope verò finem. virginitatis profeſſionem iteratam natiuitatem vocat, per quam anima rurſus ſanctificatur. iam totus ſum in appendenda Cypriani ſententia, quæ illa epiſtola vndecima cõtinetur. Cypriani igitur verba quidam de ſecta Lutheranica multùm facere ad ſuæ cauſæ ſtatum putant, ſuper relaxatione voti propter incontinẽtiam in virgine Deo dicata: cùm tamen vir ſanctus, ſi epiſtolæ argumentum appendatur, & ſimul verba numerentur, non de virgine loquatur iam Deo dicata, & Chriſto ſponſo ſuo velata, & quæ iam in illius tranſiuerit poteſtatem, ſed de ea, quæ propoſito duntaxat, & probatione Chriſto debet quodammodo eſſe dedicata, prout ſunt illæ, quas moniales appellare ſolẽt nouitias, propterea quòd

Cypr. virgines Deo dicatas ſi virginitatẽ quoquo pacto amittãt, Chriſti adulteras vocat.

Cypr lib. 1. epiſt. 11. ad Pomponium.

ſunt in eo anno, qui datus eſt illis ad probationem, vt in illo experiri vires ſuas queant, & videre, an ſentiant ſe idoneas ad votum caſtitatis ſeruandum. de his ergo dicit diuus Cyprianus, quòd ſi perſeuerare nolũt, vel non poſſunt, melius eſt, vt nubãt, quàm vt in ignem deliciis ſuis cadant. iſtæ enim ſunt illæ virgines, de quibus Paulus ait, Si nupſerit virgo, non peccauit. quò verò palàm indicaret, nõ ſe de velatis virginibus id ſtatuiſſe, ſed de his, quas diximus, apertiſſimè de eis virginibus, quę virginitatem ſuam Deo iam vouerunt, circa eiuſdem epiſtolæ calcem in hunc modum affirmat, Si superueniens maritus ſponſam ſuam iacẽtem cum altero videat, nónne indignatur, & fremit, & per zeli dolorem fortaſſe & gladium in manu ſumet? Chriſtus ergo dominus & iudex noſter, cùm virginem ſuam ſibi dicatam & ſanctitati ſuæ deſtinatam iacêre cum altero cernat, quàm indignabitur & iraſcetur? quas pœnas inceſtis huiuſmodi coniunctionibus comminatur? & paulò pòſt, Si autem ex eis aliquæ corruptæ fuerint deprehenſę, agant pœnitentiam plenam: quia quę hoc crimen admiſit, non mariti, ſed Chriſti adultera eſt. Hęc Cyprianus. Ne ergo illum ſecum pugnare dicamus, neceſſariò fateri oportet priora illius verba de virginibus, quæ virginitatem non dum vouerant, intelligenda eſſe, poſteriora verò de aliis, quæ ſe voto Deo aſtrinxerunt. accedit etiam, quòd prope ſæculum Cypriani fuit celebratum concilium Elibertinũ: cuius & Caluinus aliâs honorificè meminit, circiter tempora concilij magni Nicæni coactũ, Silueſtro papa ad Romanę ſedis clauum ſedente: hoc, inquã, conciliũ de virginibus Deo conſecratis canonem hunc ſtatuit, Virgines, quę ſe Deo dedicauerũt, ſi pactũ perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſeruierint, non intelligẽtes quid amiſerint, placuit nec in finem dádam eis eſſe communionem. hęc canon ille decimus tertius, ac mox ſequitur decim⁹ quartus de virginibus ſęcularibus. Hęc autẽ pro Cypriano dixiſſe ſufficiat. Quia verò lõgè in hac parte à vetuſto more nos diſceſſiſſe criminaris, explicabo breui, quàm ſit hîc pro nobis antiqua eccleſiæ cõſuetudo. ſanctus ſiquidem Silueſter in cõcilio, quod Romę habuit ducẽtorũ octoginta triũ patrũ tã ex 1.Cor.7.

Silueſter in conc. Rom. can. 10. & 19. Oriente, quàm ex Occidente, tempore Conſtātini Magni, in duobus ſtatutis perpetuę continentię votum expreſſè cōfirmat. quorum priore, nempe decimo, ſtatuit, vt nullus epiſcoporū ſacratam virginem benedicat, niſi eā probauerit per viginti ſeptem annos: quia tunc probatur pudicitia vera, cùm per tot annos verè fuerit cuſtodita: vt ſic vncta vertice ad Chriſti nuptias introduci meritò valeat. iubetur nihilominus ibi, ne monachorum ſchemata, hoc eſt, vota ante vigeſimum quintum annum fiant, vt vel ſic euitentur ſcandala. qui ſanè canon vnicè, quæ ex Cypriano beatiſſimo retulimus, cōfirmat. *Can. 19.* alterum verò ſtatutum ſiluestri ad clericorum cælibatum pertinet. diuus Baſilius in ſerm. 4. exercitament & ſerm. de renuntiatione vitæ, deſertores huius voti reos æternæ damnationis declarat, libro verò de virginitate, adulteros eos vocat, qui nuptiarum prætextu Deo dicatas virgines ſibi copulant. meminit & iuramenti, quo votum continentiæ firmari ſolet, Hieronymus non vno, ſed pluribus locis. egregium quoque de votis monaſticis legere poteris teſtimonium, & apud Cyrillum, & apud Auguſtinum antiquitatis facilè principes. Sed quid tā diu inter eos homines demoramur, qui etſi ſancti, homines tamen erāt, atque errare proinde poterant? non ſatis tibi ſufficere poterit in rem hanc Caluine, quod de nonnabus illis ſanctus Chriſti apoſtolus, electionis vas prꝗclarum, dicebat, primam fidem irritam feciſſe? non vides, ſub apoſtolis vſitatum fuiſſe tale votum? verùm audiamus, quo pacto locum illum interpreteris, immo magis corrumpas. Primùm omnium de ſolis illis viduis Paulum locutū eſſe dicis, quæ ſemel in publicum miniſteriū receptæ nuberent. deinde eiuſmodi viduas, quæ ſeſe ſuáſque eccleſiæ operas addicerent, & ſimul perpetui cælibatus legem ſuſciperent, vllam religionem ſe in eo ſtatuiſſe negas, ſed quoniam niſi ſui iuris & iugo maritali ſolutæ functionem illam ſuſtinere non poſſent. & ſic negas alia ratione illas profeſſas eſſe cælibatum, niſi quia cōiugium cum ea, quam ſubibant, functione minimè conueniret, nec ſe ad cælibatum aſtricturas, niſi quantum vocationis ſuę neceſſitas tuliſſet. prꝗterea non ita obligatas fuiſſe ſentis, quin

Hier. de regul. viuendi c. 2. & in epiſt. ad Ruſtic. & in epiſt. ad Suſannā. Cyr. ſuper illo Leuit. 19. Sancti eſtote. Auguſt. in epiſt. 41. ad Armētariū, & Paulinā eius vxorem. & ſuper illo pſal. Vouete & reddite. 1. Tim. 5.

& illis tunc quoque ſatius eſſet nubere, quàm vel carnis aculeis (ſic enim interpretaris verbũ, vri) incitari, vel in aliquã prolabi neceſſitatem. quarto rurſum loco, quòd ſi data fide eccleſiæ ad nouas nuptias confugiſſent, vbi nulla eas neceſſitas vrſiſſet, nihil aliud hoc fuiſſe, quàm Dei vocationẽ excutere concedis. vt vel hac ratione talibus deſideriis laſciuire eas in Chriſtum Paulus dixerit. & vſqueadeo, inquis, fidem datam non ſeruabant, vt & primam fidem irritã fecerint. Quòd ſi abs te quęramus, quæ ſit prima hæc fides: vltimò reſpõdes, quam eccleſię præſtiterunt, immo etiam, quam in baptiſmo Deo promiſerunt. hanc illæ violabãt, & irritam reddebant, tum quòd in illa fide pręſtita & hoc includatur, quòd quiſq; vocationi ſuę reſpondeat, tum etiam quòd in baptiſmo ſatanæ renuntiemus, ac Deo nos in ſeruitutem addicamus, vt nunquam obſequamur carnis noſtrę deſideriis. illæ ergo & hanc fidem violabãt, quòd veluti amiſſo pudore omnem deinde honeſtatis curam abiicerent, ad omnem laſciuiam & petulantiam ſe proſtituerent, licentioſa diſſolutáq; vita ac nihil minùs, quàm Chriſtianas mulieres præ ſe ferrent. ita non ſolùm peccaſſe, eccleſiæ fidem datam fallendo, ſed à communi piarum mulierũ lege deſciuiſſe, Paulus ibi conſtanter affirmat. Vniuerſa hæc tu comminiſceris ſine auctore & cauſa, non alia ratione, niſi quia ferre non potes, quòd votum cælibatus pro cultu æſtimetur. ſed, vt ſuperiora illa omittamus, tantùm refert hîc obſeruaſſe, quomodo veteres locum hũc Pauli interpretati ſint. Chryſoſtom⁹, Oecumenius, Theophilactus, Fidem interpretantur διαθήκην, id eſt, pactum, Epiphanius ἐπαγγελίαν, id eſt, promiſſionem. Ambroſius profeſſionem, Auguſtinus votum. lege Epiphanium in libro ſecũdo contra hęreſes cap. 48. vide, te obſecro lector, Auguſtinum de ſancta virginitate cap. 33. eundem de adulterinis coniugiis libro primo cap. 14. de viduitate cap. 8. in pſal. 75. reliquos etiam interpretes in commentariis loci huius: reuolue omnes, quotquot illi ſunt Latini & Græci. antiquiores enim, ac recentiores, per fidem datam, non fidem, qua euangelio creditur, intellexerunt, non ad fidem in baptiſmo præſtitam, nõ ad eccleſiæ miniſterium, cui ſe addixiſſent, retulerunt, non

laſciuiam, non petulantiam, ad quam iſtæ præ ceteris ſe proſtituerunt, interpretati ſunt, non licentioſam diſſolutámque vitam cui ſuper alias ſe ipſas expoſuiſſe viderentur, explicuerunt: ſed fidem, pactum, fœdus, promiſſionem, profeſſionem, votúmque continentiæ perpetuę id eſſe apertiùs explanarunt. religioſè etiam obſeruarunt, non tam viduas eo loco notauiſſe, quæ ab eccleſię miniſterio ſic defeciſſent, de quibus paulò antè ſtatuerat, ne minus 60. annorum vidua deligeretur in operibus bonis, teſtimoniũ habens, quàm in adoleſcentiores omnes deſæuiſſe, quę in morem equi bene paſti, ceterorúmque iumentorum cum pabulo ferocientes, voti ſui (in quo non minimam partem diuini cultus veteres illi collocabãt) habenis abruptis, ſuopte arbitrio ferebãtur.

Paulus de his virginibus loquebatur, quæ Deo virginitatẽ ſuam nouerant.

Obiectio Cal. ſect. 18

Quæris à nobis, quî trahere nobis licuerit locũ ſuprà memoratũ Pauli ad moniales? ſi pacificè de hoc tu nos percunctaris, reſpõdebimus ſumma cum facilitate, ideo id nobis licuiſſe, & quòd antiquioribus illis ad virgines & ceteras feminas, quæ ſe ſemel Chriſto ſacraſſent, locum illum trahere licuit, & quòd apoſtolus Paulus grauiter eo loco atque acerbè eas viduas vrgebat, quę Chriſto datam fidem fefelliſſent, atque turpiter violaſſent. immoverò antiqui patres ſuper hoc ipſo Pauli verbo id, quod retulimus, non modò protulerũt, ſed etiam quaſi vnus eſſet omnium & ſtylus, & ſenſus, vna mẽte in rem hãc conſenſerunt, ſcilicet quòd, cùm in omnibus negotiis fidem fregiſſe homini perfidioſum & nefarium æſtimetur, & iurè quidem, hîc verò, vbi cum Deo negotium agitur, impium & ſacrilegum. trahunt Caluine, & non ex torto (vt dicitur) collo, ſed aptiſſimè vniuerſi eccleſiaſtici ſcriptores eum Pauli locũ ad Deo dicatas virgines: licuítque illis per omnem ętatem, & nobis, quòd iſtud ſęculum omnium infeliciſſimum vobiſcum teneamus, vitio vertetur, & ſceleri dabitur, ſi ad moniales traxerimus? *At tunc creabantur*, inquis, *diaconiſſæ, non vt cãtationibus, aut murmure non intellecto Deum demulcerent, reliquum temporis viuerent otioſæ, ſed vt publico eccleſiæ miniſterio erga pauperes defungerentur, vt omni ſtudio, ſedulitate, diligentia in officio caritatis incumberent: quæ non vouebant, cælibatum, vt cultum inde aliquem Deo exhiberent,*

Obiectio Cal.

quòd à nuptiis abſtinerent, ſed tantùm quòd eſſent ad exequendum ſuum munus expeditiores. denique non vouebant, vel ineunte adoleſcentia, vel medio adhuc ætatis flore, vt ſerò poſtea experimento diſcerent, quantùm ſe in præcipitium dediſſent: ſed cùm omne periculum ſuperaſſe viderentur, non minùs tutum poſt annos ſexaginta, quàm ſanctum votum Deo nuncupabant: iam tunc ab ipſis primis apoſtolorum temporibus creari ſolitas non modò diaconiſſas, verùm etiam virgines, quæ ſe Deo totas ſacrarent, aut in perpetua continentia viduas, pſalmodiæ deditas, hymnis & canticis noctu diúque vacantes, obedientiam ſectantes, perpetuum cælibatum, gratiſſimum Deo de corpore ſuo ſacrificium libantes, abſtinentiam cum ciborum delectu obſeruantes, longa ieiunia & humicubationes, varias inſuper afflictiones in corpore ſuo perferentes, in orationibus frequentes, vigiliis inſtantes, ab hominum frequentia & conſuetudine longè diſtantes, ſatis litterarum eccleſiaſticarum monumentis traditum nobis eſſe, ſi legere libuerit, intuebimur. quid? vúltne Caluinus, vt quæ ex Philone Iudæo longè doctiſſimo de Marco ſanctiſſimo euangeliſta, & Alexandriæ eccleſiis Euſebius in ſua eccleſiaſtica narratione refert, nos legiſſe diſſimulemus? vbi certè, cùm ſæpe contingeret in eum ſermonem incidiſſe, qui de mulierum illarum continentia erat, nec diaconiſſa ab ipſis nominatur, nec ab eo viuendi genere (tenebantur ſiquidem illæ perpetuæ continentię legibus, iuniores ante ſexageſimum annum, vt vult Caluinus) arcebantur, nec mediocrem cultum ſe in eo Deo exhibere arbitrabantur, ſi, hoc vno præſtito, non ad publica eccleſię munia exequenda, ſed ad caſtiſſimi ſponſi amplexus ſubeũdos expeditiores ſeſe reddidiſſent. vt vel in eis hoc fuerit commendatiſſimũ, quòd ætatis & pudicitiæ ſuæ florem filio virginis, & virginum flori non minùs tutò, quàm ſanctè nuncuparint. vult etiam, vt neſcire nos ſimulemus illud, quòd Abdias, Babyloniæ epiſcopus, ab apoſtolis ordinatus, de Matthæo ſanctiſſimo narrat, qui Ephigeniam virginem adoleſcentulam, non ſexagenariam diaconiſſam, Chriſto cæleſti ſponſo cælibem dicauit. quam ob cauſam cùm Deo ſacratam atque

Monaſteria monialiũ antiquiſſima.

Euſeb. lib. 1 c. 16. 17. 18.

Abdias lib. 7. apoſt. hiſt.

velatam adoleſcentem regni ſucceſſor Hirtacus deperiret, poſtularétque ſibi coniugem deſignari, nec à glorioſo Chriſti euangeliſta id impetrare poſſet, Dei apoſtolus ne illa concepti voti, & pôſt fracti, apud Deum reus haberetur, maluit è vita ad Chriſtum cum triumpho proficiſci, quàm quòd ipſa à ſuo inſtituto tranſuerſum vnguem diſcederet. Porrò legimus, iam complurium etiam virginum pręclarum exercitum cum Ephigenia agnum ſe ſecuturas inſtituiſſe, quocũque ille duceret. Olim ante longiſſima quidem tempora, Socrates inquit, virorum ac mulierum monaſteria initium in Ægypto ſumpſerant, amplificata verò & aucta ſunt per virum Deo dilectum nomine Ammum. hic cùm multa ad ſponſam iuuenem & virginem de continentia perpetua ex Paulo diſſeruiſſet, perſuadet ei, vt antè quàm congrederentur, mundanæ vitæ renuntiarent. & poſitis his pactis, non diaconiſſa ſexagenaria creata, & publicis officiis deſtinata, ſed iuuenis virgineo flore perfulgens cum virginitatis ſuę & pudicitiæ fideli cuſtode Ammo ſanctiſſimo ad montana Nitræ ſeſe confert. atque poſt pauca, pudicitiæ amans coniux neophyta, & impolluta ad hunc modum Ammum alloquitur, dicens, Non eſt decorum, ô adoleſcentiæ & pudoris ſpecimen verè pulchrum, vt cùm caſtitatem profitearis carè & ſanctè coniux, mulierem in tanto tugurio videas. quapropter ſi placet, ſeparatim monaſticam vterque vitam ducemus. placent hæc pacta vtrique, & ſeparati à ſe inuicem reliquam vitam ſic ducũt, vt vtriuſque viuendi inſtitutum admodum multi imitarentur, ac Nitreæ montana, & Scythiæ, paulatim monachorum & ſacrarum virginum ſeparatim vitam angelorum degentium multitudine referta foret. Hactenus ex Socrate locuti ſumus. Sed quid ego parua percurro, & non illa ingentia potiùs exequor? cur immoror his, & non feſtino ad maiora? Alexandriæ, victore Athanaſio, poſt crebra certamina, quibus numerus palmarum reſponderent, laboribus ſoluto, & inquietam ac liberam vitam digreſſo ſucceſſit Petrus Alexandrinus. Sed ipſe admirationis dignus Petrus hæc de virginibus in monaſterio ſuo tempore concluſis quadam in

Socra. in hi. li. 4. ca. 22.

Theod. li. 4. c. 20. 21. 22. ex Pet. Ale.

epiſtola ſua narrat, Nam in eccleſiam, quæ Theone vocatur, introgreſſæ copiæ (loquitur porrò de Palladio prætore Valentis, qui Arrianis impenſè fauebat) pro verbis grauibus, ſimulacrorum laudes perſonabãt, pro lectione ſacræ ſcripturæ, turpes plauſus manuum, & fractas fœdè voces edebant, contumelias verò eas erga Christi virgines vſurpabànt, quas memorare lingua non ſuſtinet, ob turpitudinem. Sed iſti, qui eſſent iræ vaſa comparata ad interitum, curuato naſo obſcenos per nares ſonos, quaſi, vt ita dicam, de aquæ fiſtulis eiaculantes, diſcerpebant veſtes ſanctarum Chriſti virginum, quarum religioſa exercitatio angelicã quãdam imaginem repreſentaret. atque ita, ſicut natura tulerat, nudas per vrbem totam Deo ſacratas illas, quaſi triumphantes agebant, illudebántque cum obſcenitate pro arbitrio ſuo, erántque omnino crudelia & barbara omnia. quòd ſi quis miſericordia motus dehortatione ſua obſiſtere auderet, vulneratus diſcedebat. verùm, ô rem calamitoſam, multis illarum vis vitiúmque oblatum, quarum nec ſepulturæ corpora mandare concedebatur. multa itaque etiamnum queritantibus parentibus corpora non comparent. Hæc & his plura apud Theodoritum Cyrenſem S. Alexandrinus Petrus, quam certè hiſtoriam recitandam hìc diligenter curaui, non vt probarem tantùm, quàm ſit vetus mos virginibus conſecrandi ſe Deo, qua vna in re negotij huius ſumma tota conſiſtere videbatur, verumetiam, vt oſtenderem eadem noſtro hoc ſæculo rabie furere Satanam in virginalẽ ipſam pudicitiam, atque olim atrociſſimè ferocierit. Si ipſe ex tam multis iſtorum ſceleribus vel parua percurrere veraci & ſi minus eleganti oratione vellem, certò ſcio, quòd admiratione perciti manebunt lectores, diu nobiſcum exanimati, ac ſtupentes cogitatione manſuetudinis domini, longanimitatem atque patientiam Dei admirati, qui nõ funditus iſtam hominum ſentinam euerterit, penitúſque perdiderit. enimuero (vt nos aliquando proferemus) nec facta, nec audita ſunt in diebus patrum noſtrorum, quæ in virginum monaſteriis, immo ſuper altari ipſo iſti impij perpetrarunt. Verùm quid hìc ego ago? fracta

Vis tempore Valentis Alexandriæ monialibus illata.

naue de mercibus diſputo. hæc patimur, & non intelligimus Antichriſtum appropinquare? quem dominus Ieſus Chriſtus interficiet ſpiritu oris ſui. Sed quoniam non hiſtoriam texere hîc ſtatui, pro qua meritò explicanda & Thucydides & Salluſtius muti ſint, vnde ſemel ſum digreſſus, libens eò reuertar.

Poſtquam infelicem ſatis Iuliani imperiũ finem habuit, communi ſententia (inquit Sozomenus lib. 6. cap. 3. hiſto.) exercitus principatum Iouinianus accepit. hic pius & Chriſtianus Imperator, vt qui re ipſa co gnoſceret, res imperij diuina vltione contra illũ alium exerta, qui ante ipſum imperauerat, miſerè affligi, abſque vlla cunctatione præſidibus ſcripſit, vt congregatis in eccleſiis fidelibus, Deum accuratè colerent, & quòd ſola Chriſtiana fides apud ſubditos in honore ſeruanda eſſet. reſtituit etiam eccleſiis, clericis, viduis, & ſanctis Deo ſacratis virginibus quæcunque antea ad commodum & honorem religionis à Conſtantino ac filiis eius dono data, vel ſancita, & poſtea ſub Iuliano adempta fuerant. promulgauit nihilo ſecius edictum generale ad eum, qui poteſtatem præſidiis prouinciarum adminiſtrabat, quo præcipiebat, vt capite plecteretur, qui ſacram virginem ad nuptias ſolicitare tentaſſet, vel impudicè tantùm aſpexiſſet, ne dum rapere conatus eſſet. tulerat autem eam legem propterea quòd flagitioſi quidem eiuſmodi virginum nuptias ſub imperio Iuliani vſurpauerant, quos vel vi, vel perſuaſione corruperant. ſicuti turpis cõcupiſcentia talia præſumere non veretur, dum religio malè conſtituta impunitatis ſecuritatem pollicetur. Hactenus Sozomenus de Iouiniano Cæſare. vbi Caluine non legis, qui ſexagenariam diaconiſſam, ſed qui ſacram virginẽ ad nuptias ſolicitare tentaſſet. deinde, quid poterat accommodatius dici in nouum iſtud veſtrum euangelium, in quo tu Lutherum, Caroloſtadium, ceteróſque apoſtatas ex animo defendis, quòd cùm monachi ipſi fuiſſent, moniales ſibi in vxores duxerunt, quàm illud, Religio malè inſtituta impunitatis ſecuritatem pollicetur?

Ante tempora Baſilij, Porrò antiquiſſima habita fuiſſe & frequentiſſima virginum Deo dedicatarum monaſteria, è quibus ad ſę-

culũ nõ iam ampliùs reuertendi ſine dedecore & ſcelere vlla poteſtas foret, mirũ quàm paſſim ex veris hiſtoriis occurrat. ex Auxento, qui fuit tempore concilij Chalcedonenſis, cuius hiſtoria per Simeonem Theophraſtẽ congeſta eſt, ex Baſilij Magni ſcriptis, ex enarratione, quam Gregorius Niſſenus de Macrina vtriuſque & Baſilij, & Niſſeni cariſſima ſorore contexuit, & innumeris Hieronymi locis in vitam Leæ abbatiſſæ ad Marcellam, in opere de vitando ſuſpecto contubernio, in epiſtola ad Suſannam, & alibi ſæpe, ex Auguſtini vita, inſtituto, & doctrina, ex diuo Gregorio in dialogorum libris. & audet nunc iſte dicere, vniuerſam ætatem corrigens & emendans, ſolis diaconiſſis, ſexagenariis quidem illis, eiuſmodi votum de perpetua cõtinentia ſeruanda licitum fuiſſe? & hoc quidem, non vt cultum inde aliquem exhiberent Deo, quòd à nuptiis abſtinerẽt, ſed tantùm, quòd eſſent ad exequendum ſuum munus expeditiores? tibi rectè quidem obiectabit antiquitas Caluine Theocritum illud, Dic age, ſi quid dicis, & hoſpes, vt vnde profectus, viuus eò redeat, permittito. ſic & nos hodie tibi commodè & oportunè ſatis dicemus, ferocienti in eccleſiaſticum morem, quem cũ apoſtolico lacte ſuximus, Eia ſine homines viuere.

Gregorij Niſſeni, Athanaſij, Hier. Aug. aliorúmque monialiũ monaſteria habebantur.

Theocr. in Hodæporu.

At verò quod de diaconiſſis obiicis, aut nihil, aut parum certè tuam cauſam iuuat. eſt porrò locus ille Pauli totus, quemadmodum & Græci, & Latini interpretãtur, de viduis, quas omni auxilio deſtitutas ſuſcipiebat eccleſia alendas, & quibus prouidebant diaconi de bonis ab eccleſia in pauperes collatis, intelligendus. in hoc vno vniuerſus contextus Pauli conſentit: ait enim, Viduas honora, que verè viduæ ſunt. hoc eſt, quæ omnium ſuorum auxilio deſtitutæ, quæ manibus laborare non poſſunt, quas paupertas debilitat, ætas cõficit, ſine ſpe futuri viri, quibus Deus ſolus ſpes eſt, & omne opus oratio. ex quo intelligitur, Hieronymo obſeruatore, nihil ſibi poſſe annorum puellarium teneritudine viduam blandiri, quod non minùs ſexagenariam eligi præcipit. nec enim innuptas, aut iuuenculas cogit, vt nubant, qui de nuptiis quoque loquitur, Tẽpus breue eſt, ſupereſt, vt qui habent vxores, ſic ſint,

De diaconiſſis.

Vera expoſitio Pauli 1. ad Tim. 5.

1. Cor. 7.

quaſi non habeant. ſed de his viduis diſputat, quæ eccleſiaſticis nutriri debent alimentis. nam his, quæ ſuorum ſubſtantia nutriuntur, & quæ filiorum, aut nepotum ceruicibus imponuntur, imperat, vt diſcant domum ſuam colere, & remunerari parentes, ſatis commodè eis tribuere, vt non grauetur eccleſia, ſed poſſit his viduis, quas deſcripſimus, miniſtrari. Ergo adoleſcentulas viduas, non ad nuptias ſecundas, vel tertias

1.Tim.5. Paulus hîc amandat, ſed, exceptis his, quas excuſat infirmitas, vel ſuo labori, vel liberorum ac propinquorum miniſterio ceteras delegat. honor autem in præſentia

Matth.5. aut pro eleemoſyna, aut pro munere accipitur: vt eſt illud, Preſbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. & in euangelio dominus diſſerit mandatum legis, in quo dicitur, Honora patrem tuum & matrem tuam. non in verborum ſono, qui inopiam parentum caſſa poteſt adulatione fruſtrari, ſed in victus neceſſariis debere intelligi. apoſtolus igitur pauperes viduas ſexagenarias in perpetua continentia manentes, pudicas, non niſi vnius viri vxores, in operibus bonis teſtimonium habentes, quæ filios educauerint, quæ peregrinos hoſpitio receperint, quæ ſanctorũ pedes lauerint, quæ tribulationẽ patientibus ſubminiſtrauerint, quæ omne opus bonum ſubſecutæ fuerint, has, inquam, tu ô Timothee catalogo viduarum aſcribes ab eccleſia alendas, ceteras verò iuniores, quæ nulla debilitate franguntur, fac laborent ſuis manibus, ne grauetur eccleſia, & poſſit anus viduas ſuſtentare. Hæ dicebantur eccleſiaſticæ viduæ, hæ caſtæ vocabantur, & nonnæ, (vt auctor eſt Hieronymus ad Euſtachium de cuſtodia virg.) hæ ab eccleſia ſuſtentabantur, hæ in eccleſiaſticam incumbebant diſciplicam certo enim & peculiari modo ſuo voto aſtrictæ videbant. ſpectata igitur erat in his viduis paupertas, deſolatio, & ætas. vnde Paulus conuenientiſſimè eo loco adiecit, Adoleſcentiores viduas deuita. inter-

Chryſoſt. ſuper eo loco, Hiero & Theo. ibidẽ. pretatur Chryſoſtomus, reiice, ne ſuſcipias alendas: idẽ Hieronymus: Theodoritus etiam Cyrenſis epiſcopus obſeruari ſumma diligentia præcipit cauſam, ob quam in viduarum eccleſiaſticarum numerum referri adoleſcentiores

leſcentiores viduas vetuerit Paulus. Quoniam, inquit poſt apoſtolum Theodoritus, ſaginatæ eccleſiaſtico ſumptu, otioſæ, & nequiter errant, & in fidei Chriſto ſemel datæ contumeliam laſciuiunt, atque viros appetunt, cùm interim pauperes anus inedia abſumantur. accedebat etiam eò, vt non adoleſcentiores viduæ diaconiſſæ crearentur, quòd horum miniſterium, vt ſcribit Epiphanius, propter honeſtatẽ in lauandis corporibus verſabatur. adde etiam in docendis nuptis adoleſcentioribus, vt ex epiſtola ad Titum intelligi poteſt, quas eccleſia ſui temporis ex virginibus, vt idem Epiphanius teſtatur, aut continentibus, aut viduis eligebat. erat præterea aliud miniſterium harum diaconiſſarum iuxta id, quod Romanus Clemens tradit, vt nulla mulier ad epiſcopum accederet, niſi priùs diaconiſſa diaconum adiret, & diaconus epiſcopo nuntiaret. Si tibi per tuas occupationes licuerit lector, lege diuum Chryſoſtomum libro 3. ſacerdotalis dignitatis: vbi de his viduis eccleſiaſticis egregiè multa ediſſerit.

Pauli locus adhuc explicatur, Volo autem iuniores nubere, filios procreare, matresfamiliâs eſſe, nullam occaſionem aduerſario dare maledicti gratia.

Cap. XX.

ET quia nobis de portu egredientibus, quaſi quidã ſcopulus opponitur, ne poſſimus ad pelagi tuta decurrere, & apoſtoli Pauli ſcribentis ad Timotheum à Caluino profertur auctoritas, in qua de viduis diſputans ait, Volo autem iuniores nubere, filios procreare, matresfamiliâs eſſe, nullam occaſionem aduerſario dare maledicti gratia. iam enim quædam abierunt retrò poſt Satanam. iccirco & hîc paululùm nobis adhuc remorandum ſupereſt. oportet Caluine primùm ſenſum tractare Pauli, & omnem loci huius continentiam diſcutere, atque ita apoſtolicis veſtigiis inſiſtentes nos ne tranſuerſum quidem, vt dici ſolet, vnguem in partem alteram declinare. ſuprà ſcripſerat, qualis vidua eſſe deberet, vnius viri vxor, quæ liberos educauit, quæ in bonis operibus teſtimonium habuit, quæ tribulatis de ſua ſubſtantia ſubminiſtrauit, cuius ſpes Deus,

1. Tim. 5.

Senſus Pauli ex contextu eruitur.

eſt, & quæ permanet in obſecratione & orationibus nocte ac die. poſt quæ iungit contraria, Quæ autem in deliciis eſt, viuens mortua eſt. ſtatímque infert, vt diſcipulum muniat omni arte doctrinæ, Adoleſcentiores autem viduas deuita, quæ, cùm laſciuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quòd primam fidem irritam fecerunt. propter has igitur, quæ fornicatæ ſunt in iniuriam Chriſti viri ſui, vult apoſtolus alterum matrimonium, præferens digamiam fornicationi, ſecundum indulgentiam duntaxat, non ſecundum imperium: ſimúlque ſingula teſtimonij verba tractanda ſunt. Volo, inquit, adoleſcentulas nubere. cur quæſo? quia nolo adoleſcentulas fornicari. Procreare filios. quã ob cauſam? ne metu partus ex adulterio filios necare cogantur. Matresfamiliâs eſſe. quare obſecro? quia multo tolerabilius eſt bigamam eſſe, quàm ſcortum, & ſecundum habere virum, quàm plures adulteros. in altero enim, miſeriarum conſolatio, in altero, pœna peccati eſt. ſequitur, Nullam occaſionem dare diabolo maledicti gratia. in quo breui accinctóque præcepto multa ſimul continentur, atque, vt omnes nubendi cauſas breui ſermone concluderet, cur hoc præcepiſſet oſtendit, dicens, Iam enim quædam abierunt retrò poſt Satanam. ideo ergo ſecunda etſi neceſſe eſt, tertia incontinentibus matrimonia aperit, vt vel ſic à Satana abſtrahat, vt magis mulierem qualicunque viro coniunctam eſſe apoſtolicus animus (qui aliâs cupit omnes eſſe ſicut ipſummet) patiatur, quàm diabolo. ſic etiam diuus Hieronymus ad Gerontiam de monogamia, hæc ipſa Pauli verba tractans, dicebat, Cupis ſcire, de quibus Paulus dixerit, Volo autem iuniores nubere? nempe de quibus alibi dixerat, Si non continent, nubant. cur apoſtole? quia peius eſt vri: alioqui abſolutum bonum eſt, & ſine comparatione peioris, quia peius eſt vri: alioqui abſolutum bonum eſt, eſſe, quod apoſtolus eſt, id eſt, ſolutum, non ligatum, non ſeruum, ſed liberum, cogitantem ea, quæ Dei ſunt, non ea, quæ vxoris. & in hoc idem ſenſus eſt: quia idem ſpiritus, diuerſæ epiſtolæ, ſed vnus auctor epiſtolarum. Chryſoſtomus etiam in commentariis

Chryſoſtom. 1. Tim. 5.

huius loci verè inſignis eſt, inquiens, Iſtud dicit, non quòd adoleſcentulas viduas eſſe nolit, qui ſic omnibus perpetuam continentiam percupit, ſed quòd adulteras eſſe vetet, nolens otioſas eſſe, & loqui, quæ non decet. ea tamen ſublata cauſa non prohibet iuniores viduas. Ad eundem modū interpretantur Græca ſcholia, & addunt, Volo iuniores nubere, ſcilicet ante votum conceptum, ſi ſeipſas Chriſto non deſpondeant, & ita nubant: hoc enim peccato vacat, illud autem impium & ſceleſtum.

Ex hoc Pauli loco, ac ſanctorum interpretationibus hæc quatuor licet colligere. primùm, Votum perpetuæ continentiæ Deo longè gratiſſimum non à ſexagenariis modò, ſed à iunioribus etiam cum prudentia & libertate conceptum. ex hoc primo alterum dimanat, Impium & ſacrilegum, ne dicam ſceleſtum, apud Deum habetur, datam Chriſto ſemel fidem infideliter fallere. atque ex his duobus, quaſi primis principiis, colligitur tertium, His, quæ ab inſtituto ſunt diſceſſuræ, longè melius fore nubere, quàm poſt votum emiſſum turpiter ſcortari: quòd illud licuerit ante conceptam promiſſionem, hoc verò omni tempore & loco lege Dei cautum & prohibitum ſit, ac proinde laudari nullo modo poteſt. quarto loco, Politica Pauli prohibet, ne viduæ, quæ de eccleſiaſtica ſubſtantia victuræ, & quæ publico eccleſiæ muneri inſeruituræ erant, à quibus continēter viuere poſtulabatur, minores ſexageſimo anno diligerētur: quòd probè intelligeret prudens diſpenſator, tum otio ac cibo incredibiter Venerem ali, quæ cetoroqui ſine Cerere & Baccho friguiſſet, tum etiam quòd ſoleant, vel minima quidem ſubminiſtrata occaſione, malè conſepulti ignes inſeparatò inflammari, & ad voraciſſimas flāmas aſſurgere. ſi verò annorū puellarium vidua contemplata, quàm ſit breue tempus hoc noſtrum, & quàm dilabantur anni noſtri inſtar currentis aquæ, non otioſa, non errans, vni Deo hærens ſemper, ſic permanſerit, beata in facto ſuo erit, coronam, quam cæleſtis ſponſus floribus illi contexet, accipiet, apoſtoli Pauli perſimilem, poſtquam talis permanere illa voluit, qualis vir hic angelicus ſemper fuit. non

Quatuor ex antè dictis colliguntur.

ego hîc probo Caluine, neque eccleſiaſticus quiſquã auctor probauit vnquam, quod miſera puella (vt tu luges) antè, quàm per ætatem ſe noſſe potuerit, atque illum ſui experimentum capere fraude inducatur, vi ac minis ad votum concipiendũ impellatur. hæc vitia ſunt perſonarum non inſtituti, aut eccleſiæ, quibus certè ma lis ſua prudentia eccleſiaſtici patres, auctoritate, & imperio, ne poſthac fiãt, vt firmiter ſperamus, ſe opponẽt ad tollendam occaſionem diaboli maledicti gratia.

Eorum cauſam impiè ſuſcepiſſe agendam Caluinum, qui poſt perpetuæ continentiæ ſemel conceptum votum, iam in extrema vitæ ſuæ parte, Deo conſecratas feminas, vxores ſibi aſſumpſerunt, oſtenditur: vbi & nonnulli loci Pauli explicantur, & ipſiuſmet Caluini quædam verba contra apoſtatas recitantur, atque ponderantur.

Cap XXI.

Cal. ſect. 21. QVò denique Caluine numeros omnes pietatis cõpleuiſſe te, & religionis manifeſtò comprobares, nihil iam ſanè tibi deerat, quàm vt eorum cauſam ſuſciperes, qui, monachatu reiecto, quamlibet ſenes, ne præcepti illius, Creſcite & multiplicamini, per ipſos violati pœnas Deo darent, in cõiugales amplexus edẽtuli iuerunt, illóſque pro tua in bonos omnes beneuolentia foueres, in tuam clientelam, & patrocinium ſuſciperes, atque aduerſus improborum columnias defenderes. ô quàm certum illud eſt, quod vulgus iactare ſolet, nemini deeſſe, quò confugiat, ſi ceteri pergãt prçter modũ eſſe moleſti. ô quàm vera illa eſt antiquorum parœmia, Abdera pulchra Teiorum colonia certè poſthac dicemus, Caluini tua domus pulchra apoſtatarum colonia. Sed quia iſtorum tu cauſam defenſurus, nõ ſcripturis, ſed verbis munitus aduenis, verbis etiam ego paucis inſtabo. *Fractæ fidei, & periurij grauiter accuſantur, quòd vinculum (vt vulgò creditur) inſolubile, quo erant Deo & eccleſiæ obligati, obruperint:* non hîc tam de offenſione, quã per iſtos quotidie eccleſia ſuſtinet, eos accuſamus, quàm de iniuria violati fœderis, atq; pacti, quod cum Deo, nemine eos propellente, inierunt. in ſumma ergo hoc noſtræ accuſationis in illos caput vnũ eſto, quòd ſcilicet primam fidẽ irritam fecerunt, quam

Defenſio Caluiniana pro apoſtatis.

ſeruatam, Paulo monente, modis omnibus oportuit. quid igitur habet, quo ſe, ſuóſque clientes tueatur, ſtipendiarius patronus? num malè læſa fides tacet? num malè perpetrata ſcelera vel minimum quemque latent? num obſcuræ ſunt leges, quas iſti prætergrediuntur? nō manifeſta facta? quid habes, quò confugias? ius violatum, mores corrupti, fœdus reſciſſum cùm ſit per eos, audebis aduocatum te illis adiungere? prudens ac ſciens illorum peſſimam notam tibi inuri patieris? Sed quid reſpondes? *At ego nullum fuiſſe vinculum dico, vbi quod homo confirmat, Deus abrogat:* quis tu, qui ſic audacter profers, *Ego nullum fuiſſe vinculum dico?* dicit nonnullum vinculum eſſe Paulus, dicit eccleſia, & tu nullum eſſe dices? tibíne credendum? *Deus abrogat:* quis Deus Caluine? Deus noſter? minimè, qui tam grauiter per apoſtolum ſuum de violata fide nobiſcum expoſtulat. immo neque diis gentium id probabis quoquo pacto conuenire, qui tanto rigore, quæ ſibi eſſent nuncupata vota, à cultoribus extorquebant. verum tamen eſt, quòd & venter, qui Deus aliquorum eſſe dicitur à Paulo, & Venus, & Cupido, ceteríque dij eiuſmodi vinculum abrogant: Deus verò cæli nequaquam, ſed donec promiſſa reddamus, debitores ſuos ſemper pro debito tali ſolicitat. Sed quando hàc non bene ceſſit, cuniculus alius tibi quærendus eſt: quare ais, *Vt demus fuiſſe obligatos, cùm ignoratione Dei, & errore impliciti tenerentur: nunc, poſtquam veritatis notitia illuminati ſunt, ſimul Chriſti gratia liberos eſſe dico:* quæ Dei, te obteſtor, atque obſecro, ignoratio iſthæc erat? quis error iſte, quo impliciti tenebantur? num Deum eſſe hactenus neſcierunt? num nouum iſtud euangelium abhinc quadraginta annos per vos repertum, tot ſæculis antea occultatum? quod ſi ita eſſet, vt garris, adhuc malè philoſophareris, ſentiens vinculum natura aliâs firmatum (das enim fuiſſe obligatos) noua illuſtratione langueſcere & diſſolui. Paulus enim mulierem fidelem à viro infideli nolente à coniuge diſcedere citra creatoris contumeliam recedere non vult. vbi etiam, poſtquam quis veritatis notitia illuminatus eſt, ab ea ignoratione & errore, quo implicitus tenebatur, ſimul Chriſti gratia

(quæ naturam non deſtruit, ſed perficit) ab antiquo naturali vinculo, quo homini ligatus tenebatur, liber non erit: niſi velis aſſerere, longè efficaciùs teneri nos homini, quàm Deo. Sed quid mirum? ſic philoſophatur Caluinus, qui quoſcunque, vxoribus & patria relictis, ad ſe confugerent à matrimoniali vinculo ſolutos eſſe vult. vt vel hac ratione conſtet, quantò ſit præſtantius euangelium, quod Caluinus prædicat, illi, quod per Paulum à Chriſto ante annos mille quingentos & ampliùs eccleſia accepit. vtcunque fuerit, ait Paulus, Vnuſquiſque vt ſibi partitus eſt Deus, vnuſquiſque vt illum vocauit dominus, ita ambulet: & ſic in eccleſiis omnibus ordino. ergo conditionem hominis euangelium non mutat, non eximit ſeruum, non matrimonium ſoluit, modò citra Chriſti contumeliam, & in pace fiat: quemadmodum apoſtolus in omnibus eccleſiis ordinabat, & inſtituebat. Hîc certè appendix pie lector, Sicut in omnibus eccleſiis doceo. oſtendit, quantùm cõſuetudo, ac doctrina ab eccleſia recepta valeat ad cõuincendos iſtos veritatis & ſacræ doctrinæ oſores. verùm expendamus Caluini rationem, qua cunctis perſuaſum ipſe cupit ab omni prorſus vinculo noua luce illuſtratos expediri. *Nam ſi tantam efficaciam crux Chriſti habeat, vt à legis diuinæ maledictione, qua vincti detinebamur, non abſoluat, quantò magis ab extraneis vinculis nos eruet?* quis locus arguendi Caluine? liberauit nos Chriſtus à maledicto legis, hoc eſt, ab ea maledictione, cuius reos nos lex arguebat, ab eo reatu, quo pro tranſgreſſione multiplicabamur, ab offenſione Dei, cui tenebamur, ergo ab eo vinculo, quo nos Deo piè ac religioſè in ſeruitutem addiximus, totos nos ſua luce exemit, &, velut è carcere, exegit? ô præclaram argumenti vim, ô ſingularem dialecticen. vide, quàm contra Pauli mentem, eo in loco expreſſam, colligas. ibi certè Paulus, cùm omnes ab eo vinculo, quo impediti tenebamur, ne propiùs accederemus ad diuinam gratiam, per Chriſtum ſolutos diceret, ne Zuuinglianus quiſpiam, Caluinus, inde ad apparentiã colligeret, apoſtolicæ mentis fuiſſe, quaſcunque obligationes protinus eſſe abruptas, adiungit, Non eſt Iudæus, neque

1. Cor. 7.

Eccleſiaſtica ordinatio verè eſt apoſtolica.

Græcus, non eſt ſeruus, neque liber, non eſt maſcu- *Galat.3.*
lus, neque femina, non vir, non vxor. vt enim, quòd
ex peccato eſt, aboleatur totum Chriſti gratia, manet
tamen, quod ex natura, & ſine peccato eſſe poteſt:
qualia ſunt ſeruitus & matrimonialis nexus. quantò
ergo magis perfectum atque in ſuo priſtino robore
manſurum putas, quod ad Deum maximè accedit, ſicq;
nos Chriſto alligat, vt à ceteris ſolicitudinibus ſæculi
abſoluat, qualis eſt cælibum vita? Hæc omnia diximus,
ac ſi tibi dediſſemus, quotquot tecum in nouum euan-
gelium iſtud non conſenſerunt, Dei ignoratione tene-
ri, & erroribus complicari: quotquot vero in veſtra ver-
ba iurarunt veritatis notitia illuminatos fuiſſe. quid e-
rit, ſi iſtam, quam vos veritatis notitiam recèns illuce-
ſcentem iactatis, nos contra denſiſſimas tenebras, ob-
ſtinatam cæcitatem, errorum turbinem, mentis ca-
liginem, fictas demum chimæras appellemus? ò nimiũ
cæcam ſpeculationem, qua ſic conniuent, quibus à ple-
be negotium datum eſſe videtur, vbi nihil vident, qui-
bus ſpeculatorum partes delegatæ ſunt. non lux noua
eſt Caluine, ſed magis cæcorum (vt vulgò dicitur) quo-
rundam præſcriptio, abſurda iuſſio, atque inſigniter
caligantium exhortatio. vt ergo in ſumma dicam, ve- *Qualia ſint religioſorum vota.*
rum Chriſti euangelium neque contractus honeſtos
antè initos, nec matrimonia præſcindit, in quibus nul-
la altiſſimo Deo iniuria irrogatur, nec ſanctè cum Deo
pacta fœdera & creatori nuncupata vota, quæ euan-
gelicam legem nõ impedire, ſed iuuare poſſunt, reſcin-
dit. tantum abeſt, vt hæc omnia per ementitum euan-
gelium, per hæreſim quorundam improborum furore
inuectam, per fabulam ab ſtultiſſimis nebulonibus, in-
ſulſiſque poëtis confictam infirmentur, diſſoluantur,
labefactentur. at illa vota nihil aliud eſſe inquis, quàm
captioſa Satanæ retia, vt iam quibuſcunque Chriſtus *Caluinus mi-*
euangelij ſui luce affulſerit, dubium non ſit, quin *nimè perſtat,*
ab omnibus eos laqueis expediat, quibus ſe per ſu- *eſtq; promiſ-*
perſtitionem induerant. ò quàm malè ſeruas inter nos *ſis cõtrarius.*
pacta, & conuenta Ioannes, quàm tibi malè conſtas.
nónne iam inter nos conuenerat, & perinde agèba-
mus, ac ſi lubens tu dediſſes illos Deo obligatos fuiſſe?

quæ te res inde retraxit? ſi das Deo fuiſſe illos obligatos, quid captioſa Satanæ retia ab ipſis concepta vota vocas? ſi Deo tenebantur, vtique pia & religioſa pacta cum eo inierant, vt quantumuis eos ab omnibus laqueis expediſſet Chriſtus, quibus ſe per ſuperſtitionem induiſſent, adhuc tamẽ hiſce ſacroſanctis cãcellis, ceu diuinis legibus, ſepti tenerentur. num tibi, ſolicitos eſſe nos quomodo placeamus Deo, ſuperſtitio habebitur? num ſine vxore viuere ſuperſtitionem vocabis? num antiquos proceres, & apoſtolos, immo ipſam Chriſti matrem imitari velle, ſuperſtitio tibi videbitur? vana ergo & ſuperſtitionis plena erunt, quæ de eunuchis apud Chriſtum legimus, quæ apud Paulum de cælibatu, quę apud ſanctos omnes de monaſtica pia, ſancta, ac religioſa vita. non certè ego ſatis cogitatione aſſequi poſſum, quo pacto ab omnibus his laqueis, ſcilicet à perpetua cõtinentia ſeruanda, à tota ſubſtantia in pauperum vſus eroganda, atque à continua obedientia præpoſitis impendenda. Chriſtus IESVS quibuſcunque euangelij ſui luce affulſerit, eos expediuiſſe, qui omnium primus eunuchis honorem reſtituit, & in locum olim promiſſum, introducturum ſe eos ex euangelio pollicetur, qui vniuerſa vẽdere, & ſe ſequi in euangelio conſuluit, qui abnegare, quod ſumus, tantopere de euangelio clamat. *Quanquàm nec illis deeſt altera defenſio:* videris mihi hoc in loco Terẽtianum illud proferre? Hac atque illac circumcurſa, tandẽ inueniendus eſt cuniculus, quò iſti inuitis omnibus ſe recipiãt, ſed quę eſt iſta altera defenſio? *Si ad cælibatũ nõ fuerũt idonei:* hui quàm pulchra defenſio. quàm facilè votũ cõtinẽtiæ ſeruare poſſint & ij, qui ſingulari dono præditi non ſunt, antea docuimus, & experientia, me tacente, loquitur: neq; enim eſt ignotum, quot laboribus, vigiliis, atque crucibus carnem ſuam afflixerint, non ex viris tantùm, ſed ex feminis, teneríſque puellis multę, vt quam fidem ſemel Deo dediſſent, puram, illæſámque coram illo ſeruarent, reportantes victrices palmas, illámque lauream coronam. *At neque nobis ignotum eſt*, ais, *quanta obſcenitate ſcateãt omnia ferè monaſteria:* vidéſne, quò ſpectarit vniuerſa illa tua defenſio? iam pridẽ diuinabam, quorſum iſthęc

Matth.19.

Altera Caluini defenſio pro apoſtatis.

omnia euaſura eſſent. circumſpice cum tua mente, lector, quorſum omnes iſtius rationes fluxerint, contemplare, & conſidera, quàm ſibi hac in parte conſtet Caluinus, à maledictione rem iſtam, ſi meminiſti, exortus eſt, propoſiti nihil habuit, ſi animaduertiſti, præter contumeliam, nunc item niſi contumelioſè concludat, pertexere planè ignorat. non debueras ſic maledictum ex triuio arripere: ferreo igitur in omnia monaſteria iactato conuicio, os tuum magis, quàm viros Deo dicatos, & de Chriſtiana pietate optimè meritos vulneraſti. num licebat tibi ex aliquot, qui ibidem corruptis moribus ſunt, omnium ingenia & animos metiri? cur ſic ob nonnullos degeneres ſancta loca, religioſas domos, monaſteria cuncta traducis? cur apud te non pluris æſtimabuntur boni, vt vel ſui gratia aliis parcas, quã mali, vt cum iniuſtis tot innocentes, & indemnatos perdas? ſunt degeneres apud nos. non nego Caluine: at ſimúlne ſanctum cum peccatoribus, & iuſtum cum impiis condemnabis? Non vaſtabo ob decem iuſtos Sodomam, dixit olim iudex vniuerſæ terræ, Abrahamo ſanctiſſimo: & tu ob decem iniuſtos, ſceleratos, & peccatores tantam ſanctorum multitudinem delebis? Non portabit pater iniquitatem filii, nec filij parentum, vt lege ſua iuramento ſancta ſtabiliuit dominus: & tu aliquorum ſcelere omnes accuſabis? Anima, quæ peccauerit, altiſſimi decretum inſonat, ipſa morietur: & vnius, aut alterius peccato ad ignominioſæ mortis damnationem, te iudice, omnes nos ibimus? Pater ille familiâs ſemen in agro ſuo ſeminauerat: dormientibus autem hominibus, venit illius inimicus, & ſeminauit zizania inter triticum, abiítque: cùm autem germinaſſet herba, & fructum attuliſſet, tunc apparuerunt & zizania. accedentes autem ſerui patrisfamiliâs dixerunt illi, Vis igitur abeamus ea? at ille dixit, Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis vna cum illis & triticum. ſinite pariter creſcere vtraque vſque ad meſſem, & tempore meſſis dicam meſſoribus, Colligite primùm zizania in faſciculis, vt comburantur: triticum verò congregate in horreum meum. hæc prudens ille paterfamiliâs: & tu ſimul cum ziza-

Gen.18.

niis triticum extirpabis ac funditus tolles? niſi vererer videri, conuicium conuicio propulſaſſe, dicerem apertè te non niſi vt triticum eradices, incumbere toto animo, & ſtudio omni, vt qui inimicus ille homo ſis, & zizania ſeminaueris. duodecim elegit Chriſtus, & vnus illorum diabolus erat: at is, à te maximopere peto, & quæſo, ſanctiſſimo illi apoſtolorum colegio, quam notam inuſſit? nulla nimirum. cur igitur bene inſtituta monaſteria (cuiuſmodi innumera Chriſti eccleſia habet) vnius ob culpam & flagitium proteres, & conculcabis?

Obiectio cathol. contra apoſtatas.

Sed eſto Caluine illi periuri non ſint, eſto primam fidem irritam non fecerint, (liceat, obſecro, mihi tecum familiariter & amicè loqui) ſenſus ille verborum Pauli, Primam fidem irritam fecerunt, qui tibi perplacebat, non vides, quàm ex omni parte illos tuos benedictos clientulos feriat? ſed age tuis verbis libet nunc vti. *Quòd veluti amiſſo pudore, omnem deinde honeſtatis curam abiicerent, ad omnem laſciuiam & petulantiam ſe proſtituerent, licẽtioſa diſſolutáque vita, nihil minùs, quàm Chriſtianas mulieres præ ſe ferunt. quæ ergo ſibi perpetui cælibatus condicionem impoſuiſſent, ſi poſtea nuberent, facilè intelligimus accidiſſe, quod dicit Paulus, vt, proiecto pudore, inſolentiores fierent, quàm deceret mulieres Chriſtianas. ita non ſolùm peccaſſe. fidem eccleſiæ datam fallendo, ſed à cõmuni piarum mulierum lege deſciuiſſe:* hæc tu de illis nonnabus, de quibus ibi Paulus ediſſerebat. & vtinam non tam apertè id veriſſimum in veſtris monialibus monachorum apoſtatarum, ſi diis placet, vxoribus, intelligeremus. annon omnem honeſtatis curam, (vt non aliis, quàm tuis telis illas feriam) bona ex parte abiecerunt? an ad omnem laſciuiam & petulantiam ſe non proſtituerunt? quiduis potiùs, quàm Chriſtianos vtrique præ ſe ferre videbuntur. neque hoc dixi Caluine, quòd mercedi, quam ſperas pro oblato patrocinio & ope præſtita talibus reis, inuideam, (abſit) neque eſt quòd indignentur, ſi ipſos prodideris, dum vitam, atque mores paulò antè graphicè indicaſti: nam facilè cauſabimur, aut te (qua facilitate es & leuitate) paulo momento huc atque illuc ferri, & impelli, aut certè

non te ea conſtantia ſolitum eſſe ſcripturas interpretari, quin etiam conſueueris in gratiam fratrum, ex mediocri interprete, in ſceleratorum patronum, & venalem defenſorem, atque aduocatum ſubitò immutari. ſit hoc, ſit illud, nihil me premit: ſibi non tibi ſuccenſere debent, inſignes illi fidei deſertores. quoniam ſi eorum turpitudinem denudaſti, cùm eorum tu patronus acceſſiſſes, illi in cauſa ſunt. ſic enim viuunt, vt nihil poſſit vitæ eorum & morum ne promptiſſimus quidem, & ad defendēdum paratiſſimus defenſor attingere, quod vlcus non ſit. Chriſti eccleſia eſt, quæ merito ac iure tecum expoſtulet, quòd neſcio quia fatali fortuna id factum videat, vt nullus ſibi inimicus ſit, qui vel ea ratione tibi beneuolentiſſimus atque amiciſſimus non habeatur. hunc tu benignè excipis, hunc ſinu foues, denudans tuum pectus, intra viſcera abſcondis, veneraris, ſuſpicis, amas, defendis, & tantū nō adoras. heri, quòd cōtra te ſētiret, tibi apoſtata, vinolēt9, libidinoſus, & ſi quid eſt his peſtilētius videbatur, hodie cōtrà, quia tecū aduerſus vnā eccleſiā peſſimè conſpirauit, (quā malleis aſſiduis tūdis) & ingeniū placet, & vita placet, multi iugadoctrina placet, nihil deniq; nō placet, nihil non tibi probatur. ex defendendo, quàm ex accuſando, fateor, maiorem gloriam cōparari ſolitam: at verò ſi tibi multi innocentes accuſandi ſunt, vt nocens quiſpiam abs te defendatur, quantam putas gloriam ex eiuſmodi defenſione ipſe conſequêris? exiſtimas, apud prudentiſſimos quoſque accuſationem iſtam tuam magis, quàm defenſionem non iudicandam eſſe? belliſſima ſanè propugnatio, vbi mater accuſatur, & ignotus defenditur, propugnatur latro, & oppetitur iuſtus. Nos verò, benigne lector, vota ſemel concepta opere complenda eſſe, & non licere pro cuiuſque arbitrio illa tollere, contra apoſtatas defendimus. Non faciat irritum, inquit dominus, verbum ſuum homo, qui promiſit: ſed omne, quod promiſit, implebit. & alibi, Cùm votū voueris domino Deo tuo, non tardabis reddere. ne etiam moremur adimplere, Eccleſiaſtes ſapiens nos monet. Dij gentium non noſter dominus eſt, quibus ſi quis votum vouerit, & non reddiderit, nec hoc requirunt.

Aſſertio 1. contra apoſtatas.

Num. 30.

Deut. 23.

Eccle. 5.

Baruch. 6.

Pſal.49.55. Redde altiſſimo vota tua, Reddam tibi vota mea, Vouete
25. & reddite, decantabat dulciter rex ſanctus Dauid. neque perpetua voti obſeruatio aut Christianam imminuit libertatem, quæ magis tali voto firmatur, aut ſtultum, aut, quod fieri non poſſit, quidpiam inuoluit. ſed quàm ſint eiuſmodi promiſſiones Deo acceptę ſatis imprimis probat Annæ matris ſanctiſſimi Samuelis exau-
1. Reg.3. dita oratio, Dabo eum domino omnibus diebus vitæ eius. Probat Deiferæ & genitricis virginis Mariæ conceptum votum de perpetua virginitate ſeruanda. ſic enim illuſtres theologi ſuper eiuſdem Dei matris verbis,
Luce 1. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?
Aug. de ſancti virg. ca. 4. Bern. ſuper Miſſus eſt. Beda Luc.1. Aug. lib.7. de ciuit. Dei c.4. Epiph. lib.1. cont. hereſes.
annotauerunt, Auguſtinus, Bernardus, Beda, atque alij. probat & apoſtolorum conceptum de ſeruanda in perpetuum paupertate votum, ſicut idem Auguſtinus optimè deducit quodam in loco, atqui certè de perpetua continentia expreſsè de apoſtolis domini, ducibus noſtris, affirmat Hieronymus, affirmat Epiphanius, affirmant profectò complures. probat & illarum viduarum conſuetudo, de quibus apoſtolus in priore epiſtola ad Timotheum locutus eſt, & nos plura diximus. illum quippe locum ad ſanctimoniales ſui ſæculi traxit Auguſtinus, dum verba illa pſalmi interpretatur, Vouete & reddite. idem in libro de ſancta virginitate, quē ſequitur Primaſius ipſius diſcipulus ſuper eiſdem Pauli verbis, cum quibus Iſidorus cōſentit. trahit & illum locum ad eas feminas, quæ ſemet Dei cultui perpetuò dedicauerunt, antiquior ſuprà memoratis Hieronymus libro priori in Iouinianum, ad Demetriadem, & in commentariis ſuper quadrageſimum quartum caput Ezechielis.
Baſil. de virgin. c.55. neque ab his digitum diſcedit Ambroſius, cùm in interpretationem producti loci Pauli incumbit. dum de virginibus, quæ ſe Deo dicarunt, loquitur Baſilius, non niſi illis apoſtoli ſermonibus fidem datam fallētes vrget, & arguit vbi magnus ille Baſilius virginem Deo ſacratam impollutam ſacerdotem appellauit, quia, cùm Deo virginitatem ſuam nuncupauit, ſui vtique corporis ſacrificium Deo gratiſſimum obtulit. trahunt & illum locum Pauli ad ſanctimoniales noſtræ ætatis patres concilij Carthaginienſis quarti capite vltimo ſuorum de-

cretorum. trahunt & patres Toleti congregati in concilio quarto, & capite quinquageſimo primo. omitto referre concilium Valétinum capite ſecundo ſuorum decretorum concilium Auraicenſe cap. 27. concilium Elibertinum cap. 13. Toletanum quartũ cap. 48. & 51. quibus in locis cum Deo pactam continentiam iubétur adoleſcentiores puellę omnino cuſtodire, ne fractæ fidei & periurij apud Deum grauiter accuſentur. vbi etiam eiuſmodi vota inter primas diuini cultus partes numerãtur. Eat nunc Caluinus, & pro tam numeroſa patrum multitudine vel vnum nobis proferat, qui aut illum locum apoſtoli aliter, atque nos, interpretatus fuerit, aut dixerit nullũ exhiberi in cælibatu monaſtico Deo cultum: quem cum non habeat, obmuteſcat nouorũ dogmatum aſſertor, patrum irriſor, antiquitatis illuſor, iuris & æqui profanator. quid ais? num credis tuo ſæculo hoc natum eſſe, quod ſcilicet iuramento ſuum votum monachi confirmant, non ad tempus, ſed perpetuò? lege, lege S. Dionyſium, Pauli diſcipulum, lege Auguſtinum, & tunc deſines mirari, lege Gregorium, huius nominis primum, & omnem admirationem depones, lege Chryſoſtomum, & diſces, quid ſuper hoc omnis ætas poſt Chriſtum ſenſerit, lege, quæ Vrbanus primus, papa & martyr, in epiſtola de communi vita & oblatione fidelium de hac re tradiderit, & ſcies, antiquiſſimo illo ſæculo (floruit ſiquidem circiter annum 226. ſub Marco Aurelio imperatore) fuiſſe iam homines, qui paupertatem vouentes, in communitate viuerent, prout nunc monachi faciũt: percipies nihilominus ex his patribus, tum grauiùs eos punitos, qui conceptum ſemel votum feſelliſſent, quàm qui ſine voto vitam malè finierunt, tum etiam multò vberiùs & magnificẽtiùs à iuſtiſſimo diſpenſatore Chriſto præ ceteris præmiatos, qui quod verbo ſtipulati ſunt, opere ipſo præſtiterunt. Quamobrem, poſtquam nimiùm diuagata eſt oratio noſtra, iámque tempus poſtulat, vt ipſius comprimamus bella, libet non aliis verbis, quàm Hieronymi noſtram apologiam pro monachatu contra Caluinum abſoluere, quibus nos monachos vir ille integerrimus noſtri inſtituti ſatis pro dignitate admonet, multóque vrbaniùs,

Dion. de eccl. hierarc. c. 6. Auguſt. epiſt. ad Armentarium. Greg. hom. 20 ſuper Ezech. Chryſoſt. hom. 11. ſuper epiſt. ad Hebræos.

atque Chriſtianiùs, quàm Caluinus, qui doliares & ſi vis, ſeſquipedales monachorum ventres appellat. ea enim eſt hominis vrbanitas, ea Chriſtiana modeſtia. Veſtra, ô Chriſti milites, perfectio eſt, exutam mentem habere à cunctis terrenis negotiis & tumultu ſæculi, iuxta illud apoſtoli, Nemo, militans Deo, implicat ſe ſæcularibus negotiis. eáque, quantùm humana imbecillitas ſinit, vnire cum Chriſto feſtinat. at rara eſt & pauciſſimis Dei dono hæc perfectio conceſſa: (fateor) verùm quam facilè adipiſcamini, ſi ipſam imitari contendatis. vos enim verè, & non ex parte tantùm perfecti eritis, qui & in eremo ſqualorem ſolitudinis, & in cœnobio fratrum infirmitates æquali magnanimitate ſuſtentaueritis. vt enim in vtraque profeſſione per omnia conſummationem inuenire difficile ſit, quia nec anachorita cõtemptum, ac priuationem materialium rerum, nec cœnobita theoricam ad integrum puritatem aſſequatur: tamen quantùm veſtræ tranquillæ vitę ſerenitas ſęcularis conuerſationis turbulentiam ſuperexcellat, nouit is, qui vtranque expertus eſt. nunc verò, poſtquam ſæculum reliquiſtis, & ſecundo poſt baptiſmum gradu pactum cum aduerſario veſtro iniuiſtis, dicentes ei, Renuntiamus tibi diabole & ſæculo tuo, & pompæ tuæ, & opibus tuis, ſeruate igitur fœdus, quod pepigiſtis, eſtote conſentientes, pactúmque cum aduerſario cuſtodiẽtes, ne fortè tradat vos iudici, & de ſuo aliquid vſurpaſſe conuincat, tradaminíque miniſtro, qui ipſe eſt inimicus & vindex, & mittamini in carcerem, & in exteriores tenebras, quæ quantò à Chriſto vero lumine ſeparantur, tantò nos maiori horrore circumdant, & non inde exeatis, niſi ſoluatis nouiſſimum quadrantem, id eſt, minimum quodque delictum. quia & pro otioſo verbo reddituri ſumus rationem Deo in die iudicij. Hęc dicta ſint, cariſſimi fratres & obſeruandiſſimi patres, non infauſto contra vos vaticinio, ſed pauidi, cautíque monitoris officio: ea etiam in vobis, quæ tuta ſunt, formidamus. finem principio iungimus, nec ſemel monuiſſe contenti ſumus: ſcripturas ſanctas amate, & amabit vos eccleſia, diligite virtutem, & vos ſeruabunt eccleſiæ patres, honorate euangelium, & orbis totus vos amplexa-

Hier. ſuper illud Thren. 3. Bonum eſt viro, ſi portauerit iugũ ab adoleſcentia ſua.

Idem de virgin. ad Demetriadem.

Matth. 12.

bitur. vitæ veſtræ integritate Scyllæos canes obturata aure tranſibitis. Hactenus de monachatu.

De imaginum cultu. *Cap. XXII.*

PAter erat, qui dixit, horrendam eſſe abominationem videre depictam vel Chriſti, vel ſancti vllius imaginem in Chriſtianorum templis. neque id hominis vnius voce pronuntiatum eſt, ſed ab eccleſiaſtico etiam concilio decretū, ne quod colitur, in parietibus depingatur. plurimum abeſt, quin ſe intra hos fines contineant, quando non relinquunt angulū imaginibus vacuum: patres fuiſſe, & apoſtolos ipſos, à quorum ætate imaginum vſus in eccleſiaſticam conſuetudinem venerit, contrà verò hæreticos, qui huic eccleſiaſtico pio ſatis vſui reſtiterint, antiquorum patrum teſtimoniis, omni luce clarioribus, (ni fallor) in libro ſecundo huiuſce noſtri operis apertiſſimè & planiſſimè explicauimus: quo etiam pacto Epiphanium ſanctum, atque Elibertinum illud concilium interpretata fuerit eccleſia, ſatis commodè (vt coniicio) demonſtrauimus. ne igitur ſæpius idem à me vſurparetur, cui tot dicenda ſuperſunt, libuit lectores deprecari, vt in memoriam reuocare velint, quid nos eo loco, & ſuper hoc negotio ex patribus, & pro patribus magno labore, ac diligentia in vnum congeſſerimus. licebit igitur longiùs inoffenſo pede percurrere, & in ſequentem obiectionem nos totos conferre. *Obiectio 4. principalis Caluini de imaginibus.*

De mortuorum ſuffragiis agitur, & quòd, remiſſa culpa, ſæpe maneant temporales pœnæ hic, aut in futuro ſæculo exoluendæ & purgandæ, ex antiquiſſimis patribus ad nos profluxiſſe, apertis ipſorum teſtimoniis conuincitur.

Cap. XXIII.

PAter erat, qui conſuluit, vt, officio humanitatis erga mortuos in ſepultura defuncti, eos ſineremus quieſcere: hos limites perrumpunt, cùm perpetuam mortuorum ſolicitudinem incutiunt: Pater erat, vt à rei huius prima origine ego exordiar Caluine Irenæus ille, & martyr illuſtris, ac, teſte Tertulliano, doctrinarum omnium curioſiſſimus explanator, qui poſt dimiſſam culpam, neceſſariam eſſe ſatisfactionem peccatoribus, vt iam ſicut nec culpa, ſic nec reatus aliquis ſuperſit, diſertis verbis declarat, ducens argumētum à primo noſtro omniū parente, *Obiectio 5. princ. Cal. de ſuffragiis defunctorum. Ambr. lib. 1. de Abrahamo c. 8. Iren. 3. con. hær. cap. 5.*

quem dicit in ſe ipſo tertiam hanc pœnitentiæ partem conſecraſſe, dum ſuę inobedientiæ pænitudine ductus, ſuccinctorium ſibi fecit ex foliis ficulneis, eáque re tale aliquid cunctis ſignificare voluit: Quoniam eam, quam habui à ſpiritu ſanctitatis, ſtolam amiſi, per inobedientiam, nunc cognoſco, quòd ego dignus ſim tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præſtat, mordet autem, & pungit corpus. atque vt videas, quàm verè, & ex animo pœnitētiam facere inceperit, ſubdit, Et hoc indumētum habuiſſet ſemper, niſi dominus, qui miſericors eſt, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis eos induiſſet. Hactenus Irenæus. Pater erat, qui de eiuſmodi ſatisfactione poſt culpæ remiſſionē, dixit, Cùm prouoluit hominem, magis releuat, cùm ſqualidum facit, magis mundatum reddit, cùm accuſat, excuſat, cùm cōdemnat, penitus abſoluit. Hęc Tertullianus. Pater erat, qui multis & grauibus verbis oſtendit lapſis opus eſſe, quò plenè pro peccatis Deo per ipſos ſatisfiat, grandi ac prolixa pœnitentia. Sed video, quid reſpondeat Caluinus, video, quid hîc dicat: multam hanc, ſemel Chriſti munere culpa condonata, fatetur ipſe aliquando & ab ſcriptura & à ſanctis exigi, non ad pœnæ alicuius ſolutionem, non ad delictorum punitionem, ſeu peccatorū purgationem, & ſupplicium, quod ſit aut hîc, aut in altero ſæculo luendum, ſed ad peccantium ſcilicet correctionem magis, & ad prauitatem, quam peccando contraxerunt, compeſcendam, & ad ſcandali poſtremò reparationem, vt alij exemplo & grauitate ſupplicij à ſcelere deterreantur. verùm videat Caluinus, quæ ſanctus ille pater in fine adiunxit, Datur opera, dum his ſatiſfactionibus reſiſtitur, ne fletibus & lamentis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur, pax vera falſæ pacis mendacio tollitur. Pater erat, qui Chriſtiana ac vera non minùs, quàm eleganti oratione dixit, Quia etiam ſi quis mundetur à peccato, & non ſit iam (vt illius ego verbis vtar) in opere peccati, ipſa tamen veſtigia ſceleris commiſſi lacrymarum & fletuum purificatione indigent: vt mihi videatur eſſe quaſdam & in ipſa purificatione differētias, & (vt ita dixerim) profectus quoſdam purgationum. Hæc Origenes. Quid clarius dici poterat?

Tertull. de pœn.

Cypr. ſerm. 5. de lapſis.

Cypr. l. 1. ep. 2.

Orig. ſuper Leuit. hom. 8.

poterat? non ille de correctione agebat, non de ſcandali ſeparatione, non de exemplis ab alio ſumendo, ſed de maiori, & adeò perfecta purificatione, ſermo illi erat. Cyrillus atque Iſichius, non modò hanc ſententiam, verùm & verba ab Origene mutuari ſolent. Pater erat, qui ad quandam Corruptam ſcribens, veræ pœnitentiæ colores viuos exprimens, ac fructus percenſens, dixit poſt multa digna virili ipſius animo, quem Deo ſemper conſecratum geſſit, Grandi plagæ alta ac prolixa opus eſt medicina, grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem. Hæc Ambroſius. Atqui Ioãnes de ſcelere occulto, non de publico, & ſimul de diuina placatione, non de filiali correctione, dum ſic exclamaret, recordabatur ſacer Ambroſius. Pater erat, qui minimè exiſtimabat ad ſalutem pleniùs aſſequendam ſufficere, ſi tantummodo ſpicula de corpore euellamus, (hoc eſt, ſi ſimus à culpa liberi) niſi etiam quiſque inflicto vulneri, ieiunio, oratione, & eleemoſynis mederi attentè ſtudeat. ſed ne mihi aut ſuſpectum eſſe librum reſpondeas, aut correctionis & doctrinę nomine non caſtigationis, aut vindictæ ſumendæ Chryſoſtomum hęc fuiſſe locutum (vt ſoles) corruptè interpreteris, en adeſt tibi idem Chryſoſtomus, qui vtrunque ſcrupulũ è tuo animo exigat. nam liber indubitatus eſt, & de iudicio agit, homilia ſcilicet quadrageſima prima de pœnitentia. vbi poſt multa, quibus probauit pœnitentem iraſci non oportere, neque ſæuire, ſed conteri, tanquam condemnatum, tanquam fiduciã non habentem, ait, Pœnitentem nunquam oportet obliuioni peccatum ſuum tradere, ſed Deum ſemper rogare, ne eius meminerit, ipſum autem nunquam ipſius obliuiſci. ſi nos eius non recordemur, Deus ipſius non obliuiſcetur. à nobis ipſis vltionem ſumamus, nos ipſos accuſemus: ita placabimus iudicem. Hæc Chryſoſtomus: & copioſiſſimè idem proſequitur in libro tertio de dignitate ſacerdotali, capite quinto. Pater erat, qui præcepit tantùm vitæ auctoritate Deo ſatisfaciendum, quantum noſtris ſceleribus ipſius celſitudinem offendimus. Pater erat, qui docebat, pœnitentes magna cũ promptitudine paratos eſſe debere ad acceptandam iniunctam ſibi à ſacerdotibus pœnitẽtiam.

Ambr. in epiſtol. ad Corruptam.

Chry hom. 10. in Mat.

Aug. de vera & falſa pœnit.

Omitto quamplurimos eccleſiæ patres, Gregorium ſcilicet, Anſelmum, Iſichium, eam veritatem vbique docentes. fortè tibi patres non habebuntur illi, qui Lateranenſi concilio ſub Innocentio viro & ſanctiſſimo & doctiſſimo interfuerunt, fortè nolles, vt patres, eos venerari, qui ſub Paulo III. & Iulio item III. Tridenti conuenerunt: at mihi Caluine patres ſunt, & illos altero poſt apoſtolos gradu veneror, ac ſuſpicio, qui explicatè (vt vides) rem hãc nos ſumma diligentia docuerũt.

Pœnas eiuſmodi primitiua eccleſia certis temporum ſpatiis circumſcripſit.

Lib. 9.

Addo etiã eiuſmodi pœnas temporarias, quæ in hoc, aut in futuro ſæculo perſoluendæ relinquuntur remiſſa culpa, certis temporum ſpatiis ab eccleſia primitiua circumſcriptas fuiſſe, & quibuſdam publicis ad imponendam pœnitentiam regulis cõcluſas. harum cum primis magnum numerum ex Pœnitentiali Romano, & Theodori, atque aliorũ Brucardus coaceruat, non quaſi à pontificibus Rom. inuentas, ſed aut ab apoſtolis, aut ab eorum ſucceſſoribus traditas & obſeruatas. nam & canones apoſtolorum dum de triennali pœnitentia locuti ſunt, & Clemens illarum aut exemplũ, aut præſcriptum ex hiſtoria Mariæ, ſororis Moſis, apoſtolos petiuiſſe oſtẽdit, quæ à Deo in peccati pœnam aliquot diebus à caſtris iuſſa eſt exulare. earundem ſanè ac propemodum omnium, quę in pœnitentiali leguntur, iam olim meminerunt Ancyrana, Nicæna, Neocæſarienſis, Elibertina, atque alię ſynodi. eaſdem vero latè explicãt Petrus martyr Alexãdrinus ante Athanaſium epiſcopũ, Magnus Baſilius, Gregorius Niſſenus, quorum habentur plenæ his canonibus epiſtolæ, & de ipſis, tanquam de regulis acceptis à maioribus & apoſtolicis viris, perquàm ſanctè & religiosè verba faciunt. ſed neque ante hos Cyprianus alios canones de pœnitentiis videtur ſignificare, cùm ſtata tempora pœnitẽtiæ toties flagitat, & cùm repetit ſolenne illud in agendis pœnitẽtiis triẽnium. Porrò animaduerto huiuſmodi pœnitentias in tria temporis ſpatia magna ex parte diuidi: aut enim quadragenis diebus, vel paucioribus, aut aliquot annis deſcribebantur, aut ad extremum vitæ producebantur.

Can. 1. ep.

antiquum illum Petrum Alexandrinum video aliquam ſubindicare rationem, cur quadragendialis pœnitentia

præ aliis conſtituta ſit, & celebrata, nimirum quòd ex Chriſti ieiunio conſecrata, exemplum haberet per ieiunium, atque aliâs corporis afflictiones depellendi à ſe dæmonem, ac ſatisfaciendi pro peccato. horum certè quadraginta dierum in canonibus, ſextæ ſynodo attributis, fit mentio honorifica, & celebris ad agendum pœnitentiam ſemper habita eſt quadrageſima. in pœníſque infligendis plerunque ab ea petebatur initium, atque in ea durioris victus imperabatur ratio. Si feciſti homicidium, ex pœnitentiali citat Brucardus, quadraginta dies continuos, quod vulgus carniam vocat, ita vt conſuetudo eſt, in pane & aqua debes ieiunare. ibi legitur carniam Teutonicè pro quadrageſima nuncupari. interdum plurium quadrageſimarum eodem anno pœnitentia iniungebatur, quemadmodum non ſemel apud eundem Brucardum reperitur. In quatuor annis, inquit, qui ex ſeptem de pœnitentia remanent, tres quadrageſimas per legitimas ferias debes ieiunare. primam ante paſcha, cum ceteris Chriſtianis, alteram, ante feſtiuitatem S. Ioannis Baptiſtæ, & ſi quid remanet, pòſt adimpleas, tertiam ante natiuitatem domini. alio loco apud eundem ad ſeptem quadrageſimas prorogatur pœnitentia, non, vt opinor, eodem anno exoluendas. Si furatus es, ait, de theſauro eccleſiaſtico intra eccleſiam, ſiue aurum, ſiue argentum, ſiue gemmas, ſiue pallia, ſi feciſti, redde, quod tuliſti, & tres carenas cum ſeptem ſequentibus annis pœnitens ieiunare debes. Secernebatur autem quadrageſima, ſic vt apparet, à reliquo pœnitentiæ tempore, vt in eo ſeuerior diſciplina & victus aſperior obſeruaretur. anni tres ſæpe ad expiationem deſignabantur, frequentiùs ſeptem, aliquando decem. triginta non legi exceſſiſſe, aut nominatim exprimi: ſed ſi quid amplius imponebatur, referebatur ad totum vitæ curſum. non omittendum tamen, ob iterata eadem peccata, aut eiuſdem grauitate conduplicata, ſolitum quoque pœnas conduplicari, & pœnitentiæ tempus produci. præclarè Niſſenus ea de re ſic ſcribit, Quoniam eorum, qui in fornicatione polluti ſunt, iniuria aliqua cum hoc peccato commiſta eſt, propterea duplum cõuerſionis tempus his præſcriptum eſt, qui *can. 4. epiſt. ad epiſc. Mityl.*

ſe contaminarunt adulterio, animalium initu, & rabie in maſculos: in his enim peccatum duplicatur. vnum quidem, in illicita & nefaria voluptate, alterum autem, quod conſiſtit in iniuria, quæ fit alteri. Brucardus quoque ita patres cẽſuiſſe narrat, Si mœchatus es tu vxoratus cum alterius vxore, quia habuiſti, quomodo impleres tuam libidem, duas carenas cum quatuordecim annis ſequentibus pœnitere debes. vnam, quia ſuper vxorem tuam alteram habuiſti, ecce vnum adulterium: habuiſti etiam alterius vxorem, ecce aliud adulterium, & nunquam debes eſſe ſine pœnitentia. Animaduertendũ inſuper eſt, ex natura & magnitudine culparum pœnas illas ſtatui & ſanciri, atque in his decernendis, diligenter inueſtigári omnes circunſtantias: idque non pro ratione ſcandali, ſed pro varia adiunctarum qualitatum, quibus offenderetur Deus, modò grauiùs, modò mitiùs plecti. totus in hoc eſt Petrus Alexãdrinus, totus in ſuis canonibus Niſſenus, frequẽs in eiſdem verſatur Baſilius. ita vt ſecundum menſuram delicti ſtatueretur plagarum modus. Cyprianus etiam in leuiſſimis eccleſiæ offendiculis id exigit. etenim ait, Cùm in minoribus delictis, quæ non in Deum committuntur, pœnitentia agatur iuſto tempore, & exomologeſis fiat inſpecta vita eius, qui agit pœnitẽtiam, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi priùs illi ab epiſcopo, & clero manus fuerit impoſita, quantò magis in his grauiſſimis & extremis delictis cautè omnia & moderatè ſecũdum diſciplinam domini obſeruari oportet? hoc argumẽtum copioſè dilatat in epiſtola ad Antonianum, & ſermone de lapſis concludit, Quàm magnè deliquimus, tam grauiter defleamus: pœnitentia crimine minor non ſit.

Eo. lib. 19. *In nomocanone.* *Lib. 3. ep. 16*

Lib 4. ep. 2.

Pœnitentiæ etiã pro peccatis occultis imponebantur.

Ad hæc memoriæ mandandum eſt, non de ſolis peccatis publicis ſumptum fuiſſe in eccleſia ſupplicium, ſed de latebris conſcientiarum, & his actionibus, quas homines ſolent maximè remotis arbitris perpetrare. nam apud Brucardum ex illis Pœnitentialibus antiquis irrogantur acerbiſſimæ pœnitentiæ, etiam ob ſtultas & vanas, quibus per omnia genera magicarum & paganarum ſuperſtitionem decurritur, atque in omnibus dicitur, Si credidiſti iſtud valere, aut id poſſe, aut id verum

eſſe, &c. puniuntur etiam indecori concubitus cum vxore, nefarij prodigioſique congreſſus cum iumentis, ad quos nemo dixerit teſtes aduocari. concluditur demum à Pœnitentiali, In iſtis omnibus debent ſacerdotes magnam diſcretionem habere, vt diſcernant inter illum, qui publicè peccauit, & publicè pœnituit, & inter illum, qui abſconsè peccauit, & ſua ſponte confeſſus eſt. Quod inſecutus Baſilius, declarat non oportere ignotas & clandeſtinas adulteras publica pœnitentia traducere, ſed imponendum tale onus, ex quo neque viris veniãt in ſuſpicionem, neque in cognitionem. idem ſtatuit, maiore dignos miſericordia fures, præſtigiatores, & veneficos, qui ſe apud ſacerdotem vltro prodiderint, & accuſauerint, quàm qui deprehenſi fuerint, aut conuicti. Niſſenus aſſentitur Baſilio, & delectum faciẽdum aſſerit inter eos, qui voluptate lapſi ſunt. Nam qui ex ſe ipſo, ait, ad ſua proferenda peccata impulſus eſt, eo quòd ſua ſponte occultorum accuſator eſſe voluerit, vt qui iam affectioni medicinam adhibere cœperit, & ſignum mutationis in id, quod eſt melius, oſtenderit, in mitioribus pœnis verſatur. Ante eos Cyprianus ipſas etiam cogitationes prodendas docet in pœnitentiæ foro. Quantò, inquit, ex fide maiore, & timore meliore ſunt, qui quamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitarunt, hoc ipſum apud Dei ſacerdotes dolenter & ſimpliciter confitentur? hi certè exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis licèt & modicis vulneribus exquirunt, ſciẽtes ſcriptum eſſe, Deus non irridetur, derideri & circumueniri Deus non poteſt, nec aſtutia aliqua fallente deludi. plus immo delinquit, qui ſecundum hominem, Deum cogitans euadere, ſe pœnam criminis credit, ſi non palàm crimẽ admiſit. & ſi ſit minor culpa, non eſt tamen innocens conſciẽtia. faciliùs verò poteſt ad veniam criminis peruenire, qui medicinam paruis etiam vulneribus à ſacerdotibus quærit, qui non ceſſat in agenda pœnitentia, atque in domini miſericordia deprecanda, ne, quod minus eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatiſfactione cumuletur. Neque verò quod ex Cypriano hîc

Bruc. lib. 19

Can. 34. Amphiloch.

Can. 62. 63.

Egregij canones, qui vtinam noſtro ſæculo obſeruarentur.

audiuimus prætereundum arbitror, leuiſſima quæque expendi ſolita in eccleſia, & iuſtis ſuppliciis affici. nam minutiſſima Pœnitentiale Romanum ſic perſequitur, Si quis peccatum imputãdo fratri imponat, priùs, quàm ſeorſim arguat eum, ſatisfaciẽs tres dies pœniteat. Quicunque hoſpites non recipit in domo ſua, ſicut dominus præcipit, & propter hoc regna cælorum promiſit, quanto tempore hoſpitibus humanitatem denegauerat, & mandata euangelica iuxta poſſibilitatem ſuam non adimpleuerat, neque pedes lauerat, neque eleemoſynam fecerat, tanto tempore pleniter in pane & aqua, ſi non emendet, pœniteat. Si quis permiſerit hæretico miſſam ſuam celebrare in eccleſia catholica, & neſcit, quadraginta dies pœniteat. Qui neglexerit viſitare infirmos, & non venit ad eos, qui in carcere erant, & non subminiſtrauit eis, decem dies in pane & aqua pœniteat. Operatus aliquid in die dominico, tres dies in pane & aqua pœniteat.

Eiuſmodi pœnitentiis etiam coram Deo expiari peccata.

Vnum reſtat maximi momenti, quod adiiciendũ puto. Pœnitentię eiuſmodi iniungebãtur ad expiãda peccata, non tãtùm coram hominibus, ſed coram Deo, neque ſolùm vt ſatisfieret ſcãdalo publico, ſed iuſtitiæ diuinæ, repoſcenti de nobis temporaneã vltionem de remiſſa culpa, quæ merebatur æternã damnationem. Primùm credo multam illã quatuor de cauſis à canonibus indictam fuiſſe ad peccantium ſcilicet correctionem, & prauitatis, quã peccãdo contraxerunt emendationem. Quid enim, ſcribit Tertullian⁹ in libro de pudic. ex pœnitentia matureſcit, quàm emendationis affectus? deinde ad ſcandali reparationem, vt alij deterreantur à ſcelere exẽplo, & grauitate ſupplicij. preterea illata eſt hęc punitio ad peccatorum purgationem, & tormentorum perſolutionem, quæ iuſtum, & miſericors Dei iudiciũ ſtatuit, hîc, aut in futuro ſæculo luenda fore, & perferenda. poſtremò verò ita prouiſum eſt eccleſiæ, ne ira Dei in ipſam ſæuiat, ſi peruerſos patienter tulerit. Baſilius can. 84. & 85 illas cauſas breuiſſimè expedit. Hæc ſcribimus, inquit, vt pœnitentiũ fructus probetur. quòd ſi à propriis moribus non facilè auellũtur, & carnis voluptatibus potiùs, quàm Deo ſeruire voluerint, vitámq;

ex euangelio inſtitutam non admittant, nulla eſſe debet cum illis nobis communis ratio. ne itaque cum ex eis perire in animũ inducamus, ſed graue iudicium formidantes, & terribilẽ Dei retributionis diem præ oculis habentes, ne velimus vnà cum alienis peccatis perire: ſi enim nos non docuerunt terribilia Dei, nec tot plagę nos in ſenſum deduxerunt, quòd propter noſtram iniquitatem nos dereliquit dominus, & tradidit in manus barbarorũ, & populus ad hoſtes captiuus adductus eſt, & deſperationi traditus, eo quòd ea audebant, qui Dei nomé circumferebant, ſi nõ nouerunt, neque intellexerunt, quòd propter hoc venit ira Dei in nos, quæ eſt cõmunis nobis cum his ratio? ſed & noctu & interdiu, & publicè & priuatim ipſis teſtificari debemus, quòd cũ eorum improbitatibus abire nolimus, eos quidem lucrifacere optantes, & à mali laqueo eripere: ſin autem hoc poſſumus, ſtudeamus noſtras animas ab æterna damnatione eripere. Diuus Cyprianus ſæpius profectò imputat, publicas perſecutiones pœnitentiarum remiſſionibus temerè in eccleſia factis. Niſſenus can. 4. pœnitentiam vniuerſale remedium vocat, vt à concitata in huiuſmodi voluptates rabie homo purus efficiatur. Cyprianus verò in lib. 4. epiſt. 2. vt hereſim, inſectatur eorum opinionem, qui pœnitẽtias illas ab eccleſia impoſitas, & in eadem peractas negarent quidquam prodeſſe apud Deum, aut diuinæ iuſtitiæ non ſatisfacere, ſi quid reſtaret pro peccatis ſoluendum. O fruſtrandæ, ait, fraternitatis irriſio! ô miſerorum lamẽtantium deceptio! ô hæreticæ inſtitutionis inefficax & varia traditio! hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam, dicere fratribus noſtris, Plange, & lacrymas funde, & diebus ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo & purgãdo delicto tuo largiter & frequenter operare, ſed extra eccleſiam poſt iſta omnia moriendum. quæcunque ad pacem pertinent, facis, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies quis non ſtatim pereat? quis non ipſa deſperatione deficiat? quis non animum ſuum à propoſito lamentationis auertat? operari tu putas ruſticum poſſe, ſi dixeris, Agrum peritia omni ruſticitatis exerce, culturis diligen-

De lapſis & in lib. 3. epiſt.

ter inſiſte,ſed nullã meſſem metes, nullam vindemiam premes,nullos oliueti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes? præcludere eſt, atque abſcindere iter doloris ad pœnitendi viam, vt cum ſcripturis dominus Deus reuertentibus ad ſe,& pœnitentibus blandiatur, noſtra duritia & crudelitate, dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipſa tollatur.. quòd ſi inuenimus à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exhortantibus domini miſericordiam, ſecũdum quod ille miſericors & pius eſt, per ſacerdotes eius pacem poſſe concedi,admittendus eſt plangentium gemitus,& pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. & quia apud inferos confeſſio non eſt, nec exomologeſis illic fieri poteſt, qui ex toto corde pœnituerint, & rogauerint in eccleſiam debent interiùs ſuſcipi, & in ea ipſa domino reſeruari, qui ad eccleſiam ſuam venturus, de illis vtique, quos in ea intus inuenerit, iudicabit. Relictis aliis locis ex Cypriano, vnum addam duntaxat, qui ſermoni de lapſis inſeritur. Confiteantur, inquit,ſinguli,quæſo vos fratres,delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit in ſæculo eſt,dum admitti eius confeſſio poteſt,dum ſatisfactio & intermiſſio facta per ſacerdotem apud dominũ grata eſt. conuertamur ad dominum mente tota, & pœnitentiã criminis veris doloribus exprimentes,Dei miſericordiam deprecemur. illi ſe anima proſternat, illi mæſtitia ſatisfaciat, illi ſpes omnis incumbat. rogare qualiter debeamus, dicit ipſe: Reuertimini ad me ex toto corde veſtro,ſimúlque & ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda & non veſtimenta veſtra. ad dominum toto corde redeamus,iram & offenſam eius ieiuniis,fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus. Rationem hanc optimam ſermone de paſſione explicat. Qui ſui iudex,ac tortor eſt,per pœnitentiam non iudicatur à Deo, qui non iudicat bis in idipſum. quare pœnitentes,quia à ſeipſis iudicatos,abſoluit. Rationem aliam adiungam è ſchola noſtra & antiquis canonibus acceptam. etenim ſi pœnitentia nos non conciliat Deo, neque cum illo per eius erga nos caritatem & pactionem, quaſi quoddam habet commercium,li-

Cypr. ſerm. de lapſis.

Ratio theologica ad probandum his pœnitentiis etiã apud Deum ſatisfieri.

cebit eam eccleſiæ per animi ſimulationem & malitiam etiam in peccato exoluere. nam theologorum eſt communis ſententia modum, & interiorem animi motum non cadere ſub præceptum eccleſiæ, quin ſine illo debitè præſtetur & perficiatur, quod illa iuſſerit. Non eſt autem ita, inquit vetus canon, vt multi ſacerdotes multos ſeducunt, dicentes, quòd in ipſo peccato pœnitentia eſſe poſſit. Deinde ex concilio Nicæno perſpectum eſt Nouatianorum hæreſim in hoc conſiſtere, quòd aſſererent Deum quidem lacrymis & pœnitentia placandum, non tamen per eccleſiæ poteſtatẽ, aut pœnitentias ab ipſa iniunctas in Dei gratiam redire poſſe. hoc eſt, quod Nouatianis improbat Cyprianus, hoc eſt, quod ex Aëtio audiuit Conſtantinus: qui cùm illum interrogaſſet, an in fidem Nicænæ ſynodi, & Paſchalis definitionem conſentiret, Vtique, reſpondit. ſed interroganti imperatori, quare ſe à communione ſeparaſſet, dixit, Quoniam hi, qui peccaſſent ad mortem, bene quidem admonendi eſſent ad pœnitentiam, ſpem verò remiſſionis non à ſacerdotibus, ſed ab ipſo Deo expectare, qui & poſſit, & poteſtatem habeat remittere peccata. Poſtremò pænitentiam ad ſolam politiam redigere, Caluinianiſmum eſt ſectari, aut amplecti, qui tranſgreſſoribus ſuarum conſtitutionum, temporarias illas pœnitẽtias irrogat, vt vmbram æquitatis videatur imperitis ipſum æmulari, cùm interim virtutem omnem eccleſiæ, cæleſtémque eius poteſtatem abneget & eneruet.

Bruc. li. 19.

Socr. 1. c. 10.

Purgatorium locum eſſe, vbi eiuſmodi temporariæ pœnæ perpurgentur, omni mortali inimicitia & culpa penitus remiſſa, omnium ſæculorum communi ac concordiſſima ſanctorum ſententia confirmatur, atque viuorum ſuffragiis defunctorum animas vehementer adiuuari optimè oſtenditur. Cap. XXIIII.

PAter erat, (vt noſter ſermo ad cauſam noſtram de ſuffragiis defunctorum propiùs accedat) qui verbo illo Eſaiæ cap. 4. Abluet dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauabit de medio eius in ſpiritu iudicij, & in ſpiritu ardoris. & item illo Malachiæ cap. 3. Sedebit conflans, & purgabit filios Leui.

Augu. li. 20. de ciuit. Dei cap. 25.

ſibi ſatis perſuadebat conuinci ex his locis, multorum pœnas poſt hanc vitam in ſæculo illo purgari. Patres erant, & quidem inter primos facilè principes, qui poſt illa Pauli verba, Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, quaſi per ignem. purgatorium eſſe pro eiuſmodi pœnis ad tempus dandis dilucidè interpretati ſunt, Origenes ſcilicet in hom. 25. & 6. ſuper Exod. Auguſtinus Enchr. ad Laur. cap. 68. & 110. idem ſerm. 4. de commem. animarum cõr. Manich. lib. 21. Hieronymus in fine 18. lib. comment. ſuper Eſaiam, Theodoritus, Ambroſius, Baſilius ſuper Eſaiam, Oecumenius, Gregorius libr. 4. dial. cap 50. Alcuinus in libr. 1. cap. 3. Patres erant, qui ex illo item Chriſti verbo, quod apud Matthæum cap. 12. legimus, Non remittetur in hoc ſęculo, neq; in futuro. purgatorium eſſe efficaciter (vt illis videbatur) colligebant, Auguſtinus videlicet in libr. 21. de ciuit. Dei cap. 14. Gregorius in lib. 4. dial. cap. 39. Bernardus ſuper cant. ſerm. 66. Pater erat, qui locum illum Lucæ cap. 12. In carcerem mitteris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddideris nouiſſimum quadrantem. de carcere, qui purgatorius dicitur, intellexit, Ambroſius ſcilicet in ſerm. 10. & in pſal. 118. Patres erant, velit nolit Caluinus, qui in generali ſynodo Florentina ſub Eugenio IIII. pontifice maximo ita ſtatuerunt, ipſis etiam Græcis conſentientibus, Diffinimus, ſi verè pœnitentes in caritate deceſſerint, antè, quàm dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis purgari. Patres erãt, quorum vnus iam ſuo ſæculo receptiſſimum dicebat, vt piis viuorum operibus fideles defuncti, immo ipſo etiam ſalutari ſacrificio iuuarentur, antiquiſſimus videlicet Tertullianus in libr. de exhort. caſt. alius per omnes Africanas eccleſias cœnæ dominicę ſacrificium pro mortuis offerri in vſum veniſſe integræ prouinciæ ſynodo confirmat, illuſtris ſcilicet ille Carthaginienſis Cyprianus in lib. 2. epiſt. 9. alius de Antiochiæ eccleſia, & Conſtantinopolitana idem ipſum teſtatur, diuus videlicet Chryſoſtomus in hom. ad pop. 69. & in primum cap. ad Philip. & in liturgia, alius de Armenia,

1. Cor. 3.

Theod. Pau. 1. Cor. 3. allegat Ambr. pſal. 118.

Animæ quæ purgãtur viuorũ ſuffragiis, à pœnis liberentur.

& Cappadocia, nimirum Baſilius verè magnus in liturgia. alius de tota Græcanica integra tota oratione, quippe Damaſcenus orat. in defunct. alius de Mediolanenſi, nobiliſſimus vtique Chriſti ſacerdos Ambroſius orat. funeb. in fun. ſatyr. alius de Italica eccleſia, diuus ſanè Auguſtinus in libr. 10. confeſſi. c. 12. de Hoſtienſi ſiquidem id diſertè ait, vbi eius mater mortua eſt, non de ſua Hypponenſi, ſicut comminiſcuntur hæretici. Patres item erant Caluine, qui morem hunc iuuandi mortuos oratione & ſacrificiis, ab ipſis apoſtolis obſeruatum fuiſſe, & præceptum in poſterum cuſtodiri à nobis, libris ſuis, quos prope tempus ipſum apoſtolicum ediderunt, poſteritati fideliter tradiderunt, Dionyſius Pauli diſcipulus, Gregorius Niſſenus, ac pôſt Damaſcenus. Pater erat, qui præclarè ediſſerit, cur pro defunctis iam ab eccleſia naſcente primus, ſeptimus, triceſimus, reliquíque dies agantur, nimirum Ambroſius de obitu Theodoſij. Pater erat, qui dixit, In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium, ſed etſi nuſquam in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parua eſt vniuerſæ eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, vbi in precibus ſacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet commendatio mortuorum. quam vtique ſententiam apertis verbis innumerabilibus in locis idem ipſe perſpicuè confirmat. Pater erat Gregorius, qui dixit in libr. 4. dial. cap. 55. mortuorum animas viuorum ſuffragiis adiuuari, ita vt hanc nonnunquam ipſæ defunctorum animæ expetere videantur. Pater erat Theophilactus, qui interpretatus illud Lucæ, Timete eum, qui poteſt corpus & animam mittere in gehenam. ſic ait, Vide enim, quòd nō dixit, Metuatis eum, qui, poſtquam occiderit, mittit in gehennam, ſed habētem poteſtatem mittendi. hoc autem propter oblationes, & diſtributiones, quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt etiam his, qui in grauibus peccatis mortui ſunt. non omnino igitur, poſtquam occiderit, mittit in gehennam, ſed poteſtatem habet mittendi. Ne ergo, inquit, ceſſemus per eleemoſynas & interceſſiones propitium reddere

Dion. de ecc. hierar. 7. Dam. orat. in defunct. August. lib. de cura pro mort. agēda c. 1. & 4. et de verb. apo. ſerm. 32. et cōfeſ. lib. 10 c. 12. & Enchr. c. 110. et ad Dulit. q. 4.

eum qui poteſtatem habet mittendi,non ſemper poteſtate hac vtẽtem, ſed & valentem remittere quidquam. Hæc vir ille religioſiſſimus in cap.12.Lucæ. Pater erat, & celeberrimus ille Athanaſius, Caluine, à quo cùm quæreretur, num ſentirent aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cùm ſemper illis conuentus & per actiones bonorum operum & oblationum fiant:reſpondet, Si non aliquo beneficio participarent ex illo,non vtique in cura & exequiis fieret commemoratio: at ſicut vitis,inquit,extrà in agro floreſcit,& odorem eius ſentit in vaſe vinum recluſum,ſicque cõfloreſcit etiam ipſum, ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficia ab exangui immolatione, & gratificatione ab ipſis facta, ſicut ſolus ordinat & præcipit, qui viuorum & mortuorum poteſtatem gerit,Deus noſter. Hęc Athanaſius,nec eleganter minùs,& pulchrè,quàm ſanctè,piè, & religioſè.Pater erat, atq; eccleſiæ Chriſti lumen præclarum,Hieronymus,qui,dum verbum illud Sapientis interpretatur, Mortuo homine impio, nulla erit vltra ſpes.dixit,Notãdum eſt,quòd etſi impiis poſt mortem,veniæ ſpes non ſit,ſunt tamen,qui de leuioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti ſunt, poſt mortem abſolui poſſunt, vel pœnis videlicet caſtigati, vel ſuorum precibus, vel eleemoſynis,miſſarúmque celebrationibus.ſed hæc quibuſcunque fiunt, & ante iudicium & de leuioribus fiunt erratis:qui verò lõgo poſt iudicium tempore liberandos putant, falluntur. Pater erat, immo apoſtolorum ſynchronos, Romanus Clemens,qui dixit,Cõuenite ſine ſuperſtitioſa obſeruatione in cœmeteriis ad legendum libros ſacros,& pſallendum pro mortuis martyribus,immo pro omnibus à ſęculo ſanctis, & fratribus noſtris,qui in domino mortui ſunt: & myſterium euchariſtiæ regalis corporis Chriſti offerte in eccleſiis veſtris, atque in cœmeteriis: &, cùm affertur funus, proſequimini cantu pſalmorum, ſi ſunt fideles in domino.in octauo etiam libro eiuſdem operis ſic idem auctor ait, Fiant exequiæ mortuorum tertio die in pſalmis & precibus propter eum, qui tertio die reſurrexit, fiant etiam die nono ad memoriam viuentium & mortuorum, item die quadrageſimo ſe-

Athanaſ. lib.de variis quæſt. ad Antioch. princ. q.34. & lib. de mortuis.

Super prouerb. 9.

Clemens R. de doctrina apoſt. lib.6.

cundum veterem typum, (Moyſen enim luxit populus quadraginta diebus) fiant denique quotannis exacto anno in memoriam defuncti, tribuatúrque ex bonis eius eleemoſyna pauperibus in memoriam eiuſdē. Hæc, inquit, dicimus de piis: pro impiis enim, & ſi quid mūdus habet, nihil tamen eos iuueris. cui enim ſuperſtiti inimicus Deus fuit, perſpicuum eſt, futurum eſſe defuncto quoque. nō enim eſt apud eum iniuſtitia. iuſtus dominus & iuſtitias dilexit: & ecce homo, & opus eius. vocati ad memorias defunctorum agite cōuiuium honeſtè & decorè, ac cum timore Dei, vt poſſitis pro mortuis precari. debetis enim presbyteri & diaconi Chriſti eſſe omni tempore ſobrij & apud vos, & apud alios, vt poſſitis monere eos, qui extra ordinem ambulant. Hæc Petri ſanctiſſimi ſanctus & ipſe ſucceſſor Clemens. cùm verò pro ſanctis martyribus pſallendum atque orādum Clemens iubet, de illis vtique ſanctis mortuis loquitur, quos non dum eccleſia implorat: cuiuſmodi ſunt ſancti illi, de quibus Paulus ad Romanos dixerat, Et memoriis ſanctorum communicantes, quod cum eo cohæret, quod proximè dixerat, Orationi inſtantes. alioqui iniuria eſt, inquit Auguſtinus, in eccleſia orare pro martyre, cuius orationibus magis nos commendatos reddere oportet. Memoriis, & non neceſſitatibus, ſanctorum legit Hilarius contra Conſtantium, Auguſtinus cōtra Fauſtum libro 2. cap 12. Epiphanius cōtra Aëriū, ſic Petrus Chryſologus ſerm. 120. ſic Optatus Afer contra Parmenianum lib. 2. ſic Ambroſius, & cuncta Mediolanenſis eccleſia, ſic tandem legit Euſtathius Conſtantinus in lib. de oper. animæ poſt mortem: qui omnes locum hunc non ad communionem ſanctorum, quam in ſymbolo profitemur, ſed ad memorias ſanctorum mortuorum, id eſt, piè & ſanctè defunctorum, pro quibus preces adhibendæ ſint, ac Clementem Romanum, & doctrinam apoſtolorum, quam ille ſcriptis mandauit, vno omnium conſenſu trahunt.

Pſychicũ, Catharum, atque Aërianum eſſe Caluinum breuĩ oſtenditur, quo etiam pacto gratis à Deo culpam remitti ſcriptura & ſancti dicant, declaratur, atque magiſter ſententiarum ab iniquis Caluini criminationibus vindicatur, & ſimul integer Chriſto domino ſuus honor ſeruatur, & inanis quædam fiducia retunditur.

CAP. XXV.

HI primùm, quos audiſti Caluine, vtiq; patres erãt, contra verò, qui ſatisfactionem negabãt poſt culpæ remiſſionem nobis omnibus neceſſariam eſſe, carnales & animales & Pſychici, vt vocabat Tertullianus in libro de pudicitia, non patres erant. deinde, qui pro temporariis pœnis poſt hanc vitam exoluendam, & leuioribus criminibus expiandis purgatorium eſſe negabant, Armeni quidam & Cathari, non patres erant. nouiſſimè qui dixerunt, non eſſe pro mortuis aut orandum, aut ſacrificandum, quòd talibus ſuppetiis nec egeant, neque iuuentur, non patres erant, ſed Aëriani, notiſſimi eccleſiæ hoſtes, quemadmodum iſtos Auguſtinus in lib. de hęreſibus, & Epiphanius ante mille trecentos annos nominauerunt. Chriſti eccleſia eos, qui eiuſmodi oblationes fieri pro defunctis negant, non, vt patres, ſuſpicit, ſuſpexítue aliquando, ſed contra ante annos circiter mille ducẽtos in Carthaginienſi quarto concilio, tanquam ſceleſtiſſimos hæreticos, & egentium necatores à fidelium communione arcẽdos eſſe eadem eccleſia iuſſit. immo ſi qui moroſi erant in oblationibus pro defũctis exequẽdis, in eccleſiis, vt infideles, puniebantur, quòd fidem morituris datam fefelliſſent, & impij ac crudeles habebantur, quòd pauperes & egenos ſatis neceſſaria ſuſtentatione priuaſſent, & latrones in amicos, in eccleſiam porrò ſacrilegos eiuſmodi homines exiſtere iudicabantur. tantum abeſt, vt patres ſint, qui dixeriut, quòd officio humanitatis erga mortuos in ſepultura defuncti, ſineremus eos quieſcere, nullas pro ipſis preces ad Deum effundẽtes. Tu ergo Caluine ter hæreticus es: negas ſatisfactionẽ neceſſariã, igitur Pſychicus es: negas purgari quidquã poſt hanc vitam, igitur Armenus, & Catharus es: negas viuorum precibus, & ſacrificiis defunctorum fidelium

Epiph. hær. 57.

Conc. Carth. 4. can. 95. anno 456.

Cõc. Vaſen. c. 2. ſuorum decretorum ſub Leone huius nominis primo anno. 453.

animas iuuari, quare Aërianus tu es. Verùm, ne, vt ſoles, cælum clamoribus vanis contundas, nobíſque inanium verborum tumultu obloquendo obſtrepas, ſumma fide vniuerſa, quæ ſuper his tribus articulis in inſtitutione tua perſequeris, breui oratione percurrã. tu verò Chriſtiane lector, benigno fauore me præcor dicentem proſequare. adhibebis in rem hanc ſolitam attentionem: nos autem veritatem, quam ſemper pollicemur, ac breuitatem, fidémq; noſtram planè exoluemus. agedum agamus primò loco de ſatisfactione. *Dicunt iſti non ſufficere pœnitenti à præteritis malis abſtinere, & mores in melius commutare, niſi de iis, quæ facta ſunt, ſatisfaciat Deo: eſſe autem multa adminicula, quibus redimamus, lacrymas, ieiunia, oblationes, caritatis officia: iis dominum propitiandũ, iis debita iuſtitiæ Dei perſoluẽda, iis recompenſanda delicta, iis veniam emerandam. quamuis enim largitate miſericordiæ, culpam remiſerit, pœnam tamen retinere diſciplina iuſtitiæ. hanc eſſe pœnam, quæ ſatisfactionibus redimenda ſit. in hanc tamen ſummam recidunt omnia: nos quidem à Dei clementia delictorum veniam impetrare, ſed intercedente merito operum, quibus peccatorum noxa compenſetur, quò debita iuſtitiæ Dei integra ſatisfactio perſoluatur:* non nos ſolùm iſta dicimus Caluine, ſed ante nos docuerunt prophetę, Chriſtus ipſe, apoſtoli, & apoſtolici viri, qui dixerunt, non ſemper ſimul culpa totam remitti pœnam, vt non ſæpe ieiunio, eleemoſynis, atque orationi ſuæ partes ad plenam ſatisfactionem relinquantur. ſed quid tu cõtra hæc? *Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remiſſionem, qua nihil in ſcriptura clarius prædicatur. primũ, quid eſt remiſſio, niſi meræ liberalitatis donum? non enim remittere dicitur creditor, qui antapocha teſtatur ſibi numeratam pecuniam: ſed qui nulla ſolutione, vltro ſua beneficentia nomen expungit. cur deinde gratis additur niſi ad tollendam omnem ſatisfactionis opinionem?* bona verba Caluine, non mendacia ſunt iſta, quibus tu gratuitam remiſſionem peccatorũ opponis, ſed catholicę veritatis, cũ illa gratuita remiſſione, cũ illo meræ liberalitatis dono, cum illa incredibili beneficentia, qua debitoris nomẽ à creditore munificentiſſimè expungitur, & cũ verbo tandẽ illo prophetico, apoſtolico, euangelico, Gratis, vnicè con-

Cal. lib. 3. inſt c. 4. ſect. 26.

Ieſ. 52. Rom. 5. Coloſſ 2. Tit. 3.

uenientia. ſed verbo vno, eóque clariſſimo reſpōdemus, omnino gratis culpam remitti, ſimúlque æterni ſupplicij reatum condonari nobis, non quòd fides & pœnitētia neceſſaria non ſint omnino, ſed quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera ipſam iuſtificationis gratiam promeretur. nam quid eſt remiſſio, niſi meræ liberalitatis donum? opera igitur quæcunque noſtra remiſſionem culpæ antecedunt, diſponunt illa quidem, præparant, viam ad gratiam ſternunt, non autem valent eam remiſſionem emereri. at verò ſi hęc ex gratia iam ſemel procedant, quis iure negabit plurimùm valere, vt quæ ab amico proficiſcuntur, non ad alteram illam ſatisfactionem pro temporaria pœna, quæ, remiſſa culpa, ſuperfuit, exoluenda tantùm, ſed pro felicibus iuſtificationis progreſſibus, quales faciunt in dies horáſque maiores, qui ſemel in Dei gratiam redierunt, facti amici, & domeſtici. ſic tamen, vt ſemper, atque vbique diuina gratia, liberalíſque Dei noſtri beneficētia regnet. illam gratuitam peccatorum remiſſionem, quò ad culpam, atque ad eum modum, quem perpetuus eccleſiæ catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit, opponi his, qui dicerent, operibus noſtris remiſſam culpam eſſe & emeritam gratiam, fateor, abſitque procul, abſit à catholicis mētibus eiuſmodi Pelagianum inſomnium. at verò opponi his, qui vel præparari nos ad Dei amicitiam & diſponi, vel quid ad temporariam illam pœnam, hîc noſtris bonis actibus abſumēdam penitus multùm valere dicunt ieiunia, eleemoſynas, & ſi qua ſunt his ſimilia, conſtanter nego nec hîc magis Eſaias & Paulus cum ſcripturis & patribus, & cum perpetuo eccleſiæ conſenſu pugnant, quàm hactenus fecerunt. Iam quærit importunus iſte à nobis, lector, qua confidentia noſtras ſatisfactiones adhuc erigamus, quæ tam valido fulmine, vt ſibi videtur, poſternuntur? ò hominem mirabilem! vnde fiduciam pro erigendis his collegerimus, percunctaris? nō nos nunc denuò ipſas erigimus, ſed à Deo, à Chriſto, ab apoſtolis erectas, eccleſia ſancti, atque adeò nos, ad eum modum, quo Dei verbum erexit, cuſtodimus, obſeruamus, ac diligēter, ne quis Philiſthæus proſternat, peruertat ad caſúmque

ſúmq; det, ſũma cura inuigilamus. vide, ne nos terreas, ne pergas nobis eſſe moleſtus, cũ dominus per Eſaiam clamat, Ego ſum, ego ſum, qui doleo iniquitates tuas, propter me, & peccatorum tuorum non ero memor. apertè denuntiat, cauſam & fundamẽtum veniæ emerendæ à ſola ſua bonitate ſe petere. rurſum, cùm ſcriptura vniuerſa teſtimonium Chriſto deferat, quòd per nomen eius ſit accipienda remiſſio, nónne alia omnia nomina ſic excludit, vt neque fidei tuæ merito, aut gemitus tui, ſed Chriſti dolore gratis iuſtificeris, gratis in Dei gratiam redeas, gratis à vinculo æterni ſupplicij, cui tenebaris, expediaris? excludit ſanè, hęc Chriſti gloria eſt, hoc illi cum nullo eſt commune. plus etiam dabo Caluine, quid dixi, dabo? fatebor, fatebor, non modò à Chriſti nomine habere nos, quòd ſimus, amici, quòd inimici eſſe deſinamus, verùm quòd neque credere, neque pœnitere, (quæ duo maximè neceſſaria ſunt ad Chriſti hanc ſatisfactionem mihi applicandam) nunquam nos haberemus, niſi IESV Chriſti meritum hæc nobis peperiſſet. quis enim negare velit, Dei illa dona, quibus, nos aliud agentes, ad ſe cum clementia & miſericordia ſingulari vocat, & mirè ad iuſtitiam quærendã excitat, ea, inquam, omnia Chriſti beneficio nobis cõtigiſſe, ſed tu etiam nolis, quæſo, negare, non niſi contritis fidelibus, & verè ex fide ſtimulatis hominibus, ſanctum Dei ſpiritum, quem Chriſti ſanguis nobis acquiſiuit, communicari. addo etiam tertiò, nunquam Chriſti eccleſiã ab ea etiam ſatisfactione, quã à nobis Deus remiſſa culpa exoluendam requirit, ſui ſponſi neque ſanguinem, neque nomen excepiſſe, ſed illi contra primas ſemper dediſſe. quare ad culpam condonandam, ſi nomen quæras, præter Chriſti IESV non aliud eſt, neque alia ſatisfactio. verùm tamẽ eſt, quòd ipſa niſi ad Chriſti leges diſpoſitis, nunquam applicabitur. hoc ſit certiſſimum & catholicum. Ad hæc ſi de vlteriori abſolutione quæ à pœna illa eſt, quam nobis iuſtè exigit Deus, de qua nunc ſermo inſtitutus eſt, quæras, in cuius virtute ea fiat, an per Chriſti nomen, an per noſtram ſatiſfactionem: reſpondebo in primis, per Chriſti nomẽ, deinde verò ob opera illa, quæ & præclara ſunt in eam rẽ

Eſa. 43.

Act. 10.

Bonis operibus præparamur, ac diſponimur, ad gratiam non tamen ipſam meremur.

ſubſidia, & Chriſtianæ pœnitentiæ fructus communi voce nominantur, ieiunia ſcilicet, orationes, & cetera cum his conuenientia. ita enim gloriæ Dei, iuſtitiæ ſuæ, commodæ adminiſtrationi orbis, ſaluti, profectui, atque exaltationi iuſtorũ expediebat. At, inquies, quod ſcriptura ait, per nomen Chriſti intelligit nihil nos afferre, nihil noſtrum prętendere, ſed ſola Chriſti commendatione niti: dixi ſemel, id verum eſſe nihil nos afferre, quod nos merito ſuo redimere valeat, nihil nos prætendere, quod virtute ſua Dei offenſam explere æquaréque poſſit, ſed Chriſti beneficio in diuinam gratiam gratis aſciſci nos: at verò nihil nos offerre omnino, quod vel pręparet, vel diſponat, contra euangelium eſt, contra Paulum eſt, contra expreſſum Dei verbum eſt. Memor eſto, vnde excideris, dicitur angelo
Apoc. 2. Epheſi, age pœnitentiam, & prima opera fac. & iterum, Quę ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. & rurſus, Pœnitentiam agite, & facite dignos fructus pœnitentię. hunc & non alium ſenſum habent verba illa Pauli, quę tu perturbas, Deus erat mũdũ in Chriſto reconcilians, non imputans pro-
1. Cor. 5. pter ipſum hominibus delicta, quia pro nobis factus eſt peccatũ, qui peccati expers erat. ſerua catholicã diſtinctionẽ de culpa & tẽporaria pœna, & in ipſiꝰ etiã pœnę ad tẽpus debitæ ſatisfactione, facito, vt regnet Chriſti ſanguis. & ecce omnia ſecura, & in tuto erunt. Sed iam ſcholaſticis omnibus prętter meritũ Caluinus ſuccenſet.

Verùm, qua ſunt peruerſitate, & peccatorũ remiſſionẽ, &
Cal ſect. 26. *reconciliationẽ fieri ſemel dicunt, cũ in gratiã Dei per Chri-*
Lib. 3 ſent. *ſtũ in baptiſmo recipimur, poſt baptiſmum, reſurgendum eſſe*
diſt. 19. *per ſatisfactiones. ſanguinẽ Chriſti nihil prodeſſe, niſi quatenus per claues eccleſiæ diſpenſatur. Nec de re dubia loquor, cũ ſuam impuritatẽ clariſſimis ſcriptis prodiderint. nec vnus, aut alter, ſed vniuerſi ſcholaſtici. nam ipſorũ magiſter, poſt-*
1. Pet. 2. *quam Chriſtũ in ligno pœnã peccatorum ſoluiſſe iuxta Petri doctrinam confeſſus eſt: ſubiuncta illico exceptione ſententiã corrigit: quòd in baptiſmo omnes peccatorũ pœnæ temporales relaxantur: ſed poſtquam baptiſmũ pœnitẽtiæ beneficio mino-*
2. Tim. 1. *rãtur, vt ita ſimul cooperetur crux Chriſti, & noſtra pœni-*
1. Ioan. 2. *tẽtia. ſed longè aliter Ioãnes. Si quis peccauerit, ait, habemus*

aduocatũ apud patrẽ IESVM *Chriſtũ, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, in quo annũtiamus vobis filioli, quia remittũtur nobis peccata propter nomẽ eius. certè fidelibus loquitur, quibus dũ Chriſtũ proponit, peccatorũ propitiationẽ nõ aliã eſſe ſatisfactionẽ oſtẽdit, qua offenſus Deus propitiari placariq; poßit. nõ dicit, Semel vobis per Chriſtũ recõciliatus eſt Deus, nũc vobis alias rationes quærite: ſed perpetuum facit aduocatũ, qui ſua intercesſione in patris gratiã nos ſemper reſtituat, perpetuã propitiationem, qua peccata expiẽtur:* deſine, deſine calũniari, deſine mortuos traducere, deſine ſimplicitati multorũ inſidiari. quis tibi negabit (vt ab hoc inchoemus) illud perpetuò verũ, quod Baptiſta ille dicebat, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi? ſemper & perpetuò (vt libẽtiſſ mè nos omnes fatemur) ſolus ipſe, nec alius ſic oblatio fuit pro peccatis, ſol⁹ expiatio, ſolus hoc modo ſatisfactio, ſolus, qui inimicitias atque æternã pœnam nobis debitã in ſe trãſtulerit, qui æternę mortis reatũ corã Dei iudicio extinxerit, & funditus deleuerit, modò tu illi tãto aduocato, qui perpetuò & ante baptiſmũ, & poſt illũ ad patrẽ pro te clamat, defuiſſe nolis. perpetua propitiatio eſt, qua peccata expiẽtur, perpetua ſatisfactio, qua offenſus Deus mitigari & placari poteſt nõ in hoc diſcrimẽ cõſiſtit Caluine, ac ſi ſcholaſtici doctores fingãt, aut duos eſſe propitiatores, vnũ quidẽ ante baptiſmũ, alterũ poſt lauarũ, duos aduocatos, & ſatisfactores. vt certè velint dicere, aliter clamare pro baptizãdis, & lõgè aliter pro baptizatis iã factis fidelibus. noli antiquitatis tã iniquus eſſe iudex, & rigidus calũniator, noli eſſe tã moleſtus benedictis manibus illis, qui tibi tãto amore, tã cãdido animo & inuigilarũt, & laborarũt. quis noſtrũ à culpa reſurgẽdum eſſe merito noſtro, & ſatisfactione noſtra liberari à reatu æternę mortis, ne tirũculus quidẽ theologus, vnquã aſſeuerauit? quòd ſi ea opera, quę à nobis ante Dei gratiã habitã, per ſcripturã efflagitat dominus, ſatisfactionẽ aliquis dixit: (quod ſanè legiſſe non memini loquor vt ea opera tempore, aut natura gratiam præcedunt, & vt ab ipſa vel cõſideratione præſcinduntur) planum habebit ſenſum, nẽpe, quòd per ea & diſponamur, & præparemur ad ſatisfactionem, quæ Dei dono per Chriſtũ

Chriſtus ſemper redẽptor, ſemper eſt ſatisfactor noſter.

iam iam applicanda eſt nobis. ſatisfacimus certè, dum illa præſtamus, non tam offenſæ Dei, quæ Chriſti morte ſola expiari habet, quàm diuinę voluntati ordinatiſſimæque ſuæ diſpoſitioni, qua ſic ſtatuit hominibus illam communicandam eſſe. Quid iocaris, & malè ludis in magiſtrum ingrate diſcipule? quod magiſter dixit, nec Petri ſententiam, quam ille catholicam omni ex parte credebat ſubiuncta illico exceptione correxit, vt tu in illum iactas, neque Ioannem euágeliſtam aut Baptiſtam, neque Paulum offendit: ſed te ſolùm, tuíque ſimiles, qui tam malè auditis & ab omnibus, & apud omnes. Quod ergo ſatis catholicè & verè magiſter eo in loco dixit, hoc eſt: docet in primis iuxta Ambroſiũ, Auguſtinum, alióſque patres, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum, longè aliam eſſe à baptiſmali, eaq; continere non modò ceſſationem à peccatis, aut cor contritum & humiliatum, (hoc ſiquidem & in baptiſmali illa eſſe debet, iuxta illud vulgatum ab Auguſtino, ac vſurpatum, Nemo poteſt vitam inchoare nouã, quẽ veteris non pœnitet) verùm etiam eorundem peccatorum ſacramentalem cõfeſſionem in voto ſaltem & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem abſolutionem, itémque ſatisfactionem per eleemoſynas, ieiunia, orationes, & alia pia ſpiritalis vitæ exercitia. nõ quidẽ pro æterna pœna temporali, quæ vel ſacramento, vel ſacramenti voto vna cum culpa remittitur, ſed pro pœna tẽporali, quæ, vt ſacræ literæ docẽt, non tota ſemper (velut in baptiſmo fit) dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quã acceperunt, ingrati ſpiritum ſanctum contriſtauerunt, & Dei templum violare non ſunt veriti. vidéſne, quàm ſiniſtrè magiſtrum ſententiarum interpreteris? quaſi ipſe dixerit non per Chriſti ſatisfactionem, ſed per noſtras reſurgendum nobis eſſe. poſtquam enim dixit, in baptiſmo totam culpam & pœnam extingui, (eſt enim lauacrum regenerationis & renouationis in verbo vitæ) in pœnitentia verò minorari, addit, non enim ſufficeret illa pœna, qua pœnitentes ligat eccleſia, niſi pœna Chriſti cooperaretur, qui pro nobis ſoluit. propoſuerat paulò antè & ab æterna, & à temporali pœna Chriſti meritò expediri nos. Nec minùs difficilis ca-

Sententia magiſtri ſenten.

Differentia baptiſmi, ac ſacramẽtalis abſolutionis.

lumniator tu es in eo, quod notas nos dicere, ſanguinē nimirum Chriſti nihil prodeſſe, niſi quatenus per eccleſiæ claues diſpenſatur: quaſi verò velimus nos negare ſacramentalem abſolutionem à Chriſti ſanguine vim totam habere, & non contra: vt tamen verum ſemper ſit, quod vniuerſalis eccleſia docuit pro his, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtum IESVM ſacramentum inſtituiſſe pœnitentiæ, vt eam ſacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciēdam, & ſacerdotalem abſolutionem noſtra pœnitentia ſemper ſpectet. vt enim primus euripus, atque tubus, per quem diuinus ille ſanguis ad nos diducitur, baptiſmus eſt, ſic altero poſt ipſum loco ſacramentalis abſolutio, in quam cordis pœnitentia tota incumbit, ſaltem in voto, altera eſt poſt naufragium tabula, qua mare hoc traiiciendum nobis ſit. quis enim diffitebitur per ſancta Chriſti ſacramenta, quaſi per quoſdam aquæ ductus, certiſſimáſque fiſtulas, ſuum ſanguinem ad nos deriuari? Sed hæc de prima obiectione, atque cauillo contra ſatisfactionem: veniamus ad ſecundam.

Duo hîc perpendēda eſſe ſumma diligentia & conſideratione Caluinus ducit. *Vnū eſt, vt integer, & illibatus ſuus honor Chriſto ſeruetur*: at hoc valde curandum omnibus eſt. ſed audi parum, & conſpice, quàm id nobis cordi & curæ ſit. vaticinium certè illud Eſaiæ, quod habet, patrem poſuiſſe in filium noſtras omnium iniquitates, vt liuore eius ſanaremur: quod aliis verbis repetit Petrus, Chriſtum ſcilicet pertuliſſe peccata noſtra ſuper lignum: rurſum illud, quod Paulus ſcribit, damnatum eſſe peccatum in eius carne, cùm pro nobis peccatum factus eſt, hoc eſt, in hoſtiam eſt Chriſtus datus: hæc, inquam, omnia, tanquam diuina oracula (quemadmodum & verè ſunt) nos ſuſcipimus, veneramur & colimus. quid ergo? incorruptus atque integer ſeruari hic honor Chriſto cum doctrina de ſatisfactione non poterit? *Gratiam Dei in prima peccatorum remiſsione ſolam operari dicunt: ſi poſtea ceciderimus, ad ſecundam veniam impetrandam, opera attributa ſunt*: video te hactenus catholicorum mentem aſſecutum non eſſe. neque enim ſcis, quid neges, vel affirmes, ignoras, quos tuo

Obiect. 2. Cal.

Eſa. 53.

1. Pet. 2.

enſe petas, hoſtem fingis, qui non eſt, occaſionem quæris, vt à vero ſemper alienus ſis. hæc duo, tibi perſuadeas velim, apud catholicos omnes longè omnium certiſſima, ac bene conſtituta eſſe. Vnum eſt quòd ſi de remiſſione culpę, & reatus æterni ſupplicij agatur, & de emerenda gratia, non modò in prima ante baptiſmum remiſſione, ſed ſi poſtea ceciderimus à baptiſmali gratia ad ſecundam veniam culpæ (vt tu vocas) impetrandam, vtrobique Dei gratiam ſolam, & Chriſti meritum operari. cùm enim Paulus dixit, gratis nos iuſtificari, meritum noſtrum certè ab omni noſtra iuſtificatione, qua à ſtatu filiorum iræ, in filios Dei tranſimus, excluſit. gratia ergo Dei permittitur per nos vtrobique regnare. immo prima ſedet ad ſatisfaciẽdum etiam pro pœnis temporariis, & ad Dei gratiam magis augendam, etſi ad hæc duo, noſtra opera ipſi Dei gratiæ cooperantur. Alterum eſt, quòd ſi de præparatione, quæ in nobis præcedere debet, ſermo fiat, nulla habita ratione meriti, quod certè in peccatoribus haud eſſe poteſt, vtrobique & ante baptiſmum, & poſt eum noſtra opera, ſi non pro emerenda Dei placatione & gratia, at bene ad nos ſibi prępatandos, & diſponendos operari. Pœnitentiam agite, & baptizetur, dicebat Petrus, vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum. Accedentem ad Deum, ait magnus apoſtolus, oportet credere, quia eſt. denique, Præparate corda veſtra domino. iámne videre incipis, quantùm hæc duo conueniant, iniquitates noſtras poſitas eſſe in Chriſto, vt in illo ſine merito noſtro expiẽtur, & noſtris operibus, quæ Dei dono operamur, ad illam expiationẽ iuxta diuinas leges diſponi ac prępatari? Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris & Deum operibus, non gratis, propitiandum, vtique ſibi malè hærẽt Caluine. nam dicam, & inferam cum apoſtolo, quòd ſi ex operibus, iam non eſt gratia. at verò Chriſtum eſſe propitiationem noſtram, & nos noſtris operibus illi propitiationi cooperari nõ efficiendo, ſed præparando, & diſponendo optimè quadrant. Verùm veniamus ad alterum, quod tu hîc ab omnibus ponderandum eſſe adhortaris. *Vt conſcientiæ, de peccati venia ſecuræ, pacem apud Deum habeant, at quæ*

Chriſti gratia & ante baptiſmum, & poſt regnare debet.

iſthæc erit pacificatio, ſi audiat peccata redimi ſatisfactionibus? quando tandem ille ſatisfactionis modus conſtare poterit? ergo ſemper dubitabit, an Deum habeat propitium, ſemper æſtuabit, ſemper horreſcet: Chriſti eccleſia filios ſuos ſemper docuit, non oportere eos, qui verè iuſtificati ſunt, ſine vlla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe iuſtificatos. immo vana iſta, & ab omni pietate remota fiducia illi ſemper habita & viſa eſt. *Vos, qui leuibus,* inquis, *ſatisfactionibus acquieſcitis, nimis contemptim Dei iudicium æſtimatis, & parum reputatis, quanta ſit peccati grauitas:* quantò vos contemptiùs Dei iudicium æſtimatis, quàm nos Caluine. nos enim, quàm ſumus certi de Dei miſericordia, de Chriſti merito, déque ſacramentorum efficacia, tam ſumus dubij, omnia ea nos præſtitiſſe, quæ ipſe ſuo iure à nobis efflagitat. ſicque fit, vt dum nos ipſos, noſtrámque infirmitatem, ac diſpoſitionem expendimus, non de ſua gratia formidemus, ſed de dimiſſo peccato non ſimus ſecuri, vt ſic ieiuniis, eleemoſynis, orationibus, & aliis piis ſpiritalis vitæ exercitiis ſemper vacemus. *Sed vt eis concedamus,* ais, *peccata aliqua iuſta ſatisfactione redimere, quid tamen facient, vbi tot peccatis obruuntur, quorum ſatisfactionibus nec centum vitæ, vel ſi totæ in hoc ſint, ſufficere queant?* quia perhumaniter id à nobis viſus eſt iſte quærere lector, perbenignè item nos ac ſincerè reſpondebimus, profectò Caluine ſi de pœnitentia, qua ad iuſtificationem Deo præparamur, in quæſtione propoſita loquaris: reſpondeo, vna quidem deteſtatione ex Dei amore profecta, fide, ac ſpe veniæ per Chriſti meritum habendæ aucta, multis ſceleribus in Deum commiſſis factum iri ſatis, quæ ipſius eſt benignitas, cum iuſtitia coniuncta. neque multùm immorabor circa nimiam cõtinuationem, aut intenſionem doloris illius, qui de offenſione eſt ſuſcipiendus: non enim neceſſarium eſſe arbitror ad culpæ remiſſionem, & æterni ſupplicij reatus condonationem, quòd aut numerus, aut intenſio ipſa doloris, peccatorum grauitatem exæquet. Si verò de ſatiſfactione pro temporali pœna, quæ, remiſſa culpa, vt plurimùm ſupereſt, quæras: reſpondeo, vbi tot peccatis obruimur, primùm apud æternum patrem dominicam

Vno actu licebit multa ſcelera deteſtari.

illam orationem,quam nos ſuus filius docuit, frequenter vſurpabimus, Dimitte nobis debita noſtra. deinde ea peccata eleemoſynis curabimus extinguere. ad hæc diuinorum ſacramẽtorum frequenti vſu, quoad potuerimus,debitum recompenſabimus.item ſpiritualis vitę exercitiis ſtudentes, & ſacerdotiis præcepto obtemperantes multum de ſuo rigore duræ illæ quamuis temporariæ pœnæ remittent. poſtremò adeſt communio ſanctorum, adſunt continua ſacrificia, fratrum deprecationes pro nobis, quibus mirum in modum pœnarũ ille tantus aceruus minuitur,atque extenuatur. quòd ſi vel parum his remediis in vita hac mortali indulſimus, vel ea omnia,quæ hîc adhibuimus,ad pœnas exhautiẽdas ſatis eſſe non potuerunt,nec labores,nec mors ipſa: eſt certè purgatorius ignis,qui, tempore à diuina iuſtitia ſimul,& ab incredibili ſua miſericordia præſcripto, quidquid de eis peccatis redemptum non fuerit, in nobis purgabit. vbi etiam maximum adiumentum eccleſiæ & amicorum preces,atque diuinum ſacrificium pro defunctis oblatum importabit.

Quot ac quanta ſint nobis remedia ad ſatiſfaciẽdũ etiã in hac vita pro pœna etiam temporali.

De vario mortalis venialiſque peccati vſu agitur, ac veniale peccatum duplex eſſe monſtratur, hæreticorum referuntur ſententiæ circa diſtinctionem venialium & mortalium peccatorum valde contrariæ, ne dum diuerſæ, Caluini doctrina apertiſſimis rationibus confutatur, atque catholica veritas confirmatur. Cap. XXVI.

RESponſum eſt à nobis ſimplici oratione quęſtionibus tuis Caluine,hoc vnum reſtare iam videtur,ne ſcilicet tu peruerſè interpreteris:ſed ecce,quod verebamur,*Hîc in aſylum confugiunt ineptæ diſtinctionis,peccata quædam venialia eſſe,quædam mortalia,pro mortalibus grauem ſatiſfactionem deberi,venialia facilioribus remediis purgari,oratione dominica,aquæ benedictæ aſperſione,abſolutione miſſæ.ſic cum Deo ludunt,& ineptiunt. cùm tamen aſſiduè peccatum veniale & mortale in ore habeant,non dum alterum ab altero diſcernere potuerunt:niſi quòd impietatem,& immunditiem cordis peccatum veniale faciunt. Nos autem, quod ſcriptura,iuſti & iniuſti regula docet,peccati ſtipendiũ pronuntiamus eſſe mortem,& animam,quæ peccauerit,morte dignam.cæterùm fidelium peccata omnia venialia eſſe,non*

quia non mortem mereantur,ſed quia Dei miſericordia nulla eſt condemnatio iis,qui ſunt in Chriſto Ieſu: quia non imputantur,quia venia delentur.Scio,quàm vnicè doctrinam hăc noſtram calumnientur. dicunt enim paradoxum eſſe Stoicorũ de peccatorum æqualitate: ſed ſuo ipſorum ore nullo negotio conuincentur. quæro enim,an non inter ea ipſa peccata, quæ mortalia fatentur, aliud alio minus agnoſcunt? non igitur protinus ſequitur,paria eſſe peccata,quæ ſimul mortalia ſunt. cùm ſcriptura definiat, ſtipendium peccati mortem eſſe, legis obedientiam eſſe vitæ viam, tranſgreßionem mortem. hanc ſententiam euadere non poſſunt. quem ergo ſatisfaciendi exitum reperient in tanto peccatorum cumulo? ſi vnius anni eſt ſatisfactio peccati vnius, dum illam meditantur, pluribus ſe inuoluent, quando diem nullum præterit iuſtißimus quiſque, quo non aliquoties labatur. ad eorum verò ſatisfactiones dum ſe accingunt,numeroſa vel potiùs innumera cumulabunt. iam præciſa eſt ſatisfaciendi fiducia.quomodo adhuc de ſatisfaciẽdo cogitare audent? Ne ignoratio legitimi vſus peccati venialis & mortalis confuſionem alicui pariat,commodum erit in primis ſtatuere,& firmare,quo potiſſimùm ſignificatu his nominibus eccleſiaſtici auctores vſi ſint. Mortale peccatum à mortale ſic appellatur:veniale à venia. veniale item aliquando ab euentu dicitur,quodcũque etiam graue peccatum, ſiquidem veniam habeat, quam nos tãdem obtineamus, ſicut mortale hoc modo ab euentu illud erit,cujus nunquam ſit habenda remiſſio. ſic Ambroſius dixit, mortalia omnia venialia fieri per pœnitentiam,ſic Auguſtinus, & Cyprianus aliquãdo venialem iniquitatem vocant,quę ſit remiſſibilis,ſic & magiſter dixit,putaſſe Adam eſum ligni ſcientiæ boni & mali veniale fuiſſe, cùm re vera peremptorium eſſet. Dicitur ſecundò veniale ex cauſa,quòd ſic ab ea aliquid habeat,vnde diuinam miſericordiam condeceat ei veniam impartiri.cõtrà verò mortale ex ſua cauſa illud eſt,quod ex malitia,atque induſtria committitur. quomodo peccata Pauli ante baptiſmum, tametſi grauiſſima,venialia peccata dici queunt. Miſericordiã,ait,con ſecutus ſum,quia ignorãs feci. verùm hæ duę acceptiones alienæ ſunt ab inſtituto & propoſito noſtro.Appellatur tertiò veniale ex natura ſua,& ex propria ratione,

De vario peccati venialis vel mortalis vſu.

Aug.21.de ciuit.Dei c. vlt.

quod ſuapte natura leue, exiguum, minutum, rationi recta & caritati parum diſſonum, mortem non inferens, neque gratiam oppugnans, neque cōtra caritatem bellum mouet. quæ omnia habiturum eſt peccatum, quod à natura, & à propria condicione mortale eſt appellandum. prętcrea hoc veniale ex natura ſua duplex eſt. vnũ ex genere ſuo, verbum iocoſum, riſus leuis, mendacium officioſum, & ſimilia: alterum eſt ex imperfectione operis, illius materia leuis eſt, & parum diſſona rectæ rationi, huius verò grauis, atque imperfectus. poſterius hoc duplex etiam eſt. nam imperfectio aut eſt in materia, vt quia parua, aut in defectu deliberationis. prioris generis. furtum leue, detractio parua: poſterioris motus ſubiti contra præcepta, quos facili negotio cohibere poſſis. Hæc inter catholicos controuerſa, aut ambigua minimè ſunt. quare patet iniquè & immeritò obiicere nobis Caluinum, quòd impietatem, & immundiciem cordis nos peccatum veniale faciamus, quòd omne genus concupiſcentias leuia peccata ducamus, quod libidines, quæ nos ad quæuis mala inuitant, atque allectant, tentationes item, quæ nos vſque ad Dei blaſphemiam impellunt, venialia tantùm reputemus. Eſt ſanè hoc pluſquam humanum commentum, ne dicam mendacium. nam ſi ea voluntaria ſunt, & deliberata, peccata nobis ſunt lethalia, ſi verò ineuitabilia, nullam malitiam habent: ſi autem voluntaria non ſunt, ſed vitari quidem, aut certè præueniri ſine magna difficultate potuerunt, tunc ea tātùm venialia eſſe cenſemus. vos eſtis, vos Caluine, non nos, qui vehementer hac in parte alucinamini, qui in multis labimini, dum neſcitis venialia peccata à mortalibus diſtinguere. neque vultis, quod ignoratis ex primis ipſis fontibus colligere, ſed maiorum veſtrorum, immo eccleſiæ catholicæ grauamini ſententię acquieſcere ob incredibilem veſtri animi elationem. contigit certè quidem hîc vobis, ſicut & ſæpe alibi, quod prouerbio dici ſolet,

Ardea culpat aquas, cùm neſciat ipſa natare.

Vuiclephus, vt auctor eſt Thomas Vualdenſis, peccata prædeſtinatorum venialia vocat, reproborum verò lethalia: quòd licèt omnia peccata æternæ mortis ſint

inductiua, ſola tamen reproborum mortem inducant. atque ſic, peccata omnia Dauidis, Magdalenæ, Petri, latronis, qui cum Chriſto crucifixus eſt, non erant mortalia: immo nullus ſanctorũ, qui iam Deo fruuntur, mortaliter iſto modo Deum offendit. in damnãdis verò vel minimum otioſum mortale erit. Philippus, vt cetera omittamus, quamuis omnes vitioſos affectus, & omnes prauas actiones, ac deniq; omnia peccata, & ipſum peccatum originale in non renatis lethalia putet, quia peccatũ mortale diffinit eſſe, inclinationem vel actionem contra legem Dei non remiſſam: tamen in peccatis aliqua venialia credit, nempe ignorantias. vel omiſſiones mandatorum Dei non affectatas. ô pulchrã hominis reformatiſſimi ſcilicet theologiam! fateri eiuſmodi ignorationem in nobis venialem eſſe, & ipſam eãdem in infideli, qui minore illuſtratus eſt lumine, & paucioribus Dei beneficiis & auxiliis gaudet, exitialem dicere. Sed hæc prætereunda cenſemus. venio ad te Caluine. Tu, quod nunquam, vt ego recordari poſſum, aliquis tentauit, ipſam diſtinctionem venialis & mortalis negas, ac palàm dicis, peccatum quoduis, quoniã Dei lege damnatum eſt, mortale eſſe. ſtipendium inquis peccati cuiuſcunque mortem eſſe. atque illud perperam vſurpas, quod à domino dicitur, Qui vnum ex mandatis iſtis minimis contempſerit, minimus vocabitur in regno cælorum. quis, rogo te, tam malè docuit? quis tam malè ſenſit de diuina bonitate & largitate, vt quancunque ſui offenſionem, quancunque ignorantiam, occaſionem, fragilitatem, etiam ioco & ſine deliberatione commiſſam, ad mortem ſua ſententia mox imputet? nullus homo tam difficilis, tam inhumanus, tam crudelis, vt ſua lege, paruis de cauſis & difficillimè euitabilibus, ſtatuat ſe offenſum iri, quæ iam, natũra ſua, tam leuis eſſet, tam lubrica, támque parum firma, aut ſibi conſtans amicitia, quàm quæ inter nos & Deum intercederet? hæccine libertas eſt euangelica, quam prædicatis? hæccine conſcientiarum pax? hoccine Chriſti iugum leue? dicis, vt video, mortalia eſſe, ſed non omnia in mortem imputari in renatis. iam ego, ſi grãtia facit, ne imputetur, cur non vt peccatum eſſe deſinat?

ſi tollis imputationem, tolle prohibitionem, ex qua illam ſequi neceſſarium eſt. indigent venia Caluine? ergo imputabatur. Sequitur iam alterum, quòd, qui iuſtus eſt, pro ſcelere indulgentiam, pro pœna remiſſionem ſemper largietur. vltrà lex prohibet ad mortem, diuina tamen indulgentia ei impedimento eſt, nulla omnino mutatione facta, neque vita ipſius, qui eam legem eſt tranſgreſſus, in meliorem frugem commutata. recedant iſtæ animales ſententiæ, quæ quàm longè abſint à prudentiſſimo omnium legiſlatore, vident vel talpæ. fidelíne ipſum officioſè mentiri, fortè ob bonum aliquod valde expediens, peccatum ad mortem erit? deſine aut tam leuiter philoſophari de æterno illo ſupplicio, aut tam impurè theologizari de diuina iuſtitia. quæ enim lege diuina mortalia ſunt, omnibus vtique ſunt, quæ verò mortem non inferunt, ſemper ex natura ſua talia eſſe iudicantur, atque eo modo ipſa Deus imputat, quo lege ſua prohibuit, ſemper tamen cum ea obſeruatione, vt dicamus ipſum citra commeritum nos punire, & maiora, quàm emeruerimus, præmia nobis tribuere. Verùm omittamus iſtos, quibus ſola infidelitas lethalis eſt.

Sententia cath. ſcript. diuinis probatur.

Dicamus igitur oportet, ea peccata venialia eſſe, quæ neque tollunt, neque impediunt gratiam diuinam, & quæ caritatem non oppugnant, quantumuis ipſam morentur, & quodammodo vt tepeſcat, efficiunt: mortalia verò, quæ gratiam expungunt, quæ caritatem oppugnant aperto Marte. Concupiſcentia, ait Iacobus, cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem. en tibi mortale peccatum, nempe conſummatum. quod verò non conſummatum eſt, non generabit vtique mortem, ſit quamuis peccatum. praui ergo affectus carnis noſtræ, lethales ſunt, non ſemper, ſed quando ratio aduertit, aut certè aduertere tenebatur, & reprimere negligit. Sed meminiſſe me eſt neceſſe, lector, cum eo me nunc agere, qui omnes concupiſcentias, ſeu carnis commotiones, quocunque modo inſurgant, & antè etiam, quàm ratio in illis dominari poſſit, immo ipſam potentiam concupiſcentem peccatum appellat, & nos ipſos,

Iacobi 2.

viréſque noſtras nihil, niſi peccatum eſſe, & abominationem (vt loquitur) coram Deo ſæpe dicit: cùm contrà diuus Auguſtinus in libro 5. contra Iulianum ca. 3. quoties concupiſcentiam vocat peccatum, ſeipſum optimè interpretetur, & non de habituali, aut potétiali concupiſcentia, ſed de ea ſe loqui teſtetur, cui reſiſtit bonus ſpiritus, & cui ineſt inobedientia. quòd ſi illa aliquando peccatum ab Auguſtino nuncupata eſt, tantùm eo verbo teſtificari voluit, quòd ſcilicet ex peccato orta fuerit, & in ipſum nos prouocet & irritet. Apoſtolus item de mortalibus clara voce pronuntiat, nos ea à Dei regno extrudere, morte dignos efficere, neque eos, qui talia agunt, Dei regnum aſſecuturos. de ſtultiloquio autem, & ſcurrilitate, & generatim de cũctis venialibus, quæ ligna, fœnum, & ſtipulam alio in loco appellat, non ita rigidam ſententiam profert, ſed ſaluandos cenſet, qui illa fecerint, ſic tamen, quaſi per ignem. Ita intellexerunt hunc locum Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Anſelmus, Bernardus, Cyprianus, Athanaſius, & alij. ad hæc, Omnis, inquit Chriſtus, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui dixerit Racha, reus erit concilio: qui dixerit, Fatue, reus gehennæ ignis. quem locum verſans in mortalibus diuus Gregorius ſentit primo quidem iram ſine voce à Chriſto reprehenſam etiam minutiſſimam, altero loco cum voce, nõ tamen plenè expreſſam, vltimo denique vbi iam expreſſum auditur conuicium, hunc gehennam opponit, vt per culpæ gradus creſcat ſentẽtiæ ordo, qui in gehenna terminatur. Habemus itaque ex Chriſto & apoſtolis quædam peccata eſſe grauia, & alia leuia, & illa coinquinare homines, mortem inducere, ad gehennem trahere, atque à regno cælorum excludere: cùm de aliis nihil tale legamus. neque prætermittẽdum ſilentio arbitror, quòd hanc ipſam peccatorum diſtinctionem non pauci, aut infimæ claſſis doctores, in quibus magnum Gregorium exiſtere, teſtis eſt magiſter ſententiarum, ex illo Chriſti verbo colligũt, Nec dimittetur illi peccatum in hoc ſæculo, nec in futuro. Sed iam veniendum eſt ad eccleſiaſticos auctores.

Rom. 1. 1 Cor. 6. Galat. 5. Epheſ. 5.

1. Corin. 3. Hier. in Iouin. Aug. in lib. 21. de ciuit. c. 26. in pſal. 80. & ſer. 4. de commem. animarum. Anſel 1. Co. 3 Matth. 5.

C. qualis d. 25. magiſt. in 4. d. 21.

Sētētia cath. teſtimonijs patrum probatur. De aqua benedicta.

Alex. 1. in ecc. ſeſ. l. 1. hiſt. c. 7. Epiph. cont. hære. tom. 2.

Benedictio epiſcopi diſt. 28. c. presbyteri.

Cōfeßio generalis.

Veniale nullus cogitur cōfiteri mortalia verò omnia.

Neque ignota fuit eccleſiæ Chriſti ante ſcholaſticos huiuſmodi diſtinctio inter venialia & mortalia peccata. de aqua benedicta ſcribit ſanctus Alexander, qui quintus à B. Petro clauum eccleſiaſticum tenuit, circiter annum centeſimum à Chriſti morte hiſce verbis, Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi à maculis ſanctificentur, ac purificentur: quod & omnibus ſacerdotibus faciendum mandamus. huius aquæ benedictæ non vulgarem eſſe vim leget, qui voluerit, & apud Euſebium, & Epiphanium, atque Gregorium in libro tertio dialogorum capite trigeſimo ſeptimo. refert ſecundò Gratianus ex ſexta ſynodo, benedictionem presbyteri eſſe ſanctificationis traditionem. quare dubium non eſt, quin & antiquum ſit, quod cōmuniter fideles credimus, per benedictionem epiſcoporum remitti veniales culpas. Deinde cōfeſſionem etiam generalem magiſter in 4. diſt. 21. tanquam rem minime dubiam, dicit fieri quotidie in eccleſia pro venialibus. & certè debere præmitti miſſæ ſtatuit Pontianus decimus ſeptimus à B. Petro, epiſcopus Romanus: quamuis alij hoc ad Damaſum papam referant. De auriculari etiam & ſacramentali confeſſione ſemper obtinuit eccleſiaſticus vſus, neminem pro venialibus ſolùm ad ipſam teneri. vſque eò à tempore naſcentis eccleſiæ ſolennis hæc & plurimùm obſeruata diſtinctio eſt habita. Origenes etiam in hom. 35. in euang. ſic habet, Vnuſquiſque per ſingula peccata damnum ſuſtinet, & iuxta qualitatem, rationemq́ue delicti damni magnitudo reputatur: & pro qualitate, quantitateque peccati diuerſam multæ ſententiam expendit. ſi parum eſt, quod peccas, ferieris damno minuti, vt Lucas præſcripſit, vt verò Matthæus, quadrantis. verùm tamen neceſſum eſt, hoc ipſum, quod extitiſti debitor, ſoluere. non enim inde exies, niſi & minima quæque perſolueris. Vides ne etiam Origenis tempore aliqua fuiſſe ab eccleſia exiſtimata venialia, & quæ certo tempore poſt hanc vitam expurgari poſſent? Hieronymus nihilo ſecius contra Pelagianos in libro ſecundo ex multis locis ſcripturæ doctiſſimè confirmat, aliqua eſſe peccata, quæ non tol-

lant à iuſtis iuſtitiam,ſed cum ea ſimul ſtent. Quoniam verò peculiariter aliqui de Auguſtino hæſitauit, an huiuſmodi diſtinctionem perinde, atque nos, crediderit, & docuerit, præcipuos eius doctrinæ in hanc rem locos hîc ipſe colligam. Auguſtinus de minimis peccatis iuſtorum diſſerit libro de natura & gratia cap. 36. & lib. 21. de ciuitate Dei cap. 26. curas ſæculares, ædificia, venialia vocat. item minuta peccata, & non lethalia, igne purgatorij dicit expienda in ſermone 4. de ſanctis, & libro de ſpiritu, & littera cap. 28. Non impediunt, inquit, à vita æterna iuſtum quædam venialia peccata, ſine quibus hæc vita non ducitur. & multa alia, quæ de hoc in eo libro cap. 36. continentur. lege eundem lib. de fide & operibus cap. 17. & 26. 68. 69. Enchiridij, & apertiùs cap 68. rurſum lib. 3. contra duas epiſt. Pelagij cap. 3. lib. demum primo de ſymbolo cap. 6. Cathecumenis hanc doctrinam diſertiſſimis verbis explicat, inquiens, Non vobis dico, quia ſine peccato viuetis, ſed ſunt venialia, ſine quibus vita iſta non eſt. propter omnia peccata baptiſmus inuentus eſt, propter leuia, ſine quibus eſſe non poſſumus, oratio inuenta eſt. legatur etiam idem auctor in libro de verbis apoſtoli ſermone 29. atque ſermone 4. de commemoratione animarum. Agnouit & hanc diſtinctionem ſub nomine leuium & grauium peccatorum diuus Chryſoſtomus hom. in Matth. & leuia palàm eſſe aſſerit in ipſis etiam iuſtis, & non inducere reatum carendi regno cælorum. ſuſceperunt & hoc diſcrimen, atque magno conſenſu approbarunt Gregorius, Anſelmus, Bernardus, Richardus, Hugo, magiſter ſententiarum, poſt quem theologi ſcholaſtici doctores omnes. vbi omni conſideratione obſeruandum eſſe duco, ex duplici capite colligi apertiſſimè poſſe, antiquos illos patres in hac ipſa ſignificatione accepiſſe, verbum veniale, in qua & nos, & quòd illud dicunt eſſe in iuſtis, ac ſimul ſtare cum Dei gratia, & quòd poſt hoc ſeculum temporaria pœna purgandum affirmant.

Auguſtini loci pro diſtinctione venialium à mortalibus.

Grego 21. mor. cap. 9. Anſel. 1. Cor 3. Bern. de pr. & diſpen. Rich. de diſcr. morum & vitæ. Mag. in 2. ſent. diſt. 42. & in 4. d. 21.

Iam igitur Caluine vel cæcis omnibus conſtare poterunt tua in eccleſiam importuna conuicia. ſi nos dicimus venialia purgari oratione dominica, id iam ab

Auguſtino audiſſe poteras: ſi aquæ benedictæ aſperſione, ab Alexandro primo, & ſuo etiam tempore id iam eſſe creditum à tota eccleſia, cognoſcere potuiſſes: ſi abſolutione miſſæ, ex decretis Pontiani & Damaſi, ante annos 1300. communiter receptam conſuetudinem eccleſiaſticam intellexiſſes, nec tam impiè dicere debuiſſes, ſic cum Deo ludere eccleſiam & ineptire. ſi in ore habemus peccatum veniale & mortale, in ore ſi nō vocem, ſenſum tamen habuerunt apoſtoli, in ore Chriſtus, in ore primitiua eccleſia, in ore Origenes, Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, & quis non? alterum ab altero poſt euangelium, poſt doctrinam apoſtolorum, poſt ſanctorum ſcripta diſcernere facilè potuimus, vt diceremus, veniale natura ſua caritati & gratiæ non repugnare, neque æterna pœna, ſed temporaria hîc, aut in futuro ſæculo expurgari: mortale verò illud eſſe, quod contra Dei & proximi caritatem eſt, gratiam expungens, & æternæ pœnæ reos nos conſtituens. impietatem, & immunditiem cordis non veniale peccatum facimus Caluine, modò deliberatio accedat, modò rationi præcipienti & conſideranti non obtemperetur. hoc eſt dicere, quòd immundities concepta generat mortem. antè verò, quàm concipiatur, genita tamen, nonnulla noſtra culpa, venialis illa eſt. nos etiam quādoque legimus, legerúntque ſancti apud Paulum, Stipendium peccati mors. & apud prophetam, Anima, quæ peccauerit, morte morietur, non tamen inde collegerunt omnia peccata mox lethalia eſſe, ſed illa, de quibus & apoſtolus, & propheta loquebantur, nempe quibus Dei inobedientia conſummata, concepta, & perfecta ineſt. hæc morte digna ſunt, horum ſtipendium mors eſt. certè non minùs tuum iſtud paradoxū, quo ſtatuis minutiſſima & leuiſſima quæque peccata eſſe mortalia, à Dei noſtri bonitate alienum eſt, quàm à Dei iuſtitia illud Stoicorum de peccatorū æqualitate erat. erras igitur tu, qui omnibus etiam leuibus culpis æternam pœnam infligendam non minùs arbitraris, quàm illi, quibus parum referebat, quantum in iniquitate fuiſſes progreſſus, modò ſemel lineā iuſti tranſiliſſes. ſi illi dum pares in intenſione & grauitate

uitate pœnarum peccatores omnes eſſe cenſerent, grauiter errabant: non erras profectò ipſe minùs, qui in æternitate omnes æquas, & in excluſione à regno atque à Dei amicitia. mille, qua benignitate Deus noſter eſt, & pluſquam mille exitus reperiemus in tanto venialiũ peccatorũ cumulo. noli eſſe tam ſolicitus de noſtra ſatisfactione. neque iuſti, mihi crede, cùm vnam ſatisfactionem meditãtur, pluribus ſe inuoluunt, ſed dũ Deo, quod debent, perſoluunt, quotidie magis diteſcũt, magis in caritate & gratia proficiunt: vt timẽdum illis non ſit, quod tu tã vanè metuis, vt cùm nos ad noſtras ſatiſfactiones accingimus, numeroſa, vel potiùs innumera accumulaturi ſimus. nõ nobis per te extorquere poterit diabolus ſatisfaciẽdi fiduciam. immoreris quantum voles, immo nunc nunc à Satanæ laqueis per te iactis Dei dono & gratia glorioſiſſimè expediti, adhuc de ſatisfaciendo cogitare diuino fauore excitati audebimus.

Pœnam non totam remitti condonata culpa, ponderatur: locus Ieremiæ, Ezechielis, Eſaiæ, atque Oſeæ illuſtratur, quo pacto antiquarum iuſtitiarum, ac noſtrorum peccatorum Deus dicatur non recordari paucis explicatur: Caluini tandem rationes aliquot contra eiuſmodi diſtinctionem, de pœna & culpa ſoluuntur.

Cap. XXXVII.

SEd agedum quid tibi videtur de diſtinctione altera, qua dicere nos ſolemus, remiſſa culpa manere pœnam? audi, te maximopere quæſo lector, audi paululũ, ſi tibi libet iterum experiri, quanta ſit obſeruantia in maiores ſuos Caluinus, atque in ſcripturas ſanctas religione. *Conantur quidem ſe expedire, ſed aqua, vt dicitur,* Cal. ſect. 29. *illis hæret. fingunt ſibi diſtinctionem pœnæ & culpæ. culpam remitti fatentur Dei miſericordia: ſed culpa remiſſa, pœnam reſtare, quam perſolui Dei iuſtitia poſtulat. ad pœnæ igitur temporariæ remiſſionẽ propriè ſpectare ſatisfactiones:* hæc aqua (vt vidiſti lector) maioribus etiã noſtris, immo ipſis apoſtolis, & ipſi Chriſto videtur hæſiſſe. quid ergo tu? *Quæ iſta, bone deus, deſolutoria leuitas? verùm adhuc cùm iſta diſtinctione ex diametro pugnat, quidquid de*

peccatorum remiſſione in ſcriptura nobis traditur: tibi fortè ſic videtur Caluine, nobis verò non ex diametro cum ſcriptura pugnare, ſed contrà ex ſcripturis ſanctis nata videtur. quàm varium eſt hominum iudicium. hoc certò ſcio, quòd tuæ iſtius ex diametro repugnantiæ teſtem præter Lutherum, Oecolampadium, Zuuingliū proferes neminem: nos verò pro hac concordia, quæ inter diſtinctionem, & ſcripturas eſt, teſtes mille protulimus, omni exceptione maiores. Sed age, percurre tua. audite probationem diſcordiarum. *Hoc eſt teſtamentum nouum, quod Deus in Chriſto ſuo nobiſcum pepigit, quod iniquitatum noſtrarum non recordabitur:* ita eſt, vt non ſit ampliùs nobis infenſus, vt non à nobis ſit auerſus, non ſimus illi iam æterni ſupplicij debitores. quid tum poſtea? *Quid his ſignificauerit, diſcimus ex altero propheta: vbi dominus: Si iuſtus, inquit, à iuſtitia ſua deflexerit, omnium iuſtitiarum eius non recordabor. ſi impius ab impietate ſua receſſerit, omnium iniquitatum eius non recordabor:* iam arguit, iam infarſit ſuam argumentationem ſophiſta noſter. *Quòd ſe iuſtitiarum recordaturum negat, vtique hoc eſt, nullam ſe earum habiturum rationem, vt remuneretur: ergo & peccatorum non recordari, eſt, ea non poſtulare ad pœnam:* ſcilicet hoc eſt illud teſtimonium, quo turgidus perſonabas, conſtringendos eſſe nos angues nimirum tortuoſos, vt ne ſummā quidem caudam complicare poſthac queamus? atque ſi argumento tuo ſtatur, vt ſtandum cenſeo, vicimus. tantum abeſt, vt nos eo conſtrinxeris. conſidero inprimis priſtina merita, non ſic, interueniente mortali delicto, mortua eſſe, quin ſi pòſt contingat per pœnitentiam hominem reparari, vniuerſa ea merita iterum cum iuſtificato reſtoreſcant. credo ſiquidem peccatorem pœnitentem ad maiorem ſemper amicitiam cum Deo aſſurgere. de ſemel tamen remiſſio delicto dicere nemo audebit, ſit rediturum quoquo pacto, niſi qua ratione ſequentia peccata antiquæ remiſſionis velut ingratitudine augeri dicuntur. hoc prætereo, licèt cauſæ meæ vnicè faueat. quid enim mirum, ſi dimiſſa culpa, gratis poſtulat ſibi, ſuæque iuſtitiæ ſatiſfieri pro pœna, quando aſſurgitur, qui tam miſeri-

Ierem. 31.

Ezech. 18.

Peccator ſemper reſurgit ad maiorem gratiam.

corditer recordatur miſericordiarum antiquarum? deinde, ſit ita: ſtemus in verbo vtrobique vſurpato à Deo, Non recordabor, nonne vides tuo te enſe facilè confodiendum? abs te quæro, quomodo Deus dicatur non recordari antiquarum iuſtitiarum? num dicere vult, nihil omnino, neque ad gloriam, neque ad aliud quidpiam bonum tēporale homini valuiſſe, quod Chriſtianè hactenus ſe geſſerit? abſit, abſit tam ſtulta conſideratio. percurre, percurre, quæſo, obteſtorque, ſacrum codicem, luſtra ſanctorum pias & doctas lucubrationes, facilè intelliges, animaduertes, ſenties multa beneficia diuinitus collata in homines etiam peccatores, non niſi quòd aliquando iuſti fuerunt, quòd amici, quòd ſancti apud Deum aliquando exiſtimabantur. &, vt infinita ſilentio tranſeam, vnum illud teſtimonium pro infinitis eſſe debet, quod in Apocalypſi ad angelum Epheſinæ eccleſiæ dicitur: Hæc dicit, *Apocalyp, 3.* qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum, Noui opera tua, & laborem tuum, & patientiam tuam, quodque non poſſis ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt eſſe apoſtolos & non ſunt, & inueniſti eos mendaces. & patientiam habes & ſuſtinuiſti propter nomen meũ, nec defeciſti. ſed habeo aduerſum te pauca, quòd caritatem primam reliqueris. memor itaque eſto, vnde excideris, & age pœnitentiam, ac prima opera fac: ſin minùs, veniam tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi reſipueris. ò Caluine, quàm aptum in rem noſtrã teſtimonium hoc eſt. caritatem primam iam reliquerat, etiam exciderat, atque, vt reſipiſcat, & prima opera faciat, poſtulatur. iuſtitiæ antiquæ perierant, nec procul aberat, vt veniret, qui tenet ſtellas in manu ſua, quò moueret candelabrum de loco ſuo. at, rogo te, ita ne extinctas putas illius iuſtitias, vt penitus Deo in obliuionem abiiſſent? ſi ſic, cur dicitur, Noui opera tua, noui laborem tuum, noui conſtantiam, noui patientiam? quare Ioannes, vt eorum omnium Deus non recordaretur, vt iam vellet ipſa cæleſti præmio donare, non ſic tamen apud ſuam bonitatem extincta omnino erant, quin cæleſtis

illius exhortationis cauſa non extiterint. haud ſecus, vel te auctore, ex negotij paritate philoſophabimur, extincta quidem eſſe peccatorum ſcelera, vbi aduenit Dei gratia, vt non iam ampliùs in ęternam gehennam, in æternum ſupplicium, in Dei offenſam & inimicitiã imputentur nobis. nõ ſic tamen tranſlata à nobis ſunt, quin & ſuperſit iuſtitiæ Dei, quòd in nobis ad tempus vindicet. inuenit illius bonitas in peccatoribus, quod remuneret, inuenit etiam illius iuſtitia, quod puniat: vtrobique tamẽ vel ad inimicitias, vel ad æterna ſupplicia, ad gloriã, ad æterna præmia, ad nouã cũ Deo ineũdam amicitiã, iuſtitiarum, aut iniuſtitiarũ dominus nõ recordatur. his accedit, quòd eodẽ ferè verbo, quo apud
Ieſ.38.44. prophetã Ezechielem vſus eſt Deus, eodem conſolatur
Michaea 7. Dauidẽ Nathan propheta. Tranſtulit, inquit, dominus
Pſal.31. peccatum tuum abs te, quid obſecro? hoc eſt, Tranſtulit, niſi non recordabitur? non imputabit? tectum erit? at quis ignorat multarum pœnarum reum ſanctiſſimum regem, & poſt illa verba manſiſſe? in hunc ſenſum alibi legimus, proiicere Deum poſt tergum peccata noſtra, delere inſtar nubis, demergere in profundum maris, non imputare, tectumque habere. Vt igitur recordari non dicitur Deus antiquarum iuſtitiarum, quàm diu ad gloriam æternam non ordinat, quæ abſoluta & vera eſt Dei recordatio, ſic nec delictorum præcedentium, quàm diu in æterna condemnatione non punit. certè ſi ſic Deus puniret, imputaret, ſi ſic vindicaret, recordaretur, ſi ad tale iudicium vocaret, tecta non haberet, ſi examinaret poſt tergum non proieciſſet, ſi ſic inſpiceret, non obliteraſſet inſtar nebulæ, ſi ventilaſſet, non proieciſſet in profundum maris. atque hoc eſt, quod Auguſtinus dixit in pſalm. 52. Si texit peccata Deus, noluit aduertere, ſi noluit aduertere, noluit animaduertere, ſi noluit animaduertere, noluit puni-
Cal. obiectio re, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. *At propheta*
Ieſ.1. *ta dicit, Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix albeſcent: & ſi rubuerint, vt vermiculus, erunt quaſi lana:* quare integrum ſcripturæ locum non producis? quare concidis? quare luxas? vt enim loquatur propheta de pleniſſima ſatisfactione illo in loco ad cul-

pam & ad pœnam, nónne de operibus præmiſerat, quæ nos hîc eſſe neceſſaria ad ſatisfactionem contendimus? referamus nunc, quæ ea verba præceſſerant, & tunc locus, candidè productus, catholicæ veritati plurimum fauebit. Lauate, inquit Deus, mundos vos facite, auferte malitiam ſtudiorum veſtrorum à conſpectu oculorum meorum, ceſſate affligere, diſcite beneficiis proſequi, ſciſcitamini iudicium, dirigite oppreſſum, ius dicite pupillo, cauſam viduæ ſuſcipite. adeſte, quæſo, & diſputemus dicit dominus. atque mox ſequitur, Si peccata veſtra, &c. an non digni fructus pænitentiæ ij tibi videntur, quibus ſatisfactum iri diuinæ iuſtitiæ iure ſperare poſſemus? quid igitur mirum, ſi albeſcant, ſintque, quaſi lana, ea peccata, quæ poſt internum animi dolorem in egenos beneficiis, in oppreſſos ope ac fauore, in pupillos iuſtitia, in viduas adminiculo redempta ſunt? ſi redimuntur eleemoſynis, multo magis his, quæ audiſti. *Quid quòd apud Ieremiam ſic legitur? In illa die requiretur iniquitas Iacob, & non inuenietur, peccatum, & non erit: quia propitiabor reliquiis, quas ſeruauero*: verum eſt, ſic legimus: ſed te etiam atque etiam oramus, vt clariùs nobis oſtendas, de qua propitiatione, ad litteram interpretando locum illum, loquebatur propheta. non dubito, quin teſtificeris, de regreſſu in terram Iuda. dixerat enim, Reducam Iſraelem ad ſepta ſua, & depaſcet Carmelum, & Baſan, & in monte Ephraim, atque in Galaad ſaturabitur deſiderium eius. ſtatimque additur, Quæretur iniquitas &c. eſtque is planus ſenſus ſcripturæ, Cauſam filiorum Iſrael contra Babylonem bona fide ego ſuſcipiam, & diſceptabo, vt requiē dem terræ. venit enim dies, & tempus, quo illos viſitem. Cùm autem quis domino poſſit obiicere eum populum ob iniquitates ſuas in captiuitatem coniectum fuiſſe: reſpondet eorum vindex, atque aduocatus Deus, tum quòd propitius ſit illis futurus, vt ea iniquitas non ampliùs Dei populum in tam horrendum carcerem incluſum retineret, tum etiam quòd plurimum & vis, & afflictionis fuiſsēt perpeſſi filij Iſrael, ac filij Iuda. Vim, inquit ibi propheta, paſſi ſunt filij Iſrael, & filij Iuda: pa-

Cal. obiectio ex Ierem. 50.

riter omnes,qui ceperunt eos,tenent eos,ac renuũt dimittere eos. & de Babylone dicit, Reddite ei iuxta opus ſuum,& ſecundum omnia,quæ fecit,facite ei: quia contra dominum ſuperba fuit, contra ſanctos Iſraelis. Subleuatur igitur Dei populus cæleſti fauore & dono, ac culpæ remiſſione, atque quòd tot labores offenſioneſque à ſuperbo inimico infracto animo tulerit. nihil igitur verbo Ieremiæ, ſicut Eſaiæ de ſatisfactione detrahitur, ſed ea magis ibi commendatur. *Vis tu breuiter tenere*, inquit Caluinus, *quis ſit verborum Ezechielis, & Ieremiæ, & Eſaiæ, & omnium eccleſiaſticorum auctorum ſenſus? expende, quid ſibi velint locutiones illæ contrariæ, dominum in ſacculo iniquitates colligare, in faſciculum recondere, ſtylo ferreo exarare in lapide adamantino, nempe ſi vindictam repenſum iri (quod extra dubium eſt) ſignificant. neque etiam dubitandum eſt, quin contrariis ſententiis omnem vindictæ repenſionem dominus ſe remittere affirmet:* hîc mihi obteſtandus es Caluine, non vt gloſſis tuis auſcultare nos cogas, ſed tantùm, vt rectæ & ſinceræ intelligentiæ verbi Dei patêre ſinas. certè Iob de pœna inferni, & æterno ſupplicio loquitur: dicit enim, Vtque terra torrida, & calor abſumunt aquas niuales, ita infernus eos, qui peccauerunt, obliuiſcitur eiuſmodi hominis ad miſericordiam. eſtque dulcis cibus vermium, nec vlla memoria ipſius relinquitur, ac, velut arbor, iniquitas confringitur. in contraria ſententia, fateor, eiuſmodi vindictæ repenſionẽ Deũ remittere, non de qua agimus. item ille ſecũdus locus Oſeæ, à te productus, de æterna ſimiliter damnatione loquebatur. ait enim, Colligata eſt iniquitas Ephraim, & reſeruatum peccatum eius. dolores parturientis veniẽt ei: ipſe enim eſt filius non ſapiens, alioqui non diu ſteriſſet in partu filiorũ. de manu inferorum redemiſſẽ eos, à morte vindicaſſẽ eos. nos Caluine, quãdo negauimus, infuſa gratia, ſolutã eſſe iniquitatẽ, dimiſſum peccatum, de manu inferorũ factã redemptionẽ. & ab æterna morte erutos peccatores? Venio ad tertiũ Ieremiæ locũ: an difficile eſt coniicere, de qua exaratione loquatur ibi propheta cõtra idololatras illos? annõ legimus ibidẽ, Ignẽ enim incẽdiſtis in furore meo, qui ardebit perpetuò? dũ

Cal. obiectio ex Iob 14. Oſeæ 13. Ierem. 17.

igitur Dei dono nobis culpa remittitur, nō iam peccata noſtra amplius in ſacculo colligit dominus, vt æterno calore abſumendi iam ſimus, neque in faſciculum recōduntur, vt de manu inferi iam non ſimus redempti & liberi, neque ſtylo iam ferreo exarata legūtur, vt ignis, qui in furore domini incenſus fuerat, in perpetuum ſit arſurus. his ſanè modis nos omnibus in locis prædicamus, nō Deum recordari noſtrorum ſcelerum, ſi ſemel gratia nobis cōceſſa fuerit. ſed hęc quid ad ſatisfactionem eius pœnæ, ad quā & iuſti, & Deo cari teneri illęſa diuina amicitia, quā cum Deo inierūt, optimè poſſunt? deſine maledicere, malefacta ne agnoſcas tua. *Quid, quæſo, nobis Chriſtus præſtitiſſet, ſi adhuc pro peccatis pœna exigeretur?* plurimùm ſanè quidem Caluine. &, vt breui ſatisfaciam petitioni tuę, dico ab vtroque abſolui nos per Chriſti gratiam. at quia miſericordia Dei nūquam eſt ſine iuſtitia, quāuis in cruce & omniū gratiā, & pœnarum condonationē meritus fuerit, ac ſatis ſupérque fecerit pro omnibus peccatis totius mundi: efficaciter tamen noluit ad ſingulos applicari aut meritum ſuum, aut ſuam ſatisfactionem, niſi quatenus vnuſquiſque liberè aſſentiret, & cooperaretur adiutorio ipſius. qua de cauſa, vt nō omnes ad eundē gradum amicitię recipit, dum cōuertimur, ſic ſuam iuſtitiam decebat, vt remiſſa culpa, & ęterna pœna, vnicuique remitteretur de temporali, non niſi iuxta conatus proportionē, quo ſe quiſque Chriſti redemptioni pręparat, atque ſe in Deū conuertit. Quę tanta iſta veſtra cęcitas eſt, obiicere ſcilicet, derogari per nos meritis & ſatisfactioni Chriſti, quòd noſtras ſatisfactiones ſuę pleniſſimę adiūgimus? nónne ſicut copioſè ſatisfecit pro peccatis noſtris, ita & abundè redemit nos ab illis, perfectè nos patri ſuo reconciliauit, omnia peccata noſtra in corpore ſuo pertulit, perferendo abſtulit, & cunctis dignè ęternam vitam promeruit? ſicut igitur, his minimè obſtantibus, rectè habet fides catholica, paruulos naſci in ira Dei, & in eadem mori, niſi baptizentur, & adultis vos ipſis neceſſariam eſſe fidem non dubitatis, atque ſimiliter baptiſmum, & iuſtificatis etiam, fatemini obſeruanda eſſe decalogi pręcepta, & ſemper pœnitētiā inte-

Cal Obiect. ex ſufficiencia ſatisfactionis Chriſti.

ſiorem neceſſariã fore: ita profectò nihil deminuet de pleniſſimo Chriſti merito, abſolutiſſimáque per illum facta ſatisfactione. neque eidem aduerſabitur, præter pœnam interiorẽ requirere exteriorem, vt plurimùm, quando communiter non eſt tanta pœnitẽtia interior, vt omnem reatum ad pœnam, quæ ex peccato cõſequitur, delere queat. iterum dicam: in hoc rei huius ſumma conſiſtit, in hoc huius negotij ſtatus & cardo vertitur, Chriſtus virtutem ſuę paſſionis (quamuis omnibus, quæ vellet, ipſa maximè conducet) applicari ad nihil voluit, neque ad gratiam, neque ad gloriam, neque ad abſolutionem alicuius reatus peccati, niſi mediante aliquo ſacramento, aut proprio aliquo merito, aut opere noſtro, & iuxta propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem. ſic certè gloriæ Dei, commodæ adminiſtrationi orbis, ſaluti, profectui, ac iuſtorum exaltationi plurimùm conueniebat. ſatíſque eſt, vt reconciliaſſe omnes dicatur, vt pertuliſſe omnia peccata noſtra ſuper lignũ, vt caſtigationem pacis noſtræ fuiſſe ſuper eum, vt pœnas ſuſtinuiſſe, vt nos ab illis eximeret, factum eſſe pro nobis ſanctificationem, propitiationem, pretium, redẽptionem, adde ſatisfactionem noſtram, quam Paulus vocare ſolet ἀπολυτρώσιν; ſatis, inquam eſt, vt reconciliaſſe omnes dicatur, & cumulatiſſimè ſatisfeciſſe pro omnibus, & obtuliſſe patri ſacrificiũ, ſic Deo acceptũ, vt omnes, qui voluerint illius beneficentia vti, & legibus ſuauiſſimis parêre, ab ipſo prę ſcriptis, poſſint ſtatim iuſtificari & abſolui, vel ex toto, vel ex parte ab omni ſuorum ſcelerum reatu. nec opus eſt, immo diuinæ iuſtitiæ non expediebat, vt ſic pœna & vindicta, quæ pro peccatis noſtris debebatur Chriſtus, fuiſſet defunctus, quin noſtro aliquo opere illius virtutem ad nos efficaciſſimè applicaremus. caſtigationem noſtram ipſe tulit antè, quàm reconciliari poſſemus. nec quidquam agere niſi vices noſtras ipſe ſubiiſſet. quoniam hinc effectum eſt, vt caſtigatio etiam noſtra, quæ Chriſti liuore nititur, multùm valeat: non ſic tamen, vt ab omni pœna prorſus nos eximeret. *Qualem*, inquis, *ſatisfactionem à nobis requirat dominus, paucis verbis eleganter Oſeas expreſſit. Omnem, ait, tolles iniquitatem ò Deus. en peccata-*

Hæc omnia attendenda.

1. *Pet*. 2. *Eſa*. 53. *Rom*. 3. 1. *Cor*. 1. *Epheſ*. 1. *Iob*. 1. 1. *Tim*. 2.

Cal. obiectio

Oſeæ 14.

rum remiſſio Et vitulos labiorum perſoluemus en ſatisfactio: ſcilicet hoc non eſt ſcripturam ſacram detorquere? hoc non eſt Dei verbum corrumpere? immo Oſeas catholicam ſententiam ibi paucis verbis eleganter ſatis expreſſit. Reuertere, inquit, Iſrael vſq; ad dominũ Deum tuum, quoniam corruiſti in iniquitate. en liberum arbitrium, en præparatio ad Dei amicitiam emerendam, & Deum placandum. Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad dominum: & dicite ad eum, Aufer omnẽ iniquitatem. en omnis boni & redemptionis fontem, nẽpe Deum, & Dei filium, qui aufert mundi peccata. Et accipe domine bonum. en ſatisfactio, en fructus pœnitentiæ digni, en diuinorum mandatorum obſeruatio. Et perſoluemus iuuẽcos labiorum noſtrorum. en gratiarum actio. Clamat, & vocat dominus, cõuertitur peccator ad ipſum, qui ſe vocauit, & pœnitẽtia reuertitur, iniquitatem Deus aufert conuerſo. gratiam enim & gloriam, dominus eſt, qui dat. dat Deo homo cæleſti fauore adiutus bonum, quod debet: ex quibus omnibus ſpecioſa laus, & dulcis gratiarum actio, pinguéſque iuuenci expectantur. demum Caluine hoc compertum habeto, quòd quoties Dauid, aut alij prophetæ peccatorum veniam petunt, æternam pœnam ſimul cum Dei iniuria cum primis deprecantur. huc & non aliò diuini iudicij horrendus ſenſus impellit. rurſum, cùm à domino miſericordiam promittunt, non niſi conſultò de æternis pœnis, iniuriarúmque remiſſione concionantur.

Loci ſcripturarum pro catholica veritate producuntur, qui ab iniquis Caluini interpretationibus ſumma veritate liberantur, atque de duplici genere correctionis latiſſimè ex ſcripturis agitur.

CAP. XXVIII.

CVm hæc catholica veritas duplici ratione probetur ab eccleſia, & quòd ea in diuinis literis legatur expreſſa, & quod antiquitas ad ipſos etiam apoſtolos noſtros aſcendendo ſummo conſenſu omnibus ſuffragiis

ſuſceptam obſeruauerit, iam Caluinus, nimirum candidus ſcripturarũ interpres, ſimulátque vetuſtatis obſeruantiſſimus, vtrique rationi pluribus reſpondet: ad ſcripturam ſic, *Verùm quando & ipſi ſcripturæ teſtimoniis ſe armant, videamus, qualia ſint, quæ ipſi obtendunt argumenta. Dauid, aiunt, de adulterio & homicidio à propheta Nathan obiurgatus, veniam peccati accipit: & tamen morte filij, quem ex adulterio ſuſtulerat, poſtea plectitur. hortabatur item Daniel Nabuchodonoſor, vt eleemoſynis peccata redimeret. & Salomon ſcribit propter æquitatem & pietatem remitti iniquitates. alibi etiam, caritate operiri multitudinem peccatorum. quam ſententiam confirmat & Petrus. item apud Lucam dominus de muliere peccatrice ait, Remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum:* hæc de ſcripturis pro catholicis profert Caluinus: ſemper enim parum liberalis eſt in noſtris confirmandis, cùm pro impietate ſit munificentiſſimus. adde tu etiam lector, quòd, cùm ad Moſis preces populi ſcelus Deus dimiſiſſet, mox addidit, Sed non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum. ipſi etiam Moſes & Aaron, abſoluti à peccato incredulitatis, manſerunt rei non ingrediendi terrã promiſſionis. Maria eorũ ſoror, iubente domino, ſeptem diebus leproſa manſit extra caſtra: etſi ad Moſis preces detractionis culpam iam illi Deus remiſerat. neque Achab, neque Manaſſes, neque Niniuitæ, donec ad ſaccum, ieiunia, & planctum irent, quieuerunt. immo nec tunc fore ſecuros de dimiſſo peccato admonet Sapiẽs. amicus ſponſi nihil ſic crebrò vſurpabat, quàm, Agite fructus dignos pœnitentiæ. & mox, Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. quid moror? Paulus ad Rom. 6. ad Corinth. in priori cap. 11 in poſteriori cap. 7. iuxta gloſſam omnium ſanctorum, huius ſatisfactionis pro peccato meminit. Sed quid ad hæc reſpondeat Caluinus, te in maximo eſſe deſiderio audiendi lector, mihi videre iam videor. *Peruerſè & præpoſterè Dei facta ſemper æſtimant*: qui Caluine? antiquíne patres? totáne Chriſti eccleſia? papæ! nullíne occurrit aliquando ſanctè & piè atque oportunè Dei facta æſtimare? eheu

Cal. ſect. 31.
2. *Reg.* 12.
Dan. 4.
Prou. 16. & 10.
1. *Pet.* 4.
Luc. 7.
Num. 14.
Num. 20.
Ioel. 2.
Eccleſ. 5.
Matth. 3.
Caluini reſponſio ad omnes ſcripturæ locos pro ſatisfactione.

miſeram noſtram condicionem. ſed agendum ecce tibi adſumus exploraturi hac in parte diligenter Dei & facta, & dicta: quid igitur reſpondes? *Duo ſunt iudicij genera, vnum vindictæ, alterum caſtigationis. illud vltionis, iræ, confuſionis, diſsipationis, ſupplicij, in nihilum redactionis, indignationis, punitionis: hoc correctionis, quo non ita ſæuit, vt iraſcatur, nec vindicat, vt perdat, vel fulminet ad interitum, non ſupplicium, aut vindicta, ſed correctio & admonitio. alterum iudicis, alterum patris. illo in delictum animaduertitur, & in facinore ipſo pœna à iudice expetitur. in hoc pater cùm filium ſeueriùs corrigit, nõ hoc agit, vt vindicet, aut multet, ſed magis, vt doceat, & cautiorem in poſterum reddat. Verberatur, inquit Chryſoſtomus, filius, verberatur & famulus: ſed hic, vt ſeruus, quia peccauit, punitur, ille verò, vt liber, & filius diſciplina indigens, caſtigatur. huic correptio in probationem, & emendationem cedit, illi in flagella, & pœnas:* iſta omnia lubenter ſunt amplectenda & recipiẽda Caluine, modò hoc vnũ addas in diſtinctione tua, ſolere videlicet interdum in filios & amicos animaduerti paternè, & amicè, tũ ob correctionẽ & emendationem, atque exemplum, tum etiam vt honori paterno læſo per filium ex iuſtitia ſatisfiat. non ex iræ, aut vindictę zelo procedit hoc iudicium, ſed ex iuſtitia, cum paterna caritate vnicè coniuncta. ſi tibi videbitur iudicij genus cũ hoc altero annumerare, modò ſatisfactionis paternæ, piæ, & humaniſſimæ quidem, ratio abs te habeatur, non recuſo, non repugno. longè enim abeſt iudicium hoc, de quo nos nunc, ab illo primo tuo æternæ vindictæ, vltionis, iræ, & indignationis. punit hîc Deus, ſed ſine ira, punit, ſed filium, ſed amicum, ſed hæredem ſui regni. Vt breuiter tamen atque expeditè rem totam teneamus, hæc ex duabus ſtatuatur prior diſtinctio: Vbicunque pœna ad vltionem inimici eſt, ibi maledictio & ira Dei ſe exerit, quam ſemper à filiis prohibet: caſtigatio contra, & hæc de qua loquimur, ſatisfactio, & Dei benedictio eſt, & amoris plena animaduerſio. quidquid enim afflictionum in præſenti vita ſuſtinent impij, æternam ſuam damnationem eminus iam conſpiciunt. tantúmque abeſt, vt inde

Duplex genus iudicij.

Iudiciũ hoc ſatisfactionus multùm accedit ad correctionem filiorum, licèt per ipſum paterno honori ſatiſfiat.

Diſtinctiones duæ.

Iob.3.

Prou.3.

Hebr.12.

emendentur, & fructum aliquem percipiant, vt potiùs talibus prælud iis ad diriſſimam, quæ tamen eos manet, gehennam apparentur. caſtigans autem caſtigat ſeruos ſuos dominus, & à filiis, & quidem vnicè dilectis antiquæ offenſæ pœnas quàm humaniter ad tempus expoſcit, ſed morti non tradit eos. quare eius ferula verberati, & pœnas illi dantes, bonum id ſibi eſſe fatentur, & ad veram eruditionem, & ad plenam cum Deo reconciliationem, in cuius amore & gratia patienter ſuſtinendo, progreſſus ſuos in amore maiores quotidie faciunt. & ſicut ſanctos vbique legimus tales pœnas placido animo ſuſcepiſſe, ita ſuperioris generis flagella, quibus in inimicos Dei ac ſceleratos homines animaduertitur, ſemper vehementer deprecati ſunt. Caſtiga me, precabatur Deum Ieremias, domine, ſed in iudicio, non in ira tua, ne fortè imminuas me: effunde furorem tuum in gẽtes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Dauid dicebat, Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. non tamen ab æterno patre poſtulat non flagellari, neque à pio iudice pœna aliqua pro dimiſſa iam culpa non corrigi, & puniri. porrò quantam ſuæ paternæ lenitatis habeat rationem in filiis ſuis caſtigandis, & in debito ab eis extorquendo, oſtẽdit ipſe apud prophetam. In igne, inquit, repurgaui te, ſed non velut argentum: nam & ipſe totus abſumptus eſſes. idque omnino neceſſe eſt: quia vt quiſque Deum magis reuereretur, & ad colendam pietatem ſe addicit, ſic tenerior eſt ad ferẽdã eius iram. reprobi verò quamuis ſub flagellis gemant, quia tamen non expendunt cauſam, quin potiùs tam Dei iudicio, quàm ſuis peccatis tergum obuertunt, ex ſocordia illa duritiem contrahunt. & quia fremunt, & calcitrãt, valdéque tumultuantur contra ſuum iudicem, furioſus ille impetus amentia & furore eos obſtupeſcere facit. filij autem & amici, patris & Dei ſui ferulis, & pœna admoniti, ſtatim deſcendant ad reputanda peccata, & metu horroréque perculſi ad deprecationem, ceteróſque pœnitentiæ fructus, quos ſciunt Deo quàm gratiſſimos eſſe, ſupplices confugiunt. Hæc ſit prior diſtinctio illius iudicij, quod in vindictam non dimiſſæ culpæ fit, & hu-

Pſal. 118. 119.

Ierem. 10.

Eſa. 48.

ius,quod poſt cōdonatam culpam,aut ad correctionem, aut ad pœnæ ſatisfactionem cum filiis etiam & amicis Deus ſumma miſericordia exercet. Sit deinde hæc altera diſtinctio, Quòd dum flagellis Dei reprobi feriūtur, iam pœnas æterni iudicij pendêre incipiunt. in ferulis autem filiorum, & in ſatisfactione iuſtorum, ad poſterum maior eſt correctio, & amicitiæ diuinæ incrementum,atque de præteritis purgatiùs & limpidiùs ab omni,quod eos remorari hîc poſſet,labore, ieiunio, ceteríſque benefactis purgantur, & magis ac magis apud Deū albeſcunt & vibrant.optimè ad hæc quadrat,quòd pœnæ omnes, quas patiuntur iuſti in hac vita, à Chryſoſtomo & Auguſtino ſæpe vocantur non ſupplicia, non damnatio, non pœna, ſed correctio, ſed medicina, ſed flagellum: non ſententia pœnalis, ſed dolor medicinalis. non ita loquuntur hi ſancti, quòd negent multas pœnas in ſatisfactionem dimiſſæ iam culpæ ſæpe & à iuſtis Deum extorquere: ſed quòd vouerint quàm humaniter,quàm amicè id Deus facere conſueuerit,quódque vniuerſa hæc in profectum ipſorum, qui patiuntur, non minùs, quàm medicinalis potio in ſalutem eius,qui bibit, ſemper ſolita ſint euadere. Ergo cùm Saulem à regno reiecit, incipiebat punire ad vindictam, quòd ſine fine erat puniturus: cùm Dauidem paruulo filio orbauit, ad ſatisfactionem & emendationem corripiebat, ne ſupereſſet,quod poſtea puniret. in hanc ſentētiam accipiendum eſt,quod ait Paulus,Cùm iudicamur à domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.caſtigantur itaque filij,ac puniuntur,ne cōfundantur. quod optimè obſeruauit diuus Auguſtinus in libro de peccatorum meritis ac remiſſione, & alibi ſæpe,vt ex nobis lector aliàs audiſti. atqui certè, quantumuis calumnietur Caluinus,verum ſemper erit,quod Eſaias propheta ait,Malitia Ieruſalē expleta eſt, & iniquitas dimiſſa.cur hoc propheta? dupla enim accepit de manu domini pro omnibus peccatis ſuis.à pœnę igitur ſolutione, quæ Dei acceptatione æſtimabatur, Eſaias arguit delictorum veniam pendêre.

Altera huius & illius iudicij diſtinctio.

Aug. in ſer. de pæn. & confeſſ.

1. Reg. 15.
2. Reg. 12.
1. Cor. 11.

Lib. 2. c. 33. & 34.

In quo verò malè alucinatur Caluinus,hoc eſt, credit enim omnem vindictā & omnem punitionem Dei ip-

In quo ſtat controuerſiæ conſiſtat.

ſius iram & furorem inuoluere, quod, vt verum ſit de vindicta & punitione æterna, de furore & ira in reprobos, & qui reſipiſcere nolunt: at paterna illa punitio iuſta, & perhumana exactio non iram ſecum complicat, non furorem inuoluit, non à regno, nec ab amicitia exigit ſed contrà amoris & dulcoris ſimul ac gratiæ plena eſt. punit nanque ſtato ac præſcripto tempore, vt perpetuis præmiis ſuos ornet. nec magis ſatisfactione hac de iuſtorum ſtatu quidquam detrahitur, quàm correctione, emẽdatione, probatione. Chriſtus ſatisfecit pro nobis in his omnibus, in quibus pares non eramus ad ſatisfaciendum. eramus natura filij irę, eramus ſub regno tenebrarum, eramus ſub peccati iugo, Ieſus Chriſtus poteſtatem nobis dedit Dei filios fieri, Ieſu Chriſti merito tranſtulit nos cæleſtis pater in regnum filij dilectionis ſuæ, Ieſus Chriſtus (quod nos non poteramus) per ſanguinem crucis ſuæ, & inimicitias diſſoluit, & chirographum nobis contrarium ſuſtulit è medio. quid dicam? nunquam vel minimam eorum partem, quæ Chriſto ſoli accepta nos referre oportet, hîc recenſere poſſem. cum hoc tamẽ, cur negabimus, cur non afferemus, ſi non totum, (eſſet vtique id ſupra hominum vires) at certè quod poſſumus, quod valemus? ſatisfieri Deo patri à nobis nimiùm offenſo nos non poteramus, ſatisfecit filius: bene ſanè. æterni reatus obligationem, cui tenebamur, obliterare ac delere non poteramus. ille noſtrum expungit nomen, exegit inde omnes Chriſtus: ſit illi gloria & gratiarum actio. agnoſcamus donum, ſuſpiciamus auctorem. vt igitur hæc, quæ nos non potuimus præſtitiſſe Chriſto, integra & propria ſemper maneant, cur, obſecro, pręparare nos ad tantum munus excipiendum, quod re ipſa poſſumus, & ſuo item præcepto ac lege ad id aſtringimur, negligemus? en cordis cõtritio optimè ad Chriſti gloriã ſibi propriam quadrat. cur item aliqua pœna noſtra, remiſſa iam culpa, condonata propter Chriſtum, pœna æterni reatus, non teſtabimur, quàm ægrè feramus noſtris ſceleribus fuiſſe offenſam aliquando per nos diuinam maieſtatem, læſumque honorem Dei? ergo ſarta & tecta cùm maneat Chriſti gloria, cùm etiam iuſtorum ſtatui nihil repugnet ca-

tholica veritas de ſatisfactione, Chriſtianis omnibus tenendum eſt Dauidem, ceteróſque ſanctos, qui quandoque lapſi ſunt, poſtquam in Dei gratiam rediiſſe illis cōtigit, afflictos nonnūqnam fuiſſe, longè alia ratione ab illa, qua non pœnitentes, difficiles, & duri peccatores etiam hîc à Deo puniuntur, tum ob correctionem, & emendationem, & publicum omnium ſæculorum exemplum, tum etiam ad peccati iam remiſſi, quātum ad culpam & æternam pœnam, temporariam ſatisfactionem. porrò quòd illa duo gratis remittantur nobis, diuina miſericordia in cauſa eſt: quòd verò hi fructus ad ſatiſfaciendum Deo pro offenſa adhiberi debeāt, diuina iuſtitia. vtrobique tamē Chriſti meritum regnat. *At legitur publicanus deſcēdiſſe è templo iuſtificatus:* ita & à nobis legitur Caluine, quid tum poſtea? *Pœna nulla ſequitur:* ô bellam conſecutionem! legíſne, quod ſic iuſtificatus deſcenderit, vt nullius pœnę debitor manſerit? non certè. cur igitur, magis tibi licet, quia non legis pœnā inferri, omni ex parte peccato ſuo iam ſatisfeciſſe publicanum illum, quàm mihi colligere tantùm iuſtificatum deſcēdiſſe, non ab omni prorſus temporaria pœna abſolutū: quòd id non legam, ſed illud ſolùm? at obiicis, *Ambroſius inquit, Lacrymas lego, ſatisfactionem non lego:* non cogitaſti te aliquando deprehendendum? ſi cogitaſti, quare contempſiſti? Non inuenio, inquit Ambroſius, quid Petrus fleuerit, quid reſponderit, quid fuerit cauſatus, lego lacrymas, ſatisfactionem, apologiam, excuſationem non lego, defenſionem non lego, lego lacrymas. deinde ſubiungit Ambroſius, Lauent lacrymæ delictum, quod voce confiteri pudor eſt. quæ verba ipſe explicat, Quod defendi voce non poteſt, ablui poteſt lacrymis vtique. & infrà, Lacrymæ veniam non poſtulant, ſed impetrant ac merentur. vide etiam Ioannes, vt id obiter annotemus, lacrymis peccata lauari, cùm ſciamus etiam ſanguine ſuo Chriſtum ea lauiſſe. primus igitur fons è Chriſti latere profluxit, quo lauentur omnia mundi ſcelera. huic verò, ſi lacrymarum noſtrarum profluuius ei adiungatur, efficaciſſimè cuncta erunt munda. ſed reuertamur ad Ambroſium. Petrus, inquit, fleuit, vt lacrymis delictum ſuum

Obiectio Cal.
Luc. 18.
Matth. 9.
Ambr. in 22. *Luc.*

lauare poſſet: & tu, ſi veniam velis promereri, tuam culpam lacrymis dilue, & ecce eodem momento, eodémque tempore reſpiciet te Chriſtus. denique in extrema eius loci parte ſic habet, Flebat ergo Petrus, pióque affectu lacrymas fundebat, vt dum reus ſuo iudicio damnatur, & ſpontaneo iudicio ſuum facinus expiat, pietas domini, (qui ſe ipſe vlciſci nollet) & diuinitas probaretur, qui conſcientiam mentis inuiſibili poteſtate interrogaret. quid hoc aliud eſt, quàm quòd apud diuũ Paulum legimus, à domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur? mihi quidem explicari poſſe dilucidiùs ac clariùs vllo pacto non videtur. Verùm hęc Caluinus, & alia infinita in magnis & vetuſtis auctoribus diſſimulat, & nihil curat. ex facto publicani, Petri, & paralytici, cui dicitur, Surge & ambula, regulam colligit, omnes abſolutiones, quæ in ſcriptura commemorantur, omnino gratuitas eſſe. *Ex hac*, inquit, *exemplorum frequẽtia regula potiùs peti debuerat, quàm vnico illo Dauidis, quod neſcio quid ſingulare continet*: vt video Caluine, diu eſt, quòd conaris ab illo exemplo te expedire: ſed aqua, vt dicitur, tibi hæret. ſemper ſic colligentes perſtabimus. ſi dicitur paralytico, Dimittuntur tibi peccata, vtique etiam Dauidi dictum legimus, Tranſtulit dominus peccatum tuum abs te. ſi publicanus deſcendit iuſtificatus, nemo ſimiliter de ſancto rege id ipſum negare audebit, vt nihil hîc legas, quod in Dauidis facto contemplari non poſſis, hoc excepto, quod temporaria afflictio in ſatisfactionem iniuncta, quam ſpiritus ſanctus hîc in publicano, & paralytico reticuit, illic expreſſa eſt. vt iã liceat, immo cogamur, hos locos per illum interpretari. per illum dixi, & per innumeros alios admodum ſimiles. Sed veniamus ad Danielem & Salomonem, quos non de redemptione, quæ apud Deum eſt, neque de opertione, quæ coram Deo fit, fuiſſe locutos, Caluinus interpretatur, cùm vnus dixerit, redimenda peccata eleemoſynis, alter verò caritate multitudinem peccatorum tegi. quare illud redimere ad homines refert, hoc etiam tegi, inter homines ipſos, ſatis contortè interpretatur. annón perſpicuus eſt ſcripturæ diuinæ canon apud Danielem Caluine? Et nunc, inquit Daniel regi, conſilium

De verbo illo Danielis, Peccata tua eleemoſynis redime. Dan. 4.

conſilium meum ô rex probetur tibi. redime tua peccata eleemoſynis, & iniquitates beneficentia in pauperes fortaſſe ignoſcet dominus, & felicitas tua prorogabitur. quid his verbis clarius pro catholica veritate? quid ad refellenda tua commenta validius? atqui certè locum illum Salomonis, Caritas operit multitudinem peccatorum. diuus Petrus multò certior interpres, quàm ſit Caluinus, apud Deum, non apud homines modò valere teſtatur. Omnium autem finis appropinquabit, hoc eſt, ſumus in futuri iudicij vigilia. Ante omnia autem, mutuam in vobiſmet ipſis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum, hoſpitales inuicem ſine murmuratione, & cetera. ô quàm Petri locus vrget, ſi ſapis. dixerat priùs, Deum vltorem venturum ad iudicium: Nolite, ſubiungit, his verbis terreri: exercete feruentem caritatem, quæ ita operiet peccata, vt nullibi apparitura ſint, etiam cùm ſtãdum erit corã illo iudice magno, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos. Hæc Petrus. neque te turbet Caluine, quod apud Salomonem ſic habeat integer ille verſus, Odium excitat contentiones, caritas verò cunctas iniquitates operit. nam idipſum efficere valet caritas apud homines, vt Salomon hic ſentit, & apud Deum, velut ſatis doctè explicat Petrus. vt enim homines, qui inter ſe oderunt, viciſſim mordent, carpunt, exprobrãt, lacerant, omnia vitio vertunt, qui verò ſe diligunt, multa inter ſe mutuò diſſimulant, in multis conniuent, multa viciſſim condonant: ſic etiam diuina indignatio, & ira, quos ſibi infenſos habet, in furore arguet, in ira corripiet, quos verò caritate in ipſum & proximos intentos eſſe repererit, horum teget peccata, in multis conniuebit, multa magnificè illis cõdonabit. num corripuit diuus Petrus ſcripturam, quòd magis diſertè, quàm explicuerit Salomõ, vim & genium caritatis expreſſit? Reliqua prætermitto, ac venio ad locum Lucę, Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. quid ad tam manifeſtum ſcripturæ teſtimonium oblatrabis? intellige lector Chriſtiane, quæ ſuper hac re iſte dicat. aſſerit ibi Chriſtum argumentatum fuiſſe à poſteriori, & à ſignis ſequentibus, in hanc formam: Putáſne ô phariſæe, hanc mulie-

Prou. 10.

1. *Pet. 4.*

Reſp. Cal. ad illum locũ

Lucæ 7.

rem peccatricem eſſe? atqui talem non eſſe agnoſcere debueras, quando ei remiſſa ſunt peccata. remiſſionis autem peccatorum tibi fidem facere debuerat eius dilectio, quam ob beneficium gratiam refert. quòd ſi quæras à Caluino, qua certè ratione remiſſionem peccatorum illa obtinuerit, palàm dominum, inquit, reſpondere, Fides tua te ſaluam fecit. vnde colligit, nos fide iuſtificari. dicítque id probari ex inducta à Chriſto parabola duorum debitorum: vbi cùm vtrique remiſſum eſſet inæquale debitum, & quæreret Chriſtus, vter maiorem gratiam haberet, ſeu deberet: phariſæus reſpondit, Is vtique, cui plus donatum eſt. cui & dominus non dixit, remiſſa eſſe multa, quia dilexit, ſed magis contrà, quia multa illi remiſſa fuerant, magis teneri ad dilectionem, Chriſtus intulit. ex qua rurſum gratiarum actione mulieris illius peccatricis, inquit iſte, intuliſſe Chriſtum dilectionem ſignũ ſolùm eſſe iuſtitiæ. Porrò non tantùm ſignum, ſed diſpoſitionem etiam eſſe dilectionem ad iuſtitiam, & illã antecedere, vniuerſa Chriſti eccleſia poſt verba hæc, Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. ſemper credidit, ſempérque obſeruauit: & diſertè teſtata eſt, Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum. & paulò pòſt, Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum. vbi, vt vides lector, dilectionem noſtram diſpoſitionem & cauſam eſſe dicit dominus, quòd nobis remittantur peccata, quòd à patre diligamur, quòd ad nos diuinitas per gratiã veniat, apud nos maneat, & ſe nobis manifeſtet. Paulus dicebat, apud Deum neque circunciſionem, neque præputium valere aliquid, ſed fidem ſolam, non omnem, ſed illam, quæ per caritatem operatur. igitur, auctore Paulo, tunc viuificabit fides. tunc ſaluos nos faciet, cùm illi adiuncta dilectio fuerit: vt iam incipias intelligere candide lector, quàm contra Dei verbum & expreſſum ſanè illud Caluinus locutus fuerit, dum dilectionem diſpoſitiuam cauſam noſtræ iuſtitiæ eſſe negat, ſed fidem ſolam, vt quid, rogo te, caritas adiungitur fidei, quò apud Deum valeat, ſi ſe ſola iuſtificat, ac peccata remittit? ſed malo hîc Auguſtinum audire, quàm te. Fides ni-

Dilectio Dei diſpoſitio ad iuſtitiam, nõ ſignum tantùm eſt illius

Ioan. 14.

Galat. 5.

hil operaretur, niſi ipſa dilectio Dei eſſet in cordibus noſtris diffuſa per ſpiritum ſanctũ. & ne vel minima rimula calumniatori relinqueretur, in alio loco dicit, Tunc victa vitia deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur. hinc Auguſtini voces illæ, Sine amore nullus vnquam veniam cõſecutus eſt, & oporter iudicem non timere modò, ſed diligere. eſt igitur dilectio Dei remiſſionis cauſa, nos ad illam diſponens, & præparans, non qua ob beneficium gratiam referimus ſolùm, & domini beneficentiam teſtamur. Chryſoſtomus, hunc ipſum Lucæ locum verſans, dicit, Sicut vbi vehemens imber prorumpit, fit ſerenitas, ſic dilectione multa lacrymíſque effuſis mentis tranquillitas oritur, ac reatum caligo perit. Gregorius, de ea peccatrice locutus, dicebat, Tantò magis peccatum conſumitur, quantò ferventiùs peccatoris cor caritatis igne concrematur. item Bernardus in cantica apertè dicit, fidem rectam non facere hominem rectum, niſi ex dilectione operetur. Sed quid hîc ago? verba hæc, Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. ſic ſemper intellecta ſunt à ſanctis, vt illud, Quoniam, non ſignum, non teſſeram, ſed cauſam diſponentem & præcedentem, non innuãt tantùm, ſed disertè exprimant. proferat Caluinus vel vnum pro ſuis gloſſis, & tunc fortè apparentiam habebit vllam, quod nobis perſuadere molitur. At dices, id ex inducta parabola à ſaluatore noſtro facilè intelligi. quaſi verò ante Caluinum nullus antiquorum veram illius loci intelligentiam aſſecutus fuerit. vt enim apud homines eos nos multùm diligamus, qui multa nobis remiſerunt, at apud Deum contrà, quia multùm ipſum diligimus, multa remittuntur. & cui minus remittitur, ex eo eſt, quòd minùs dilexit. Hoc obſeruarunt in hoc loco fermè omnes catholici explicatores. Verùm tempus nos vocat, vt, his omiſſis, ad antiquos patres deſcendamus, ac videamus, quid illis reſpondeat iſte. certè lector tota Caluiniana ſcena tribus abſoluitur, impudentia, conuicio, ac in antiquos cineres duplici mendacio. ſed iam hominis paruicaciam cum primis expendito.

Aug. epiſt. 106. & de ciuit. Dei. c. 21.26.

Chry. in Luc. 7.

Greg. in Luc. 7.

Parum autem me mouent, inquit, *quæ in veterum ſcriptis*

Cal. ſect. 38 de antiquis patribus. *de ſatisfactione paßim occurrunt. video quidem eorum nonnullos, dicam ſimpliciter, omnes ferè, quorum libri extãt, aut hac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſperè & durè locutos*: quis, oro, atque obſecro, ex ipſis verbis non agnoſcat Antichriſti diſcipulum? quis non videat blaſphemum iſtud os extollere ſe ſupra ſe? *Me parum mouent*: ô rem miram! quòd homo vnus, qui aliâs trochi, vt dicitur, in mortem vertitur inconſtans, lubricæ fidei, multarum partium, tot ſanctiſſimorum doctorum teſtimoniis nihil moueri ſe omnino iactet. veſpertilio tenebricoſus, qui cum omnibus colludit, qui vel vmbras metuere ſolet, en nouos proferens animos, nihil ex præclaro illo exercitu euenturum ſibi metuit, quod ab inſtituto pedem cogat referre. Cedo veterane miles, vnde iſthæc noua cõſtantia? gratulor nobis, quòd, vt ipſe fateris, in veterum ſcriptis paſſim multa de ſatisfactione occurrunt. *Lapſi ſunt* *Iuda c. vnico.* *illi nimis aſperè & durè locuti ſunt*: quid eſt, ſi hoc non eſt, quod de quibuſdam hæreticis Iudas apoſtolus ſcripſit, Confuſionem ſuam deſpumare? *At non eo ſenſu ea ſcripſerunt, quo à ſatisfactionariis iſtis leguntur*: ecce mendacium Caluine, atque quòd, vt ſpecie veri induat, non parcit Auguſtino, neque Chryſoſtomo: quorum verba, vtcunque torqueantur, cum dogmatibus ſcholaſticis cõciliari nunquã poſſe iurat. deinceps dicit, antiquos vocaſſe ſatisfactionem, non compenſationem, quę Deo redderetur, ſed publicam teſtificationem, qua, qui excommunicatione multati fuerant, cùm in communionem recipi vellent eccleſiam reddebãt de ſua pœnitẽtia certiorem. Verùm quæ fuerit hac in parte veterum patrum, Auguſtini, Chryſoſtomi, Hieronymi, ceterorúmque mens, atque quo ſenſu de ſatisfactione ſcripſerint, puto ſatis me explicuiſſe. quare hîc plura de ea re non addam, ſed ad alteram aſſertionem, quę de purgatorio eſt, libentiſſimè deſcendam.

Reſpondetur Caluini rationibus, quas ipſe contra catholicam veritatem producit. *Cap. XXIX.*

De purgatorio *Cal. lib. 3. inſt. 5. ſect. 6*

CVm ex multis blaſphemiis conſtructum ſit purgatorium, & nouis quotidie fulciatur, cùm multas & graues offenſiones ſuſcitet, profectò conniuendum non eſt: tot ipſe, vt video, blaſphemiis conſtructus es, & tam nouis quoti-

die fulciris, ac neſcio quibus dolis Satanæ cõſtas, tot ac tam graues offenſiones ſuſcitas, vt non ſit profectò nobis conniuendum. igitur quid te hîc offendit? *Quod ſine Dei verbo curioſa, audacíque temeritate excogitatum eſt:* dixi ſemper, frequénſque repetam, eiuſmodi conſecutionem hæreticorum, ex vna aſſertione profectam fuiſſe, multarum quippe hæreſum parente, nempe nihil nobis fidei certitudine credendum eſſe, quod non in ſacro canone legamus. nec quoquo pacto ſufficere debere eccleſiæ antiquiſſimam fidem, neque ab annis primis inueteratam conſuetudinem, quamuis his, vt purgatorium eſſe crederēt, non omnino ſcripturæ defuerunt. ſed tráſeo: egimus enim de hac re ſatis, & pluribus adhuc mox agemus. *Demus, ait, illa omnia tolerari aliquātiſper potuiſſe, vt res non magni momenti: at vbi peccatorum expiatio alibi, quàm in Chriſti ſanguine quæritur, vbi ſatisfactio aliò transfertur, periculoſiſſimum ſilentium eſt. clamandum ergo non modò vocis, ſed gutturis ac laterum contētione, Purgatorium, exitiale Satanæ commentum eſſe, quòd Chriſti crucem euacuat, quòd contumeliam Dei miſericordiæ non ferendam irrogat, quòd fidem noſtram labefacit & euertit:* clamabis tu ſola vocis, ac gutturis, & laterum contentione, non fidei zelo, non veritatis amore. contrà clamat vniuerſa ſanctorum eccleſia, clamauit ſemper, & perpetuò clamabit, intelligens non nos alibi, quàm in Chriſti ſanguine expiationis meritum quęrere, nec ſatisfactionem aliò transferri, clamauit, inquam, purgatorium pro leuioribus culpis expiandis, & iam dimiſſi lethalis criminis pœna exoluenda, Dei iuſtitiæ poſt hanc vitam forū eſſe, & quidem iuſtiſſimum, ſimul & clementiſſimum, quòd non minùs cùm Ieſu Chriſti crucem exaltet, & diuinam miſericordiam attollat, quàm Dei noſtri iuſtitiam commendet. Dixiſſe me confido ſatis abundè, vnde hæc conſtare poſſint omnibus: & quia hîc lectorem ſuum Caluinus ad ea tranſmittit, quæ in ſuperioribus contra ſatisfactionis neceſſitatem effutiuit, liceat, obſecro, & mihi lectorem meum in iam pro ſatisfactione retinenda annotata mittere. quòd ſi proxima diſputatione pluſquam perſpicuum eſt, Chriſti ſanguinem nō noſtrā ſatisfactionem, expiationem, purgationem hor-

Obiectio 2. Cal.

rere,ſed eam admittere,fouere, viuificaréque, quid ſupereſt,niſi purgatorium ponendum eſſe, ipſumque auferre meram eſſe. eámque horribilem in Dei iuſtitiam, & Chriſti prouidiſſimam redemptionem,blaſphemiam?

Obiectio 3. Cal. *At innumera ſunt ſacrilegia,quibus quotidie defenditur, & offendicula,quæ in religione parit,aliáque infinita penè,quæ hoc exitiali impietatis fonte prodiiſſe conſpicimus* : non tam modeſtus eſt Caluinus neque tam compoſitis moribus, vt genius ſuus pateretur ſe prætériſſe, ſi quæ eſſent ſacrilegia,quibus quotidie defenditur,ea ſimiliter,ſi quæ per purgatoriũ offendicula ſuborta fuiſſent, in religione noſtra. verùm, vt demus ita eſſe, quid facit ad rem? vitium eſt non artis,ſed eorum, qui arte vtuntur. abutuntur multi,immo omni ſæculo fuere,qui ad quęſtum *1.Tim.6.* pietate abuſi ſunt.num ob id pietatẽ traduces?num im*4.Reg.2.* pietatis fontem dices fuiſſe?prophetia Eliſei domini ſui *Act.7.* in lucrum conuertere Gealiſi famulus procurabat: nemo tamen ſanctum munus auſus eſt propter hæc infamare. Dei ſpiritum Simon auro & argento atque pecuniis parari exiſtimabat, verùm pecunia illa cum Simone ipſo in perditionem miſſa, à diuino dono ne minimum quidem ſanctitatis detractum eſt. notandi ſunt diſtorti mores, non dogmata ſancta catholica & vera,ob hominum vitia,damnãda ſunt. In ſumma non rationibus contra nos agit Caluinus,ſed,vt ſolet,cõuiciis,quæ tanta facilitate Chriſtianus homo poſſit refellere,quanto mendacio,& Satanico auſu in veterem eccleſiam, in ſanctos illos magiſtros noſtros malè ſatures iſti euomuerunt. Sed de ſcripturis catholicorum quid ſentit?

Reſpondet Cal.quæ pro catholica aſſertione producta ſunt. *Quos tamen ſcripturæ locos arripere falsò & perperam ſolẽt illis ex manibus excutere operæpretium eſt. Cùm dominus, inquiunt, peccatum in ſpiritum ſanctum,neque in futuro ſæculo remittendum aſſeuerat,ex eo ſimul innuit,quorundam eſſe in futuro ſæculo peccatorum remiſſionem*:ita videtur ſanè nobis,immo ita viſum fuit (quemadmodum iam à nobis commemoratum eſt) ſanctiſſimo Auguſtino, diuo Gregorio,diuo Bernardo, atque aliis:tibi verò quid videtur? *Quis non videat dominum illis de peccati culpa loqui? quod ſi ita eſt,quid ad eorum purgatorium? vtpote quorum illic pœna ex eorum opinione luitur, culpam in præſenti vita*

remiſſam eſſe non inficiantur? multùm profectò ad purga- *Purgatoriū*
torium facit, vbi & leues culpæ, quæ venialia peccata *pro veniali-*
vulgo dicuntur, purgantur, & delictorum præcedentiū *bus culpis et*
plena fit pœnæ ſatisfactio, vt vel ſic plenè remiſſa pec- *p tēporaria*
cata, & quantum ad pœnam, & quantum ad culpam, iā *pœna morta-*
ſint. Sed pergit vltra iſte maledicere. *Ne tamen adhuc* *lium iam re-*
nobis obſtrepant, planiorem habebunt ſolutionem. perinde *miſſorum.*
hoc eſt, quod hîc legimus, ac ſi diceret, Nunquam remittetur. *Locus 1. pro*
ſic enim ſpem omnem veniæ tam flagitioſæ nequitiæ radicitus *cath.*
præſcidit. nam qui oblatam ſpiritus lucem deſtinatò extin-
guere conatus fuerit, neque in hac vita, quæ peccatoribus ad
conuerſionem data eſt, veniam cōſequetur, neque vltimo die,
quo per Dei angelos agni ab hœdis ſegregabuntur, & regnū
cæleſte omnibus ſcandalis repurgabitur: vt hoc verum ſit
Caluine, nonne vides cauillum adhuc te vrgere? nam
ſi nullius peccati etiam leuiſſimi, poſt hanc vitam, in
die iudicij (ſit antè, ſit vtcunque, parum refert) re-
miſſio futura eſt, quid præſtitit Chriſto de illo pecca-
to in ſpiritum ſanctum particulatim dicere non remit-
tendum in futuro? quæro abs te, num quando exi-
bunt angeli ſeparaturi hœdos ab agnis, futuram credas
alicuius peccati remiſſionem? quod ſi ſic, nihil magis
prætendebamus: ſi non, fruſtra igitur, quod commune
eſt peccatis, & culpis omnibus, etiam minimis, Chriſtus
ad peccatum illud omnium maximum trahere voluit.

Iam totus eſt, vt alterum ſcripturæ locum è no- *Locus 2. pro*
ſtris manibus (vt loquitur) excutiat, is eſt ex Matthæo *cath. Matt.*
de concordia cum aduerſario habenda. *Si iudex*, ait, *5.*
hoc loco Deum ſignificat, litigator diabolum, lictor ange-
lum, carcer purgatorium, libenter dabo manus: atque ita
ſignificare aſſeuerauit non vnus de plebe, ſed magnus
Ambroſius: quare fidem ſeruari poſtulo. ſed fruſtra
ſolicitor. quamuis enim numeroſa patrum ego teſti-
monia proferrem, nunquam anguis iſte tortuoſus mi-
hi conſtringetur, caudam ſemper complicabit, & ſub-
tiliùs elabetur. *Verùm ſi nulli*, ait, *non conſtat, voluiſſe*
illic Chriſtum oſtendere, quot periculis ac malis ſe obiiciant,
qui ſummū ius obſtinatè pertentare malunt, quàm ex æquo &
bono agere, quò vehemētiùs ad æquam concordiā ſuos exhor-
taretur: vbi, quæſo, reperietur purgatoriū? vt video, non tā

iſte arma è manibus extorquere nobis nititur, quàm elabi, quàm fugere. negamusne nos Caluine, & alium ſenſum ſimul cum hoc noſtro locum illum complicare? minimè quidem, quaſi dixerimus aliquando, non ſecius interpretandum eum eſſe, quàm de purgatorio. nihil tale vel ſuſpicati ſumus. tantùm inter catholicos ſenſus ſummorum virorum auctoritate, & ſuffragio comprobatur. non enim hinc expreſſè probari purgatoriũ aſſeuerabimus nos vnquam, ſed eſſe tantùm in eccleſiaſticorũ auctorũ ordine ſupremo & nimis vetere quoſdam, qui pie ſatis eam fidem, quam antiquam eſſe intelligebant, illo Chriſti verbo roborarent.

Locus 3. pro cath. 2. Machab. 12.

Vide Aug. cont. ſecundam Gaudẽtij epiſt. c. 23

Quod ex Machabæorum, hiſtoria proferunt, reſponſione nõ dignabor, ne opus illud videar in ſacrorum cathalogum referre: memini de hac re pluribus in libro tertio diſſeruiſſe, ob eamque cauſam, ſi tibi videtur, alium quærito cuniculum, quò confugias. nam iſte, vt video, non nimiùm proderit. authenticus, & gnomicus ſiquidem liber præfatus eſt, vt ex patrum ſententiis ſatis commodè probaui. neque ex Hieronymo, neque ex libello illo vetuſto, qui ſub nomine Cypriani de expoſitione ſymboli inſcribitur, quidquam aliud conſtat, quam minime valere ad inſtruenda dogmata noſtra contra Iudæos. & hoc eſt, quod Cyprianus dicit, nullum locum in veteri eccleſia ſcilicet Iudæorum habuiſſe. in Chriſtiana verò longè ſe res à principio habuit. Sed en altera diſſolutio, *Non: inquit, ad pretium redemptionis trahit ſcriptor hiſtoriæ, quod ille egit: ſed vt conſortes æternæ vitæ eſſent cum reliquis fidelibus, qui pro patria & religione occubuerant:* ô dignam interpretationem Caluiniano cerebro! quid præſtabat, quæſo, oblatio illa pro mortuis, ſi non ſatisfactionem?

Tobiæ 4.

Vtcunque ſe res habeat, ait, *ſuperſtitione quidem & prapoſtero Zelo non caruit hoc factum:* tibi certè quidem ſic videtur, ſanctiſſimo verò Tobiæ ſeni longè aliter viſum eſt, quando obnixè hortabatur, vinum & panem ſupra iuſti ſepulturam conſtitui, longè item aliter iudicatũ id eſt à principe illo fortiſſimo Iuda Machabæo, quem non dubium ſuorum maiorum hac in parte & fidem expreſſiſſe, & veſtigia tenuiſſe, longè poſtremò ſe-

eius matri prudentiſſimæ noſtræ eccleſiæ catholicæ à primis annis id viſum eſt. ſi ſit æquum, his poſtpoſitis, tibi vni nos hærere, eſto tu iudex. Sed audi lector tertiam ſolutionem, *Pluſquam fatui ſunt, qui ſacrificium legale ad nos vſque trahunt: quando aduentu Chriſti ſcimus ceſſare, quæ in vſu tunc fuerunt*: næ tu homo difficilis es. illam oblationem numeratæ pecuniæ pro mortuis legale ſacrificium vocas? quare non magis pietatis opus eſt & in mortuos eleemoſyna? non volumus Caluine, vt maneant vmbræ, (abſit) ſed pietas. ſi pro illis oblata ſunt ſacrificia fluxa, pro noſtris offeretur ſacrificium illud verè diuinum. multa Chriſtus ſuo aduentu nobis contulit, contulit ipſam veritatem, contulit gratiam maiorem, contulit meliora & diuiniora ſacramenta, ſacrificium vnum, quod pro infinitis ſatis eſſe poſſit: at verò neceſſitas ſatisfaciendi in vtroque teſtaměto viget, neq; cum illis cæremoniis ceſſauit. Hæc notiſſima eſſe debuerant magiſtro iſti, poſtquam & tirones noſtri id apprimè nouerunt.

Verùm, addit callidiſſimus argumentator iſte, *inuictũ cuneum in Paulo habent, Si quis ſuperædificat, & cetera. atque alium eſſe ignem illum ab igne purgatorij ſenſerũt veterum plerique, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alij, nempe tribulationem & crucem, per quam dominus ſuos examinat, ne in carnis ſordibus acquieſcant*: ſic tu nos doces, ac ſi ignoremus locum illum & de purgatorio, & de anguſtiis vitæ huius, atque adeò de finali iudicio patres intellexiſſe. ſit vtcunque, dummodo nemo eat inficias commodiſſimè à maxima eccleſiaſticorum auctorum parte de igne purgatorij explicatũ fuiſſe. quod productis locis, qui apud ſanctos ſunt, clariſſimum ac certiſſimũ reddidimus. ſed perſpice, & animo tuo conſidera lector, hominis iſtius, ſi homo eſt, impudentiam, arrogantiã, & inſolentiã. *Quãquàm nec illis patribus aſſentior, quia mihi videor certiorem multò & lucidiorem eius loci intelligentiam aſſecutus*. ò admirabilem faſtum hominis, vniuerſam antiquitatem præ ſe cõtemnentis. *Non illis patribus aſſentior*: neque te filium illi patres agnoſcunt. *Videor mihi certiorem multò intelligentiam aſſecutus*: vidêris tu mihi tam procax & vanus, vt vel hac vna ratione vni-

Locus 4. pro cath. 1. Cor. 3.

uerſos tuos tui pudere & pigere deberet. à quo ſanctiſſimorum patrum, precor te, eam loquendi phraſim mutuò accepiſti? num à mitiſſimo Auguſtino? num ab Hieronymo ſanctiſſimo? nunquam, mihi crede, illi viri Chriſtianiſſimi, ſimul atque modeſtiſſimi, & moderatiſſimi, tam grauiter fidei hoſtes tractauerunt, atque tu eccleſiæ doctores & patres, (quos puto per contemptum tuos vocas) iniquè & importunè vexas. Sed perſequar cetera. *Antè, quàm tamen*, inquit, *eam profero, velim mihi reſpondeant, puténtne apoſtolis, ac ſanctis omnibus per hunc ignem purgatorium tranſeundum fuiſſe? negabunt, ſcio: nimis enim abſonum foret, eos purgari oportuiſſe, quorum merita vltra menſuram ad vniuerſa eccleſiæ membra redundare ſomniant. verùm apoſtolus hoc affirmat. neque enim dicit, quorundam opus probatum iri, ſed omnium*: ingens nimirum argumentum, quod vel mille Hieronymos, & Nazianzenos torquere vehementer poſſit. ſi libeat Caluine, inoffenſo pede currere poteris. dixerat enim apoſtolus, Vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. ſi tempus quæras, reſpondet, Dies domini declarabit. hoc eſt, aut generalis, aut particularis iudicij dies. dein, ſi percuncteris, quo pacto ſint cuncta examinanda, reſpondet, quòd ignis probabit. cedo, vultne dicere apoſtolus, omnes per tormētum iſtud tranſituros? abſit: ſunt enim multi, cum quibus nec ſtricto iudicio dominus contendet. ſed audi iam, quo pacto vniuſcuiuſque opus igne probandum ſit. Si cuius opus manſerit, adde illæſum, diuino iudicio purum & integrum, atque omni ex parte perfectum, & commendatum, mercedem vtique mox accipiet, quid illud ſuperædificauit. Si cuius opus arſerit, hoc eſt, ſi cuius opus comburetur, ſeu ab illo igni, atque diuino iudicio reprehenſione nonnulla dignum iudicabitur, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, quia leuia illa erant, atque minuta, quæ debebat, ſic tamen quaſi per ignem, inquit apoſtolus, id eſt, per pœnam aliquam purgatoriam. igitur vt dominus omnes probet, omnes examinet, non tamen omnes per purgatoriam illam pœnam tranſire coget. quòd ſi placet priore loco ignem pro diuino iudicio &

examine accipere, poſteriore verò pro purgatorij ſupplicio, res tota perſpicua & ſalua erit: ſi verò libeat vtrobique ignem purgatorium interpretari, dicemus, eo igne vniuſcuiuſque probari opus, quòd nullum ſit niſi omnino purum, quod is ignis non quoquo pacto igniat: ſicuti & congruè caſtitas ipſa, oblata illecebra, atq; voluptate, probari dicetur, non quòd libido ad caſtitatem pertineat, ſed quòd ſatis hæc perfecta ſit, ſi eã turpis illa voluptas importuna, & immoderata attingere ne minimum potuit. Sed audiamus, quæ teſtãt. *Neque hoc*, inquit, *meum eſt argumentum. ſed Auguſtini: qui ſic interpretationem illam oppugnat:* non magis veriſimile eſt Caluine, vt vera hîc tu nobis narres, quàm credibile eſſe poteſt, quòd ſe ipſum oppugnet Auguſtinus, certè, ſi rectè memini, legere me recolo apud diuum Auguſtinum, locum hunc de purgatorio igne pro expiandis leuioribus culpis fore commodiſſimè intelligẽdum. ſed quia locos ſuprà ego in rem hanc produxi, tantùm hîc verba Auguſtini expendam in Enchridio ad Laurentiũ cap. 66. 67. 68. ex quibus iſte ſuum commentum tanto artificio fabricatus eſt. neque mirari ſatis poſſum, qua fronte auſus ſit homo iſte librum illum & caput in medium afferre. Vbi expreſſiùs, obſecro, agit ſanctus Auguſtinus debere fidem noſtram operari per dilectionem, vt peccata noſtra remittantur nobis, quàm in eo loco, in quo eleemoſynæ illuſtriùs laudantur pro redimendis ſceleribus? quã ibi, vbi grauiorum ſcelerũ, hoc eſt, lethalium, & minutiſſimorum (quæ venialia & leuia vocamus) diſcrimen & diſtinctio tam nudè ac dilucidè, nõ in obſcuro, ſed in tam bono lumine collocata legitur? vbi pro leuibus culpis etiam poſt hanc vitã purgandis locus purgatorius firmiùs ſtabilitur, quàm ibi? vbi dominica oratione leuia peccata nobis condonari euidentiùs inſtruimur, quàm eo in loco? quid igitur, dices, eſt, quod ibi negat Auguſtinus ex illo loco Pauli, colligi non poſſe purgatorium eſſe? nihil tale aſſerit tribus, aut quatuor illis capitibus ſequentibus: ſed quod molitur docere, hoc eſt. primùm capite 66. docet, fidei titulum non eſſe profuturum poſt hanc vitam ſceleratis hominibus, qui peccata ſua nec diluerũt

Caſtitas probatur illecebris.

Aug. in lib. ad Laurẽtiũ pro catho. fide pugnat.

pœnitendo, nec eleemoſynis redemerunt. quibus verbum illud apoſtoli, Hic verò ſaluus erit quaſi per ignẽ, parum proderit. ecce peccata grauia & lethalia Caluine. deinde capite ſequenti, quid ſit per ignem tranſire, explicat, & dicit & tentari vtique eſſe, & probari. atque hoc modo omnes per ignem tranſeunt in hac vita. capite verò 68. hæc vniuerſa copioſiùs ad aliam vitam transfert, dicítque omnes probari & examinari, purgari verò ab illo igne non niſi leuia ac minuta. Iam accingitur nouitius iſte interpres, vt nouam ſuam intelligẽtiam nobis inculcet. principiò ſtatuit, per lignum, fœnum, ſtipulam doctrinas hominum, ex ipſorum cerebro natas, vocari à Paulo: altero loco conſiderat, ignem examen ſpiritus ſancti appellauiſſe, poſtremò, domini dies iuxta iſtam chimæram eſſe dicitur, quoties ſuam præſentiam dominus manifeſtat. atque ſecundum hãc rationem illius loci intelligentiam accommodat. Sed piget me tam malè conſumptæ operæ, amiſſique temporis. quis nõ videt humano capiti à pictore iſto equinam ceruicem iunctã? & quod maximè dolendum eſt, non nobis licet riſum ſoluere? immo magis ſæculo noſtro iraſcendum, quando iam ſtultis allegoriis, talibuſque ineptiis cum ſcriptura ludere & ineptire cuiuis ſit liberum, atque impunè quiuis ferat. Vt tua figmenta vera ſint Caluine, quomodo cũ his quadrabit, quod dicitur, Hic verò ſaluus erit quaſi per ignem? nunquid peruerſorum magiſtrorum peruerſa dogmata placitura ſunt aliquando Deo? nónne illa omnia æterno ſunt ſupplicio abſumenda? ſcio, quid velis dicere, eos architectos illo verbo nótauiſſe Paulum, qui, retẽto legitimo fundamento, diſparem materiam ſuperſtruunt: hoc eſt, qui non deflectentes à præcipuis & neceſſariis fidei capitibus, in minoribus, neque ita periculoſis alucinantur, commenta ſua Dei verbo admiſcentes. additurus eras, quorum primus ego ſum, qui hæc commenta & inſomnia non minoribus fidei noſtræ capitibus admiſceo, ſed primis ipſis ac præcipuis. id tu ſi dixiſſes, nihil nos habituri eramus, quod iure poſſemus tibi reſpõdere. ceterùm ſi tãtopere geſtis ἀλληγορίζειν, alios quæres auſcultatores, non nos: qui grauiter & moleſtè feri-

Probabuntur omnes, ſed igne purgatorij purgabuntur.

mus excogitata mendacia, quæ homo vnus ignotus, dum illi popina exhalatur, velut ſomnians architectatur, receptiſſimæ & approbatiſſimæ patrũ intelligentiæ præferri.

Reſpondetur Caluino pro ſuffragiis mortuorum, atque eam curam multipliciter nobis fuiſſe mãdatam declaratur, Auguſtini locus enarratur, Caluini inconſtantia, & apparẽs contradictio ponderatur, ac demum Ambroſij loci pro veritate catholica producuntur, & contrarij explicãtur.

CAP. XXX.

VErùm de purgatorio ſatis iã ſatis dictũ videri poteſt: quare ſermonẽ nũc cõuertemus, vt de ſuffragiis mortuorum poſt iſtum agamus. *Cùm ergo mihi obiiciunt aduerſarij, ante mille & trecẽtos annos vſu receptum fuiſſe, vt precationes fierent pro defunctis, eos viciſſim interrogo, quo Dei verbo, qua reuelatione, quo exemplo factum ſit. neque enim hîc ſcripturæ teſtimonia deſunt tantùm, ſed quæcunque illic leguntur ſanctorum exempla, nihil tale oſtendunt de luctu & officio ſepulturæ habentur illic multæ, & interdum longæ narrationes: de precibus nec minimum quidẽ apicem videas. atque ipſi etiam veteres, qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei, & legitimo exemplo hîc ſe deſtitui videbant:* virgis ad necem, vt aiunt, venerandam & ſanctiſſimam ſenectutem cædis. mirũ eſt, quòd omnis ætatis homines, & vbique in eam ignorationem ierint, vt ſine Dei verbo, ſine reuelatione, ſine exemplo precationes vterentur pro defunctis. vehemẽter igitur errabat Auguſtinus, & alij, cùm ex Dei verbo id ipſum ſe collegiſſe nobis videri volebãt: fefellerunt nos quotquot eum morem in apoſtolos traiecerunt: audaces illi, quotquot rem tanti momenti ſine exemplo tam neceſſario præcepto poſteris ſuis continuata ſucceſſione reliquerunt. *Cur ergo audebant?* reſpondet iſte homo ſcilicet pius, *In eo dico aliquid humani paſſos eſſe:* & ego dico tibi in hoc multũ Satanici furoris te pati. *Quare ad imitationem trahendum non eſſe cenſeo, quod fecerunt:* contendis tu, ſic eſt, & eniteris, ſed nihil proficies apud optimos quoſque, qui te facilè pietate ſua ſuperabunt. inſipientia enim tua, cum admirãda impietate coniuncta,

De ſuffragiis mortuorum.

Cal. lib. 3. c. 5. ſect. 10.

omnibus hominibus (vt de quibuſdam Paulus dicebat)
nota eſt. ſed aliunde, quàm ab ipſa veritate iam eos excuſat Caluinus. *Solatium*, inquit, *quærebant, quo ſubleuabant ſuum mærorem:* non putas legiſſe eos illud Pauli, Vt non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habẽt?
1.Theſſ.15. & illud, Noluit conſolari, quia non ſunt? rurſum illud,
Matth.2. Non ſuſcipientes liberationem, vt meliorem inuenirent
Hebr.11. reſurrectionem? & infinita alia, *Fuit etiam*, ait, *inſtar facis recepta conſuetudo, quæ ardorem multorum animis iniiceret. ſcimus apud cunctas gentes, & ſeculis omnibus iuſta fuiſſe ſoluta mortuis, & luſtratas quotannis fuiſſe illorum animas: iam ne deteriores fuiſſent profanis hominibus Chriſtiani, puduit eos nullum mortuis officium præſtare. hinc malè conſulta ſedulitas: quia ſi pigri eſſent in curandis funeribus, in epulis, & oblationibus, putabant ſe magno probro expoſitum iri, ſi antiquitatem non ſectarentur:* éſtne hoc crimen remouere, à pecato eximere, & à culpa liberare antiquitatem, an magis gẽtium erroribus, & ſuperſtitionibus, ſtultis ineptiis, vaníſque & inutilibus prorſus curis eos fuiſſe deceptos probare? ſic igitur illorum cauſam defendis, vt magis perdas, magis confundas, & perturbes, atque, vt video, illos traducas. vide, quàm mox vniuerſos
Apoc.14. corrigas *Verùm aliud*, inquis, *ſolatium longè melius ac ſolidius nobis ſuppeditat ſcriptura, cùm beatos mortuos teſtatur, qui in domino moriuntur, vt requieſcant à laboribus:* ſolatium hoc verè magnum credis patres illos latuiſſe tu? ò ſuperbiam diabolicam! ſed ponderemus iſtius in ſanctos blaſphemiam. *Amori noſtro non debemus coſq; indulgere, vt peruerſum orandi morem in eccleſiam erigamus. certè quiſquis mediocri prudẽtia pollet, facilè agnoſcit, quidquid de hac re legitur, apud veteres publico mori, & vulgi imperitiæ fuiſſe datum. abrepti etiam ipſi, fateor, in errorem fuerunt. nempe vt inconſiderata credulitas priuare iudicio ſolet hominum mentes.* totùm hoc nulla reſponſione ego dignabor: tantùm omnes exhortabor, vt ſæpe loci huius meminerimus, quoties auctoritatem eccleſiaſticam inhumaniter ab iſto tractari intuebimur. qui enim
Cal. debacchatur in antiquitatem. tam vehementer in mortuos inſultat, qui tam inſolenter ſuper ſacratos cineres volitat, qui tam impiè ac furioſè in benedictos illos manes inuehitur, eúmne pu-

tas modum eſſe aliquem habiturum, dum viuos arrodit, dum eccleſiam exedit, dum demum veneno ſuo cunctos inſpergit? ſed vt omnes Caluine miſerabili iſta ignoratione tenerentur, nũ Auguſtinus etiam, qui nonnihil apud te valere ſolet, eodẽ morbo laborabat, quo ceteri? furis, furis, dum nemini parcis, nihil condonas, tuo Auguſtino etiam, nulli indulges. intelligẽtia & ratione, quæſo, comprehende lector, quid de ſanctiſſimo eóque doctiſſimo Auguſtino dicat. *Monicam matrem ſuam in libris confeſſionum Auguſtinus narrat, vehementer rogaſſe, vt ſui memoria in peragendis myſteriis fieret ad altare. anile ſcilicet votum. quod filius non exegit ad normã ſcripturæ, ſed pro naturæ affectu probari aliis voluit*: bene errauit hîc Auguſtinus, ſed veniam meretur: naturæ ſiquidem affectu in eum errorem abreptus fuit: ſed quid reſpondebis, quòd in libro de cura pro mortuis agenda toties ſuffragia fieri pro defunctis exigit? *Liber autem*, reſpondet, *de cura pro mortuis agenda, ab Auguſtino cõpoſitus, tot hæſitationes continet, vt ſuo frigore meritò debeat ſtulti Zeli calorem extinguere, ſi quis mortuorum patronus appetat eſſe*: non miramur: ſolenne ſiquidem tibi eſt, ſic in optimum quemque ludere: quamuis ſuſpicabar ego humaniùs tractandum abs te Auguſtinum, quòd videam te ipſum ceteris facilè anteferre. ſed, vt dixi, diſruptis totius pudoris & modeſtiæ repagulis, in omnes iratus inueheris. & cur hoc Caluine? *Frigidis*, ais, *certè veriſimilitudinibus ſecuros reddet, qui priùs ſoliciti erant. hæc enim vna eſt fultura, quia valuit conſuetudo, vt preces adhibeantur pro mortuis, non eſſe ſpernendum hoc officium*: quàm in ſiniſtrum vniuerſa detorques, quàm omnia corrumpis, quàm vltro omnia in tuam ſententiam trahis, quaſi verò Auguſtinus toto illo volumine tantùm egerit, vt probaret non eſſe officiũ pro mortuis ſpernendum ex eccleſiaſtica cõſuetudine, quæ ſemper fuerit in eccleſia orandi pro mortuis, & nõ magis ex eadẽ eccleſiaſtica cõſuetudine, quæ illi inſtar expreſſæ ſcripturæ futura eſſet, ſi locus omnino defuiſſet, id fore neceſſarium aſtruit, eſſétque viro Dei omnino hæreticus, penitúſque ab eccleſiaſtica communione præſcindendus, quiſquis ea officia non oportere

fidelibus defunctis impendere affirmaret. verùm iam conſiderare libet admirabilem Dei noſtri prouidentiã. non potuit iſte catholicam veritatem oppugnare, niſi manifeſto errore. ait enim, *Ceterùm, vt concedam vetuſtis eccleſiæ ſcriptoribus pium eſſe viſum ſuffragari mortuis, regula, quæ fallere nequit, ſemper tenenda eſt: fas non eſſe in precibus noſtris quidquam afferre proprium, ſed vota noſtra Dei verbo ſubiiciẽda eſſe: quia penes eius arbitrium eſt præſcribere, quid peti velit. nunc, cùm tota lex, & euangelium, ne vna quidem ſyllaba, libertatem ſuggerãt orandi pro mortuis, profanatio inuocationis Dei eſt tentare pluſquam nobis præcipiat:* de regula illa ſatis fallaci & plumbea, quã iſti in quamuis partem inflectunt, dixi ſuprà, cùm de votis monaſticis agerem: vnum tantummodo addendum cẽſeo, curam ſcilicet mortuorum non nobis ſub conſilio tantùm eſſe, quemadmodum vota illa monaſtica, ſed lege caritatis & Chriſtiano præcepto ſatis nobis & in ſcripturis, & in patribus, immo in ipſa ab apoſtolis habita conſuetudine, eſſe commendatam. at verò Caluine memineris, quantùm hîc veteribus patribus tribueris, quos de errore, ſuperſtitione, ſtulto zelo, atque profanatione inuocationis Dei inſolenter accuſas, ne poſthac glorieris nullo negotio licere tibi meliorem eorũ partem, quæ hodie abs te dicuntur, ipſorum ſuffragiis comprobare. is certè ſtatus erat cauſæ noſtræ, in quo quantùm profeceris, vident æquiſſimi noſtri iudices. neque ferre poſſum, vt falſis gloſulis textus ſanctorum corrumpas. quando enim D. Auguſtinus dixit reſurrectionem carnis & æternam gloriam expectari quidem ab omnibus, requiem verò, quæ poſt mortem ſequitur, tunc vnumquemque accipere, ſi dignus eſt, cum moritur: quando, inquam, hoc ab Auguſtino audis, non ſic accipiendum eſt, ac ſi pij omnes non minùs, quàm prophetæ, apoſtoli, & martyres ſtatim beata quiete fruantur. non hoc ſenſit, qui alibi confeſſus eſt reſtare nonnulla purgatorij flammis expianda, ac luſtranda, ſed expectandum non eſſe iudicij diem pro his, quos nec minima offenſa à Dei viſione moratur. à quo certè errore Lutherani nõ longè abſunt. immo verò quidquid alibi affirmare viſus ſis in inſtitutione tamen tua, quàm dubi-

Cura mortuorum multiplici via nobis eſt à Deo commẽdata.

Aug. hom. in Ioan. 49 ſententia explicatur.

dubitanter fueris locutus de ſanctorum beatitudine, quos impudenter mortuos, non abſque contemptu toties appellas, iam aliâs explicauimus. vbi conſiderandũ ſumma obſeruatione iudico, quòd, cùm de exorandis ſanctis tractaretur, hæc verba ex te audiebamus, *Nugantur iſti in ſuis vmbris neſcio quid de fulgore diuini vultus ipſos irradiante. ego verò curioſiùs excutere nolim, quid illi agant, aut quid meditentur:* hæc ex te audiebamus, dum nos ab inuocandis ſanctis dehortaris, vocans eos mortuos, vmbras, & ſi quid indignius noſti: hîc verò, ne, quaſi egenos, leuemus, ne mortuos iuuemus, beatos omnes eſſe dicis, beata vita frui clamas, Deo aſſiſtere, nullius ſuffragio egere. ſicq; in vtróſq; ludis, in ſanctos ſcilicet, ac ceteros pios defunctos. ſi Deo fruuntur, ſine eos pro nobis deprecari, ſi adhuc detinentur in pœnis, ſine eis nos magno adiumento eſſe. Sed hæc hactenus.

Apparens Caluini cõtradictio, & incõſtantia.

Tantùm ſupereſt mihi reſpondere beato Ambroſio, qui, vt Caluinus de eo teſtatur, nullam curam vult geri à nobis pro mortuis, ſed conſulit, vt officio humanitatis erga mortuos in ſepultura defuncti, ſineremus eos quieſcere. principiò quàm id ſentẽtiæ & doctrinæ beatiſſimi Ambroſij repugnet, nouerũt hi, qui in eius ſcriptis verſati ſunt. ego quidem, paulùm abfuit, quin totam illam orationem funebrem in morte Satyri fratris ſui habitam, ſanè piam, atque huic rei valde fauentem, hîc ponerem, vt vel ſic pudore ſuffunderetur iſte de tam aperto mendacio in ſanctium eccleſiæ doctorem conuictus: quando ibi præclarè diſertíſque verbis defunctorum culpas viuorum lacrymis ac precibus condonari ipſis affirmat. ſed quia tempus eſt, vt orationis noſtræ curſum teneamus, legat qui volet, ego tantùm reſpondebo obiectioni productæ ex libro primo de Abrahamo cap. 9. verba ſic habent, Locus, qui ſequitur, habet mortem vxoris, fletum mariti, ſepulturæ officium: quibus maritalis affectus probatur. Surrexit, inquit ſcriptura, Abraham à mortuo. docemur, vt non diutius inhæreamus mortuis, ſed quantum eſt officij, deferamus. Hæc diuus Ambroſius. Quis non videat, de fletu, planctu, non autem de precibus eum fuiſſe locutum? ſanè diuus Ambroſius prohibet mortuis hære-

Amb. lib. 1. de Abrahamo. c. 9.

re, ſicut & Paulus dixit, ne contriſtaremur, quemadmodum hi, qui ſpem reſurrectionis non habent: neuter tamen à precibus pro defunctis effundendis nos dehortatur. Vides lector, quanto dolo Caluinus, quod Chriſtianè dictum eſt à diuo Ambroſio, ad iniquum ſenſum pertrahat. ſed, vt vt in ſcripturas ac ſanctos peſſimè ipſe ludat, nobis, auctore Deo, fucum nullum faciet: impietas ſiquidem eius ſatis nobis eſt nota. Verùm de mortuorum ſuffragiis hæc, quæ diximus, ſufficiant.

De transſubſtantiatione paucis agitur, nomen, quamuis non rem, non ſic in vſu fuiſſe antiquis patribus, qui ſummo conſenſu eam veritatem nos docuerunt, monſtratur, multique loci antiquorum patrum, præſertim Gelaſij, ac Theodoriti proponuntur.

CAP. XXXI.

Gelaſ. Pp. in conc. Rom.

EX patribus erat, qui ſubſtantiam panis & vini teſtatur in euchariſtia ita permanere, & nō deſinere, ſicut manet in Chriſto domino ſubſtantia, & natura hominis iuncta diuinæ. Igitur modum prætereunt, qui fingunt deſinere ſubſtantiam panis, & vini verbis domini recitatis, vt in corpus & ſanguinem transſubſtantientur. Pater erat Caluine, & glorioſus Chriſtianæ fidei teſtis Cyprianus, qui dixit ante annos mille & trecētos, in ſerm. de cœna Panis iſte nō effigie, ſed natura mutatus, factus eſt caro. Pater erat Euſebius qui dixit ante annos ferè 1300. terrena cōmutari & tranſire, rurſus conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti creaturas. Pater erat & Chryſoſtomus ille, qui dixit in libro de encæniis panem abſumi, & rurſum in liturgia, Sacerdos, inquit, ſacra illa benedicens manu, atque conſecrans ait μεταβάλλων, transmutans ea domine, ſpiritu tuo ſancto. Pater erat magnus ille Ambroſius, qui dixit in loco de his, qui, &c. cap. 9. maiorem eſſe benedictionis vim, quàm naturæ, quia benedictione natura ipſa mutatur. Pater erat magnus item Auguſtinus, qui dixit in ſerm. 28. de verbis domini, Iam non eſt panis, ſed corpus Chriſti. Pater erat ſanctus Damaſcenus, qui dixit in lib. 14. cap. 4. panem & vinum trāſmutari ſupernaturaliter in carnem & ſanguinem domini. Pater erat antiquus ille, & ſatis ab eccleſia commē-

Euſeb. Emiſ. in hom. 4. in paſch.

datus Hiſichius, qui dixit in lib. 6. in Leuit. cap. 22. fieri trāſlationem & commutationem. Pater erat Theophilactus, qui dixit in Marc. cap. 14. transformari panem in carnem domini. Contra verò hæreticus eccleſiaſtico percuſſus anathematiſmo, qui ante quingentos annos dixit, euchariſtiam habere verum domini corpus cum pane, Verengarius ſcilicet. Sed quia longior mihi ſermo de eccleſiaſticis ſacramentis futurus eſt, pluribus hoc loco ſuperſedebo: tantùm in animo mihi eſt reſpondere calumniæ, à Caluino ex ſanctiſſimo Gelaſio nobis obiectę. lector Chriſtianę priùs, quàm ad alia digrediar, cælari nolim, quòd aduerſarij noſtri, Lutherani tamen, impenſiùs, quàm Oecolampadici incredibiliter ſe fatigant, vt prædictum papam Gelaſium, & Theodoritum Cyri epiſcopum, qui eodem Chalcedonenſis concilij tempore vixerunt, aduerſus catholicam eccleſiā inducere ad tranſſubſtantiationis, hoc eſt, ſubſtantiæ panis & vini, in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti immutationem, ac ſubuerſionem: cùm tamen hi duo in ſcriptis ſuis, quibus execrabilem Eutychen ipſi vehementer proſcindunt, magis ſpectarint, quid contra aduerſarios ſibi opitularetur, (quemadmodum in dialectica diatriua fieri conſueuit) quàm vt hæc verba, ſcilicet naturam ac ſubſtantiam, propriiſſimè (vt plerunque iam ab eccleſiaſticis intelliguntur) vſurparent. potiſſimùm etiam, cùm articulis hic de tranſſubſtantiatione non dum eccleſiæ iudicio adeò luculenter inclaruerit, vtranque Lutheri & Oecolampadij hæreſim apertiſſimè, vt ſequitur, damnant. Ex Gelaſio aduerſus Eutychen Lutherani in eccleſiaſticę profeſſionis odium, hoc plerunque in medium ponunt, qui ſcribunt, quòd præter veram corporis Chriſti in ſacramento præſentiam, ſubſtantia, ſiue natura panis & vini ſalua maneat, quódque Eutychen hæreſiarcham cōuincere intendat, dicens, quòd in Chriſto, humanitate accepta, vtriuſque naturæ perpetua neceſſitudo habetur, quemadmodum in hoc ſacramento naturæ panis, & corporis Chriſti. verba autem Gelaſij hæc ſunt, Non deſinit ſubſtantia, vel natura panis & vini. & certè

Nomen trāſſubſtātiationis non ita fuit vſurpatum ab antiquis patrib⁹, ſicut res ipſa verè fuit credita.

Obiectio aduerſariorum ex Gela.

imago, & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebratur. ſatis ergo nobis euidẽter oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto domino ſentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, & ſumimus, &c. verùm alia in eodem loco verba, ex quibus ſententia colligitur, hoſtes Lutherani, ſimúlque Zuuingliani, cùm errorem ſuum penitus ſubuertant, more ſuo viruléter tranſeunt. quantùm Zuuinglianos concernit, atteſtatur quidem Gelaſius veram corporis Chriſti in ſacramẽto præſentiã, ídque liquidò admodũ. Sapientia, inquit, ædificauit ſibi domũ, ſeptiformis ſpiritus ſoliditate ſibi ſubnixam, quæ incarnationis Chriſti (per quam efficimur diuinæ conſortes naturæ) miniſtraret alimoniam. certè ſacramenta, quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Chriſti diuina res eſt: propter quod & per eadem diuinæ efficimur conſortes naturæ. ceterùm contra Lutheranos, qui panis immutationem diffitentur, & corporis veritatem tantùm in accipientis vſum reiiciunt, & non eandem facta ſtatim conſecratione agnoſcunt, ita ſcribit: Satis ergo nobis euidenter oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto domino ſentiendum, quòd in eius imagine profitemur, celebramus, & ſumimus, vt ſicut in hanc, ſcilicet in diuinã, tranſeant, ſancto ſpiritu perficiente, ſubſtantiam, permanentes tamen in ſuę proprietate naturæ, ſic illud ipſum myſterium principale, cuius nobis efficaciam virtutémque veraciter repræſentant, ex quibus conſtat propriè permanentibus, vnum Chriſtum, quia integrum, verúmque, permanere demonſtrant. Aſtruit in vnica, tota, & vera Chriſti perſona, vtranque naturæ diuinæ & humanæ neceſſitudinem haberi, quæ in myſterio humanitatis ſuæ vniebantur, nec à vera ſua proprietate commutentur, aut ſubmoueantur, adeóque citra vllam miſtionis confuſionem permaneant. ecce ſacramenta in diuinam tranſire ſubſtantiam, ídque duobus vocabulis tantùm, atque vnico hoc verbo, trãſſubſtantiantur, ſignificatur. Deinde vides immutationem ad diuinæ rei eſſentiam, non noſtra ſuſceptione inniti, ſed per ſanctum ſpiritum expediri, & abſolui, quemadmodum & Auguſtinus ſupra meminit, quem Gela-

Prou.9.
2. Pet.1.

ſius maiorem in modum complexus eſt, nimirum Afer Afrum verùm, quòd adiiciat, vt dictum eſt, non coniunctim. vt aduerſarij citant, ſed diſiunctim, Non deſinit ſubſtantia vel natura panis,& vini, hoc eſt, ſubſtantia, ſiue natura panis & vini non ceſſat. id neceſſariò, ne ſibi ſit contrarius Gelaſius, non de vera ſubſtantiali internáque rei eſſentia accipi debet, ſed tantùm de naturali prioris ſubſtantiæ, aut naturæ proprietate intelligetur. quemadmodum ſunt magnitudo, guſtus, color, atque id genus qualitates, ipſæque naturales panis & vini proprietates, ſimiliter Innocentius tertius, ſub quo in generali conſilio decretum hoc de tranſſubſtantiatione eſt editum, inquit, Poſt conſecrationem non accidentales modò, verùm etiam naturales proprietates remanere videntur, vt quæ famem expellit, paneitas, & quæ ſitim expellit, vineitas. eiuſmodi enim vocabulis ille vtitur, quòd latiniora ad ſententiam commodiùs exprimendam non ſuccurrerent. nec eſt opus, vt huius ſacramenti comparatio ad Chriſti humanitatem, cuius hîc Gelaſius meminit, ita reſtrictè accipiatur, vt ſicut in Chriſto vtraque natura, & ſubſtantia in perſonæ vnitate verè & ſolidè ſunt, ac manent, ita etiam ſubſtantia, & natura panis in ſacramento per omnia ſubſiſtat: ſed ſat erit, quò Gelaſij collatio ſaluetur, quòd quemadmodum in ſacramento, præter verum Chriſti corpus, naturales proprietates panis admirabili Dei miraculo adhuc relucent, ita & in Chriſto vtraque natura in perſonæ vnitate ſine commiſtione ſubſiſtat. alioqui ſi ex Gelaſij verbis Lutherani illam ſimilitudinem vrgere pergunt, neceſſariò & illud fateri eos cogemus, quod nimirum ex Gelaſij ſententia, quam ſe ſequi iactant, Chriſti corpus cum pane in perſonæ vnitatem coiret non minus, quàm diuinitas cum humanitate vnita in vnicam perſonam coaleſcit. quod tantùm non Gelaſius ſentit, vt etiam Chriſtianorũ auribus horrendum ſit Sufficit itaque ad rectè intelligendum Gelaſium, noſſe vocabulum ſubſtantiæ non vno modo ſemper accipi, neque vbique internam & latentem rerum eſſentiam, ſed interdum quancunque ſubſiſtentiã ſignificare, itidem naturæ nomen, non ſem-

Subſtantia pro naturali proprietate, ac pro ſubſtantiali rei exiſtẽtia Gelaſius hic vſurpat.

per eſſentialem illam rerum eſſentiam dicere, ſed ſæpe etiam naturalem tãtùm proprietatem, idq́ue eleganter: quomodo hic Gelaſius verbum, ſubſtantiæ, per vocabulum naturæ ipſi disiunctim appoſitum interpretatur, vt idem ſubſtantia fuerit, quod ſubſiſtentia accidentium panis & vini, natura verò, naturæ proprietas, quæ ſanè in ſacramento poſt conſecrationem eſſe deſinit: deſinente tamen eſſentiali illa & interna panis ſubſtantia, quam, vt Chryſoſtomus inquit, abſumpſit ius diuini corporis.

De Miſſis, quas priuatas hæretici vocant, quòd in eis populus non communicetur ſacramentaliter, ſed ſolus ſacerdos, ac de tempore communicationis ſecundum antiquos canones, multis locis ex patribus productis, agitur, atque omnem miſſam publicam eſſe oſtenditur, etiam ſi nullus de populo Chriſtiano in ea communicetur. CAP. XXXII.

Chryſo. c. 1. ad Epheſ. Calliſt. de cõſec. d. 2. *PAtres erant, qui vti vniuerſæ eccleſiæ vnam duntaxat euchariſtiam exhibebant, atque vt inde arcebant flagitioſos & ſceleratos, ita grauiſsimè damnabant omnes eos, qui præſentes ea non communicarent. Hos fines quàm procul ſubmouerunt, cùm non templa tantùm, ſed etiam priuatas domos miſsis ſuis replent, ad eas ſpectandas quoſuis admittunt, & eò libetiùs, quò largiùs quiſq; numerat, quantumuis impuri ſint & ſceleſti. ad fidem in Chriſtum, & fidelem ſacramentorum communionem neminem inuitant: quin potiùs ſuum opus pro gratia & merito Chriſti vẽditant:* porrò, quòd ad euchariſtię ſacramẽtum attinet, nullis id fuit, aut eſt vnquam temporũ circulis circumſcriptũ: neque eſt vllus dies anni, quo non ſit fas cuiuis voléti ſacramẽtum euchariſtię percipere. hi ſiquidem, qui fuerunt æquales apoſtolorũ, aut eorũ temporibus proximi, quotidie feciſſe legũtur. nam, cùm quotidie mortẽ ſuis ceruicibus impendẽtem expectarent, quò paratiores forent ad eam pro Chriſti nomine fortiter oppetendã, ſingulis diebus mortis eius memoriam recolentes, ad ſacram ſinaxim accedebant. fuerunt poſtea, qui ſolis id diebus dominicis facerent. refrigeſcente verò paulatim pietate, cùm rariùs homines accederent, ante 1100 annos, Agathenſis concilij decretum interceſſit, quo cautum eſt, vt ſæculares, qui

Communionis ratio.

Cap. 18.

in natali domini, paſcha, & penthecoſte non communicaſſent, catholici non crederentur, nec pro catholicis haberentur. quod tamen ante ducentos annos itidem à Fabiano pontifice ſancitum Burchardus epiſcopus Vuormatienſis, Iuo epiſcopus Carnotenſis, & Gratianus in ſuos decretorum libros retulerunt. qui verò ſub iiſdem temporibus, quibus habitum eſt Agathenſe concilium, vixerunt, Ioannes Chryſoſtomus, & Aurelius Auguſtinus non obſcurè in ſuis ſcripturis indicant, quòd ſuo quoq; ſæculo ſic refrigeratus erat feruor ille Chriſtianorum, vt vix, quò ſemel in anno, vel etiam biennio communicarent, adducerentur: idque caſu magis & cõſuetudine, ſiue lege, quàm ex animo. quos illi quidem hoc nomine grauiter obiurgãt. Communionis tempus, inquit Chryſoſtomus in oratione de B Philologo, non eſt feſtum, neque celebritas, ſed conſcientia pura, vitáq; à peccatis repurgata. quemadmodũ enim, qui ſibi nullius mali conſcius eſt, hunc oportet ſingulis diebus accedere: ſic qui peccatis occupatus eſt, nec pœnitet eum, nec in feſtis quidem accedere tutum eſt. neque enim ſemel in anno accedere, liberat nos à peccatis, ſi indignè acceſſerimus: quin hoc ipſum potiùs auget damnationem, quòd cùm ſemel tantùm accedamus, ne tum quidem purè accedimus. ad eundem modum Auguſt. quoq; in hom. 28. de verb. domini ſecũdum Lucam inquit, Si quotidianus eſt panis, cur poſt annũ illũ ſumas, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerũt? accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit: ſic viue, vt quotidie merearis accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. quæ ſententia eiſdẽ fermè verbis reperitur apud Ambroſium in lib. 5. de ſacram. cap. 4. Sic ſancti patres, cùm viderent elanguiſſe pietatem hominum, hortabantur eos ad frequentãdum euchariſtiæ ſacramentum, non quòd reprehenderent, ſi quis id ſemel in anno feciſſet, ſed quòd, vt crebriùs fieret, ſatius eſſe ducerent. quod illa quoque Chryſoſtomi verba ſerm. 3. in epiſt. ad Epheſ. non obſcurè indicant, cùm in hunc modum loquitur: Hæc dico non vno & annuo vos prohibens acceſſu, ſed vos ſemper ad ſancta accedere volens. ac paulò ſuperiùs, Quos magis

Burch. l. 5. c. 17. Iuo li. 1. Grat. de conſecr. d. 1. c. 51.

Tom. 3.

acceptabimus,inquit, cóſne, qui ſemel, an qui ſæpius, an qui raró accipiunt?neque illos,qui ſemel,neque qui ſæpius, neque qui raró,ſed eos,qui munda conſcientia, qui cum mundo corde, cum vita irreprehenſibili, iſti ſemper accedant: qui veró tales non ſunt,neque ſemel. Porró diſſimilia non ſunt, quæ ſcribit hac eadem de re ad Ianuarium Auguſtinus: Optandum quidem foret,vt quoties tremendum illud ſacrificium peragit ſacerdos, toties non deeſſent, qui cum eo corpus & ſanguinem Chriſti ſacramentaliter quoque manducarent,ſed ſi deſunt ſæpe, (ſicut hoc ſæculo deeſſe veré videmus) non propterea iuge ſacrificiũ hoc intermitti debet. ſatis eſt, ſi qui præſentes adſunt,ſpiritualiter mãducent,ſuo tempore ſacramentaliter quoque percepturi.ſatis eſt,ſi mãducent corde, etiam ſi non premant dente. Chryſoſtomi quoque ſæculo ſæpe quotidiana fiebat hæc oblatio, quamuis nemo communicaret. quod his etiam verbis ipſe teſtatur,non ſine quadam querimonia: Fruſtra habetur quotidiana oblatio, fruſtra ſtamus ad altare, nemo eſt, qui ſimul participet. Planum etiam id fieri poteſt ex eo,quòd in Agathenſi concilio,quod Chryſoſtomi ſæculo celebratum fuiſſe videtur, ſicut pauló anté meminimus,ter in anno,vt communicarent ſæculares, ſancitum eſt:cùm tamen iiſdem ibi pręceptum ſit,vt die dominica miſſas audirent. ſi certé ad ſumendam euchariſtiam, ter tantùm in anno, ad audiendam miſſam ſingulis diebus dominicis fuerunt obligati: non profectò quoties audiebant miſſam, ſacramẽtaliter euchariſtiam percipiebant. quamobrem hortati ſunt quidem ſancti patres ad crebram communionem populum, ſed neque cogendum quẽquam,neque propterea ceſſandum à ſacrificio putabant,ſi nemo communicaſſet. Omnem miſſam publicam eſſe dubium non eſt, cùm vnicuique volenti,modó ſit de cœtu fidelium,ei intereſſe, & cum ſacerdote celebrante Chriſti beneficia recolere, ac ſpiritualе Deo ſacrificium offerre liceat: ſed ſi priuata miſſa dicenda eſt, quæ in oratorio habetur, tales quoque habitas à mille & ampliùs annis in eccleſiaſtica hiſtoria reperire licet. mille propé anni interceſſerũt, cùm Leontius epiſcopus Decapolis,inſulæ Cypri,ſeptimæ ſynodi

Miſſa ſine communicãtibus an celebrari debeat.

Aug. verba cõtra noſtri temporũ hæreticos expreſſa.

Miſſa omnis publica.

Miſſæ priuatæ.

Nycænæ ſecundæ teſtimonio comprobatus, poſt Ioannem & Sophronium ſcripſit Græcè vitam Ioannis Alexandrini patriarchę, qui propter inſignem liberalitatẽ, qua vſus eſt in pauperes, vocatus eſt miſericors, ſiue eleemoſynarius. narrat de hoc, quòd, cùm ſacra perageret, viderétque populum, lecto euãgelio, è templo exiuiſſe, atque otioſis in cæmeterio fabulis vacare, exiuerit ipſe quoque, & cum turba conſederit: cúmque ſtupore affecti eſſent omnes, his verbis eos fuerit affatus, Filioli vbi oues, illic & paſtor: aut intrate intrò, & ingrediemur, aut manete hîc, & ego quoq; manebo. ego propter vos deſcẽdo in ſanctam eccleſiam: nam poteram facere mihi miſſas in epiſcopio. Hæc ſanctus Ioannes. Sed & Gregorius Nazianzenus, qui ducentis eum annis præceſſit, in quodam paruo oratorio ſacra celebraſſe, in tripartita hiſtoria lib. 9. cap. 8. refertur. Gregorium verò ducẽtis aliis annis præceſſit Soter pontifex Romanus: eiúſque decretũ refertur à Gratiano, videlicet, Nullus preſbyterorum ſolennia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibíque reſpondentibus. non dicit communicãtibus, ſed præſentibus tantùm. quòd ſi priuata miſſa eſt, quæ duobus ſolùm præſentibus celebratur, ipſis etiam apoſtolorũ temporibus priuatę miſſæ in vſu fuiſſe videntur. Sed moueri ſe iſti fingunt verbis Anacleti, dicẽtis, Perfecta autem conſecratione omnes communicent, qui nolunt eccleſiaſticis carere liminibus. ſic enim & apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Rom. tenet eccleſia. Vtinam valeret apud iſtos Anacleti auctoritas: miſſam vtique eſſe ſacrificium non negarent. etenim ſic loquitur Anacletus, Epiſcopus, Deo ſacrificans, teſtes ſecũ habeat, & plures, quàm alius ſacerdos. in ſolennioribus quippe diebus aut ſeptem, aut quinque, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, & ſubdiaconos, atque reliquos miniſtros ſecum habeat, qui, ſacris induti veſtimẽtis, in fronte, & à tergo, & preſbyteri è regione dextra læuáque, corde contrito, & humiliato ſpiritu, ac prono ſtent, vultu, cuſtodientes eum à maleuolis hominibus, & conſenſum ei præbeant in ſacrificio. ac deinde ſequuntur illa verba. Peracta conſecratione, &c. Mira eſt iſtorum hominum cæcitas, quod apertè ſcriptũ

Leontius de Ioanne eleemoſynario.

De conſec. d. hoc quoque.

Verba Anacleti exponuntur.

eſt ab Anacleto, non vident, quod ſcilicet nos miſſam vocamus, id ab illo dicitur ſacrificium: vident tamen id, quod nunquam nec ſcripſit, nec ſenſit Anacletus. neque enim fuit vnquam hæc Anacleti ſentētia, vt omnes præſentes communicarent, ſed ij tantùm omnes, qui miniſtrant epiſcopo, atque ij non niſi in ſolennioribus feſtis: quod ita certè fieri æquum eſt. ſed longè diuerſum eſt Satanæ miniſtrorum ſtudium à ſanctorum patrum pia ſolicitudine. nam hi, cùm iuge ſacrificium nullo vnquam die cenſerent intermittendum, vt Chriſti corpus & ſanguinem frequentiùs communicarent, oratione ſua fideles inflammabant: illi contrà, cùm videant refrixiſſe pietatem, nec eos adduci facilè poſſe, vt crebrò communicent, non hoc agunt, vt refrigeratam in illis pietatem accendant, verùm illud potiùs contendũt & laborant, ſi quo pacto abolere poſſint omne ſacerdotium & ſacrificium. quod facilè fore ſperant, ſi quod iuge debet eſſe ſacrificium, id rarum efficiant, ac paulatim in deſuetudinem quãdam abire cogant. ſicut enim non vno loco ſcriptum à nobis eſt antea, nihil eſt, quod minùs ferre poſſit Satanas, quàm tremendum hoc ſacrificiũ, in quo Chriſti beneficia ſimul vniuerſa, grata quadam recordatione recoluntur, & ſub eorum oculos, qui præſentes adſunt, ſubiiciuntur: quæ ipſe modis omnibus obliterata, & ex omni hominum memoria prorſus cupit eſſe ſublata. quamobrem nulla neceſſitate adiungitur, vt quoties ſacris operatur ſacerdos, hi, qui præſentes adſunt, ſemper ſacramentaliter communicent: etiam ſi crebriùs ab eis id fieri expediret. verùm illud neceſſarium iudicatum eſt in cõcilio Lateranenſi, (in quo cùm alij complures epiſcopi ex variis totius orbis Chriſtiani prouinciis, tum Ieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus patriarcha affuerunt) vt omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis perueniſſet, omnia ſua peccata fideliter confiteretur, ſaltem ſemel in anno, proprio ſacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam pro viribus ſtuderet adimplere, ſuſcipiens ſaltem in paſcha euchariſtiæ ſacramentum, niſi fortè de conſilio proprij ſacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duceret abſtinendum:

Satanæ ſtudium contra hoc diuinum ſacrificium.

Decretum conc. Lateran. c. 21.

ceteroquin viuens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. non prohibetur ea conſtitutione, quò minùs etiam quotidie, ſi quis velit, peccata ſua confiteatur, euchariſtiæque ſacramentum percipiat: ſed quoniam reperire pleroſque licebat, qui vix ſemel in vita, ac ne ſemel quidem id facerent, pia quadam ſolicitudine prouidendum eſſe ſancta ſynodus in domino congregata putauit, vt ſi crebriùs non poſſent, aut nollent, ſemel tamen in anno fideles & peccata ſua confiterentur, atque euchariſtiæ ſacramentum perciperent.

Conſuetudinem communionis, quæ à Chriſtiano populo fit tantùm ſub ſpecie panis, antiquam eſſe oſtenditur, atque Gelaſius, & Cyprianus explanantur.

Cap. XXXIII.

Patres erãt, quorum vnus ab vſu ſacræ Chriſti cœnæ ſubmouendos decreuit, qui alterius ſpeciei participatione cõtenti ab altera abſtinebant: alter fortiter pugnat, non denegandum populo Chriſtiano domini ſui ſanguinem, pro cuius confeſſione ſuum effundere iubetur. Hos quoque terminos ſuſtulerunt, cùm inuiolabili lege id ipſum iuſſerũt, quod ille excommunicatione puniebat, hic valida ratione improbat. Pater erat celeberrimúſque Ambroſius Caluine, qui de Satyri fratris ſui pietate ediſſerens, ait, quòd is in naufragio conſtitutus cum ea, qua veheretur, naui, ſcopuloſo illiſa vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus ſolueretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterij exiret è vita, quos initiatos eſſe cognouerat, ab his diuinum illud fidelium ſacramentum, (ſanctiſſimam intelligit euchariſtiam) non vt curioſos oculos inſereret arcanis, ſed vt fidei ſuę conſequeretur auxilium, popoſcit. etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atque ita ſe deiecit in mare, non requirens de nauis compage ſolutam tabulam, cui ſemper natans iuuaretur, quoniam fidei ſolius arma quæſierat. neque deſeruit ſpes, neque fefellit opinio. Qui verò, inquit magnus Ambroſius, tantum myſterij cæleſtis inuoluti orario præſidium expertus fuiſſet, quantum arbitrabatur, ſi ore ſumeret, & toto pectoris arcano hauriret. Hæc Diuus Ambroſius. Patres erant,

De communione ſub vtraque ſpecie.

Gelaſ. can. comperimus de cõſec. d. 2.

Cypr. epiſt. 2. lib. 1. de lapſis.

Ambr. de ſatyro in oratione funebri.

qui antiquiſſimam eam fuiſſe conſuetudinem in eccleſia, vt laici communionem acciperent ſub ſpecie tantùm panis, nobis narrant. Hæretici contrà fuerunt, qui etiam ſub vna ſpecie non totum & integrum Chriſtum contineri ſentiebant, Neſtoriani atque Boemi, vt in Conſtantienſi concilio dicitur. Sed quia de dominica cœna iterum redibit ſermo ſuo loco, ſolùm hîc Gelaſio ac Cypriano reſpondeamus. Mirum eſt, quòd ſiue ſcripturarum, ſiue doctorum ſententias proferant iſti, qui ſe noſtro hoc ſæculo ab eccleſia Dei præſciderunt, non fere conueniunt cum his, qui ante centum annos ſolius calicis cauſa ſegregauerunt ſemetipſos: qui ſi ſciuiſſent hæc Gelaſij verba pro ſe facere, citra dubitationem vllam, eius auctoritate libenter vſi fuiſſent. ceterum probè intelligentes ad ſolos ſacerdotes ea Gelaſij verba pertinere, nunquam eis verbis contra nos egerunt. quòd ſi Gelaſij epiſtolam, vnde verba hæc Gratianus produxit, integram nobis legere liceret, ſanè manifeſtò deprehenderemus, contra quos ipſis verbis ſit Gelaſius vſus. quare ex aliquot canonibus, qui præceſſerint in ea diſtinctione, facilè quiuis perſpexerit, quòd non de aliis, quàm de ſacrificantibus intelligenda eſſe videantur: vt ſit ſenſus, Ab integris arceantur, hoc eſt, vt aut ambo accipiant, aut abſtineant à celebratione miſſæ, vt neutrum conficiatur. nec multum à vero diſcrepat, ſi ſuſpicemur, ſanctiſſimum Rom. eccleſiæ paſtorem, & totius orbis Chriſtiani principem prauæ alicui conſuetudini his verbis obuiàm iuiſſe. & vtinam apud iſtos aliquid valeret ſanctiſſimi Gelaſij auctoritas, nulla profectò de ſacramenti ſpeciebus alteratio eſſet. is ſiquidẽ, cùm ad epiſcopos Dardaniæ ſcriberet, quidquid ab eccleſiaſticis conciliis profectum ſemel eſſet, apoſtolica auctoritatem pollere ſentiens, non ampliùs in priuatorum hominum litem, & controuerſiam reuocandum ſtatuit. De Cypriano verò ſuo loco oſtendemus, ſic ſanguinem Chriſti concedendum eſſe martyribus decreuiſſe, vt tamen nullã ad hoc euangelij legem, aut præceptum diuinum aliquod produceret. verùm de his ſuo loco, quemadmodum ſtatuimus, explicatiùs diſſeremus.

Conc. Conſtanſ.

Gelaſius de ſacerdotibus ipſis qui ſacris operabãtur, eſt intelligendus.

Caluini oppoſitio de ſpiritu, quo eccleſia pollet in obſcuris ſcripturæ locis interpretandis, breui abſoluitur.

Cap. XXXIIII.

P*Ater erat, qui vanitatem eſſe aſſeruit, de re obſcura in vtramuis partem diffinire ſine claris atque euidentibus ſcripturæ teſtimoniis. Hunc terminum obliti ſunt, cùm tot conſtitutiones, tot canones, tot magiſtrales determinationes, ſine vllo Dei verbo ſtatuerunt*. Pater erat Caluine, qui dixit, quia videlicet ſcripturã ſacrã pro ipſa ſua altitudine, non vno eodemq; ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur: vt pænè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. aliter nanque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunómius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Cæleſtius, aliter poſtremò Neſtorius: atque iccirco multùm neceſſe eſt propter tantos tam varij erroris anfractus, vt propheticæ & apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum eccleſiaſtici & catholici ſenſus normam dirigatur. Hæc Vincentius ille Lirinenſis, qui etiam addit vnum, vnde facilè ſit cuiuis colligere verborum Auguſti ſenſum. In *ipſa*, inquit, catholica eccleſia magnopere curãdum eſt, vt id teneamus, quod vbiq;, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Vt igitur priuato homini temerarium fuerit, de re obſcura in vtramuis partem definire ſine claris & euidentibus ſcripturæ, aut eccleſiæ teſtimoniis, ſiue patrum traditionibus: ipſi tamen eccleſiæ, quę Dei ſpiritum habet cum euangeliſtis communem, nunquam Auguſtinus temerarium fore dixit, obſcura interpretari, & quæ euidentia ſic non erant, certa conſtituere, atque firmiſſimè definire. neque qui nobis præcepit, cæleſtis ſcilicet pater, filium, vt vnicum doctorem, audiremus, prohibuit, ne cuiquam alij, qui eodem ſpiritu ſancto loqueretur, auſcultaremus. Qui eccleſiã audit, Chriſtum audit, qui eccleſiæ magiſterio ſubiacet, in Chriſti ſacratiſſimo ludo, & cæleſti academia ſine dubio verſatur. vt iam hæc ſibi optimè cohæreant, & eccleſiam audire, & non niſi Chriſto auſcultandum

Aug. lib. 2. de peccati mercede c. vlt.

Vinc. Lirin. aduerſus hæreſes.

Cypr. epiſto. 2. lib. 2. eſſe. vnde & certiſſimum eſt, quod Chriſtus dicit, Qui vos audit, me audit: & quod Cyprianus docuit omnino reſpiciendum, quid Chriſtus & fecerit, & faciendum nobis præceperit. nunquam ſe eccleſia Chriſto præpoſuit, Caluine, nunquam: nouit enim, quòd quanta ipſa ſit, tota ex Chriſto profluxit, tota è Chriſto pendet, & Chriſtum ſpectat. Quare quòd cordis noſtri receſſus optimè agnoſcat Chriſtus, id eccleſia bi propriũ relinquit, nouitque in his rebus iudicandis eccleſiaſticos iudices, qui homines ſunt, & occultiora non vidẽt, aliquando falli: cùm tamen ſponſus ſuus, vt qui Deus ſit, veraciter ſemper iudicet. cùm verò de rebus fidei noſtræ, aut de his, quæ ad mores noſtros euangelica regula componendos, ac dirigẽdos pertinent, agitur, eum ſponſæ ſuæ à conſiliis reliquit ſpiritum, quem ipſe, dum loqueretur nobis in via, & interpretaretur nobis ſcripturas, habuit. vt veraciter quidam dixerit, Euangelio non crederem, niſi eccleſiaſtica auctoritas me cogeret, & moneret.

Legem cælibatu ſacerdotum antiquã, ſanctam, libertatis plenam, apoſtolicam, ac nulli diuinarũ ſcripturarum loco contrariam eſſe ſignificatur, & declaratur: vbi innumeri ſanctarum ſcripturarum loci, Pauli præſertim, & antiquorũ patrum, illuſtrantur.

Chap. XXXV.

De cælibatu. Paphn. in trip. hiſt. lib. 2. c. 14. Orig. hom. 29. ſuper Num. Ambro. in cap Tim. 2. Hier. con. Iouin. lib. 1. Siricius papa.

P*Ater erat, qui negauit eccleſiæ miniſtris interdicendum coniugium, caſtitatem pronuntiauit cum propria vxore concubitum. & patres erant, qui eius auctoritati aſſenſerunt. His finibus egreſſi ſunt, cùm ſuis ſacrificis cælibatum ſeuerè indixerunt.* Pater erat, qui dixit, Mihi quidem videtur illius ſolius eſſe offerre ſacrificium indeſinẽs, qui indeſinenti & perpetuæ ſe vouerit caſtitati. Pater erat, qui dixit, Si plebeiis hominib⁹ orationis cauſa ad tẽpus abſtinere iubetur, quantò magis ſacerdotibus & leuitis, quos die & nocte pro plebe commiſſa ſibi orare oportet? Pater erat, qui ſæpe dixit, Si ſacerdotibus ſemper orandum eſt, ſemper vtique illis matrimonium cauendum eſt. Pater erat, qui dixit, Sacerdotes noſtri, quibus non per vices, ſed ſemper altari ſeruiẽdum eſt, perpetuæ caſtitati addicti eſſe debent. Contrà verò non pater, ſed

totius pudicitię oſor, atque eccleſiæ hoſtis Iouinianus fuit, qui ſacerdotes ad caſtitatem perpetuam obligari ferre non poterat, quanquàm ipſe non quidem ob meritum, ſed multarum moleſtiarum pertæſus à nuptiis abſtinuit. Hæreticus, non parer erat peſſimus Vigilantius, qui eò eſt iniquitatis progreſſus, vt ſacerdotes ad nuptias cogeret. de illo priore dicebat Auguſtin⁹, quòd illius hęreſis citò extincta fuerit per damnationem publicam, hoc eſt, apoſtolicæ ſedis, nec vſque ad ſacerdotũ ſucceſſionem peruenit: de hoc verò Hieronymus affirmat, eius hæreſis primum fuiſſe auctorem. alij verò ad Nicolaum vnum ex ſeptem diaconibus eam hæreſim referunt. Niceta deinde Græcus quidã Græcis eum morẽ malè obtrudit. ſecuti ſunt Vuiclephus, Lutherus, Znuinglius, ceteræque noſtræ reipub. Chriſtianæ peſtes, atq; pernicies. Sed vniuerſa, vt confido, clariùs explicabuntur, ſi iuxta morem noſtrũ, quæ in inſtitutione contra cælibatum ſacerdotum iſte comminiſcitur, ad apoſtolicam & Chriſtianam amuſſim examinemus.

Hier. lib. 1. con. Iouin.

Aug. lib. de hæreſ. c. 82.

Epiph. tom. 2. libr. 2. in hæreſi Catharorum.

Hier. ad Ripariam ep. 2. aduerſus Vigilantium.

Vna in re, inquit, *pluſquam rigidi ſunt, & inexorabiles, ne coniugium ſacerdotibus permittant. quanta apud eos ſcortandi graſſetur impunitas, dicere nihil attinet*: cogita lector, quod initium dederit adueniens. hæc ſunt iſtius certiſſima arma, hi fortiſſimi arietes, hęc bellica inſtrumenta, conuicia nimirum, maledicta, & contumeliæ ſatis importunæ, quibus verbo vno ſatis ſuperque facere poſſis, ſi dixeris nihil auctoritatis abrogari cęlibatui, ob horrendã quorundã ſcelerũ colluuiem. iniquam legem Caluinus cælibatus appellat. *Certè*, ait, *quòd ſacerdotibus interdictum fuit coniugium, id factum eſt impia tyrannide, non modò contra verbũ Dei, ſed etiam contra omnẽ æquitatẽ*: atq; id ex te audire cupio Caluine: nos ſiquidem & apoſtolicam & propè diuinam eam legem eſſe exiſtimamus, nimiumque ad virgineam illam Chriſti noſtri ſacerdotum omnium facilè principis puritatem, & tanti officij dignitatẽ pertinere, & ad veterẽ legem, & nouã ſatis exactã fuiſſe omni aſſeueratione affirmamus. *Primùm vetare, quod dominus liberum reliquiſſet, nulla ratione hominibus licuit*: neque licet modò Caluine, immo cuique liberũ & integrũ eſt ordine ſacro initairi non mi-

Cal. lib. 4. c. 12. ſect. 23.

nùs,quàm cælibem vitam degere,aut matrimonij legibus ſe conſtringere. nec magis hîc euãgelicæ illi & naturali libertati contradicitur, quàm ſi clerici venatione, aut negotiatione,aliàs libera,interdicantur. vt igitur integrum & liberum ſit ſacrari ſacerdotio,at nouerunt cuncti initiandi ſanctiſſimis legibus viuendum eſſe Chriſti ſacerdotibus. quærendus igitur tibi eſt aries alter,quo cæleſte iſtud ædificium peſſundes. hæc porrò,& non alia,illa libertas eſt, quæ,dominus ſuo præcepto cauit,ne infringeretur. *Omitto,ais,quòd Paulus pluribus locis vult eſſe vnius vxoris virũ:* & quàm meritò id omittendũ iudicas. norũt omnes,quotquot vbiq; fuerũt illum videlicet locum de digamia eſſe explicandũ. non refero auctores, quoniã opus minimè eſt in re ſic recepta teſtibus non neceſſariis vti: ſolùm hoc dico,neque apud Græcos, neque apud Latinos ex eo tempore, quo Paulus hęc ipſa verba protulit, vnum eſſe inter eccleſiaſticos auctores, qui ea in ſenſum Caluinianum traxerit. loquor de orthodoxis patribus. *Quid,* inquit, *potuit dici vehementius, quàm vbi ex ſpiritu ſancto denunciat apoſtolus, fore temporibus nouiſſimis homines improbos, qui coniugium prohibeant? eoſq; non modo impoſtores nuncupat, ſed dæmones? Hoc igitur vaticinium, hoc ſacrum oraculum eſt ſpiritus ſancti, quo eccleſiam ab initio præmunire aduerſus pericula voluit, doctrinam dæmoniorum eſſe coniugij prohibitionem:* quid,ſi tibi reſpondeamus Caluine,non nos vaticinium illud apoſtolicum petiiſſe, ſed Montanum, Tatianos,Encratitas,alióſque veteres hæreticos? num dubium eſt illos matrimonium damnauiſſe? nos verò, immo apoſtoli ſancti, honorabile eſſe coniugium cum Paulo aſſerimus, ac tantum eccleſiaſticum ordinem ab eo arcemus, cui & apoſtoli ipſi putauerũt non ſatis cõuenire. Inter apoſtolos,dicebat Hieronymus, de ſolo Petro legimus vxorem habuiſſe, de aliis verò nihil tale conſtat. quòd ſi concedamus omnes habuiſſe, ambigi non debet, ipſis annuentibus, caſtitatis votum concepiſſe, iuxta illud Petri, Ecce nos reliquimus omnia. Idem ipſum ex Chriſti ſermone,Sunt,qui ſe caſtrauerũt ob regnũ cælorũ. collegit ſanctus Epiphanius in lib. 1. contra hæreſes. atqui certè apoſtolorum canonem in hanc

1.Tim.3. Tit.1.

1.Tim.4.

De apoſtolorum celibatu. Hier lib. 1.con.Iouin. & in ep. ad Iul conſolat.

Matth. 19.

Can.apoſt. 27.

hanc formam compactum legimus, In nuptiis autem, qui ad clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint, vxores accipiant, ſed lectores cãtoresq́ue tantummodo. Num hoc nuptias damnare erat? hos nobiliſſimos principes ſecuti ſunt totius orbis Chriſtiani patres in conciliis ſuis, in Neocæſarienſi ſub Siluestro papa canone primo, in concilio romano ſub eodem pontifice canone 8. & 19. de presbytero, in concilio Toletano octauo canone 7. in concilio Arelatenſi. vt ex his tam apertis teſtimoniis facilè eruamus, & ante concilium Epheſinum, & ſub illius tempus legem cælibatus in vſu fuiſſe. omitto antiquiſſimos pontifices, eosq́ue & ſanctiſſimos ac doctiſſimos, Calliſtum videlicet primum, Siricium, Innocentium ſecundũ, ſequentéſque, qui nuptias licitas eſſe omnino prædicãtes, ſacerdotibus tamẽ vxores ducere nullo pacto licere teſtati fuerũt. Epiphanius, antiquiſſimus eccleſię auctor, atque Hieronymi & Auguſtini encomiis illuſtris, dicere ſolitus erat, Re vera non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio, poſt Chriſti aduentum, propter excellentem ſacerdotij honorem ac dignitatem, virum etiam vnius vxoris liberos ex ea gignentem. Quamobrem ex hoc ipſo habebimus eccleſiaſticam conſuetudinem, quæ vniuerſas Chriſtiani orbis partes tenebat, circa cælibatum ſacerdotum apoſtolicã fuiſſe, præſertim ne ſacris ſemel initiati nouis vxoribus copularentur. ergo hos omnes credendum non eſt, dum certas perſonas à coniugio arcent, contra apoſtolicum præceptum feciſſe. Sed hæc quàm parum Caluino probẽtur, audiamus. *Quaſi etiam ſi in illis ſuperioribus completum ſit primo loco vaticinium, non in iſtos etiam cõpetat: aut quaſi auditu digna ſit argutiola iſta, quòd prohibere ſe negant, quia non omnibus prohibent. perinde enim eſt, ac ſi tyrannus iniquam non eſſe legem contendat, cuius iniquitate pars duntaxat prematur:* ante Montanum, Tatianos, Encratitas, atque alios hæreticos lex, quæ ſacerdotes à coniugiis contrahẽdis coercebat, lata fuit. quare ſi id tu nuptias damnaſſe iudicas, non eſt, quòd primo loco concedas vaticiniũ Paulinum in hæreticos illos completum. verùm ſtultus tu, nec minùs eſt ſtulta tua cauillio. ſi lex iniqua eſt, parum refert, vt con-

Ehiph tom. 1. lib. 2. hær Catharorũ.

tendat tyrannus iniuſtam non eſſe, quòd ea non niſi pars minima ciuitatis prematur. at verò quis dicere audeat iniquam eſſe legem, quæ partem iuſtiſſima de cauſa ab vniuerſo eximat, maximè ſi quaſi in radice ſua libertas ibidem regnet? eſto hoc inſtar millium exemplorum: negotiari, mercaturam exercere, & facere, naturali lege, hoc eſt, communi gentium iure, nulli prohibitum eſt, modò id cum præſcripta à ratione lege cõueniat, auſim etiam dicere totam communitatem à iuſtis negotiationibus & mercaturis colligẽdis cohiberi non poſſe. vbi ſemper excipiendũ videtur, ſi ob reipub. maiorem profectum, qui fore ſperatur, aut ob damnũ imminẽs, quod timetur venturum, id prohibeatur. Iam hîc ipſe abs te quæro, tune iniquam eam legem eſſe putabis, quæ epiſcopũ negotioſum eſſe vetat? túne, quòd eccleſiis miniſtris ſuis iubet, aut à ſanguine effundendo abſtinere, aut à venatione, mox dices iuſtitiæ exercitium venationemque prohibuiſſe? recogita, quid tu dixeris, cùm de miniſtris eccleſiaſticis ageres, & perquàm manifeſtè comperies à multis eos abſtinere debere propter munus, quod exercent, à quibus qui reliquos omnes Chriſtianos coercere vellet, iniuſtus & iniquus tyrannus, atque publicus reip. hoſtis habendus eſſet. ſile, quæſo etiam atque etiam, noli nodum in ſcirpo quærere nulla eſt tyrannis, nulla eſt iniquitas, nulla hîc eſt cum hæreticis nobiſcum conſenſio

Sine tyrannide iure ab vniuerſitate pars certa eximi poteſt, maximè ſi libertas in radice maneat.

Caluinus nõ ſibi conſtat.

Cal. ſect. 24

Cùm verò nos iuſtè Pſychicis iſtis, pro ſancta cælibatus lege, illud obiiceremus, quòd aliqua nota differre oporteret à plebe ſacerdotem, iſte, vt multum habet ingenij ad fingendum, ſic reſpondet, *Quaſi non prouiderit hoc quoque dominus, quibus ornamentis excedere debeant ſacerdotes*: prouidit & hoc quoque dominus Caluine, dum & inter ceteras ſacerdotum dotes plurimùm ſibi placere continentiam, ex virgine natus, virgo viuens, virgines præ cæteris amat, virginibus excellentiora præmia diſpenſat, atque corporis puritatem per apoſtolos ſuos ſuæ eccleſiæ ſacerdotibus prçſcribit ſeruandam, vt nihil minus cogitemus, quàm apoſtolos perturbati ordinis, confuſique decoris eccleſiaſtici inſimulare. ſed quid ipſe? *Apoſtolus Paulus, cùm*

abſoluti boni epiſcopi ideam exprimeret, inter reliquas dotes, quas in eo requirebat, auſus eſt coniugium ponere: quòd ſi ſic ſe res habet, abſolutam certè iſtam ſacerdotis ideam in ſe ipſe non ſatis expreſſit, qui dicere ſolitus erat, Cupio vos omnes eſſe, ſicut memet ipſum. non illam expreſſit Ioannes ſanctiſſimus, Deoque cariſſimus. quid immoror? neque Chriſtus ipſe hoc pacto omnes ſacerdotis dotes in ſe ipſe complebit, vtpote qui vxoratus non fuit. non diuini furoris eam vocem aliquando horrebis, Seruire me feciſtis in ſceleribus, & in mẽdaciis veſtris? dixi de Pauli mente id ſolùm eſſe non eligendum, qui ſecundam vxorem habuerit. noli, rogo te, premere nos cauillo magis importuno & impudenti, quàm difficili vel ſubtili. ſed ſemper in contrarium niteris. *Hanc*, inquis, *interpretationem non eſſe nouam, cõcedo: ſed falſam eſſe ex ipſo contextu palàm eſt:* gratulor nobis omnibus Ioannes, quòd non nouis gloſſulis, nuper per nos editis, ſed antiqua patrum fide, non recentibus ſcripturæ deformationibus, ſed glorioſa canicie, ſed antiqua ætate fideliter acta tecum nos cõtendere, tu ipſe ceteroqui fallaciſſimus cõfiteri non dubitaſti, ſed, quæſo, quis eſt ille contextus, ex quo falſam eſſe interpretationem palàm eſt? *Quia ſtatim præſcribit, quales epiſcoporum & diaconorum vxores eſſe oporteat*: ô turpem, exacta dementique ætate caniciem. hoccine tuum illud palàm eſt? ô vim argumenti excelſam, quæ nulla ratione vinci queat, & qua Caluiniana ſtructura contra tot hominum virtutẽ inuicta perſtare nullo labore poſſit. *Statim*, inquit, *præſcribit, quales ſunt futuræ vxores epiſcoporum & diaconorum*: heus Caluine, conuenitne inter nos, vt omnium cauſam tu ageres? num vitam ſuam, opes, honorem, ſuaque omnia in ſpe patrocinij tui collocarunt? ô homines infelices, qui eum ſibi patronum pararint, cui defenſore opus ſit. non vides ex ſacro illo contextu nihil minus, quàm quod tu ſuſpicaris, erui poſſe? ad eum ſane modum, ad quem ad Titum ſcribens, & Timotheum Paulus adiecit illud de filiis, in eadem epiſtola (ſicut prudenter à Diuo Hieronymo obſeruatum reperio) de vidua illa ſexagenaria dicit. Quæ fuerit vnius viri vxor,

De eſſentia ſacerdotalis dignitatis nõ eſſe cõiugiũ.

1.*Cor*.7.

1.*Tim*.2.

Ti.1.

& filios educauerit. Vtrobique, inquit Hieronymus, habet, & educauit, neutro tamen loco filios facientem, ſeu generantem debere eſſe aut epiſcopum, ſeu diaconum, aut ſexagenariam illam legimus. diſce ſemel Caluine, ne importuniùs pergas periculum innocenti matri faceſſere. apoſtolorum tempore, vt auctor eſt Hieronymus in libro primo contra Iouinianum, non tot cælibes erant, quot ſacerdotes erant neceſſarij. hinc factum eſt, vt multi coniugati ſacerdotio initiarentur. &, vt intelligeres, quanta ſit ſacerdotij dignitas, non ſacerdotes ipſos, quales ſint futuri modò, notat Paulus ibi: ſed quales habuerint, habeantque filios, quàm liberaliter & Chriſtianè educatos, quàm bonos, pudicos, & temperatos conſiderari iubet. ſi eos non habuerit, bene quidem: ſi verò ex iam mortua filios ſuſcepit, aut ex ea, quam nunc viuam habet, tales, quales diximus, eſſe conuenit. Quid hîc habes pro vſu coniugij Ioannes? oro, atque obſecro, vt conticeat interdum, & obmuteſcat iſtud os loquaciſſimum. *Paulus inter epiſcopi virtutes enumerat coniugium: iſti intolerabile vitium in ordine eccleſiaſtico eſſe docent, & ſi Deo placet, ac generali vituperatione non contenti, immunditiem & pollutionem carnis in ſuis canonibus vocant. Cogitet quiſque apud ſe, ex qua officina hæc prodierint. Chriſtus eo honore dignatur coniugium, vt imaginem eſſe velit ſacræ ſuæ cum eccleſia coniunctionis. quid ſplendidius eſſe poterat ad commendandam coniugij dignitatem? qua igitur fronte immundum vocabitur, in quo ſimilitudo ſpiritualis Chriſti gratiæ elucet?* primùm Caluine, nunquam Paulus inter epiſcopi virtutes coniugium enumerat. hoc pro certo habeto. deinde nos etiam poſt Chriſtum cæleſtem magiſtrum eo honore dignamur coniugium, vt imaginem eſſe fateamur ſacræ coniunctionis Chriſti cum eccleſia cariſſima ſibi ſponſa. immo quando à nobis exquiris, quid ſplendidius iſta commendatione dignitatis coniugij exprimi potuiſſet: reſpondebo eſſe aliam longè iſta ſplendidiorem, nempe quam nos agnoſcimus, dum matrimonium non imaginem tantùm ſacræ illius coniunctionis eſſe fatemur, ſed ſacramentum vnum ex ſeptem illis à Chriſto domino inſtitutum, gratiam virtu-

Siricius ad epiſcopos Hiſpan.

Matrimonium eſt ſacramentum.

te ſua conferens ex opere, vt noſtri loquuntur, operato. nonne hoc eſt ſplendidius coniugium prædicare? nonne hoc eſt ampliùs torum inuiolatum commendare? nonne hoc eſt coniugij cauſam honorificentiùs tractare, quàm teſſeram ſolùm & ſymbolum illius gratiæ eſſe prædicare? *Quare igitur à Siricio immundities ac pollutio carnis vocatur?* mirum lector eſt, quòd cùm eadem, & fortè grauiora apud Auguſtinum & magnum Baſiliũ de hac re legãtur, ſitque cum hoc ſanctiſſimi pontificis & mens & ſententia euidentior, quàm quòd in læuum latus impudentiſſimus quiſque detorquere poſſet, iſte bene meritus de Romana ſede, & de orbis magiſtris, atque paſtoribus, dat cunctis veniam, vt de vno Siricio pœnas ſumat. igitur dum patres iſti ſic de coniugio loquuntur, procul dubio nihil minus cogitant, quàm vel minimum honoris ſancto huic ſacramento, & coniugio honorando, atque immaculato toro per ipſos abrogatum iri: nihilq; magis curabãt, quàm vt ipſius dignitas ſarta ac tecta maneret per eos. dum itaq; pollutionẽ & immunditiẽ nominarunt, in ea oculos iniecerũt, quę in matrimoniali vſu contingere ſæpe ſolent. vt ſi cũ ea puritate, quã habere decet ſacerdotẽ, coniugatorũ puritas, candor, nitorq; conferatur, immundities ſit, ac pollutio. haud ſecus, quàm (libet enim exẽplo diui Baſilij hoc loco ab importuno hoſte me expedire) tenebras optimè lucem corporalẽ dixeris, cùm ipſam ad ſpiritualẽ æternamq; compoſueris, cuius nihilo ſecius illa imago & ſpeculum eſt. ſic quod honeſtũ quidem eſt, ſi cum re pulchriori & honeſta magis comparetur, iam quod erat, eſſe deſinit. Sed reliqua perſequamur.

Baſil. Aug. & Chryſo. de virg.

In quo ſenſu à ſanctis matrimonium immũdities appelletur.

Iam verò cùm ita clarè cum verbo Dei eorum prohibitio pugnet, inueniunt tamen in ſcripturis, quo eam defendant. ſacerdotes leuiticos, quoties ad eos miniſtrandi vices redibant, oportuit ab vxoribus ſecubare, quò puri & immaculati ſacrata tractarent. noſtra ergo ſacra cùm & multò nobiliora ſint, & quotidiana, à coniugatis tractari valde fuerit indecorum: nobis Caluine ſic quidem videtur, tibi verò quid? *Quaſi eadem ſit euangelici miniſterij perſona, quæ fuit ſacerdotij leuitici.* abſit, longè alia, non eadem eſt perſona. leuiticus porrò ſacerdos

Aliud argumentum, quo reſpõdet dictis catholicorũ Caluinus ſect. 25.

Diſcrimẽlatum leuitici atque euangelici ſacerdotis.

in vmbris aliquot deliteſcebat, ſanguine hircorum & vitulorum delinitus & tinctus: euangelicus verò incruentum & immaculatum offert ſacrificium, cúmque agnum Deo patri offert, qui pridie, quàm pateretur, ſeipſum Deo immolauit, lata lege, qua eccleſiam obligaret, vt faceret & ipſa, quæ iam antea ſponſus feciſſet in ſui dulcem memoriam ſatisq́; iucundam. Sed tu perge, nolo tuam fabulam anteire. *Illi enim, tanquam ἀντίτυποι Chriſtum repræſentabant, qui mediator Dei & hominum abſolutiſſima puritate reconciliaturus patrem nobis erat. cùm verò omni ex parte exhibere peccatores typum ſanctitatis eiuſmodi non poſſent, quibuſdam tamen lineamentis, vt adumbrarent, iuſſi ſunt vltra humanum morem ſe purificare, dum ad ſanctuarium accederent: quia tum ſcilicet propriè Chriſtum figurabant, quòd, veluti pacificatores, ad reconciliandum Deo populum apparebant ad tabernaculum, cæleſtis tribunalis ſimulacrum. hanc perſonam quia hodie nõ ſuſtinent eccleſiaſtici paſtores. fruſtra cum illis comparantur:* auferesne igitur ab eccleſiaſticis ſacerdotibus euangelicis cæleſtis ſacrificij miniſterium tam diuinum, tam in eccleſia antiquum, ac frequens, tam diuinis literis expreſſum, vt des illis vxores? expolias eos diuina poteſtate, vt des corruptionem? ad vnum velim reſpondeas, ſi à nobis catholica fides habetur, multò ſcilicet præſtantiùs, multoq́ue diuiniùs euangelicos ſacerdotes leuiticis illis, Chriſti ſummi pontificis noſtri perſonam ſuſtinere, quantò nempe diuinius, & verius eſt, quod in tremendo altaris ſacrificio Deo patri immolatur & offertur, antiquis illis vmbris, coremoniis, atque inuolucris: non patiere ò rigide cenſor, maiori & aſtrictiori puritati euangelicos ſacerdotes præ antiquis teneri? ſed quia homo es ſine lege, ſine Deo, & abſque ſacrificio, non tecum ſuper hoc pluribus hic contendam, quãdo de ſacrificio miſſæ à ſacratiſſimo patrum ſenatu Tridẽti apertiſſima pro catholica veritate ſentẽtia prolata eſt, nosq́; eam rem, cùm de ſacratiſſima euchariſtia ſermo redierit, longiore oratione tractabimos. *Apoſtolus,*

Hebr. 13.

inquit, *citra exceptionem ſecurè pronunciat, honorabile eſſe inter omnes coniugium, ſcortatores autem & adulteros manere Dei iudicium: ἐν πᾶσι,* dixit Paulus Caluine, hoc

Explicatio loci Pauli, Honorabile coniugium.

eſt,in omnibus ętatibus,aut in omni tempore,denique inter omnes. quādoquidem & apud ethnicos matrimonij honos habitus eſt ob fauorem duplici commodi.& credo ſubaudiendum eſſe verbum,eſto, vt illa non tam inlaudē matrimonij prædicentur, quàm præcipiantur. videtur ſiquidem vile habere matrimonium, qui id adulteriis contaminat.quod & ſequentia pulchrè exprimunt. nam quod hîc vertitur, & torus immaculatus, Græcè eſt κοίτη. eam vocem in epiſtola ad Rom. vertit concubitum, agens de Iſaac & Rebecca: tametſi non tam ſignificet propriè concubitū, quàm cubile. eſt igitur habita ſemper matrimonij ratio,modò id fiat inter perſonas, quas contrahere lex iuſta non prohibuerit.

Euidens repugnantia apud Zuuinglianos.

Quòd ſi tanto rigore verbum illud,Inter omnes, accipiendum Caluinus cenſet, vt nulla perſonarum adhibenda ſit diſtinctio:cur rogo eum,ea matrimonia, quæ inconſultis parentibus,atque remotis arbitris fiunt,inter filiosfamiliâs rata non eſſe contendit, & ea reſcindēdi poteſtatē eſſe penes parentes credit, ac tenet? iniquus porrò iudex in nos eſt, qui non patitur ea lege ſe viuere, quam nobis ſumma ſeueritate ſi non tradit, at interpretatur. dicamus itaque, vbi lex diuina,aut naturalis,aut humana,iuſtiſſima ſanè illa,quoſdam à coniugio non arcet,inter eos,ſint illi quiuis, vixerint quauis ætate, honorabile erit coniugium, & immaculatus torus. vtcunque Paulus præcipiēdo id magis dixerit,quòd ſtudere deberent omnes honorare coniugium, nullis adulteriis ipſum inquinando.

1. Cor. 9.

Alia obiect. Cal ſect. 25.

Et ipſi,inquit, apoſtoli ſuo exēplo cōprobarūt nullius,quālibet excellentis, functionis ſanctitate indignū eſſe coniugiū. nā eos nō tantū vxores retinuiſſe, ſed ſecū etiā circūduxiſſe, teſtis eſt Paulus: de ſanctis apoſtolis prçter Petrū nō legi,neque ſciri ex euangelio poteſt cōiugatos fuiſſe:abſtinuiſſe tamē omnino,ſiqui habuerūt,atque adeò cælibes vixiſſe,teſtes ſunt Epiphanius, Hierony. Ambro. Quòd verò dicis Paulum teſtificari,vxores circūductas fuiſſe ab apoſtolis,huius certè rei tu ipſe,nō Paulus, teſtis es. textus Græcus habet ἀδελφὴν γυναῖκα,id eſt. ſororē mulierē: nō quòd vxor eſſet, vt tu peſſimè interpretaris,ſed ſororē addidit,vt intelligas Chriſtianā & hac

Expenditur locus Pauli.

1.Cor.9. gratia apoſtolos ſequi. Ambroſius certè legit mulieres pro ſororem mulierem. ſic legit Hieronymus aduerſus Iouinianum cap. 2. idem ad Demetridem libro de virginitate, idem ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, idem ad Gerontiam libro de monogamia. mulierem & religioſam feminam, quæ de ſuis facultatibus apoſtolis ſanctis miniſtrabat, non vxorē legit Auguſtinus, & interpretatur libro de opere monachorum cap. 7. de fidelibus item feminis, quæ in morem illarum, quæ Chriſto leguntur miniſtraſſe de facultatibus propriis, apoſtolos ſanctos ſequebantur, & ſuis ſumptibus eos conſolabantur, illum locum intelligit Theodoritus. de diuitibus mulieribus, & religioſis feminis interpretatus eſt Anſelmus. ita deniq́ue exponit Haymo reiecto Caluini mendacio, de vxoribus apoſtolorum.

Sororem mulierem circūducendæ.

Paphnutij hiſtoria diligenter expenditur, atque cōtra catholicam veritatem nullum in re validum ſumi poſſe argumentum oſtenditur. CAP. XXXVI.

SEd poſtquam conſtitit nobis, ex apoſtolorum verbis & factis legem cælibatus ad euangelici ſacerdotis dignitatem nimiùm facere, & cum illa vnicè conuenire verbo vno, dicto Paphnutij, in quo inuictum cuneum iſte habet, qui non ita facilè ſuo videri percelli queat, ego reſpondebo. Iam certè nos multa tetigimus, quæ fidem illius hiſtoriæ imminuere poterant, quòd Socrates Nouatianus fuerit, Sozomenus verò Theodori Mopſueſtiæ ſummus laudator. quod ei beat' Gregorius pōtifex exprobrauit, qui hiſtoriā eius ab eccleſia exploſam eſſe teſtatus eſt. Sed hæc minùs propria cauſæ noſtræ fortè quibuſdā videbuntur, nimiúmq́ue generalia eſſe. quare legitimis rationib' eā hiſtoriā è manibus hoſtiū extorquebo. Principiò, magnopere à te peto Caluine, quō excuſari, aut diſſimulari illud poteſt, ſi quod vterq; ſcribit de Nicęna ſynodo, ſcilicet reliquiſſe integrū cuique ordini ſacro, quod facere liberet, abſtinere ſe ab vxore, aut non abſtinere, id tertio canoni eiuſdem ſynodi repugnat? verùm canonē recitemus. Prohibuit, inquit, in vniuerſum magna ſynodus, vt neque epiſcopo, neque presbytero, neque diacono, neq; vlli prorſus

Ratio 1. contra hiſto. Paph.

Can. 2. concilij Nicæ.

clerico liceret habere συνείσακτον mulierẽ, niſi fortè ma trem,aut ſororẽ,aut materteram,ſiue amitã,aut eas ſolùm perſonas,quæ ab omni ſuſpicione alienę eſſent.nõ dixit τὴν συνείσακτον cum articulo,ne ſingularem quãpiã acciperemus,ſed quancunque ſiue vxorẽ,ſiue non vxorẽ.συνεισάκτους enim vocãt Antiochenſes mulieres quaſcunque, vt Euſebius in lib.5.hiſt.eccl.notauit, inde dictas συνεισάκτους,quòd in eodem conclaui,aut cella cũ viris verſentur. quas ſynodus Ancyrana συνερχομένας vocat,has Nicęna ſynodus iis,qui ſacri ordinis ſunt,interdicit.excepit autem matrem,ſororẽ,materteram,ſiue amitam:& eas ſolùm perſonas, ſcilicet συνεισάκτους, id eſt, quaſcunque mulieres,ſiue vxores,ſiue non vxores, quæ omni ſuſpicione vacarent.Ergo ſynodus vt exceptionẽ dedit matri,& ſorori,& materteræ,ſiue amitæ,quòd hę ab omni ſuſpicione liberę eſſent:ſic etiam his vxoribus dedit,quæ futuræ quoque eſſent ita liberę à ſuſpicione, vt mater,ſoror,aut matertera,quare vxores habere permiſit, tãquam ſorores tantùm.quod ex ſynodo Turon. 2.cap.12.clariùs intelligi poteſt.ſic enim ait,Cùm preſbyteri,atque diaconi ſublimi dignitatis apice pręrogẽtur,actibúſque omnibus ſæculi renuntient, & ad ſacrũ miniſteriũ electi repudiãt,quiſquis eſt presbyter, atque diaconus diuino munere benedictione percepta,vxoris ſuæ frater illi efficiatur.itẽ ſynodus Arelat.2.can.2.velut interpres canonis Nicæni,Si quis,inquit,de clericis à gradu diaconatus in ſolatio ſuo mulierẽ pręter auiã, matrẽ,ſororem,filiam,neptẽ, vel conuerſam ſuã vxorẽ habere pręſumpſerit,à communione alienus habeatur, etenim ſi ſynodus inter perſonas ab omni ſuſpicione liberas noluit vxores ſacrorum ordinum numerari, vt eas, ſi modò tales eſſent, liceret apud ſe habere, ſecús verò non liceret: cur eas in extremo loco non excipit nominatim, vt quamuis non carerent ſuſpicione, habere tamen eas liceret, vt vxores? Quod verò hoc eodem canone prohibet ſynodus reliquis etiam clericis, vt lectoribus & cantoribus, habere mulieres de concubitu ſuſpectas,ne quis erret,aut obiiciendum mihi putet intelligendum erit de aliis mulieribus præter vxores, de ipſorum enim vxoribus iam erat editus ca-

non apoſt.16. vt cùm in clero eſſent, & ducere liceret, & ductis deinceps vti. itaque ſynodus Nycæna canonem apoſtolorum circa hos integrum reliquit, & ſaluum, cùm hoc noſtrum decretum fecit. prætetea ſic eſſe hunc canonem concilij Nicænæ intelligendum, poteſt perſpici ex epiſtola Magni Baſilij ad Gregoriũ presbyterum, cui iuſſit huius canonis auctoritate excludere vxorem propter ſcandalum ſuſpicionis de incontinentia. deſcribam autem hîc epiſtolam eius, è Græco recèns conuerſam, quæ, tanquam canonica, ad canones eiuſdem patris adiuncta eſt. Legi, inquit, literas tuas tolerantiſſimè, illúdque miratus ſum, quòd, cum poſſes te mihi breui facilè re ipſa excuſare, malis in crimine perſeuerare, & longa oratione vulnus periculoſum curare tentes. nos verò, Georgi, neque primi, neque extremi legem tulimus, ne mulieres cum viris Deo dedicatis habitarent. lege canonẽ editum in conc. Nic. qui planè vetuit habere has domi mulieres. Cælibum verò hæc eſt gloria, & ſplendor, mulierum conuictu carere, vt iam qui caſtimoniam nomine profiteatur, re verò ipſa ea faciat, quæ facere ſolent, qui cum mulieribus habitant, perſpicuum ſit hunc decus, & dignitatem ipſam virginitatis, aut caſtimoniæ appellatione tantùm conſectari, ab ipſa vero inhoneſta voluptate non ſe tẽperare. eo verò, magis oportuit te noſtris precibus facilè acquieſcere, quòd te ais liberatum eſſe omni libidine, & corporis laſciuia. nam neque te annos natum 70. libidinoſè & incontinenter viuere cum vxore, credo, neq; quaſi aliquid turpe feceris, decretum fecimus: ſed quoniam nos apoſt. docuit, ne offenſioni, aut ſcãdalo eſſemus fratri. ſcimus autem quòd à quibuſdam integrè fit aliis peccandi occaſionem præbere ſolere. hac de cauſa præſcripta ſanctorum patrum ſecuti, iuſſimus, vt vxorculam excluderes. Quid igitur chorepiſcopum criminaris, & veterum ſimultatum memor es? quid de nobis quereris? quaſi facilè calumniis aliorum excipiẽdis aures patefaciamus, ac non potiùs te ipſe accuſas, qui non paſſus fueris te ab iſta vxoria conſuetudine auelli? eiice ergo eam domo, & include in monaſterium, eſto illa inter virgines, & tibi miniſtrent viri, ne nomẽ Dei per

vos blaſphemetur. quàm diù verò perſtiteris in hac labe, nihil te iuuabunt iſta tam multa, quæ ad me ſcribis, quin potiùs vſque ad extremum vitę à ſacrorum adminiſtratione vacabis. referéſque Deo rationem vacationis tuæ. quòd ſi auſus fueris, antè, quàm vitam correxeris, culpámque emendaris, ſacerdotio fungi, anathema eris vniuerſo populo, vt qui te receperint, omni eccleſiaſtica iſta communione priuentur. Hæc Baſilius. Sed quia non deerunt fortaſſe, qui exiſtiment non vxorem fuiſſe eam, quam γύναιον vocat, ſed ancillam, rogabo iſtos pauliſper, ſi non erat vxor, cur iubet excludere, & in monaſterium recludere? cur in vitam monaſticam dicare? neque enim iuſſit hoc ἀντὶ εἱρκτῆς, καὶ κολάσεως, vt ipſi etiã interpretes Greci fatentur, id eſt, loco cuſtodię, & ſupplicij. qui enim illa commiſit, quę bona fide cum presbytero habitabat, cui neque cohabitationem exprobrat Baſilius? prętérea ſi nubere volebat, cur pater Baſilius prohibet? cur ſaltem tacendo non permittit liberam poteſtatem, aut coniugij, aut cęlibatus? aut ſi fortaſſe virgo erat, ſcilicet ex earum numero, quas presbyteri à tenera ætate alere domi ſolebant, ad collocandum eas poſtea, aduerſus quos pulcherrimum librum ſcripſit Chryſoſtomus: cur nunquam appellat virginem? ſicut Chryſoſtomus in eo libro appellat, ſed ſemper γύναιον, id eſt, mulierculam, aut, quod hîc magis proprium eſt, licèt minùs Latinum, vxorculam. ſic enim mihi appellaſſe videtur, vt presbyterum ętate confectum pudore afficeret, quòd vxorem adoleſcentem, vt opinor, ſecum haberet. ſolent enim aliquãdo ſenes accipere puellas in matrimonium, quod is Georgius feciſſe videtur, qui quidem presbyter poſtea vxore aſſentiente factus, in ipſo fortaſſe flore ætatis eam domi apud ſe retinebat contra canonem de vitando conuictu mulierum ſuſpecto. Quòd autem iuſſit Baſilius collocare eam in monaſterio, ſimile eſt, quod in ſexta ſynodo can. 48. ſancitum eſt, vt vxor epiſcopi, poſt ordinationem eius, in monaſterium ſecedat, & ab ipſo procuretur. Scimus apoſtolum in epiſtola ad Timotheum, & ad Titum, non ſeiunxiſſe caſtitatẽ epiſcopi à presbyteri continentia & pudicitia:

Probatur multis rationibus, fuiſſe locutum Baſiliũ de vxore ſacerdotis.

vtrunque enim vno nomine comprehendit, epiſcopi ſcilicet, quem caſtũ debere eſſe dicit. ſic quoque canonem Nicæni concilij intellexiſſe videtur Zonaras, canonum Gręcorum interpres. Vult, inquit, hic canon, eos, qui ſacri ordinis ſunt, ſine crimine eſſe, ita vt nulli pateat aditus ne ad ſuſpicãdum quidem de eis δι ὃ ἀπηγόρευσε τοῖς ἱερωμένοις συνοικεῖν γυναιξὶν. exceptis his perſonis, quas canon dicit, id eſt, iccirco vetuit, ſacri ordinis hominibus habitare vnà cum mulieribus, ſic interpretatus eſt συνεισάκτοις meliùs, quám poſt eum ſecutus Theodorus Balſamo, qui temerè interpretatus eſt συνεισάκτοις eſſe, quæ habitarent μετὰ τῶν ἀξύγον ἱερωμένων, id eſt, cum clericis ſacri ordinis matrimonio liberis, quaſi de ſacris coniugibus nihil hîc à Nicęnis patribus cautum eſſet, & quaſi intereſſet, vtrùm caſti eſſent. aut quaſi nulla in eis impudicitiæ ſuſpicio ſubeſſe poſſet, quia vxores haberẽt. quaſi verò non reperiantur, qui, non contenti ſuis vxoribus, alias interdum habeant domi ſuſpectas, & fortaſſe aliquid turpius. verùm Theodorus ſua futili interpretatione prauam conſuetudinem Græcorum ſacerdotum, à ſcriptura ſancta, & traditione apoſtolica alienam, voluit defendere. Denique ſic eſſe hunc canonem Nicæni concilij intelligendum, vt ad cælibatum ſacri ordinis pertineat, fuit aliquando ingens multitudo teſtium in Theſſalia, & in cuncto Oriente. narrat enim Socrates libro quinto (hactenus quidem veriùs, quàm de Paphnutio) fuiſſe morem in Theſſalia, vt qui vxorẽ duxiſſet antè, quàm clericus fieret, idem factus clericus non ampliùs conſuetudinem cum ea haberet, aut eiiceretur ex eccleſia: eundem quoque morem per Oriẽtem optimos quoſque clericos & epiſcopos tenuiſſe. illud verò de ſuo addidit hic auctor nõ ſatis (vt Photius Cõſtantinopolitanus ait) in doctrina Chriſtiana eruditus, tantam illos caſtitatem non neceſſitate legis, ſed voluntate ſeruaſſe. Accedit ad hæc, quòd, cùm de Paphnutio tam multam, támque honorificam mentionem faciat Ruffinus in lib. 1. cap. 4. eccleſiaſt. hiſt. nihil tale meminit. quòd ſi hæc omnia contemnenda cuique videbuntur, adhuc reſpondebimus, ſemper longè aliam habitam fuiſſe rationem de coniugatorum ſacerdotio, atque de

Theodor. Balſamo.

Alia ſemper fuit habita ratio circa coniugiũ ſacerdotum, & circa coniugatorum ſacerdotium.

ſacerdotum coniugio. hoc quidem nunquam alicui licuit aliquādo:(neq; hoc ſanctus ille epiſcopus Paphnutius,ſi verum eſt, quod de illo narrant Socrates & Sozomenus, negabat) illud verò non ſic certum eſt,an vſus matrimonialis ſacerdotibus omnibus ab ipſis ſummis apoſtolis interdictus fuerit. eſſe potuit,vt tempore Nycænæ ſynodi iam id in deſuetudinem ea res abiiſſet, fuerintque aliqui ibi, quibus antiquum morem renouandum,ac penitus ſacerdotali functioni,atque honori reſtituendum curarint. quamuis nihil minus credere poſſum, quàm quod de Paphnutio,vt dixi, recitari audio. Faxit itaque Deus ſua bonitate, vt exorbitationes iſtæ omnes, ſeu erroris deſideria, & ſpurcæ iſtæ libidines, quibus homo corrumpitur, ex eccleſia ſua maturiùs depellantur ab eis,qui auctoritatem habent,& prouinciam extirpandi ſentes atque vepres ex agro dominico, & ad amuſſim cuſtodiantur ea, quæ circa vitam & mores clericorum rectiſſimè ſunt inſtituta.

Nihil firmius, conſtantius, ac certius eſſe antiqua conſuetudine explicatur, in quam nouitas cùm ſemper pugnauerit, nihil tamen hactenus effecit: inducitur etiam diuus Ambroſius pro vetuſtate, atque nonnulla ,à Caluino obiecta, eliduntur. Cap. XXXVII.

ANtiqua & ſatis inueterata Satanæ iſta aſtutia eſt, quam percallidè iam à mundi exordio contra veritatem per vos exercuit,alieno ſcilicet nomine ſemper hæreſes concinnare. quod vt commodiùs aſſequamini, captatis cuiuſpiam veteris viri ſcripta paulò inuolutiùs edita,quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati veſtro quaſi congruant: vt vel ſic neque primi,neque ſoli ſentire videamini. verùm hæc noſtra fides eſt, hæc firmitas, vt ſemper corrupto membro, ſi quod illud fortè eſt, vniuerſi corporis ſanitatem anteponamus. quòd ſi nouitia aliqua contagio non iam portiunculam tantùm,ſed totam eccleſiam conetur inficere: & tunc pariter antiquitati inhærebimus,quam ſcimus nullius hominis,etiam Caluini, fraude ſeduci poſſe. immo verò tanto amore antiquitatis flagramus, vt ſi in ipſa vetuſtate duorum, aut trium hominum,aut certè ciuitatis vnius,aut etiam

integræ alicuius prouinciæ errorem deprehendamus, ei vniuerſalis eccleſiæ fidem antiquam magna conſideratione præponamus. nihil ſic curauit Chriſti eccleſia, nulli negotio vnquam ſic attendere ſolita eſt, quàm vt nos moneret maiorum noſtrorum ſententias ſemper conſulere, ſempérque interrogare, atque eorum, quos variis quamuis temporibus, ac locis valde diſiunctis in vnius catholicæ eccleſiæ communione, & fide permanſiſſe, magiſtros probatos extitiſſe intelligeremus, ſententias ſequi, & fidem tenere. Quidquid ergo non vnus, aut duo tantùm, ſed omnes pariter, immo eodémque conſenſu, apertè, frequenter, conſtanter tenuiſſe, ſcripſiſſéque cognouerimus, id nobis intelligamus ſine vlla dubitatione credẽdum. Zuuinglius vnus, à quo vos, ſcilicet ſancta proles, nomen trahitis, in ſuas furias cùm nos omnes præcipitare moliatur, noli admirari Caluine, ſi toto animo curamus, vt omnimodo ad veterem fidem deuoluamur, & quatenus antiquis illis patribus aſſociati intra ſacraria catholicæ fidei ſalui eſſe poſſimus. hanc egregiam profectò fidei formam priſci illi nobis ſuis poſteris reliquerunt, monuerúntque, vt vnius, aut certè paucorum audaciæ vniuerſorum fidem opponeremus. hoc illi ſuo facto ſplendidiſſimum nobis exemplum reliquerunt, quod in tanta rerum confuſione nobis ſit ſequendum, ac tenendum. viderunt profectò illi plurimam Africæ partem Donati veneno infectam, viderunt totum pænè orbem Arriano furori ſubiectum, viderunt non paruas res modò, ſed omnium maximas labefactari, proſterni, ac deuaſtari, conſpexerũt domus ante ſuos oculos ſubuerti, vrbes, populos, prouincias perditum iri, coniuges temeratas, viduas depopulatas, profanatas virgines, demolita monaſteria, diſturbatos clericos, verberatos leuitas, actos in exilium ſacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla, miſta vniuerſa & vexata, priuata & publica, ſancta & profana, & quid illi ſanctiſſimi animi ſuis temporibus non viderunt? ſemper ſæculorum profana iſta hæreticorum nouitas, velut quædam Bellona, aut furia, nouis ſuis legibus eccleſiã ſubiicere molita eſt. diu eſt, quòd pia mater noſtra Chriſti ſponſa extorres interdictis vrbibus, pro-

truſos in deſerta loca,ſpelūcas,fera ſaxa,nuditate,fame, ſiti afflictos,attritos & labefactos ſuos filios dulciſſimè cōſolari ſolita eſt. Nū veſtri furores ô Zuuingliani ſunt, quos tenera mater erga viſcera ſua omnium primos experitur? num vos primi eſtis,qui de mendacio,atque errore falsò ipſam accuſatis? atque hæc omnia nullam aliā ob cauſam,niſi vtique,dum pro cęleſti dogmate humanę ſuperſtitiones introducuntur,dum bene fundata antiquitas ſceleſta nouitate ſubruitur , dum ſuperiorum inſtituta violātur, dum patrum ſcita reſcinduntur,dum maiorum definita conuelluntur, dum ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites profanę ac nouellæ curioſitatis libido non continet. Sed audi, precor,quid nobis Caluinus reſpondeat, dum ipſi antiquam conſuetudinem eccleſiaſticā obiectamus.*Iam verò quòd nos ad antiquā conſuetudinem vocant,nihil efficiūt:* cur ſic Caluine? *Iniuſtiſſimè enim nobiſcum ageretur,ſi conſuetudini cedēdum eſſet* : ſi tecū iniuſtiſſimè ageretur,cum diuo tamen Ambroſio,& cum catholicis omnibus ſanè quàm iuſtiſſimè. Seruemus igitur,inquit ille,maiorum præcepta,& antiquorū vſu comprobatas leges, nec hæreditaria ſignacula vlla temeritate violemus. librum ſignatum illū propheticū, non ſeniores, non poteſtates, non angeli,non archangeli aperire auſi ſunt:ſoli Chriſto explanandi eius prærogatiua eſt ſeruata.librū ſacerdotalem,quis noſtrûm reſignare audeat,ſignatū à confeſſoribus , & multorum iam martyrio conſecratum? quem qui reſignare coacti ſunt, poſtea tamen damnata fraude ſignarunt. qui violare non auſi ſunt,confeſſores, & martyres extiterunt. quomodo fidem eorum poſſumus denegare, quorum victoriā prædicamus? Prædicamus,inquam,ô ſanctiſſime Ambroſi,prędicamus planè, laudantéſque miramur. nam quis ille tam demens ſit, quamuis Caluinianus, qui eos etſi aſſequi non poſſit, non exoptet ſequi , quos à defenſione fidei maiorum nulla vis depulit? non minæ, non blandimenta, non vita,non mors,non palatium,non ſatellites,non imperator,non imperium,non homines, non dæmones,quos, inquam , pro religioſæ vetuſtatis tenacitate tanto munere dominus dignos iudicauit , vt per eos proſtratas

Cal.in epiſt. contra antiquas eccleſiæ cōſuetudines

Ambr.lib.3. ad Gratianum imp.

repararet eccleſias,extinctos ſpirituales populos viuificaret,deiectas ſacerdotum coronas reponeret, nefarias illas nouellę impietatis non literas,ſed lituras effuſo cęlitus epiſcopis fidelium lacrymarum fonte deleret. vniuerſum denique iam pænè mundum, ſæua repentinæ hæreſis tempeſtate perculſum;ad antiquam fidem à nouella perfidia, ad antiquam ſanitatem à nouitatis veſania,ad antiquam lucem à nouitatis tenebris, & cæcitate reuocaret. & audet (ſi Deo placet) dicere nouatus iſte hæreticus, iniuſtiſſimè ſecum actum iri, ſi iubeatur antiquitati, & veteri conſuetudini cedere. Sed ſat bene dixiſti,indignus porrò es antiquorum fide, & quòd ipſorum legibus viuas. Verùm perge dicere. quid tu habes contra inueteratam conſuetudinem eccleſiaſticam? *Equidem ſi recta eſſent hominum iudicia,conſuetudo à bonis petenda erat: verùm longè aliter ſæpiuſcule agi contingit. quod enim à multis fieri conſpectum erat,cõſuetudinis ius mox obtinet. atque vix vnquam tam bene habuerunt humanæ res, vt pluribus placerent meliora. ergo ex priuatis multorum vitiis publicus error plerunque factus eſt, vel potiùs communis vitiorum conſenſus, quem nunc boni iſti viri pro lege eſſe volunt*: ſi non partis alicuius, ſed vniuerſitatis à nobis ſuſcepta nunc defenſio eſt, quàm fueris extra rem locutus,& quàm vanè ac ſtultè, vident omnes,ni fortè, quæ tua peruicacia eſt, decipi potuiſſe eccleſiam dicas. non enim vnius,aut duorum hominum errabundas,ſibíque ipſis contrarias opiniones tam magno molimine aſſereremus, aut certè pro alicuius prouinciolæ temeraria quadã conſpiratione ſic certaremus,ſed omnium ſanctę eccleſiæ ſacerdotũ apoſtolicæ & catholicæ ſedis decreta definita ſectantes, maluimus noſmetipſos,quàm vetuſtæ vniuerſitatis fidem prodere. fuerunt ô Caluine, erúntque perpetuò vniuerſitatis eccleſiaſticæ recta iudicia, vt ſit nobis ab antiquis noſtris patribus petita conſuetudo in magno pretio habenda. neque diuinus ille ſpiritus paſſus eſt fieri aliquando, vt (quemadmodum tu blaſphemas) publicus error, ex priuatis multorum vitiis ortus, omnibus ſæculis & locis pro ſummo pietatis cultu in eccleſia haberetur. atq; multò minùs cum Chriſti promiſſione conueniebat, vt communis vitiorũ conſenſus,

ſenſus, pro eccleſiaſtica lege, à toto orbe, & ab omnibus ætatibus reciperetur. *Vident, qui oculos habent, non vnum mare malorũ inundaſſe, multas ſonticas peſtes inuaſiſſe orbẽ, omnia in præceps ruere, vt aut prorſus res humanæ deplorandæ ſint, aut tãtis malis iniicienda manus, vel potiùs vis auſſerenda:* habemus magnum antiquorum beatorum exemplum, planéque diuinum, & veris quibuſlibet catholicis indefeſſa meditatione recolendum, ſi nobis libeat tãtis malis mederi Caluine. clariſſimam ſiquidem hãc vnam poſteris formam antiqui Chriſtiani nobis contra mare illud malorum, contra ſonticas peſtes errorum reliquerunt, vt ſcilicet ſuo deinceps exemplo per ſingula quæque errorum vaniloquia, ſacratæ vetuſtatis auctoritate, profanę nouitatis audaciam nos contereremus. paratiſſimum hoc vtique remedium, neque ſanè nouum: ſiquidem mos iſte ſemper in eccleſia viguit, vt quò quiſque foret religioſior, eò promptiùs nouellis admonitionib⁹ (quę ſolæ in cauſæ ſunt, quòd ruant omnia in præceps) contrairet. vident omnes Caluine, luce clariùs beatorũ apoſtolorum beata ſucceſſio quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſceptæ ſemel religionis integritatem. Stephanus, Romanæ ſedis rector, dum Agrippini Carthaginienſis epiſcopi ſententiam de rebaptizatione correxit, nihil tam frequẽns vſurpabat, quàm nihil eſſe nouandum, ſed traditæ ſemel & receptæ conſuetudini eccleſiaſticæ omnino ſtare oportere firmiſſimè aſſeuerabat. quid ago? nónne hic ſemper vſitatus Chriſtiani negotij exitus erat, vt ſcilicet antiquitas retineretur, nouitas profligaretur? quando ergo conſuetudinem eccleſiaſticam tibi obiicimus, (noli in vocabulo pueriliter ludere) non corruptos & ſceleratos mores, quibus multi, proh dolor! iam pridem aſſueuerunt, in medium vocamus, ſed eos, quos imitandos viri illi veteres (qui in modum ſeptemplicis candelabri ſeptena ſancti ſpiritus luce radiabant) & vita expreſſerunt, & ſcripto magnificè commendarunt. immo verò non alio ſpiculo certiori detortos noſtros mores ferire poſſumus, quàm ſi antiquas conſuetudines, maiorúmque facta (vnde hæ ſanctiſſimę leges, quas nunc habemus, prodierũt) penitus conſideremus. audi Caluine,

Steph. in epiſto. ad epiſcopos Africanos.

& nos peccatores ſumus, ſed vos vel hac parte multò nequiores nobis eſtis, quòd cùm cōtra patrum decreta, & antiquiſſimas conſuetudines viuatis, quò ab omni vos iuſta animaduerſione liberetis, illas non omnino vitio vacaſſe, cauſamini. vt ſic cōtra illas vos egiſſe, non vitio, ſed pietati, non culpę, ſed euangelicæ libertati, & gratię vertatur. nos verò optimè nouimus, & fatemur, leges ſanctorum ſanctas, eccleſiaſticas conſuetudines pias, iudicia eſſe vera, eos contrà, qui ipſa prætergrediuntur, peccatores, ſceleratos, flagitioſos, iniuſtóſque eſſe. *Sed locum ſanè habeat in hominum ſocietate publicus error: in regno tamen Dei ſola eius æterna veritas audienda & ſpectanda eſt, cui nulla annorum ſerie, nulla conſuetudine, nulla coniuratione præſcribi poteſt:* quaſi verò ô homo in ſanctorũ communione, in regno Dei & Chriſti, hoc eſt, in eccleſia ſancta, publicus error communibus ſuffragiis ſuſceptus eſſe poſſit. ſi omnes mente errant, quis, obſecro, errorem notabit? ſi omnes lippitudine laborant, quis tam ſuperbus, vt ſe videre iactet, quod omniũ oculos latet? iſta eſt antiqua illa hæreticorũ ſuperbia, iſta illa eſt miſerorum hominum cæcitas, vt cùm ipſi nihil videant, alios tamen in viam mittant. quando, per Deum immortalem, contra veritatem æternam vniuerſi illi antiqui patres conſpirarunt? quæ vnquam fuit eccleſiaſtica conſuetudo ab vniuerſa Chriſti eccleſia, tãquam pia, iuſta, & ſancta, probata, quæ Dei æternæ veritati vel minimùm contradiceret? ô quàm iuſtiùs nos ſic diceremus. vt iniuſtum ſuum locum habeat in hominum ſocietate ſicariorum coniuratio: in regno tamen Dei multò acerbior, & moleſtior illa haberi debet, atque omnis leuitas. magno ſanè metu nobis mutatæ fidei, ac temeratæ religionis piaculum pertimeſcendum eſt, à quo nos non ſolùm conſtitutionis eccleſiaſticæ diſciplina, ſed & apoſtolicæ auctoritatis cenſura deterret. hinc voces illæ ſanctiſſimæ prodierunt, O' inſenſati Galatæ, Conuertuntur ad fabulas, Habentes damnationem deſertæ veteris fidei. Per dulces ſermones, Vaniloqui ſeducunt innocentium corda, Otioſi diſcunt circumire domos, Verboſi, Curioſi, Loquentes, quæ non oportet, Qui bonam conſcientiã repellẽtes, circa fidem naufragauerũt.

Obiectio Cal. in epiſt.

Galat. 1. 1. *Tim.* 4. *Rom.* 16. 2. *Tim.* 3. *Tit.* 1.

Eſaiæ locus de populi conſpiratione contra dominum vera enarratione illuſtratur, Cypriani ſententia refertur, Tertullianus, & Auguſtinus pro antiquis conſuetudinibus producuntur, Pauli tandem verbis ad Galatas totus ſermo, immo liber hic abſoluitur.

Cap. XXXVIII.

FInem iam dicendi facerem, ſi Caluinus ſcripturam diuinam iniquè interpretari ceſſaret. obiicit enim nobis Eſaiam, dicens, *Sed electos Dei docebat Eſaias, ne dicerent, Conſpiratio, ad omnia, in quibus populus dicebat conſpiratio. hoc eſt, ne in ſceleratum populi conſenſum vnà ipſi conſpirarent, néue timorem eius timerent, aut formidarent, ſed potiùs, vt dominum exercituum ſanctificarent, & ipſe eſſet timor eorum, & pauor. nunc itaque, vt volent, & præterita ſæcula, & præſentia exempla nobis obiectent. ſi dominum exercituũ ſanctificauerimus. non valde terrebimur. ſiue enim in ſimilem impietatem multa ſæcula cõſenſerint, fortis eſt qui vltionem in tertiam & quartam generationem faciat: ſiue totus ſimul orbis in eandem nequitiam conſpiret, experimento docuit, quis ſit eorum exitus. qui cum multitudine delinquũt, cùm vniuerſum hominum genus diluuio perdidit, ſeruato Noe cum modica familia, qui per ſuam vnius fidem totum orbem condemnaret. denique praua conſuetudo non ſecus ac publica quædam eſt peſtis, in qua non minus pereunt, qui in turba cadunt.* ad hæc expendere decebat, quod alicubi dicit Cyprianus, *Eos, qui ignoratione peccant, & ſi non poſſint omnino ſe culpa eximere, videri tamen poſſe quoquo modo excuſabiles. oblatam autem Dei beneficio veritatem, qui pertinaciter reſpuunt, nihil habere quod obtendant:* ſi antiquæ eccleſiæ conſuetudines, non niſi ſceleratus quidam conſenſus populi ſint, ſi nefandæ impietates, ſi nequitiæ, ſi praui vſus, ſi publica peſtis, bene habet, quòd Caluinus eas non timet, in eas non conſpirat, ad eas non pauet. ſit illi ſatis dominum exercituũ ſanctificaſſe: parum refert, vt obiectet ei quiuis præterita ſæcula, atque pręſentia exempla: magis eſt profectò timendus ille, qui vltionem in tertiam & quartam generationem facit, qui vniuerſum hominum genus diluuio perdidit. ſi verò (vt vult Tertullianus in lib. de pręſcrip. hæretic. quem ſancti omnes ſequuntur) apoſtolicas traditiones diuinas

Eſaiæ 8.

Gen. 7.
Hebr. 11.

Epiſt. 3. lib. 2.

eſſe idoneus teſtis eſt omnium eccleſiarum vniuerſa
& antiqua conſuetudo, ſic etiam verum eſt, quod di
Auguſtinus dicit in iis rebus, de quibus nihil certè
uina ſcriptura ſtatuit, morem populi Dei, & maior
inſtituta pro lege tenenda eſſe, & ſicut præuaricato
diuinarum legum, ita contemptores eccleſiaſticar
conſuetudinum coercendos eſſe: profectò quidem
lidus & inſipiens eſt, qui ad antiquorum patrum ſa
la, nec ad præſentia exempla pauet, nec terretur: pr
ctò vanus eſt, & inſipiens qui dominũ exercituum
ctificare ſe poſſe ſperat, contemptis patribus, poſtha
to Dei populo, neglectis ſanctiſſimis eccleſiæ conſ
tudinibus: profectò ignarus eſt, & omnium rerum
ſcius, qui in tertiam & quartam generationem con
rationem in tam ſanctum & Deo gratum conſenſ
vlturum Deũ ſentit. ô rem admirabilem! ſeruatur N
cum modica familia, vniuerſo hominum genere dilu
aquis ſuffocato, quòd in communem conſenſum n
conſpiraſſet ipſe, ſeruantur contrà, qui cum multitu
ne Moyſi & Aaron adhæſerunt, cum neſcio quos al
infernus viuos deglutiſſet tantùm refert, qualis ſit
res, in quam totus populus conſentiat. Non tuus a
mus horret Caluine, vel cogitare, ne dum quidem af
mare iam ab apoſtolicis initiis, omnibus ętatibus, a
nationes omnes, in impietatem, in ſcelus, in ſuper
tionem aliquam Chriſtianos animos conſpiraſſe? ſi
tres tibi non omnibus horis ſapiunt, ſi eccleſiaſtica c
ſuetudo, quæ ſolet aliàs leges interpretari, commu
vitiorum tibi habetur conſenſus, vnde iam, quæſo,
ram intelligentiam ſcripturarum eruemus? quò con
giemus? quis res obſcuras in lucem nobis proferet?
dicis, quòd quondam electos Dei docebat Eſaias, ne
cerent, Conſpiratio: ſcimus, ſcimus, quorſum dixeri
in quam rem populus ille ingratus conſpiraſſet: q
niam in rem non bonam. & ego etiam in pręſentia p
ducam, quid Paulus ſanctiſſimus de antiqua fide, de
teri doctrina ſemel tradita, de eccleſiaſticis conſue
dinibus electos Dei doceat: tu verò patienter audi, q
do dicentem te anteuertit nemo, aut ſermonem int
rupit.

Scitum cunctis eſt Caluine, quàm grauiter, quàm ſe- *Galat.* 1.
uerè, quàm vehementer inuehatur in quoſdam beatus apoſtolus Paulus, qui mira leuitate nimis citò tranſlati fuerant ab eo, qui eos vocauerat in gratiam Chriſti, in aliud euangelium, quod non eſt aliud. cùm ergo tales quidam circumeuntes prouincias & ciuitates, atque errores venalicios circumferendo, etiam ad Galatas deueniſſent, cúmque, his auditis, Galatę, nauſea quadam veritatis affecti, apoſtolicæ & catholicæ doctrinæ manna reuomentes, hæreticæ nouitatis ſordibus oblectarentur, ita ſeſe apoſtolicæ poteſtatis auctoritas exeruit, vt ſumma cum veritate decerneret. Sed licèt aut nos, inquit, aut angelus de cælo, euangelizet vobis, præterquā quod euangelizauimus, anathema ſit. quid eſt Ioannes, quod ait, Sed licèt nos? cur non potiùs, Sed licèt ego? hoc eſt, etiam ſi Petrus, etiam ſi Andreas, etiam ſi Ioannes, etiam ſi denique omnis apoſtolorum chorus euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema ſit. horrendum facinus, propter aſſerendam primæ fidei tenacitatem, nec ſibi, nec ceteris coapoſtolis peperiſſe, parum eſt. Etiam ſi angelus, inquit, de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema ſit. vides non ſuffeciſſe ad cuſtodiam traditæ fidei ſemel humanę condicionis naturam commemoraſſe, niſi angelicam quoque excellentiam comprehendiſſet. Licèt nos, inquit, aut angelus de cælo. non quia ſancti, cæleſtéſque angeli peccare iam poſſint, ſed hoc eſt, quod dicit, etiam ſi fiat, quod fieri non poteſt, quiſquis ille ſit, qui traditam ſemel fidem tradere tentauerit, anathema ſit. Sed hæc (dices fortaſſe) humano potiùs impetu apoſtolum effudiſſe, quàm diuina ratione decreuiſſe. abſit, abſit: ſequitur, Sed anathema ſit. id eſt, ſeparatus, ſegregatus, excluſus, ne vnius ouis cōtagium dirum innoxium gregem Chriſti venenata permiſtione contaminet. quare annuntiare aliquid Chriſtianis catholicis præter id, quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licebit, ſemper retinuiſſe antiquam fidem nunquam non oportuit, nunquam non oportebit. quæ cùm ita ſint, éſtne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id, quod ſemel à patribus recepimus, annuntiet? clamet, &

repetendo clamet,& omnibus, & ſemper,& vbique per literas ſuas clamet ille, ille vas electionis, ille magiſter gentium,ille cælorum paranymphus,ille terrarum præco,ille diuinorum cōſcius,vt ſi quis nouum dogma annuntiauerit, anathiſmo ſaucietur. & contrà reclament quantum volent ranæ quædam, & cyniphes, & muſcæ morituræ, quales olim fuerunt Pelagiani, Arriani, Luciferiani,nunc etiam Lutherani, peſſimíque Sacramentarij,reclament,& dicant,Nobis auctoribus,nobis principibus,nobis magiſtris,damnate, quæ tenebatis,tenete, quæ damnabatis, reiicite fidem antiquam, paterna inſtituta maiorum depoſita, & recipite. quæ'nam illa tandem? horreo dicere: ſunt enim tam ſuperba, vt mihi non modò affirmari, ſed ne refelli quidem ſine aliquo piaculo poſſe videantur. recipite nouam fidem, noua inſtituta,noua depoſita. quid, cedo, tam diu ſanctorum venerationi & cultui inſeruietis?quid ſacris vaſis,ædibúſque Deo dicatis tam diu delectabimini?quid tam ſancta obſeruatione ieiunia veſtra cuſtoditis? quid in ciborum delectu tam moroſi iam pridem eſtis? quid ſolitariam vitam cælibem,& caſtam in cælum vſque efferris? quouſque ſanctorum imaginibus in recordationem eorum, quos ſuſpicitis, & veneramini, vtemini? mortuorum ſuffragia nolite frequentare, eccleſiaſticis traditionibus nolite obedire, conſuetudinibus, etiam ab apoſtolis receptis, quas Dei verbo expreſſas non videatis,nolite credere. præter vnum Chriſtum neminem audieritis,non patres, non magiſtros,non demum vniuerſam eccleſiam: tantùm dominum exercituum ſanctificate. nolite pauere, nolite horrere, hæc noua lux, hæc euangelica libertas,& licentia,quam Dei beneficio oblatam qui pertinaciter reſpuerit, nihil iam habebit quod obtendat. O' Caluine, multò te & admirabilior, & potentior fuit olim Neſtorius, nunquam ad Photini dotes áſſurges, tua præſtantia nihil ad illam Apollinaris, multorúmque aliorum: qui, quòd ſuorum patrum veſtigia non ſeruarunt,quòd intra ipſorum fines non ſe continuerunt,quòd depoſitum non cuſtodierunt,quòd antiquos terminos tranſilierunt,quòd ſuper iudicantes ipſi iudicauerunt, quòd ſuorum maiorum ſanctas con-

ſuetudines prætericrunt, quòd denique eccleſiaſtica cũcta nihili pendernat, miſerè & infeliciſſimè vitæ ſuæ curſum finierunt. quod ne & vobis omnibus, cum primis tibi Caluine, contingat, eſt quod vereare, quod paueas, atq; horreas. Quæ cum ita ſint, ille verus eſt germanus catholicus, qui veritatem Dei ſitit, qui eccleſiã Dei honorat, qui Chriſti corpus diligit, qui diuinæ religioni hæret, qui catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cuiuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philoſophiam. ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus, ac ſtabilis permanens, quidquid vniuerſaliter antiquitus eccleſiã catholicã tenuiſſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendũ credendúmq; decernit: quidquid verò ab aliquo deinceps vno, præter omnes, vel contra omnes ſanctos, nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad vehementem tentationem potiùs intelligat pertinere: vt vel ſic, quàm quiſque antiquæ veritatis tenax ſit, quàm fidelis, quàm fixus, quàm demũ patrum ſuorum fidei amans, apud omnes teſtatum, manifeſtum, notúmque relinquat, faciat, atque proferat. vt cum diuo Hieronymo ſemper, & vbique fuerit, iactet, Senex ego iam eam tenebo fidem, in qua natus ſum puer.

Quinti libri finis.

LOCORVM CATHOLICORVM PRO ORTHODOXA *ac veteri ſide retinenda,*

De veræ eccleſiæ certis notis, atque Petri & Romani Pontificis primatu,

LIBER VI.

F. Franciſco Horantio Hiſpano auctore.

SI ſua quenque fraus, & ſuus terror maximè vexat lector optime, ſi ſuum quenque ſcelus agitat, amētiaque afficit, ſiue aſsiduæ ac crudeles furiæ impios terrent, quæ dies & noctes à ſceleratis hominib. flagitiorum pœnas repetant, vt nō modò ſine cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidē ſine metu eos ſinant, aut vſquam conſiſtere patiantur: ipſe in primis paternus maternuſque ſanguis, omnium ſapientium ſententia, magnā vim, magnam neceſsitatem, magnam denique religionem poſsidere videtur, & quidem tātam, vt ſi qua macula inde concepta foret, nō ſolùm elui non poſſe iam olim homines apud ſeſe ſtatuerent, verùm vſque eò ipſam permanere ad animum dicerent, vt eos, qui ſimile quidquā impiè ac ſceleratè attentaſſent, tedis furiarum ardētibus agitari & perterreri cre-

derent. eximia profectò eſt humanitatis vis, multùm quidem ipſa cõmunio ſanguinis valet, reclamat ſanè iſtiuſmodi ſceleribus ipſa natura, portentũ atque monſtrum certiſsimũ eſt, eſſe aliquẽ humana ſpecie ac figura, qui nõ tantùm inſitum á natura amorem ex animo eiiciat, ſed etiã adeò beſtias immanitate vincat, vt propter quos lucem hanc ſuauiſsimã aſpexerit, eos indigniſsimè eadem luce priuauerit. Quis enim eſt naturæ myſteriorũ tam expers & ignarus, qui neſciat, quàm feras ipſas inter ſeſe partus, atque educatio, & natura ipſa conciliet? grauis igitur maleficij crimẽ eſſe atque inſigni ſupplicio fore vendicandum, quod in optimæ parentis, bene de nobis omnibus meritæ, ſacroſanctæ nimirum Chriſti eccleſiæ, ſanguinem fuerit commiſſum, qui ignoret arbitror eſſe neminem. non alius profectò in vitam, non mortalem, ſed æternam, non corporalem, ſed cæleſtem ingreſſus eſſe nobis poteſt, niſi ipſa nos in ſuo vtero concipiat, niſi pariat, niſi ſuis alat vberibus, niſi demum ſub cuſtodia & gubernatione ſua nos tueatur, donec exuti carne mortali nihilo angelis minores efficiat. porro infirmitas noſtra, & ſua benegnitas non patitur, à materno gremio, à cæleſti magiſterio & ſchola nos dimitti, donec toto vitæ noſtræ curſu diſcipuli fuerimus.

quē certè ratio ipſa & natura in tanto offic
retinere nequiuerit, hunc pœnæ magnitudir
meritò maleficio ſummouendū, quis nō ſenti
quis non videt? dignus quidē eſt, qui eā neca
attētauerit, vnde ipſe in cæleſtem vitā nat
eſt, iis omnibus rebus carere, ex quibus omn
nata eſſe dicūtur, atq; ex rerū natura tolli,
cui repētè cælū, Sol, aqua, terráq; adimantu
Callidè proinde omni ætate huius piæ matr
ingratiſsimi filij hoc in negotio ſe geſsiſſe v
dētur, qui cùm nihil magis, quàm maternū ſ
tirent ſanguinem, omnē potiùs turpē notā v
tæ ſuæ imprimi & inuri ſe dicerent paſſur
eſſe, quàm quòd ſumma crudelitatis iſtius ir
ſignia, & tā inhumana ignominia ac ſemp
terna macula quiſquā eos oneret. Verùm, qu
niam ſanguis iuſtus non clamare de terra a
Deum nō poteſt, dum tā crudelis flagitij tu
pe nomē de ſua fama & vita excutere volū
alio nō minùs crudeli ac turpi ſcelere ſe mac
lant. verā ipſorū parentē, ſuā eſſe matrem n
gant, quò ſimplicibus perſuadeāt, homines
ipſa ſibi malè cōſcij, aduerſum legitimā Chr
ſti ſponſam, piā fideliū matrem, atq; diuinar
diſciplinarum magiſtrā & officinā, nullā
bi pugnam indici, nullā litem moueri, bellu
tandem nullum inferri: ſed contrà eam cole
ſe atque amare publicè dicunt. Quis, quæſo,

ſi de grege Donatiſtarum vnus erat, qui, vt diuus Auguſt. teſtatur, diceret, Totus mun- » dus apoſtatauit, nos tãtùm remanſimus intra » dei eccleſiã? nónne Arrianorũ, Valẽtini, Manichæi ſectis iſta eadẽ inerat arrogãtia? quãobrẽ cũ eccleſiæ catholicæ nomine iſtorũ quilibet ſuã factionẽ ac ſuas partes, aliis cõtẽptis, decorat, verã eccleſiã de adulterio publicè accuſat, atq; certiſſima & exploratiſſima ipſorum parens, quæ genuit, quæ fouit, quæ aluit, quæ bonis artibus & legibus initiò imbuit, à domeſticis inſidiis impeditur, natiuis malis cruciatur, à filiis mater cæditur, à diſcipulis magiſtra corripitur, ab impiis & ſceleratis innocẽs & indamnata emendatur. Si fortè iſtos vrgeas, vt fateri adigas, vel eccleſiã fuiſſe aliquãdiu intermortuam, vel certè cũ ea nunc litẽ eos habere: reſpõdebit cũ primis Caluinus, legitimã quidem eccleſiam perpetuam eſſe immo nullis inimicorũ percuſſionibus poſſe patêre, vtpote quæ inuiſibilis eſt, atque ex electis hominibus, ac iuſtis tantùm conſtat, vt eius membra à ſolo Deo videri poſſint, non ea, quæ ſpecioſa hac ſacerdotum & epiſcoporum ſucceſſione propagata creditur, non quæ Romanæ ſedis primatu poſt Chriſtum nititur, nõ demum quæ conciliorum apparatu fulgere videtur. Si verò externa ſymbola ab iſto quæ-

ras, quibus ſuã nobis eccleſiã dominus deſignauerit: repentè ſincerã verbi diuini prædicationem, atque legitimã tantũmodo ſacramentorum adminiſtrationẽ, notas certiſsimas profert, vnde naſcatur & emergat cõſpicua oculis noſtris eccleſiæ facies: hanc autem noſtram ſexcẽtis nominibus appellat, totidẽ ornat inſignibus & titulis, conuiciisque à maledictis figit. O inteſtinũ, ò domeſticũ, occultũ & natiuum malũ! genitricẽ ſuam lacerãt, & obſequentiſsimi filij haberi à nobis poſtulabũt? parentem in iudiciũ adducũt, & eius cauſam ſe vnicè agere tã diu gloriabuntur? feriunt matrẽ, veteres inimicitias cũ ea renouãt, & vlciſcuntur, ac ſuis oculis ipſam non patêre cauſabuntur? innocentẽ perſequuntur, & cum ea pacem ſe ſeruare iactabũt? verũ ſanè quidem eſt, non diffitemur, non eſt viſibilis, non eam iſti vident, vt obtẽperent, vt vereãtur, vt timeãt, atque imitẽtur: ſed heu quàm ipſam vident, vt lanient, in crucẽ agãt, & tandẽ perdant. Nos itaque pie ac benigne lector, ſi Deo opt. max. gratũ fuerit ſuũ nobis fauorẽ impertiri, toto animo, & ſtudio omni in eam rationem vltro incombemus, vt verã & legitimã eſſe eccleſiã, quã iſti lite ac iudicio perſequũtur, nõ modò oſtendamus, ſed etiã ſatis probatũ tibi offeramus. Multa hîc de eccleſiæ for-

ma,mēbris, certis & veris ipſius notis in medium afferemus,multa de vnitate ipſius,perpetuitate,cōſtantiáq; dicētur,multa de ſacerdotū in ea ſucceſſione attingemus,multa denique de Petri ac Rom.pōt. primatu,auctoritate,atq; magiſterio,referēda curabimus. Neq; quēquam, amantiſſimè obſecro,moueant quorundam hominum rumores, quos exire,atque in vulgus iam , proh ſancte Deus , emanaſſe videmus , alienis nimirum plumis totam noſtram gloriam cōſtare: vt ſi Auguſtino, Hieronymo,Cypriano,& Tertulliano,atque aliis ſua in integrum reſtituantur, vix,ſicut iſti loquuntur , ſeptem illi magni libri ne ad vnius libelli mediocris quidem iuſtam magnitudinē creuiſſent . iſtis itaq; tā iniquis in mortuos atque in nos ſermonib9 , omnes oram9 atq; obteſtamur, vt ipſi ſe opponere velint, ne latiùs exeāt,aut certè ita corrigant , ne nobis noceāt nos ſanè ſemper perlibenter eorū ſermones ac voces vſurpabimus,quorū doctrinā, vitā,fidē,atque cōſtantiā in pace & bello ſemper eſt experta Chriſti eccleſia. Si dignū quidquā bonorum ſuffragiis hîc nos præbuerimus, diuina laus,eccleſiæ gloria, illorū ſanctorū honor ex aliqua parte fuerit : ſin quid offenderimus, nobis totū, Deo verò , aut ſuæ eccleſiæ,aut ſanctis ,aut veritati ipſi nihil offenderimus.

Catholicorum dilemma de eccleſia contra hæreticos proponitur, Caluini reſponſio refertur, quid ſit eccleſia, & de multiplici nominis acceptione agitur: atque miſtos in ea manere bonos & malos vſque ad vltimum iudicij diem ex ſcripturis oſtenditur.

CAP. I.

NOn puto, ex his, quæ ſuperiori libro diximus, cuiquam fore dubium, veræ fidei doctrinam integram & illibatam perſeueraſſe ſemper in eccleſia. quamobrem iure ac merito dilemmate ſatis vehementi noſtri auctores iſtiuſmodi nouos euangelicos vrgere ſolent, vt ſcilicet fateri cogant, vel ipſam eccleſiam bonis temporibus fuiſſe intermortuam, vel nunc cum ea ipſis litem eſſe, contra quam tam importunum bellum moueant. etenim, cùm tot ſæcula, quot ſunt à nobis producta, tot gentes, tot regna, nationes, atque orbis vniuerſus hanc, quam retulimus, fidem ſit profeſſus, certè ſi vera, & euangelica eſt doctrina, quam tenet, ac tam diu ſeruauit, negare non poterunt, contra Chriſti eccleſiam arma eos mouiſſe: ſi tamen commenta fuerunt hominum, quæ, tanquam Chriſti euangelium, mundus totus tam multos annos recepit, non abſque ratione omnino quæſiuiſſe videbimur, ſi percunctati fuerimus, quò vera eccleſia cum legitimo euangelio per id temporis cõceſſerit, vbi latuerit. immo cùm nullus locus noſtro euangelio vacuus fuerit, neceſſe iſti habent dicere, penitus fuiſſe veram eccleſiam extinctam, periiſſe, intermortuámque fuiſſe, donec cum vno Caluino renaſceretur. nã, cùm in multis Lutheranorum eccleſia ab eo accuſetur, non, vt arbitror, dicet. cum Luthero illã reuixiſſe. Verùm, ne videamur in abſentia triumphaſſe de hoſtibus, quid ad hoc Caluinus reſpondeat, iam explicemus. *Dilemmate ſuo nõ adeò vehementer nos premunt, vt fateri adigant, vel eccleſiã fuiſſe aliquandiu intermortuam, vel nunc cum eccleſia nobis litem eſſe:* quid, quòd nobis euidenter ita ſequi, & ex antè dictis expreſſè colligi videtur? *Vixit ſanè Chriſti eccleſia, & viuet, quàm diu Chriſtus regnabit ad dexterã patris, cuius manu ſuſtinetur, cuius præſidio armatur, cuius virtute roboratur. præſtabit enim ille, quod ſemel promiſit, ſe*

Dilemma cõtra iſtos euãgelicos.

Cal. in epiſt.

Matth. 28.

aſfuturum ſuis vſque ad conſummationem ſaculi. aduerſus eam nulla nob is nunc pugna eſt. ſiquidem Deum vnum, & Chriſtum dominum vno conſenſu cum omnium fidelium populo colimus, & adoramus: qualiter ſemper ab omnibus piis adoratus eſt. Sed non parum à vero ipſi aberrant, dum eccleſiam non agnoſcunt, niſi quam præſenti oculo cernant, atque eam iis finibus circumſcribere conantur, quibus minimè incluſa eſt. In his cardinibus noſtra controuerſia vertitur, primùm quod eccleſiæ formam ſemper apparere, & ſpectabilem eſſe contendunt: deinde quòd formam ipſam in ſede Romanæ eccleſiæ, & præſulum ſuorum ordine conſtituunt. nos contra aſſerimus, & eccleſiam, nulla apparente forma, conſtare poſſe, nec formam ipſam externo illo ſplendore: quem ſtultè admirantur, ſed longè alia nota contineri, nempe pura verbi Dei prædicatione, & legitima ſacramentorum adminiſtratione: in his cardinibus, vt video, tota noſtra controuerſia vertitur Caluine. vos ſiquidem bene fatemini eccleſiam perſequi, ſed negatis eam Chriſti eſſe. id ex duobus probatis, tum quòd vera Chriſti eccleſia inuiſibilis ſit: quippe quæ, nulla apparente forma, conſtet, cũ iſta noſtra viſibilis & apparens ſub vno principe Chriſti vicario perſtet, tum quòd ſi qua viſibilis forma veræ eccleſiæ eſſe poſſit, eius notæ iſtæ duæ ſint ſolùm, videlicet, verbi Dei pura prædicatio, ac ſacramentorum adminiſtratio legitima, non præſulum illa à diuo Petro ad nos vſque continuata ſucceſſio. Super his, vtì dixi, & quemadmodum ipſe fateris, rei totius cardo vertitur, ac negotij præſentis ſumma conſiſtit. quare primò de multiplicitate nominis, & de quidditate rei agam, ſecundò de partibus ipſius, tertiò quòd ea viſibili forma conſtet: quartò illa ſigna & notas veræ eccleſiæ, in ſymbolo Conſtantinopolitano expreſſas, Vnam, Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam eccleſiam, iuxta germanam patrum intelligentiam perſequar: quintò eas omnes notas apprimè conuenire cum ea eccleſia, quæ ſub vno Romano paſtore Chriſto ac Deo militat, efficaciſſimis rationibus conſtruam: ſextò ab his inſignibus catholicæ eccleſiæ perquàm longè abeſſe Lutheranorũ eccleſias haud obſcurè probabo: ſeptimò oſtendam veræ eccleſiæ notas,

Status controuerſiæ.

Ordo dicendorum.

non tam conſiſtere in verbi diuini prædicatione, ac ſacramentorum adminiſtratione,quàm in vnius pontificis maximi præſidentia, qui paſcat, qui doceat,qui miniſtret, & qui in partem ſuæ ſolicitudinis alios vocet: nouiſſimè non poſſe iſtos,neque verbũ diuinum candidè prædicare, neque eccleſiaſtica ſacramenta legitimè adminiſtrare, ex ſumma ipſorum confuſione, atque perturbatione conuincam,quatenus ex his omnibus luculenter conſtare queat falſum eſſe, quod hîc Caluinus aſſerit, nullã ſcilicet ſibi eſſe cum Dei eccleſia litem, ſe vnum Deum & Chriſtum dominum vno conſenſu adorare, & colere cum omnium fidelium populo, qualiter ſemper ab omnibus piis adoratus eſt. In quibus omnibus tradendis iſtius inſtitutionem, vt hactenus feci, tãquam regulam meorum finium,ſequar. ſicut enim ſæpius me dicere memini non noua confeſſio nunc à me editur,(extant ſiquidem nobiliſſimorum auctorum ſuper hoc ipſo negotio ſcripta illuſtria & præclara multa) ſed iniquam iſtam inſtitutionẽ,omnia magis,quàm Chriſtianam, funditus perder , cum Dei fauore valde percupio, & laboro.

Eccleſia multipliciter ſumitur. Nec ergo impingamus in ipſo limine, (quod fieret, ſi de re incognita diſputationem ingrederemur) nomẽ ipſum, Eccleſia, quod multiplex eſt,ipſa rei eſſentia nobis eſt perueſtiganda, quò liberius pòſt, ac ſecurius diuagari poſſimus,ipſius notas, qualitates, ac ſigna inuenientes. principiò longè eſt à præſenti conſideratione aliena acceptio illa huius nominis,Eccleſia,pro templo ac loco quo cõuenire ſolent fideles,quamuis ea ſignificatione interdum vſa fuerit ſcriptura diuina. conſiderandum eſt etiam ſæpè in eiſdem libris ſacris ſumi eccleſiam non pro quacunque fidelium congregatione, ſed pro iuſtorum ſolùm,electorum,ac prædeſtinatorũ, qui ab omni labe, etiam leuiſſima, alieni, Deo non fide tantùm, aut religione, ſed caritate & amore coniuncti & copulati ſunt. qualis certè eccleſia, vt dicunt ſancti, in hoc mundo non reperitur, ſed futura ſperatur. hæc eſt illa triumphans eccleſia ſine macula & ruga, gloria coronata, ſponſi ſui amplexibus caſtis iam fruens feliciſſimè. de hac conſideratione, ſiue de ſpeciali eccleſia

Vide Aug. lib. de nup. & concup. 1. c. 34. & li. 5.

ſia iuſtorum, antiqui patres locum illum Pauli ad Epheſios quinto, Vt exhiberet ſibi eccleſiam ſine macula & ruga concordiſſimè interpretati ſunt, Hieronymus, Auguſtinus, ſanctus Patianus epiſcopus Barchinonenſis in libro contra Donatiſtas, diuus Methodius in ſympoſio decem virginum, Chryſoſtomus in Paulum, Theophilactus, Theodoritus, Occumenius, & plures alij. quamuis optimè ſciam placuiſſe etiam nonnullis, ad militantem etiam eccleſiam eiuſmodi elogium iuſtorum gratia trahere nō quòd ſoli iuſti electi, aut prædeſtinati membra ſint tantùm eccleſiæ, ſed quòd vniuerſaliter ei dicamus cōuenire, quod non niſi in membris viuis, & perfectis habet. quidquid porrò ſic, inſtituto noſtro parum refert, ſi vel alteram interpretationum, vel certè vtrámque complectamur, aut cum Rufino in expoſitione ſymboli hoc totum non in vitæ iuſtitiam, ſed in doctrinæ ac dogmatum ſplendorem conferamus, modò omnes confiteamur vniuerſam fideliū congregationem, qui fide vera Deo vniti ſunt, & Chriſto capiti accommodati in vnam legem religionis cultum, ſacramenta, ſpem demum beatitudinis, eccleſiam verè eſſe, ac dici: vbi iuſti numero & merito continentur, peccatores verò numero tantùm, non meritò. Quapropter à nemine in dubium reuocari iure poterit, peccatores omnes, qui fidem integram cuſtodiunt, nequàm tamen viuunt, membra eſſe huius militantis eccleſiæ, immo præſcitos, & quos in æternam mortem præuidit Deus ituros. fuit enim iam olim quorundam error (cuius auctorem quendam Donatum fuiſſe, cui hæſit Rogatus, ſanctus Auguſtinus in libro de hæreſibus cap. 48. refert) aſſerentium reprobos & peccatores ad eccleſiam non pertinere. in medium proponunt Chriſti eccleſiam ſanctam eſſe. verùm, vt ſimul intelligant ex bonis & malis eſſe permiſtam, illā ex Chriſti ore parabolam audiant, in qua reti comparatur, quo vniuerſum piſcium genus colliguntur, nec ſeliguntur, donec in litore ſint expoſiti. audiant agri eſſe ſimilem, qui bona fruge conſitus, zizaniis inimici fraude inficitur, quibus non expurgatur, donec in aream aducta fuerit meſſis: audiant denique aream eſſe, in qua ſic

de tract. ca. 19. & in ep. ad Dard. & ad Bonifac. & 1. lib. retract. cap. 7.

Eccleſia ſpecialis iuſtorum.

Fideles peccatores ad eccleſiam pertinere.

Matth. 13.

Ibidem.

Matth. 3.

collectum eſt triticum, vt ſub palea deliteſcat, donec vãno & cribro repurgatum in horreum tandem reconditur. quòd ſi hoc malo ad diem vſque iudicij laboraturam eccleſiã dominus pronuntiat, vt improborũ permiſtione oneretur, fruſtra nullo næuo inſperſã quęrũt.

Verùm rem intolerabilem eſſe nõnulli iſtorum clamant, quòd vitiorum peſtis ita paſſim graſſatur. quid ſi apoſtoli ſentẽtia hîc quoq; occurrit? inter Corinthios non pauci errauerant, ſed totum propè corpus labes occuparat, non vna erat peccati ſpecies, ſed plurimæ, neque leuia erant errata, ſed horrenda quædam flagitia. quid hic ſanctus apoſtolus? hoc eſt, cæleſtis ſpiritus organum, cuius teſtimonio ſtat & cadit eccleſia? an diuiſionem ab illis quærit? an eos à Chriſti regno abdicat? an vltimo anathematis fulmine ferit? non modò nihil horum agit, ſed eccleſiam Chriſti ſanctorúmque ſocietatem & agnoſcit, & prædicat. ſi Corinthij illi manent in eccleſia, vbi feruent contentiones, ſectæ, æmulationes, vbi lites vigent & iurgia, cum habendi cupiditate, vbi palàm approbatur ſcelus, quod gentibus ipſis foret execrabile, vbi petulanter proſcinditur Pauli nomen, quem, ceu patrem, colere debuerãt, vbi Dei gratiæ ambitioni, non caritati ſeruiunt, vbi permulta indecenter & inordinatè geruntur: quis audeat eccleſiæ titulum eripere ob quorundam ſcelera? qui tanta moroſitate ſæuiunt in pręſentem eccleſiam, quid, quæſo, Galatis feciſſent tantùm non euangelij deſertoribus, quos tamẽ idem apoſtolus de eccleſia eſſe dicebat, fidelêſq; nominabat? Obiiciunt etiam, quòd Paulus grauiter Corinthios obiurgat, quia flagitioſum hominem in ſuo contubernio ferant: deinde generalem ſententiam ponit, qua nefas eſſe pronuntiat cum homine probroſæ vitæ vel panem comedere. Hîc exclamant, Si vulgarem panem comedere non licet, panem domini comedere quî liceat? fateor certè magnum probrũ eſſe, ſi inter filios Dei locum habeant porci & canes: multò etiam maiùs ſi illis proſtituatur ſacroſanctum Chriſti corpus. non equidem nego, quin pij hominis ſit ab omni priuata improborum conſuetudine ſe ſubducere, nulla ſe voluntaria cum ipſis neceſſitudine implicare: ſed aliud eſt

Eccleſiæ nomen ob ſcelera quorundã non eripitur.

1. Cor. 1. 3. 5. 6. 9. 15.

In principio epiſt.

1. Cor. 5.

malorum fugere contubernium, aliud, ipſorum odio, eccleſię communionem renuntiare. Quòd autem ſacrilegium eſſe putant participare cum illis panem domini, in eo rigidiores multò ſunt, quàm Paulus. nam, cùm ad ſanctam & puram participationem nos hortatur, nõ exigit, vt vnus alium examinet, aut vnuſquiſque totã eccleſiã: ſed vt ſinguli ſe probẽt. Si cum indigno cõmunicare nefas eſſet, iuberet certè Paulus nos circũſpi- *1. Cor. 11.*
cere, annõ aliquis in multitudine eſſet, cuius immũditia pollueremur. nunc, cùm probationem ſuiipſorum ſolùm à ſingulis requirit, oſtendit minimè nobis obeſſe, ſi qui indigni ſe nobiſcum ingerant. nec aliò ſpectat, quod poſtea ſubiicit, Qui indignè manducat, iudicium *Ibidem.*
ſibi manducat & bibit. non dicit aliis, ſed ſibi & merito: neque enim in ſingulorum arbitrio ſitum eſſe debet, qui recipiendi & qui repellendi ſint. totius eccleſiæ hæc cognitio eſt, quę exerceri ſine legitimo ordine nõ poteſt. Iniquum ergo erit priuatũ aliquem alterius indignitate pollui, quẽ arcere ab acceſſu nec poteſt, nec debet. Vltrà etiam progreditur eorum moroſitas & faſtus: quia eccleſiam non agnoſcunt, niſi minimis quibuſque næuis puram, immo probis doctoribus ſuccenſent: quia fideles ad profectum hortando, tota vita ſub vitiorum onere gemere doceant, & ad veniam confugere. hoc enim modo iactant à perfectione abduci. Fateor quidem in vrgenda perfectione non lentè vel frigidè laborandum, ac multò minùs ceſſandum eſſe: ſed eius fiducia, dum adhuc in curſu ſumus, imbuere animos, diabolicum eſſe commentum dico. itaque in ſymbolo eccleſiæ peccatorum remiſſio appoſitè ſubnectitur. hanc enim non cõſequuntur niſi ſoli fideles eccleſię domeſtici, quemadmodum legitur apud prophetam. Præcedere ergo debet ædificatio cęleſtis Ieruſa- *Eſaiæ 33.*
lem, in qua deinde indulgentia hæc Dei locum habeat, vt quicunque ad eam conceſſerint, eorum deleatur iniquitas. dico autem ædificari primùm oportere, non quòd eccleſia ſine peccatorum remiſſione vlla eſſe queat: ſed quia miſericordiam ſuam dominus non promiſit, niſi in ſanctorum communione. Eſt ergo primus nobis in eccleſiam ac regnum Dei ingreſſus, peccatorũ

remiſſio: ſine qua nihil eſt nobis cum Deo fœderis, aut coniunctionis. ſic enim per prophetam loquitur, In illa die percutiam vobis fœdus cum beſtia agri, cum volucre cæli, & reptili terrę. Arcum, gladium & bellum conteram de terra, & dormire faciam homines abſque terrore. Deſponſabo vos mihi in ſempiternum. Deſponſabo, inquam, in iuſtitia, in iudicio, in miſericordia, & miſerationibus. Videmus, qualiter per ſuam miſericordiam nos ſibi dominus recōciliet. ſic & alibi, dum prędicit recolligendum populum, quem in ira diſſipauerat, Mundabo, inquit eos ab omni iniquitate, qua peccarūt mihi. quare in eccleſię ſocietatem ablutionis ſigno initiamur, quo doceamur nō patere nobis in Dei gloriam aditū, niſi primū eius bonitate ſordes noſtræ abſtergātur. Neque verò per peccatorum remiſſionem nos in ſuam gratiam modò ſemel recipit, & coaptat dominus, ſed per eandem nos in ipſa conſeruat, ac tuetur, quorſum enim attineret, veniam nobis fieri, quæ nulli vſui futura eſſet? irritam autē & deluſoriā fore domini miſericordiam, ſi ſemel duntaxat obtingeret, vnuſquiſque piorum ſibi teſtis eſt: quia nemo non ſibi conſcius eſt per totam vitam multarum infirmitatum, quæ Dei miſericordia indigent. & ſanè non fruſtra ſuis domeſticis peculiariter hanc gratiam Deus promittit, nec fruſtra quotidie eundem reconciliationis nuntium illis deferri iubet. itaque vt per totam vitam peccati reliquias circumferimus, niſi aſſidua in remittendis delictis domini gratia ſuſtentemur, momentum vnum in iuſtitia vix perſiſtemus. Ad hoc bonum nobis impartiendum claues eccleſiæ datæ ſunt. non enim, cùm apoſtolis mandatum dedit Chriſtus, & poteſtatem contulit remittēdi peccata, hoc tantùm voluit, vt eos ſoluerent à peccatis, qui ab impietate ad Chriſti fidem conuerterentur: ſed magis, vt hoc officio fungerentur perpetuò inter fideles. Tria igitur hîc nobis obſeruanda ſunt. primùm, quantalibet ſanctitate polleat eccleſia, hac tamen conditione ſemper eſſe, quàm diu in mortali corpore habitant ſui filij, vt peccatorum remiſſione ſemper indigeant fideles coram Deo. deinde, hoc beneficium ſic eſſe eccleſię proprium, vt non aliter eo fruamur, quàm

Oſea. 2.

Iere. 33.

Fructus pœnitentiæ remiſſionis peccatorum.

Matt. 16. 18
Ioan. 20.

ſi permanemus in illius communione. tertiò, per eccleſiæ miniſtros, ſacerdotes ſcilicet & epiſcopos, nobis diſpenſari, atque hac in parte maximè eminere clauium poteſtatem, quam dominus pro fidelium vtilitate contulit. proinde vnuſquiſque noſtrum hoc officij ſui eſſe cogitet, non alibi quærere remiſſionem peccatorum, quàm vbi dominus eam poſuit.

Quoniam autem phrenetici illi, quos dixi, ſpiritus hanc vnicam ſalutis anchoram eripere eccleſiæ conantur. aduerſus tam peſtilentẽ opinionem fortiùs roborandæ ſunt conſcientiæ. Nouatiani olim iſto dogmate eccleſias exagitarunt: ſed Nouatianis non multum diſſimiles noſtrum quoque ſæculum habet quoſdã ex Lutheranis & Anabaptiſtis, qui ad eadem deliramenta relabuntur. fingunt enim regenerari Dei populum in baptiſmo in puram & angelicam vitam, quæ nullis carnis ſordibus vitietur. quòd ſi poſt baptiſma quis delinquat, nihil præter inexorabile Dei iudicium illi relinquunt. Breuiter, peccatori poſt acceptam gratiam lapſo ſpẽ veniæ nullam faciunt: quia non aliam agnoſcunt peccatorum remiſſionem, niſi qua primùm regenerantur. etſi autem mẽdaciũ nullũ à ſcriptura clariùs refutatur: quia tamen reperiunt iſti, quibus imponãt (quemadmodum & Nouatus olim plurimos habuit ſectatores) breuiter oſtendamus, quantopere in ſuã aliorúmque perniciem inſaniat. Principiò, cùm domini iuſſu quotidie ſancti repetant hanc precem, Remitte nobis debita noſtra, ſe nimirum debitores cõfitentur. neque fruſtra petunt: quia dominus non aliud vbique petendum præſcripſit, quàm quod ipſe daturus eſſet. immo cùm totam orationem exauditum iri à patre ſit teſtatus, hanc tamen abſolutionem peculiari etiamnum promiſſione obſignauit. Quid vltra volumus? peccatorum confeſſionem à ſanctis, & eam quidem aſſiduam, tota vita requirit dominus, & veniam pollicetur. quæ audacia eſt à peccato illos eximere, aut, ſi impegerint, à gratia prorſus excludere? iam quibus vult nos condonare ſeptuageſies ſepties? annon fratribus? quorſum præcepit, niſi vt ſuã clementiam imitemur? condonat igitur non ſemel aut bis, ſed quoties delictorum agnitione conſter-

Matth. 6.

Matth. 18.

nati, ad eum ſuſpirant. Atque (vt ab ipſis pæuè incunabulis eccleſiæ ordiamur) patriarchæ circūciſi erant, in
Gen.37. fœderis participationem allecti, edocti haud dubiè patris diligentia iuſtitiam & integritatem, cùm in fratri-
Ibidem. cidium conſpirarūt. ſcelus erat vel perditiſſimis latroni-
Ibidem. 34. bus execrandum. tandem manſuefacti Iudæ monitio-
Ibidem.55. nibus, vendiderunt. hæc etiā intolerabilis fuit imma-
Ibidem.38. nitas. Simeon & Leui, nefaria vltione, & patris quoque iudicio damnata, in Sichimitas ſæuierunt. Ruben cubile paternum ſpurciſſima libidine contaminauit. Iudas, dum ſcortationi vult indulgere præter naturæ legem, ad nurum ingreditur. atqui tantum abeſt, quin expun-
2.Sam.11. gantur è populo electo, vt potiùs in capita erigantur.
& cap.15. Quid porrò Dauid? cùm præſes eſſet iuſtitię, quanto cū flagitio per innocentis ſanguinis effuſionem, viam cæcæ libidini patefecit? iā regeneratus erat, ac inter regeneratos inſignibus elogiis domini ornatus, quod tamen vel inter gentes horribile eſt flagitium, perpetrauit: ac
Ibidem.12. veniam tandē eſt conſecutus. Et (ne ſingularibus exēplis immoremur) quot in lege & prophetis erga Iſraelitas extant diuine miſericordiæ promiſſiones, toties cōprobatur dominus ſe placabilē exhibere populi ſui offenſis. quid enim Moſes promittit fore, vbi populus, in apoſtaſiam prolapſus, redierit ad dominum? Reducet te
Deut.30. Deus è captiuitate, & miſerebitur tui, & cōgregabit te ex populis, ad quos fueris diſperſus. ſi ad cardines cæli fueris diſſipatus, inde ego te recolligam. Sed nolo enumerationē inchoare, quæ nūquam finienda eſſet. pleni enim ſunt prophetæ eiuſmodi promiſſionibus, quæ populo, infinitis ſceleribus cooperto, miſericordiā tamē offerāt. quod grauius eſt flagitium rebellione? diuortiū enim inter Deum & eccleſiā vocatur. at hoc Dei boni-
Ierem.3. tate ſuperatur. Quis eſt vir, inquit per Ieremiā, cuius ſi vxor corpus ſuum adulteris proſtituerit, cum ea redire in gratiā ſuſtineat? tuis autē ſcortationibus omnes viæ pollutę ſunt Iuda, repleta fuit terra fœdis amorib⁹ tuis. reuertere tamen ad me, & ego te ſuſcipiam. reuertere auerſatrix, nō auertam à te faciem meam: quia ſanctus ſum, & non iraſcor in perpetuum. Et ſanè non alius
Ezech.18. eſſe affectus eius poteſt, qui affirmat ſe nolle mortem

peccatoris,ſed magis vt conuertatur,& viuat,ideo cùm templum Salomon dedicaret,in hunc quoque vſum deſtinabat, vt orationes pro impetranda peccatorum venia factæ inde exaudirentur. Si peccauerint,dicebat,tibi filij tui,(non eſt enim homo,qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis ſuis,& egerint pœnitentiam in corde ſuo,& conuerſi deprecati te fuerint in captiuitate ſua,dicentes,Peccauimus,iniquè egimus:& orauerint verſus terrã, quam dediſti patribus eorum, & verſus templum hoc ſanctum: exaudies in cælo preces eorum, & propitiaberis populo tuo, qui peccauit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum,quibus præuaricati ſunt in te. Nec fruſtra in lege,quotidiana pro peccatis ſacrificia dominus ordinauit, niſi enim aſſiduis peccatorum morbis populum ſuum laborare dominus præuidiſſet, nunquam illi conſtituiſſet hæc remedia. An aduentu Chriſti,quo plenitudo gratiæ exerta fuit,hoc ademptũ eſt fidelibus beneficium, ne pro delictorum venia audeant ſupplicare?ne,ſi dominum offenderint,vllam miſericordiam conſequantur? quid hoc erit aliud, quàm Chriſtum dicere in ſuorum perniciem veniſſe, non ſalutem,ſi quæ in veteri teſtamento aſſiduè ſanctis parata erat Dei indulgentia in peccatis condonandis, nunc è medio ſublata dicitur? Quòd ſi ſcripturis fidem habemus diſertè clamantibus,in Chriſto demum gratiam & humanitatem domini ad plenũ apparuiſſe, effuſam miſericordię opulentiam,reconciliationem Dei & hominum adimpletam:ne dubitemus,quin multò benignior nobis clementia cæleſtis patris exuberet potiùs, quàm abſciſſa, aut decurtata fuerit. Neque verò deſunt illius documenta. Petrus,qui audierat abnegatum iri coram angelis Dei, qui apud homines nomen Chriſti non eſſet confeſſus,ter vna nocte,nec ſine execratione,abnegauit:non tamẽ à venia depellitur. qui inordinatè viuebant apud Theſſalonicenſes,ſic caſtigãtur,vt inuitentur ad pœnitentiã. ne ipſi quidem Simoni mago deſperatio iniicitur,quin potius iubetur bene ſperare,cùm ad preces cõfugere ſuadet illi Petrus. Quid, quòd totas interdũ eccleſias grauiſſima peccata occuparunt,à quibus tamen eas Paulus clemẽter potiùs extricauit, quàm earũ

1. Reg. 8.
Num. 28.
Tit. 1. & 3.
2. Tim. 1.
Matth. 10.
Mat. 6. 26.
2. Theſſ. 3.
Act. 8.
Gal. 1. 3. 4.

capita deuoueret? Galatarum defectio non mediocre erat delictum, Corinthij eò minùs illis erãt excuſabiles, quòd pluribus, neque leuioribus flagitiis abundabant:
1.Cor.12. neutri tamen à miſericordia domini excludũtur. immo illi ipſi, qui præ aliis immunditia, fornicatione & impudicitia deliquerant, nominatim inuitantur ad pœnitentiam. manet enim, ęternúmque manebit inuiolabile pactum domini, quod ſolenniter cum Chriſto vero Salomone, eiúſque membris ſanciuit his verbis, Si dereli-
Pſal.89. querint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, ſi iuſtitias meas profanarint, mãdata mea non cuſtodierint: viſitabo in virga iniquitates eorum, in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meam non auferam ab eo. Denique ipſa ſymboli diſpoſitione admonemur perpetuã reſidere in eccleſia Chriſti delictorum gratiam: quòd eccleſia, velut conſtituta remiſſio peccatorum, adhuc ſubiungitur. Quidam aliquantò prudentiores, vbi vident tanta ſcripturę perſpicuitate Nouati dogma refutari, non quodlibet delictũ irremiſſibile faciunt, ſed voluntariam legis tranſgreſſionem, in quam ſciens quis ac volens impegerit. porrò ſic loquentes peccatum nullum venia dignantur, niſi ſi-
Leuit.4. cubi aberratum ignorãtia fuerit. verùm, cùm dominus in lege, alia pro expiãdis fidelium voluntariis peccatis, alia pro ignorantiis redimendis mandarit offerri ſacrificia, quantæ eſt improbitatis, voluntario peccato nullũ cõcedere piaculum? dico nihil eſſe apertius, quàm Chriſti meritum valere ad remittenda fidelium voluntaria peccata, quando dominus carnalibus hoſtiis, veluti ſignaculis, id teſtatum fecit. deinde quis ab ignorantia Dauidem excuſet, quem tantopere conſtat fuiſſe in lege eruditum? an neſciebat Dauid, quantum foret adulterij & homicidij crimen, qui quotidie ipſum in aliis puniebat? an fratricidium res legitima patriarchis videbatur? an ita malè profecerant Corinthij, vt laſciuiam, impuritatem, ſcortationem, odia, contentiones placere Deo putarent? an Petrus, tã diligenter admonitus, ignorabat, quanti eſſet magiſtrum eiurare? Ergo Dei miſericordiæ, tam benignè ſe exerenti, vitam noſtra malignitate ne præcludamus.

Improbos non tãtùm bonis eſſe hîc permiſtos in eccleſia, quàm diu viuunt, ſeu eccleſiam ob quorundam ſcelera non perire, verùm etiam ipſos peccatores, modò fidem veram profiteantur, actu & numero, quamuis non merito, membra eſſe huius eccleſiæ, contra Caluinum probatur.

Caput II.

HÆc omnia, quæ de eccleſia diximus, facilè ac liberè contra Donatiſtas, Nouatianos, Anabaptiſtas, & multos Lutheranos nobis concedit Caluinus. nondum enim attigimus peculiarem huius noſtrę cauſę inter nos & ipſum ſtatum. fatetur enim iſte primùm omnia hæc liberè & ſimul, videlicet exiguum numerum & contemptibilem, latêre ſub ingenti turba, & grana tritici pauca tegi paleę congerie: deinde quòd hîc non iubemur reprobos ab electis diſcernere: (eſt enim id Dei ſolius, non noſtrum) deinde ambitioſos plurimos auaros, inuidos, maledicos, impurioris vitę homines in hac eſſe permiſtos docet: deinde ſanctam eſſe, vt multis vitiis laboret, nec tamen deſinere eſſe eccleſiam ſcripturę teſtimoniis multis contra Anabaptiſtas, & ſæculorum omnium experientia oſtendit, immo ſanctitatem eccleſiæ nondum eſſe perfectam perſpicuis verbis & multis proſequitur: poſtremò etiam vbicunque illa ſua duo ſigna, nempe prædicationem ſinceram verbi, & puram ſacramẽtorum adminiſtrationem, reperiri contingat, ibi veram eſſe eccleſiam non dubitat affirmare, à qua ſocietate nullam deceſſionem ſimus facturi, etſi vitæ imperfectio, & morum corruptela obrepſerit. iſta ergo omnia non diffitetur Caluinus, ſed magis vehementer iraſcitur his, qui, quoniam eccleſiam eſſe non putãt, vbi non eſt ſolida vitæ puritas & integritas, ſcelerum ſimulato odio à legitima eccleſia diſcedunt, dum à factione improborum declinare ſe fingunt. Quid igitur, dices lector, illud eſt, quod contra catholicam eccleſiam homo iſte docet, poſtquam hactenus non omnino perperam videri poſſet locutus? apertè & ingenuè confitebor: errat Caluinus, & maximè errat neque omnino à Donati, Rogati, Catharorũ, Circumcillionum, Montenſiúmque tramite deflexit. non enim ſatis eſt dicere, in eccleſia bonis adiungi reprobos, (quod facit Caluinus) niſi

Diſsidium inter Caluin. & nos.

etiam addamus peccatores omnes, qui integram fidem habent, non intra eccleſiã tantùm contineri, atque exiſtere permitti, ſed membra illius eſſe, non merito, ſed fide, non caritate, ſed numero, nõ in eccleſia eſſe ſolùm, ſed de eccleſia. quod Caluinus negat, fidem ſine caritate eſſe non poſſe fingens, & fundamẽtum membrorum eccleſiæ arcanam electionem, diuinámque prædeſtinationem ſimul cum ſpirituali iuſtitia eſſe exiſtimans. quamobrem probandum nobis eſt, id non minùs ſcripturis ac ſanctis contradicere, quàm illud, quod tot argumentis idem ipſe Caluinus erroris ac falſitatis paulò antè conuicerat. Sicut itaque nomen eccleſiæ quorundam ſcelera non adimunt, ſic profectò neminem ab ea præſcindũt, quem hæreſis, aut apoſtaſia ab vnitate fidei non ſeparẽt. An id eiſdem viis difficile probatu fore lector arbitraris? annón Auguſtinus cõtra Vincentium & Fulgentium Donatiſtas, & contra Petiliani epiſtolam hãc rem, quòd ſcilicet peccatores fideles in eccleſia perſeuerent, atque ipſius ſint membra, optimè probat? Parabolæ ſagenæ, Decem virginũ, Areæ, Agri bono ſemine conſiti, diui Pauli tota epiſtola ad Corinthios prior, Auguſtini verba, quæ contra Parmenidem dicta nos ſuprà retulimus, Cypriani ſimiliter teſtimonium, Eſaiæ, Oſeæ, Ieremiæ, Matthæi, Ioannis, Actorúmque loci illi omnes, inſuper vniuerſa illa iam à nobis enumerata de filiorum Iacob in fratricidium cõſpiratione, de Simeone & Leui, de Ruben, de Dauid, de multis denique fidelibus peccatoribus, iſtã hęreſim non minùs, quàm priorem illam conuellunt, atque euertunt. piſces ſiquidem mali intra rete ac de ipſo erant, virgines item ſtultè de numero illo fuiſſe referuntur, ſicut palea de area, zizania de agro, fideles omnes Chriſti corporis membra à Paulo indiſcriminatè appellãtur, peccatores eccleſiaſticis beneficiis gaudent, dum corriguntur, ad pœnitentiã excitantur, eundémque fidei ſpiritum, quamuis non caritatis quàm diu peccatores ſunt, cum iuſtis retinent. quibus niſi fidelibus & eccleſiæ veris membris peccata remittuntur? quid plura? eſſe de eccleſia, & manere intra eccleſiam antiquis patribus idem prorſus erat. nullũ porrò diſſidiũ inter hæc duo agnouit Auguſtinus, nul-

Peccatores membra ſunt eccleſiæ.
Matth. 13.
Matth. 25.
Matth. 3.

lum Chryſoſtomus, Bernardus, Gregorius papa, Clemēs Romanus, quorum ſententias ſummo verborum ac veritatis diuinæ ſplēdore fulgentes multi præclari auctores in ſuos codices contra noſtri ſæculi nouos prophetas magna cum diligentia tranſtulerunt: vt mihi opus fore non videatur, pluribus ſanctorum teſtimoniis hāc noſtram veritatem catholicam quidem certè aſtruere. vnum tamen auctorem antiquitate, literarū diuinarum cognitione, fidei integritate, vitæ ſanctimonia clariſſimum obliuiſci non poſſum, diuum videlicet Irenæum Lugdunenſem epiſcopum, libro primo aduerſus Valentini, & ſimilium hæreſes, ſecundo, tertio, ac quarto capite. is nāque auctor de vniuerſali hac eccleſia, quæ bonis & malis, iuſtis ac reprobis conſtat, atque de ſeparatione, quæ in vltimi iudicij die futura eſt, multa & ea præclara dicit. Verùm ipſius verba referre non grauabor, poſtquam inſtituto noſtro, atque his temporibus ea omnia maximè accommodari poſſe, qui neget, arbitror fore neminem. capite igitur ſecundo ſic habet. *Irenæi verba de eccleſia.*

Eccleſia per vniuerſum orbem vſq; ad fines terræ ſeminata, & ab apoſtolis, & à diſcipulis eorū accepit eam fidem, quæ eſt in vnum Deum, patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, & in vnum Ieſum Chriſtum, filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute, & in ſpiritum ſanctum, qui per prophetas prædicauit diſpoſitiones Dei, & aduentum, & eam, quę eſt ex virgine, generationem, & paſſionem, & reſurrectionem à mortuis, & in carnem, in cælos aſcenſionem dilecti Ieſu Chriſti domini noſtri, & de cælis in gloria patris aduentum eius, ad recapitulanda vniuerſa & reſuſcitandam omnem carnem humani generis: vt Chriſto Ieſu domino noſtro, & Deo, & ſaluatori, & regi, ſecundum placitum patris inuiſibilis omne genu curuetur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & iudicium iuſtum in omnibus faciat. ſpiritalia quidem nequitiæ, & angelos tranſgreſſos, atque apoſtatas factos, & impios, & iniuſtos, & iniquos, & blaſphemos homines in æternum ignem mittat. iuſtis autem, & æquis, & præcepta eius ſeruantibus, & in dilectione eius perſeuerantibus,

quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex pœnitentia, vitam donans, in corruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circundet. Tertio verò capite ſic.

Hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, eccleſia, & quidem in vniuerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans, & ſimiliter credit iis, videlicet quaſi vnam animam habens & vnum cor, & conſonanter hæc prædicat & docet, & tradit, quaſi vnum poſſidés os. nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt, & neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ, eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ, quæ in Iberis ſunt, nequæ hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neq; hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Libya, neq; hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut Sol creaturæ Dei in vniuerſo mundo vnus & idem eſt, ſic & lumé prędicatio veritatis, vbiq; lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitioně veritatis venire. & neque qui valde præualet in ſermone, ex iis, qui præſunt eccleſiis, alia, quàm hęc ſunt, dicet. nemo enim ſuper magiſtrum eſt, neque infimus in dicendo deminorauit traditionem. cùm enim vna & eadem fides ſit, neq; is, qui multum de ea poteſt dicere amplius, neque is, qui minus deminorat. Tandem quarto ſic.

Plus autem, aut minùs ſecundum prudentiam noſſe quoſdam intelligentiam, non in eo, quod argumentum mutetur, efficitur, & alius Deus excogitetur, præter fabricatorem & factorem, & nutritorem huius vniuerſitatis, quaſi nō ipſe ſufficiat nobis, aut alius Chriſtus, aut alius monogenes, ſed in eo, quod omnia, quæ in parabolis dicta ſunt, exquirere, & adiungere veritatis argumento, & in eo, vt inſtrumentum & diſpoſitionem Dei in genere humano factam enarret. Et quoniam magnanimus extitit Deus, & in tranſgreſſorum angelorum apoſtaſia, & in obedientia hominum, ediſſerere, & quare alia quidem temporalia, alia verò æterna, & quædam cæleſtia, quædam terrena vnus & idem fecit annuntiare, & quare cum inuiſibilis apparuit prophetis

Dei,non in vna forma, ſed aliis aliter adeſſe, & quare teſtamenta multa tradita humano generi, annuntiare, & quis ſit vnuſquiſque teſtamentorum character, docere,& quare concluſit omnia,in incredulitatem Deus, vt vniuerſis miſereatur,exquirere,& quareverbum Dei caro factum eſt, & paſſus eſt, gratias agere, & quare in nouiſſimus temporibus aduentus filij Dei,hoc eſt,in fine apparuerit,& non in initio,annuntiare,& de fine & de futuris,quæcunque poſita ſunt in ſcripturis reuoluere, & quare deſperatas gentes cohæredes & corporatas & participes ſanctorum fecit Deus, non tacere quemadmodum mortalis hæc caro induet immortalitatem, & corruptibile incorruptelam,annuntiare, & quemadmodum factus eſt,qui non erat populus,populus,& nõ dilecta,dilecta, & quemadmodum plures filij eius, quæ deſerta eſt,magis, quàm eius, quæ habet virum præconiare: in talibus enim,& ſimilibus exclamauit apoſtolus. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & agnitionis Dei, quàm inſcrutabilia iudicia eius,& inueſtigabiles viæ eius! Sed non in eo,vt ſupra creatorem & fabricatorem, & illorum enthymeſin æonis errantis adinuenires, & ad tantam peruenire blaſphemiam, neque in eo,quod eſt ſuper hanc rurſus pleroma,aliquando quidem 30.aliquãdo verò innumerabiles multitudines æonum mẽtiri. quemadmodum dicunt hi, qui verè ſunt deſerti à diuina ſententia magiſtri,cùm ea, quæ eſt eccleſia vniuerſa,vnam & eandem fidem habeant in vniuerſo mũdo, quemadmodum prædiximus. Hactenus Irenæus. Vides eccleſiam per vniuerſum orbem ad fines terræ ſeminatam, cuius membra fidei vnitate ſimul cohæreant: vides,iniquos & impios membra eſſe eius communitatis,quę fide conſtat,donec in ignem mittantur: vides veram creatoris & redemptoris fidem acceptam qui retinent,filios eſſe eius eccleſię,quæ per vniuerſum mundum diſſeminata,eam fidem perpetuò retinet,quã per Chriſtum & apoſtolos ſemel accepit: vides omniũ fidelium, qui eandem fidem profitentur, vnicum eſſe os,vnicum ſermonem,vnicam linguam: ecce vnitatem, ecce coagmentationem, ecce eccleſiam: vides in Germania, in Iberis, in Celtis, in Oriente, in Occidente,

demum vbique vnam, non plures nominari eccleſiam noſtram, quòd nō aliter omnes credant, nec aliter tradant: vides vnam eſſe omnium eccleſiam, cuius vna & eadem ſit fides: vides denique tot membra ipſam habere in vniuerſo mundo, quot ſuam ipſius fidem vnam & eandem fideles fuerint amplexati, fide vniti, caritate viuificati, ſpe radicati. Verùm hæc adhuc latiùs in ſequētibus euoluentur. vanum ſiquidem commentum eſt, fateri peccatores in eccleſia eſſe, & intra ipſam vſque ad iudicij diem manere, negare tamen eius eccleſię membra eſſe, cum ipſius legibus viuere teneantur, ipſius ſacramenta participent, fidem profiteantur, atque eadem peccatorum remiſſione omnes gaudeant. lege ſtudioſe lector, quæ diuus Auguſtinus epiſtola 162. habet, certò comperies hoc ipſo errore laboraſſe Donatiſtas, quo & nunc Caluinus tenetur. cōſidera ſcripturæ teſtimonia, quæ ab Auguſtino ibidem citantur, expende eiuſdem auctoris ſingula verba, & ſatis agnoſces Caluinum Donati partes ſuſcepiſſe, qui & eiſdem ſcripturis expugnari à nobis poteſt.

Eccleſiam viſibilem eſſe, ipſius etiam membra eſſe viſibilia, atque apparente forma conſtare, neque minora incōuenientia ſequi ex Caluini ſententia, quàm ex nuper recenſita hæreſi, apertiſſimè demonſtratur.

Cap. III.

Cal. inſt. lib. 4. cap. 1. ENimuero de eccleſia viſibili, & quæ ſub cognitionē noſtram cadit, quale iudicium faciat Caluinus, ex ſuperioribus iam liquere exiſtimamus. dictum enim fuit bifariam de eccleſia ipſum loqui. interdum cùm eccleſiam nominat, eam intelligit, quæ coram Deo eſt, in quam nulli, vt inquit, recipiūtur, niſi qui & adoptionis gratia filij Dei ſunt, & ſpiritus ſanctificatione, vera, vt ipſe loquitur, Chriſti membra. de priori eccleſia, quę ſola apud Deum eccleſiæ nomen, iuxta Caluini aſſertum, retinet, idem ipſe dicebat, exiguum certè numerum & contemptibilem latêre ſub ingenti turba, & *Eccleſia inuiſibilis.* grana tritici pauca tegi paleæ congerie. iſtius eccleſiæ cognitionem, cuius fundamentum ſit arcana & æterna electio, ſoli Deo permittendam eſſe arbitratur. nec verò ſatis eſſe cenſet electorum turbam cogitatione, ani-

móque complecti, niſi talem eccleſię vnitatem cogitemus, in quam nos eſſe inſitos verè ſimus perſuaſi. quin iſtius eccleſiæ membra omnia ſic eſſe connexa in Chriſto, vt quemadmodum ab vno capite pendent, ita in vnum velut corpus coaleſcant, ea inter ſe cōpage cohærentia, qua eiuſdem corporis membra: vbi verè vnum fideles fiunt, qui vna fide, ſpe, caritate, eodem Dei ſpiritu ſimul viuunt, non in eandem modò vitæ æternæ hęreditatem, ſed in vnius Dei ac Chriſti participationem etiam vocati. hac enim lege dicit nos credere eccleſiam corā Deo eſſe, vt certò perſuaſi ſimus nos eſſe eius mēbra. hanc ſtructuram Dei electione, atq; æterna ipſius prouidētia primò niti docet. deinde, quodāmodo coniunctā cum firmitudine Chriſti, qui non magis patiatur à ſe diuelli ſuos fideles, quàm membra ſua diſcerpi ac dilaniari. poſtremò de priori eccleſia, quæ ſola corā Deo eiuſmodi nomen obtinet, arbitratur ad amplexādam eo modo eccleſiæ vnitatem, nihil opus eſſe, eccleſiam ipſam oculis cernere, vel manibus palpare, ſed ſola fide, ac mentis cogitatione comprehendendā. vbi ſatis eſſe putat, ſi ſtatuamus in animis noſtris, omnes eos, qui Dei patris clemētia per ſpiritus ſancti efficaciam in Chriſti participationem venerunt, in Dei peculium ad propriam poſſeſſionem ſegregatos, tantæ vtique gratię conſortes eſſe. Hæc de priori eccleſia, ſoli Deo patente, aliis inuiſibili, cuius membra nobis ſimiliter non patēt, neque ipſa hîc videri à nobis poteſt. Addit præterea, ſępe eccleſiæ nomine vniuerſam hominum multitudinē in orbe diffuſam deſignari, quæ vnū ſe Deum & Chriſtum colere profitetur, baptiſmo initiatur in eius fidē, cœnæ, vt loquitur, participatione vnitatem in vera doctrina & caritate teſtatur, confeſſionem habet in verbo domini, atque ad eius prædicationem miniſterium ſeruat à Chriſto inſtitutum. in ea viſibili & apparente eccleſię forma plurimos eſſe permiſtos hypocritas nō negat, plurimos ambitioſos, auaros, inuidos, maledicos, impurioriſque vitæ homines, qui ad tempus tolerantur: vel quia legitimo iudicio conuinci nequeunt, vel quia non ſemper viget ea diſciplinæ ſeueritas, quæ debebat. prior illa eccleſia ſolius Dei oculis erat cōſpicua,

Eccleſia viſibilis.

Vtriuſque eccleſia differentia ac cōuenientia.

hæc nobis patens, illiſque duabus notis, verbi ſcilicet prædicatione & ſacramentorum adminiſtratione, cuiuis peruia eſt: illa coram Deo aſtat, hæc reſpectu hominum eccleſia dicitur: illa fide ſola tenetur, ac concipitur, hæc conſpicuam habet oculis noſtris faciem: illa omnis eſt ſceleris pura, ſancta, immaculata in ſe, & in membris ſuis, nihil impietatis intra ſe retinens, hæc verò multos habet peccatores permiſtos. conueniunt tamen, quòd vtriuſque communionem colere iubemur, vtriuſque membra non niſi iuſta & ſancta ſecundum iſtum eſſe debent. neque enim huius eccleſiæ, quæ inter homines eſt, partes ſunt peccatores, quámuis intra ipſam retineantur item vtraque in ſpiritali iuſtitia fundatur, non in ſola tantùm diuina electione. ad hæc, vtraque ex cuiuſcunque gentis multitudine collecta, interuallis locorum diſſita & diſperſa, in vnam diuinæ doctrinę veritatem conſentit, atque eiuſdem religionis vinculo colligata eſt. vtraque demum nomen & auctoritatem eccleſiæ iure poſſidet: vt non minùs huius, quàm illius prioris vnitatem ſcindere non liceat.

Caluinus in quibus diſcrepet ab aliis hæret. & in quibus cõcordet cũ illis.

Hæc porrò aſſertio quantùm differat ab eo modo loquendi, quem ſuperiori capite tetigimus, & retudimus, & quantum conuenientiæ eſſe poſſit inter iſtos auctores iam facile erit colligere. primi enim illi præter inuiſibilẽ illam eccleſiã, nullã aliam relinquũt, Caluinus verò ſic illam docet, vt huius humanæ ſocietatis meminerit: illi inuiſibilem eccleſiam in æterna prædeſtinatione dicunt fundari, at Caluinus ſpiritalem ſanctificationem adiungit: illi extra omnem eccleſiam homines peccatores collocant, & eccleſiæ nomen omnino perire, vbi ſcelus fuerit & peccatum, contendunt, Caluinus minimè, ſed ſub ea hominum ſocietate comprehẽdit ſingulas eccleſias, quæ oppidatim & vicatim pro neceſſitatis humanæ ratione diſpoſitæ ſunt, vt vnaquęque nomen & auctoritatem eccleſiæ iure obtineat. cõprehendit etiam ſingulos homines, qui pietatis profeſſione inter eccleſias eiuſmodi cenſentur, etiam ſi ab eccleſia propter ſua ſcelera ſint reuera extranei, ad ipſamque pertinent quodammodo, donec publico iudicio exterminati fuerint. illis nõ diſtincta habetur conſideratio,

ſideratio, aut diuerſa in priuatis hominibus, atque in eccleſiis æſtimandis ratio, Caluino longè alia. vſu venire ſæpe dicit, vt quos non omnino putabimus dignos eſſe piorum conſortio, tractare tamen inſtar fratrum & fidelium loco habere debeamus, propter communem eccleſiæ conſenſum, quo feruntur, & tolerantur in Chriſti corpore. quos licèt ſuo ſuffragio non probet eſſe eccleſiæ membra, quem tamen in populo Dei locum tenent, eis relinquit, donec legitimo iure ipſis fuerit ademptus. de ipſa uerò multitudine aliter ſentiendum exiſtimat: quippe quæ ſi miniſterium habet verbi, & honorat, ſi ſacramentorum adminiſtrationem, eccleſia proculdubio habenda eſt, ac cenſenda, quia ſine fructu non eſſe certum eſt. quamobrem eccleſiæ vniuerſali, quæ inter homines eſt, ſuam vnitatem ſe velle ſeruare, quam diſſecare ſemper voluerunt diabolici ſpiritus, nec cupere ſeſe legitimos conuentus, qui pro locorum oportunitate ſunt diſtributi ſua auctoritate fraudare multis verbis atque ſcripturis iactat, illi docent, eſſe inuiſibilem eccleſiam, quæ nullo commercio peccatorum fœdatur, eam, inquiunt, ſpiritus ſancti magiſterium conceſſum ſibi retinere, aduerſus illam portas inferorum non præualituras, reliquam verò tam fidei defectioni, quàm peccatis expoſitam: Caluinus contrà, vbi reuerenter auditur euangelij prædicatio, neque ſacramenta negliguntur, illic pro eo tẽpore, neq; fallacem, neque ambiguam eccleſiæ faciem apparere apertè contendit. cuius vel auctoritatem ſpernere, vel monita reſpuere, vel conſiliis refragari, vel caſtigationes ludere, nemini impunè licere ſentit, multò minùs ab ea deficere, ac eius abrumpere vnitatem. tanti enim eccleſiæ ſuæ communionẽ dominum facere dicit, vt pro transfuga & deſertore religionis habeat, quicunque ſe à qualibet Chriſtiana ſocietate, quæ modò verum verbi ac ſacramentorum miniſterium colat, cõtumaciter alienarit. ſic eius auctoritatem Deum commendare Caluinus affirmat, vt, dum illa violatur, ſuam ipſius imminutam cenſeat. atque non ineptè eò referri contendit, quòd eccleſia fuerit à Paulo dicta columna, ac veritatis firmamentum, Deíque domus. quibus

vtique verbis Paulus ſignificat, ne intercidat veritas in mundo, eccleſiam ipſam poſt Deum in cauſa fore: quia eius miniſterio & opera voluit Deus puram verbi ſui prædicationem conſeruari, & ſe nobis oſtendi patrem familiâs, dum nos ſpiritalibus alimentis paſcit, & quæcunque ad ſalutem noſtram faciunt, procurat. quare nō dubitat affirmare, diſceſſionem ab eccleſia, Dei & Chriſti abnegationem eſſe, quo magis à tam ſcelerato diſſidio cauendum eſſe doceat: quia dum deitatis ruinam, quantum in nobis eſt, molimur, digni ſumus, ad quos conterendos toto iræ ſuæ impetu fulminet. nec vllum atrocius crimen fingi poſſe ſentit, quàm ſacrilega perfidia violare coniugiū, quod nobiſcum vnigenitus Dei filius contrahere dignatus eſt. Hæc igitur omnia ab illis primis diſtincta Caluinus habet.

Quot errores iam pridem dānatos Caluinus excitet.

Verùm oſtendamus, iam, ſi libet lector paululùm attendere, multa eſſe, quæ hac in re communia habet Caluinus, velit nolit, neget aut affirmet quidquid volet, cū Donatiſtis, Rogatianis, Montenſibus, iam pridem à catholica eccleſia damnatis, cum Vuiclefo, Ioanne Hus, Anabaptiſtis, (quos pluſquā Vatiniano odio proſequitur) cū Lutheranis demum multis. principiò, quòd peccatores partes non ſint huius militantis eccleſiæ bene conuenit Caluino cum eis contra patres. immo credo magis ſibi illos cōſtare, quàm loquatur conſequenter Caluinus, qui cùm eccleſiam conſpicuam nobis eo modo faciat, nullum tamen membrum nobis patêre dicit: illi verò, quia humano capiti ceruicem equinam iungere velle ſibi videbatur, quicunque ſic loqueretur, vtrunque abſtulerunt, atque eccleſiæ conſpicuam faciunt, & membrorum apparentem formam. das nobis igitur Caluine totum quoddam, quod noſtris oculis ſeſe offerat ſpectandum, nullam tamē partem videre poſſimus. ſi corpus eſt Ioannes, vbi caput? vbi oculi? vbi brachia? vbi manus? vbi pedes? reſpondebis, Paulus vniuerſa hęc membra breui ſermone comprehendit, dicēs, quoſdam dediſſe Deum apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios autem euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, id

Eccleſia Caluini chimæra eſt.

Epheſ. 4.

eſt, eccleſiæ. bene ſanè Caluine. ſunt igitur hi de corpore eccleſiæ. quid ſi peccatores ſint, & occulti præſertim? Quid? quàm diu tolerãtur ab eccleſia, eorũ auctoritatem non licet aſpernari. Non iſtud quæro Caluine, ſed an maneant veri, apoſtoli veri prophetæ, veri euangeliſtæ, veri paſtores & doctores. hoc eſt, de quo te percunctabar. in ſumma quod velim enarres, id eſt, poſtquam per peccatum quamlibet occultum iſti ab inuiſibilis illius eccleſiæ vnitate ſe præſciderunt, num ita ſe ſeparauerint ab ea, quæ in conſpectu hominũ eſt? quod ſi ita eſt: nulla certè politia miſerior eſſet immo neque ſic dubia, atque hæc noſtra. omnes enim nouerunt veros eſſe magiſtratus, quos habent à ſe electos, veros prçlores à ſe creatos, quibus obtemperant, veros ac legitimos iudices à ſe conſtitutos, quorum ſententiis ſit parendum: nos contra, vt præcipua noſtræ communitatis capita, veneramur, quos eſſe de communitate noſtra ſine miraculo ſcire non poſſumus, tanquam magiſtros ſequimur, quos nec diſcipulorum locum tenere ſuſpicari iure poſſis, tanquam paſtores in eccleſia audimus, quos ab eccleſia longè abeſſe tam facile eſt creditu, quàm non rarò contingit nos peccare, Mihi quidem Caluine, dum iſta abs te audio, videor quorundam audire fabulas, qui ſolent quærere à ruſticis ac mulieribus, quid ſit, quòd cùm videatur oculus, non ſit, cùm appareat manus, non ſit, cùm eſſe iudicetur tale, non ſit. quibus reſponderem eccleſiam Caluini iſtud eſſe: vbi apparent humani corporis membra, ſed bona ex parte non ſunt. videtur totum, & nihil videtur: eſt, & non eſt: eſt corpus, quia videtur, non eſt corpus, quia iſta, quæ videtur ipſius pars, meritò poſſis ambigere, an iſtius corporis ſit pars. videtur totum, & nihil illius videtur. totum corpus certum eſt, clarum, notum: quælibet tamen eius partes incertæ, dubiæ, obſcuræ. vis dicam Caluine? præterquam quòd id cum magno cordis mei dolore dicere cogor, ſubridens nonnihil tamen, te chimæricè non omnino abſq; dolo & arte nobiſcum hîc agere voluiſſe non poſſum tacere. non potuiſti eccleſiaſticæ auctoritati, ac Romanæ ſedi tam latenter inſidiari, quin totum hoc ſacrum

ædificium quaſi cõtremiſceret,quippe quod ſumma illa poteſtate poſt Deum ac Chriſtum nititur. non quiuiſti illius tribunalis ſplendorẽ interturbare,quin mox totam ſtructuram nefanda caligo,qualis ac quanta eſt à nobis oſtenſa,denſiſſimęque tenebrę vndique circum-
Matth.18. plicarent. certè Ioannes qui dixit, Dic eccleſiæ,& ſi eccleſiam non audierit,ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. talem eccleſiã ſuam inſtituerat, qualẽ tu videre, immo alloqui poſſes, taléſq; prælatos ei præfecit, quales Dei domus requirebat, firmos,certos,ac minimè dubios:non autẽ eam nobis reliquit Chriſtus œconomiã, quam iure ac merito etiam ethnici ridere poſſent,nempe in qua pro doctrina petẽda,& iuſtitia exequẽda quò certò recurrendũ foret,ciues neſcirent,atque in qua toties quotannis ab eccleſiaſticis officiis cõtingat cadere, quoties peccare. iſtum quidẽ loquendi modum de militante eccleſia antiqui patres,immo apoſtoli ipſi ignorauerunt: ſed ira,qua in Chriſtianæ reipub.præfectos, atque in Romani culminis celſitudinem feruetis,nouas voces ac partitiones inquirere, & adinuenire vos coegit. libido item, qua vobis ipſis blandiri ſemper ſtatuiſtis, ad auferendam è medio & inuertendã omnem iudicij certitudinem,atque eccleſiaſticum ordinem, ſatis permanentem & firmum à Chriſto creatum, quotidie vos impulit. ſi enim ſemel eos, qui docere nos habent: de eccleſia eſſe dubitare iuſtè cœperimus, tota illa firmitudo, quæ in cauſa fidei & morum eccleſiaſticis decretis hærere debet, nõ ſolùm rimas agat,verùm vt penitus ruat, neceſſe eſt. huc nimirum veſtra omnia illa conſilia ſpectabãt, huc quæ etiam videntur longè remotiſſima,deſtinato curſu tendebãt. Sed ego ad cetera capita veſtræ concordiæ Caluine propero:iam enim hoc tibi cum illis conuenit, quòd ſcilicet membra eccleſiæ quoquo pacto inuiſibilia eſſe concedis, quamuis ex inuiſibilibus viſibile corpus coagmentari non magis poſſe videatur Anabaptiſtis, quàm quòd ex apparentibus & perſpicuis partibus ſpiritus conſurgat.

Nec minùs inter vos conuenit,quòd cùm membra eccleſię ſoli Deo nota habeantur,neq; audeatis vos quẽquam veſtro ſuffragio approbare eſſe eccleſiæ partẽ,ta-

lem tamen eccleſiæ vnitatem cogitatis, in qua quilibet veſtrũ ſumma certitudine ſit perſuaſus, inſitũ eſſe. ſed & veritatẽ omnem, dum in eccleſiæ ſinu quiuis veſtrũ continetur, ſemper ſibi conſtaturam, ſecurum reddi vna voce & conſenſu prædicatis. quam vtiq; hæreſim non minus Anabaptiſtę, quàm Zuuingliani, ceteraq; noſtri ſæculi monſtra fouent ac tuentur. ſi autem quid inde mali colligatur, à nobis quæras, in promptu eſt reſponſio. Ergo cùm de aliorum fide ac iuſtitia, & an ſint eccleſię membra, ſis omnino incertus, de tua verò fide, vnione, iuſtitia, hæreditatíſq; participatione ſanè quàm certiſſimus, ſiſque extra omnem dubitandi aleam poſitus: profectò quidquid tibi colibitum fuerit, quidquid arriſerit, vera tibi fides erit, & à ſpiritu ſancto profecta religio prorſus æſtimabitur. atq; te vnum Chriſti corporis partem, ſponſæ Chriſti mẽbrum, domus Dei habitatorem, lapidem viuum Chriſto lapidi primo ſolidiſſimè nixum reputans, & certò ſciens, quidquid vel per ſomnium deliraueris, quidquid in tuam phãtaſiam aut buccã venerit, tam euãgelium iure & merito æſtimare poteris, quàm quod Chriſtus ipſe prædicauit, annũtiarunt apoſtoli, enarrarunt ſancti, cõfirmarunt martyres, eccleſia verò retinet. Iſtis ſcilicet tam benedictis fructibus veſtra iſta tam ſancta, tam pia de eccleſia cogitatio vberrima eſt, iſtis tam bellis ac glorioſis triumphis gloria veſtra conſtat: ſed quàm iſta omnia cum diuinarum legum vnitate, cum eccleſiaſtici magiſterij certitudine, cùm ſacrarum ſcripturarũ firma ac conſtanti non vnius, aut alterius, ſed vniuerſali omnium illuſtratione conueniat, quàm bellè inter ſe iſta cohæreãt, in ſequentibus explicatiùs enarrabitur, atque illuſtrabitur.

Puram ac ſinceram verbi Dei prædicationem, & ſacramentorum legitimam adminiſtrationem res ſanè fidelium vnitati perneceſſarias eſſe, ſine quibus vera eccleſia non exiſteret, multis locis ſcripturarum probatur: non tamen his tantùm nobis veram eccleſiam à falſa diſcriminari poſſe, planiſſimè explicatur.

Cap. IIII.

COnuenit igitur inter nos Caluine, Chriſti eccleſiam, de cuius auctoritate, præſtantia, magiſterio, membris, officiis, ac gradibus in ſcripturis ſanctis tot elogia legimus, perſpicuam oculis noſtris faciem habere. totũ tamen negotij põdus eò incõbere iam videtur, ſi quoquo pacto certas ac veras notas exhibere nos poſſimus, quibus quaſi ſymbolis, ipſius corporis notitiam, quò magis ſaluti noſtræ neceſſariã eſſe Deus nouerat, nobis deſignauerit: plurimùm re vera noſtra intereſſe exiſtimo, vt nota ſit nobis eius eccleſiæ facies, cuius reuereri iudicium, cuius auctoritati deferre, cuius monitionibus parêre, cuius caſtigationibus cõmoueri, cuius communionem religioſè in omnibus colere oporteat. diſcamus etiam vel vno matris elogio, quàm vtilis ſit nobis eius cognitio, immo neceſſaria: quãdo non alius eſt in vitam ingreſſus, niſi nos ipſa concipiat in vtero, niſi pariat, niſi nos alat ſuis vberibus, denique ſub cuſtodia & gubernatione ſua nos tueatur, donec exuti car-
Matt.22. ne mortali, ſimiles angelis erimus. neque enim patitur noſtra infirmitas à ſchola nos dimitti, quoad toto vitæ curſu diſcipuli fuerimus. Adde, quòd extra eius gremiũ nulla eſt ſperanda peccatorum remiſſio, nec ſalus vlla, Eſaia & Ioele teſtibus. quibus Ezechiel ſubſcribit, cùm denuntiat, in catalogo populi Dei non fore, qui ſe à diuino hoc imperio abdicant: ſicut ex oppoſito dicuntur
Eſ.37. nomen ſuum ſcribere inter ciues Ieroſolymæ, qui ſe ad
Ioel.2. veræ pietatis cultum cõuertunt, vt ſemper exitialis fue-
Ezech.13. rit ab eccleſia diſceſſio. quare quò notas has diligenter animo impreſſas teneamus, & pro domini arbitrio æſtimemus, atque ad ipſas, tanquam ad Lydium lapidem, iſtorum hominum eccleſias, & ſimul noſtrã probemus, placet de eis breuiter ac verè agere. ſed audiatur Cal-
Cal.lib.4.c. uinus. *Symbola eccleſiæ dignoſcendæ ſufficientia & certa,*
1.ſect.10. *verbi prædicationem, ſacramentorúmque obſeruationem tantùm ponimus*: quòd in vera Chriſti eccleſia vna ac pura debeat eſſe verbi diuini prædicatio, legitimáque ſacramentorum obſeruatio, ſeu miniſtratio, libentiſſimè fatemur: quòd verò iſtæ ſint tantùm primæ ac certiſſimæ notæ eccleſiæ dignoſcendæ, neque catholica fides, neque diuinus canon, neque antiqui patres, neque ex-

perientia ipſa nos concedere vllo pacto ſinet. deinde, & ſi his tantùm notis emergeret conſpicua oculis noſtris eccleſię facies, quidem certè nihil commune iſtorum eccleſias tam diſcordes, tam diuerſas cum vera habere, nobis etiam tacentibus, ſola experientia nos docere poterit. poſtremò eam vtranque notam, ſeu eccleſiaſticum magiſterium, per paſtorum, Romani pręſertim pontificis, ſucceſſionem, eorúmque traditionem, notam vtique & primam & certiſſimam, in catholica hac veréque apoſtolica eccleſia perfulgere, rem difficilem oſtenſu fore non arbitror. Hæc autem quatuor fuſius ſunt à nobis eo ordine explicanda ſimul ac probanda, quo ſunt propoſita.

Verbi Dei prædicatione inſignita quid eſt eccleſia.

Porrò diuini verbi prędicationem puram & veram, atque ſacramentorum adminiſtrationem legitimam, res eſſe perneceſſarias, & ſine quibus eccleſiæ nomen minimè conſtaret, ipſe diuus Paulus auctor eſt, dum ad Epheſios ſcribit, Chriſtum, vt impleret omnia, dediſſe alios quidem apoſtolos, alios verò prophetas, alios autē euangeliſtas, alios autem paſtores ac doctores, ad inſtaurationem ſanctorum in opus adminiſtrationis, in ędificationem corporis Chriſti: donec perueniamus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ętatis plenè adultę Chriſti. Vides lector, vt Deus, quamuis poſſet momēto ſuos perficere, noluit tamē eos adoleſcere in virilem ętatē, niſi educatione eccleſię: vides modum exprimi, quia videlicet paſtoribus cum ſua auctoritate iniuncta eſt doctrinę cęleſtis prędicatio: vides omnes ad vnum cogi in eundem ordinem, vt manſueto & docili ſpiritu regendos ſe doctoribus in hunc vſum inter ceteros, quos eiuſmodi pręfectura comprehendit, creatis permittāt. hac quippe pręclara nota pridem regnum Chriſti inſignierat Eſaias. Spiritus meus, qui in te eſt, & verba, quæ poſuit in ore tuo, nunquam diſcedent neque ex ore tuo, neque ex ore ſeminis tui & nepotum. vnde colligere non dubitabo, quòd merent, vt fame & inedia pereant, quicunque ſpiritalem hunc animę cibū diuinitus ſibi per manus eccleſię porrectū reſpuūt. fidem nobis Deus inſpirat, ſed paſtorum noſtrorū or-

Epheſ. 4.

Eſa. 59.

gano, ſicuti Paulus admonet fidem eſſe ex auditu, ſicu-
*Rom.*10. ti etiam penes Deum ſua reſidet potentia ad ſeruan-
dum: ſed eam in ſui verbi prædicatione, eodem Pau-
lo teſte, depromit, atque explicat. hoc inter cetera cõ-
ſilio voluit olim ſacros haberi conuentus ad ſanctua-
rium, vt fidei conſenſum doctrina per os ſacerdotis
*Pſal.*132. prolata aleret. quò etiam, vt coniicio, ſpectant magni-
*Pſal.*80. fici illi tituli, vbi templũ vocatur requies Dei, ſanctua-
riũ eius domiciliũ, vbi dicitur ſedere inter Cherubim:
vt ſcilicet inter alia pretium, amorem, reuerentiam, ac
veritatẽ cæleſtis & eccleſiaſticæ doctrinæ fidẽ cõciliẽt:
2.*Cor.*4. cui alioqui non parum derogaret mortalis & contẽpti
hominis aſpectus. Ergo, vt ſciamus ex vaſis teſtaceis
nobis proferri inæſtimabilem theſaurum, Deus ipſe in
medium prodit, & quatenus huius ordinis auctor eſt,
*Leuit.*19. vult ſe præſentem in ſua inſtitutione agnoſci. itaque,
poſtquam auguriis, diuinationibus, artibus magicis,
necromantia, aliiſque ſuperſtitionibus ſuos vetuit dare
operam, ſubiicit ſe daturum quod pro omnibus ſuffice-
re debeat, nempe prophetis nunquam deſtitutum iri.
igitur ſicuti veterem populum ad angelos non ablega-
uit, ſed doctores è terra excitauit, qui verè præſtarent
munus angelicum, ita & nos hodie humanitus vult do-
cere. ac ſicut olim non contentus fuit ſola lege, ſed ſa-
cerdotes addidit interpretes, ex quorum labiis populus
inquireret verum illius ſenſum, ita hodie non tantùm
vult nos eſſe diuino ſuo verbo legendo attentos, ſed
magiſtros etiam præficit, quorum opera ab iniquis in-
terpretationibus, hæreſúmque nebulis ſplendidè libe-
remur, atque mirabiliter adiuuemur. cuius certè rei du-
plex nobis vtilitas occurret: nam ab vna parte optimo
examine obedientiam noſtram probat, vbi ipſius mini-
ſtros non ſecus, atque eum loquentes audimus: ex op-
poſito etiam noſtræ infirmitati conſulit, dum per vera-
ces interpretes (loquor de eccleſiæ magiſterio) & qui
nunquam errent, humano more nos mauult alloqui, vt
ad ſe alliceat, quàm tonando à ſe abigere. atqui certè
quàm nobis expediat hæc familiaris docendi ratio, ſen-
tiunt omnes pij ex formidine, qua meritò eos diuina
ipſa maieſtas conſterneret. quibus verò videbitur ex

hominum, qui ad docendum vocati ſunt, contẽptu au-ctoritatem doctrinæ exinaniri, hi ſanè ingratitudinem ſuam prodũt: quia inter tot præclaras dotes, quibus ornauit Deus humanum genus, hæc eſt ſingularis prærogatiua, quòd ora & linguas hominum conſecrare ſibi tam humaniter non grauatur, vt in ſuis ſacerdotibus diuina vox perſonet. quare ne viciſſim & nos cum obedientia debita amplecti pigeat ſalutis doctrinam eius mandato & ore propoſitam: quia etſi externis mediis alligata non eſt Dei virtus, nos tamen ordinario docẽdi modo alligauit: quem dum tenere phanatici quidam recuſant, multis ſe laqueis, exitialibus quidem illis, inuoluunt. multos impellit vel ſuperbia, vel faſtidium, vel æmulatio, vt ſibi perſuadeant priuatim legendo ac meditando ſe poſſe, ſuggerente ſibi interno ſpiritu, ſatis proficere, atque ita contemnunt eccleſiaſticos patres, publicos cœtus, atq; eccleſiæ diſciplinam ſuperuacuam ducunt. Quoniam autem ſacrum vnitatis vinculum, quantum in ſe eſt, iſti ſoluunt, vel abrumpunt: nemo iuſtam impij huius diuortij pœnam effugit, quin ſe peſtiferis erroribus, at teterrimis deliriis faſcinet. itaque vt apud nos vigeat fidei noſtræ pura ſimplicitas, ne vti grauemur hoc pietatis exercitio, quod Deus nobis ſua inſtitutione monſtrauit eſſe perneceſſarium, & tantopere cõmendat. Deo qui aures diceret claudendas eſſe, nemo vnquam vel ex petulantiſſimis canibus inuentus eſt: ſed omnibus ſęculis difficile fuit certamen prophetis ac piis doctoribus immo Dei eccleſiæ cõtra impios, quorum peruicacia nũquam iugum hoc ſubire poteſt, vt ore & miniſterio hominum doceantur. quod perinde eſt, ac Dei faciem, quæ nobis in eccleſiæ ſuæ doctrina affulget, delere. hac, vt credo, de cauſa faciem Dei in ſanctuario quærere iuſſi ſunt fideles. idque ſæpe repetitum videmus in lege. ſacerdotum ſiquidẽ doctrina, & paſtorum exhortationes Dei imaginis loco nobis eſſe debent, ſicuti Paulus ſua prædicatione lucere aſſerit gloriam Dei in facie Chriſti. quò magis deteſtabiles ſunt apoſtatæ iſti, qui eccleſiã ſcindere ſtudent perinde, ac ſi oues abigerent à cauſis, ac in luporum fauces proiicerent. Deus verò quaſi experimento comprobat

Pſal. 150.

1. *Cor. 3.*

Lege Aug. li. 1. de doct. Chr.

nõ vanum eſſe, quòd paſſim nos vocat templa ſua, dum ex ore hominum, velut ex ſanctuario, reſponſa hominibus reddit. ad hæc nihil ad fouendam mutuam caritatem aptius erat, quàm hoc vinculo homines inter ſe colligari, dum vnus conſtituitur paſtor, qui reliquis ſimul præſit, & ceteros doceat: qui auté diſcipuli eſſe iubentur, communem ex vno ore doctrinam excipiũt. ſi enim ſibi quiſque ſufficeret, nec indigeret alterius opera, (quæ ſuperbia eſt generis humani) contẽneret quiſque alios, & ab aliis contemneretur. quem igitur firmiſſimum retinendæ vnitatis modum fore prouidit dominus, eo eccleſiam ſuam aſtrinxit, dum ſalutis ac vitæ æternę doctrinam apud eccleſiam ſuam depoſuit, vt per
Ephe.4. hominum manus cũ reliquis communicaret. ſic inſtauratio ſanctorum peragitur, ſic ædificatur Chriſti corpus, ſic adoleſcimus per omnia in eum, qui eſt caput, ſic inter nos coaleſcimus, ſic redigimur omnes in Chriſti vnitatem, ſic prophetia inter nos viget, ſic apoſtolos recipimus, ſi doctrinam nobis adminiſtratam non
Ibidem.12. aſpernamur. eccleſiæ igitur diſſipationem, vel ruinam potiùs, atque exitum molitur, quiſquis ordinem hunc, de quo nunc agimus, & hoc genus doctrinæ vel abolere nititur, vel quaſi minùs neceſſarium irridet. nec enim vel Solis lumen ac calor, vel cibus ac potus tam ſunt præſenti vitæ fouendæ ac ſuſtinendæ neceſſaria, quàm eſt conſeruandæ in terris eccleſiæ prædicationis ac paſtorale munus. proinde ipſum, quibus potuit elogiis, eſt à Deo commendatum, vt in ſummo honore ac pretio, tanquam res omnium præſtantiſſima, apud nos foret: ſingularéque beneficium ſe hominibus largiri, doctores eis excitando, teſtatur, vbi iubet prophetam exclamare pulchros eſſe pedes, & beatum ad-
Eſ.62. uentum annunciantium pacem: cùm apoſtolos mundi
Matth.5. lucem, & terræ ſalem nominat, cùm dicit, Qui vos au-
Luc.10. dit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit. ſed nullus eſt
2.Cor 4. illuſtrior locus ad officium hoc eccleſiaſticum ſplen-
& 3. didiùs ornandum, quàm apud Paulum, vbi hanc rem veluti ex induſtria tractat, vocans prædicationis miniſterium adminiſtrationem ſpiritus, iuſtitiæ, & vitæ æternæ. quæ quidem omnia eò pertinent, ne illa gu-

bernandæ ac retinendæ per ſacerdotes & eccleſiæ miniſtros ratio, quam dominus in perpetuum ſanxit, apud nos vileſcat, ac ipſo tandem contemptu obſoleſcat. Quanta ſimiliter eius ſit neceſſitas, non verbis modò, ſed exemplis quoque declarauit. Cornelio cùm plenius affulgere vellet veritatis ſuæ luce, angelum è cælo miſit, qui ad eum Petrum amandaret. Paulùm cùm ad notitiam ſui vocare, atque in eccleſiam ſuam inſerere vellet, non ſua ipſius voce docet, ſed ad hominem remittit, à quo & ſalutis doctrinam, & baptiſmi ſanctificationem percipiat. ſi non temerè quòd angelus, qui Dei eſt interpres, ab enarranda Dei voluntate ipſe abſtinet, hominem verò, apoſtolorum nimirum & ſacerdotem principem, acceſſiri iubet, qui eam enarret, quòd Chriſtus, eximius ac primus fidelium magiſter, eccleſiaſtico magiſterio Paulum committit, & Paulum illum, quem in tertium cælum rapere, & mirifica rerum ineffabilium reuelatione dignari conſtituerat: quis nūc contemnere miniſterium illud audeat, vel quaſi ſuperuacuum præterire, cuius vſum talibus documentis teſtatum facere Deus voluit? ad ſummam, ſine ſincera verbi diuini prædicatione, ac ſacramentorum ex Chriſti inſtituto, & apoſtolorum explicatione vera eccleſia tam ſtare poteſt, quàm viuet homo ſine anima. Dei ſiquidem verbo illuminamur, ſacramentis regeneramur, nutrimur, ſuſtentamur, & perficimur, vtroque tandem, ſacramentorum ſcilicet & verbi vſu, fides noſtra roboratur, ac perſeuerat. Verùm quòd hæ duæ res mirum in modum fidelium communitate neceſſariæ primæ, particulares, certęque notæ ſint veræ & catholicę eccleſię, vt dixi lector, ſcripturę, & ſanctis, atque experientię ipſi omnino repugnat. ſed quia magis, quàm initiò inſtitueramus, in commendando prędicationis diuini verbi miniſterio, re quidem nobis pergrata, detenti ſumus, hîc dicendi finem faciemus, quò lectoris animum expeditiorem ad ea, quę iam propoſuimus, ſcitu, ni fallor, digniſſima, reddamus, ac prępáremus.

Act.10.&9.

2.Cor.12.

Scripturis ſacris, ſanctorum teſtimoniis, atque ipſa experientia probatur, ſinceram verbi Dei prædicationem & legitimum ſacramentorum vſum non eſſe primas, neque certas veræ eccleſiæ notas. *Cap. V.*

DIximus lector, ſcripturas ſanctas non nos permittere in hac parte Caluino conſentire. quod ita verum eſt, vt lōgiores moras nos hîc trahere res ipſa non ſinat. nam ſi ex ſcripturis, & ſanctis, atque adeò ipſa experientia didicimus hæreticos omnes, quotquot eccleſiaſticam vnitatem ſcindere ſunt auſi, non aliis ab his notis veram & legitimam eccleſiam ſe poſſidere contendiſſe, ac nunc contendere, quàm quòd diuinum verbum in ſuo ſplendore ac nitore penes ſe retineāt, quòd ſacramentorum legis gratiæ fidi cuſtodes ipſi perſeuerent, neque alius ſit eorum vſus, quàm qui ſuis in eccleſiis cuſtoditur: profectò nimis vniuerſales, incertæ, ac vagæ præfatæ duæ notæ relinquētur. cúmque nulla pęnè fuerit hæreticorum conſpiratio, neque nūc exiſtat, quæ iſta ſigna ſuæ eccleſię non tribuat & arroget, certè ad errorem ſuum fouendum materiam non mediocrem iſtis notis ſuppeditabitur: qui poſtquam viderint non paucioribus ſcripturæ locis ſuam hæreſim confirmari, nec minùs apparenter contraria teſtimonia diſſolui, ſe veros ac legitimos fidei Chriſtianæ ſucceſſores & hæredes, & contempta antiquitate, iactantes volitabunt. ſed rem ipſam ingrediamur. Nullus eſt illuſtrior locus, nec ſplendidiùs alio ornari poteſt hæc veritas, quàm il-
2. Pet. 3. lo diui Petri in ſecunda ſua canonica. Cariſſimus, inquit, frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi à Deo ſapientiam ſcripſit vobis. ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & ceteras ſcripturas, ad ſuam ipſorū perditionem. O' rem nimiùm ponderandam Ioannes, vix ſcripturæ ſanctę editæ erant, vix in hominum manus venire inceperant, & iam hominum quorundam ſtulta peruerſitas eis iniquè abutebatur, atque quibus eccleſiam veram firmari, ſcripturis ſcilicet ſanctis, apoſtoli tota animi cogitatione curabant, iſti videlicet noui interpretes eiſdem ipſam extinguere, ac funditus euertere, & in eius locum

ſuam ſubſtituere, ac ſupponere moliebãtur. adde, quòd à tanto ſcelere non deterrebantur, etiam ſi ſcirent, viuere adhuc apoſtolum Paulum, qui ſuę ſcripturæ rationem, ſenſum, & intelligentiam quotidie reddebat. tanta eſt quorundam ſceleratorum hominum arrógantia & peruicacia cum ignoratione ſumma coniuncta. Singulare etiam ac præclarum in rem hanc exemplum eſt, quod apud ipſum eundem Paulum in actis apoſtolicis legimus. Attendite, ait, vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus epiſcopos poſuit, regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Vide Caluine deceſſionem ab eccleſia vera, intuere peruerſam ſcripturarũ interpretationem, conſidera nouis iſtis magiſtris non defuturos diſcipulos, qui ſi opus fore intellexerint, ſanguine etiam, non ſcripturis tãtùm ſuorum magiſtrorum apoſtolatum, atque ſuę eccleſię veritatem confirmabunt. Obliuiſci non poſſum hoc in loco eximij illius vaticinij Chriſti domini apud Marcum. Videte, ait, ne quis vos ſeducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego ſum: & multos ſeducent. & nunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic: ne credideritis. exurgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos. vos ergo videte, ecce prædixi vobis omnia. Quid, quæſo, eſt Caluine, Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, niſi ex ſcripturis ſanctis Chriſti ſpiritu dictatis niti quoſdam trahere vniuerſam eccleſiam ad ſingulares ſuos cõuenticulos? ſed quid nos monet cuſtodiæ noſtræ præfectus angelus? Videte, inquit, ne quis vos his verbis ſeducat. & apud alium euãgeliſtam, Si dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt: nolite exire. Ecce in penetralibus: nolite credere. quæ certè verba de hæreticis, iactantibus ſcripturas, quibus probent purum ac ſincerum Chriſtianiſmum penes ſe aſſeruari, intelligenda eſſe Origenes diligenter aduertit. In hunc præcipuè finem Paulus dixit, opertũ eſſe euangelium noſtrum in his, qui pereunt, & in quibus Deus

Act. 20.

Marc. 13.

Matth. 24.

2. *Cor.* 4.

huius ſæculi excæcauit mentes, vt non fulgeat illuminatio euangelij gloriç Chriſti. id verò non ob infideles tantùm dixit, qui euangelio aperto Marte contradicebant, ſed propter quoſdam homines, de quibus non lon-
2.Cor.2. gè antè ſic fuerat locutus, Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur, nec du-
Iudæ c. vno. bium eſt, quin eadem etiam ratione apoſtolus Iudas ingenti ſpiritus amaritudine queratur iſtiuſmodi errantia ſidera ſuas confuſiones ex ſcripturis deſpumare, ſe ipſos paſcere, in his, quæ norunt, corrumpi, murmuratores querulos, non ſemetipſos fidei antiquç eccleſiæ, ſed cõtrà magis eccleſiam ſuæ fidei ſuperædificare. Sed nolo enumerationem perſequi, quæ nunquam finienda fo-
*Ierem.*14. ret. pleni enim ſunt diuini auctores his adhortationib⁹,
23.27. quæ nos admonent ſolitos eſſe hæreticos ex ſcripturis
*Ezech.*13. aduerſum veram & catholicam eccleſiam agere, ſicut olim falſi quidam prophetæ feciſſe legũtur, Dei verbum oſtentantes, cùm eos dominus nunquam miſiſſet.

Sed hoc ipſum probare ex his ſanctis, qui apoſtolos ſunt ſecuti, & qui contra hæreticos veræ fidei ac legitimæ eccleſiæ hoſtes ſcripſerunt, perfacile erit. omnes enim ad vnum, quotquot legas, cunctis hæreticis id tribuiſſe intuebere lector, vt nimirum contra catholicos puræ prædicationis verbi Dei titulo ſe munirent, & de legitimo ſacramẽtorum vſu non mediocriter nobis inſultarent, ac proinde Chriſtianæ eccleſiæ nomen & titulum ad ſe tantùm pertinere, & trahere contumaciter decertarent. cùm autem mira eſſet inter eos, qui ſe à veræ religionis & pietatis cultu vnitate ſeparaſſent, diſſenſio, neque minore odio ſe inuicem diſſectæ illæ eccleſiæ proſequerentur, quàm vniuerſalem, à qua ſe præſciderant: quælibet tamen earum glorioſum nomen catholicæ videlicet eccleſiæ ſibi propriũ vendicabat, productis ſcripturis, examinatis prophetis, lege, pſalmis, Chriſto, atque apoſtolis, ac ſub vnaquaque ſcripturæ litera ſuã eccleſiam deliteſcentem intueri ſe ſimulabant. ſi verò contra ipſos à catholicis aliquot loci producebantur, ſtatim non ſic eſſe interpretãdos, ſicut antiquitati viſum fuiſſet, noua ſcilicet luce perfuſi prophetæ

noui,omnis pudoris ruptis repagulis,vociferabãtur.atque cùm vna ſit ſancta,catholica,& apoſtolica eccleſia, ſicut vna eſſe in nobis omnibus fides debet, vnum baptiſma,vnus mediator,ſeu redemptor, & vnus Deus,tot profectò eccleſias nimiùm diſcordes mundus videbat, quot erant hominum,immo dixerim veriùs,dæmoniorum,commenta.Hæc autem eò confidentiùs loquimur ſtudiosè lector, quò ſecuriùs credimus antiquorum patrũ cõmẽtarios legiſſe te,quos illi fidei zelo, & ſummo animi candore, atque integro erga eccleſiam amore, cæleſti ſapientia refertiſſimos nobis ſuis poſteris reliquerunt, vigilias quidem Craſſi patrimonio, & cũctis opibus anteferendas.ibi enim expreſſam intuebere nequitiæ hæreticorum ideam, qui cùm longè à vero aberrent, veri tamen & ſoli catholici haberi impudenter à ceteris poſtulãt.hoc omnibus hęreticis commune eſſe dicit Tertullianus in libro de pręſcriptionibus hæreticorũ,& alibi, hoc Iuſtinus martyr, hoc Hilarius libro vno contra hęreſes,& libris duodecim de trinitate,hoc Epiphanius,hoc Auguſtinus libro de hæreſib' ad quòd vult Deum, & contra Fauſtum, contra Donatiſtas maximè & alios, hoc Vincentius Lirinenſis toto illo verè aureo libello contra profanas hæreticorum nouitates, hoc Primaſius totis tribus libris, hoc noſter Iſidorus Hiſpalenſis, hoc Genadius, ad Gelaſium papam ſcribẽs,hoc Origenes inſuper contra Celſium,hoc Iræneus aduerſus hæreſes Valentini,& ſimilium, hoc Cyrillus Alexandrinus libro de fide ad Petrum, & libro de fide ad Theodoſium,hoc Cyprianus libro de virginitate,libro de gratia Dei ad Donatum, libro de lapſis,libro ad Antonianum de Nouato, & eius erroribus, hoc Athanaſius in Arrium, hoc illuminatiſſimus illæ cæcus Alexandrinus Didymus libro vno de ſpiritu ſancto,&duobus aliis contra Arrianos,hoc Ambroſius de fide ad Gratianũ,& libro contra Auxentiũ,hoc Baſilius Cæſariẽſis libro de ſpiritu ſancto, & altero in Eunomiũ,hoc Gregorius Nazianzenus,qui cognominatur vulgò Theologus cõtra Eunomiũ,hoc Hieronym' cõtra Pelagianos, cõtra Heluidiũ,Vigilãtiũ,Luciferianos,Iouinianũ,atq; alios, hoc Bernardus contra ſui ſæculi exortas hæreſes,

in ſumma ab omnibus his, quotquot legimus, illuſtribus hæreſum atque errorum extirpatoribus, nihil ita certum colligere potuimus, quàm in hanc vnam rem totos neruos homines iſtos intẽdiſſe, vt ſi quo pacto apud ſe veram eſſe eccleſiam & Chriſti regnum ſub ſuis principibus ſartum tectum cuſtodiri, multitudine ſcripturarum aliis perſuaderent, criminantes apud alios nullũ eſſe Dei regno locum relictum, quippe qui ipſius verbũ non pro dignitate purè ac ſincerè tractarent. ſic ludebant in eccleſiam olim diſcipuli Simonis magi, ſic Nicolaitæ, ſic Menander, ſic Saturnillus, ſic Baſilides, ſic Valentinus, ſic Caiani, ſic Antitactæ, Peratæ, Monimi, Hermogenes, Tatianus, Seuerus, Bardeſanes, Cerdon, Marcion, Apelles, Ebion, Nazoræi, Cherinthus, Paulus Samoſathenus, Luciferiani, Priſcilliani, Eutyches, Mõtani, Nouatus, Sabellius, Arrius, Eudorius, Eunomius, Macedonius, Donatus, Apollinaris, Neſtorius, Photinus, Heluidius, Manichæus, Iouinianus, Pelagius, atque alij, quorum nomina, quæ hîc ipſe ſilentio tranſibo, æternæ mortis codex complicata atque inuoluta apud ſe in perpetuum ſeruabit. Igitur Caluine, quoniam iſti, quos annumerauimus, hæretici, non aliam notam certiorem regni Dei, quæ eſt eccleſia, quàm puram diuini verbi prædicationem arbitrabantur, tot orbi dederunt eccleſias, quot noua dogmata cõtra veterem & orthodoxam patrum ſucceſſionem ſuſcitarunt. & quid mirũ? vnuſquiſque priuatam diuini eloquij intelligentiam, communi omnium ſæculorum poſtponi ægrè ferens, maluit eccleſię totius pondus ad ſe trahere, quàm ſe ipſum tanto ædificio niti. dum etiam auctores noſtri orthodoxi nobis referunt propè ſemper hæreticos ex ſcripturis bellum intuliſſe eccleſiæ, nos profectò monent prima & particularia ſigna certiſſima eccleſiæ verę, poſt quæ non ſit prior nota deſideranda, nullo pacto puram prædicationem verbi Dei eſſe, cùm ſcripturas ſanctas hęretici ipſi nobiſcum communes habeant, nec minùs, quàm catholici, immo vehementiùs de earum vera interpretatione ſe certos eſſe, tenaciter proclamẽt. neque credo, quòd tam facilè ſolis ſcripturis viciſſet hactenus veritas, niſi dicemus, quòd eis adiuncta foret antiqui-

tas,

tas, eccleſiaſticáque ſucceſſio. Verùm de hoc paulò pòſt.

Non fore iam difficile cuiquam arbitramur intelligere ex his malis, quæ modò experimur in eccleſia, ea omnia, quæ antiqui patres ſuis ſæculis contigiſſe referunt, noſtro nempe accidiſſe: vniuerſale eſſe nouis iſtis prophetis eccleſię nomen ad ſe rapere, ſola priuati quadam ſpiritus certitudine ſuffultos, qua ſibi certò perſuadent omnem veritatem ad aurem cum eis Deum loqui; ac proinde modis omnibus conantur eas tantùm notas legitimæ eccleſiæ nobis obtrudere, quæ omnibus ipſorum ſectis conuenire poſſint, & nulla ſit, quæ iſtorum ſignorũ titulo non ſe contra aliam munire queat. Nunquam Chriſtianus orbis, quãtum ex noſtrorum patrum monumentis licet colligere, tam exitialibus horrendíſque contra eccleſiam bellis arſit, quàm iſtis noſtris miſerabilibus temporibus omnia incendi, & inflammari coràm videmus. vt mihi pænè videantur, qui nunc nos premũt, ex omnium cineribus exorti omnium illorum perſonam ſimul agere. omitto Lutherum, qui primus bellum patriæ cœpit inferre, ſecuti ſunt, qui perficerẽt, noui videlicet Adamitæ, Munzeriani, & communia habentes, atque cõdormientes, Gorgiani, Dauidici, Memnomitæ, Tropiſtæ, Adeſſenarij, Methamorphiſtæ, Iſcariotiſtæ, Neutrales, Ichonoclaſtæ, Antidæmoniaci, Amsdorffiani, Inuiſibiles, Maioriſtæ, Pœnitẽtiarij, noui Pelagiani, Syncretizantes, Manichæi, Sabbatharij, Clancularij, Manifeſtarij, dæmoniaci Stebleri, ſignificatiui Tropiſtę, Engergici, Arrhabonarij, Spirituales, Antinomi, noui Samoſathẽſes, Adiaphoriſtæ, Antyuelfeldiani, Antoſiandrini, Anticaluiani, Manuſimpoſitorij, Biſacramentales, Triſacramentales, Tetraſacramẽtales, Lutherocaluiniani, Amnetiſtæ, Medioſandrini, Suenfoldiani, Oſiandrini, Stancariani, Antiſtancariani, Anabaptiſtæ, multæque aliæ iſtorum hominum ſectæ, tam inter ſe contrariæ, quàm omnes in vnam ſanctã, catholicam, & apoſtolicam eccleſiam conſpirarunt. O' bone Deus, in quæ'nam ſeruaſti nos tempora, vt iſthæc blaſphema ſuſtineamus? eheu cõdicionem huius temporis, omnis apoſtolorum doctrina profanatur, omnis pulchritudo euertitur, vnitas ſcinditur, ſancta illa noſtro-

rum maiorum vetuſtas proculcatur. huc accedit, quòd earum factioſarum diſſenſionum auctores & propugnatores magna omnes animi contentione ſuum quiſque, quoad fingere libuit, dogma, vt fœdum & abſurdum, euangelij tamen titulo inſignire audent, quò incautioribus fucum faciant, nec veriti ſunt priſcam ſibi etiam purioris ac veteris eccleſiæ doctrinam aſſerere, patrum item vetuſtiſſimorum ſuffragio præiudicatam iactitare, ac pro ipſo denique euangelio mundo iſti cęcutienti & deliranti iam pridem præ ſenio vēditare, atque obtrudere. hinc illæ cacodæmonis artes, hinc illi diaboli doli, euangelio nimirum titulo imperitis homunculis priſcas illas non minùs horrendas, quàm mēdaces hæreſes propinare, quos, quò magis noceāt, ſicut venenum melle delibutum, piæ ac veræ doctrinæ euangeliíque pallio veſtit. Sed iā nulla ratione conſtare poſſe probemus, vt inter tot tam falſi nominis ſciētias, veráſque heterodidaſcalias & doctrinas ab apoſtolorum euangelio non modò varias, ſed plus etiam, quàm diametro toto diſſidentes, pura verbi Dei prędicatio, ac ſacramētorum ex Chriſti inſtitutione vſus ſigna ſint certa veræ & vnicæ eccleſiæ. atque velim, vt hîc mihi Caluinus reſpōdeat, num omnes iſtæ factioſæ diſſenſiones iuſtè eccleſiæ illuſtre nomen ſibi vendicent, an nullæ, vel certè non omnes, ſed vna. non puto, quòd dicet in iſtis ſimul apparere veræ eccleſiæ faciem oculis noſtris conſpicuā. vbi enim tanta diſcordia viget tum in enarrandis ſacris ſcripturis, tum in numero ipſo & miniſterio ſacramentorum rectè conſtituendo, certè fieri nequit, vt in omnibus iſtis cōuētibus verè prędicetur Dei verbum, nec rite ſacramenta miniſtrentur, ac proinde intelligi non poteſt veram eſſe eccleſiam, quæ tam ſibi mutuò contradicentibus partibus coagmentata atque cōſtructa ſit. omitto, quòd paſſim & vulgò ſibi inuicem euangelici iſti hęreſis notam inurunt, & alter alteri exitioſam coniurationem obiectat, ac de errore intolerabili notatur, & accuſatur quę quidem omnia verę eccleſię non magis conuenire poſſunt, quàm quę maximè ei repugnant. Non ergo omnes iſti conuentus Dei eccleſiæ elogio gaudebunt. benè ſanè. neque verò dicemus Cal-

hinc nullam nunc in terris eccleſiam perſeuerare: abſit
enim, vt ſentiamus intermori eam potuiſſe, quę Chriſti
manu ſuſtinetur, quę ſpōſi ſui pręſidio armatur, quę tā-
dem Dei virtute roboratur. ſtabit illa, vt omnes nos fa-
teri ipſa veritas cogit, ſupra omnem mundi gloriā ſu-
blimis, ſupra mundi poteſtatem inuicta. quippe quæ nō
hominis, ſed Dei viuentis eſt ædificatio. regnabit in ea *Pſal. 2.*
Chriſtus in ęternum, quem pater regem conſtituit, vt à *Eſaiæ 11.*
mari vſque in mare dominetur, & à fluminibus vſq; ad *Dan. 2.*
terminos orbis terrarū: & ſic quidem dominetur, vt to-
tam terrā cum ferreo ſuo atque æreo robore, cum ſplē-
dore aureo, & argēteo, ſola oris ſui virga percuſſam nō
ſecus comminuat, quàm vaſcula figulina, quemadmodū
de magnificētia regni ſui vaticinati ſunt prophetæ. ar-
debunt in rubum hunc omnium dęmoniorum odia, ip-
ſius abſumendi & extinguendi deſiderio ac cupiditate.
Sed ne omnes iſtiuſmodi flammæ ardore conflagrare- *Exod. 3.*
mus, néue rubus totus conſumeretur, ſui ſanguinis pro- *Hieron. ad*
fuſione prouidere Dei filius non horruit, neq; dubita- *Fauiol.*
uit. commoueri poterunt montes, contremiſcent ſæpe *Eſa. 59.*
colles, diuinum tamen fœdus fixum, ratum, ſtabile, atq; *2. Tim. 2.*
perpetuum eſſe oportet. hoc eſt illud fundamentum, *Act. 5.*
quod firmum & incōcuſſum ſtare Paulus prædixit, hoc
illud Dei conſilium & opus, quod, vt eleganter & verè
ad Iſraeliticum populū locutus eſt Gamaliel, diſſoluere
nemo valeat, nec ei iure contradicere vllus poſſit. viuit
igitur vera eccleſia, vixit, atque viuet quoad regnabit
Chriſtus ad patris ſui dexterā. De hoc certè optimè in-
ter nos conuenit. Iam quæro vlteriùs, Quæ iſtarum illa
ſit eccleſia? noſtra hæc, an aliqua veſtrarum non hìc vr-
gebo. reſpondebis, Vbicunque Dei verbum ſincerè prę-
dicari, atque audiri, vbi ſacramētà ex Dei inſtituto ad-
miniſtrari videris, ibi veram eſſe Dei eccleſiam nullo
modo ambigēdum tibi erit. bene tu doces, ſed ego non
adhuc quieſco. quis ignoret veram eam eſſe eccleſiam,
in qua vera, puráque pietas, doctrina, & fides viget? quis
rem tam notam, vſque eò erit ſtupidus, vt in diſcrimen
reuocare velit? de quo ego te percunctor, non eſt, an vi-
uat eccleſia, & an ea ſit, quæ vera de Deo & Chriſto,
de fide, de ſacramentis, ac de tota noſtra religione

optimè ſentit, ſed quæ'nam hæc ſit, tam verax in prędicando, tam conſtans in credendo, tam expeditè diuino imperio obediẽs? noſtri prædicant, veſtri ſimiliter, Lutherani ſimiliter, Anabaptiſtæ ſimiliter, cæteræ'que factiones: omnes ſacramentis ſanctis vtimur: in quo ergo dignoſcetur, quæ ſit eccleſia ſinceriùs, & veriùs Dei verbum tractans, ac magis ex Chriſti inſtituto ſacramenta miniſtrans? vtique reſpondebis, ex ſcripturis id conſtare. atqui Caluine, omnes ſcripturas profitemur, omnes ex ſcripturis diſceptamus, omnes contrariis ſcripturis reſpõdemus: immo vt iam olim de Arrianis dixit Vinc. Lirinenſis, hæretici non pauciores, ſed plures ſcripturæ locos proferebant, quàm catholici: atque eos, quos orthodoxi patres producebant, ſubtiliter, malè tamen interpretabãtur. an non verum eſt, quod ſæpe audiuimus, mendaces hęreſes, falſáſque opiniones interdum in medullis ac viſceribus quorundam firmiùs hærere, quàm ſinceras veritates? an'non malo noſtro experimur? diuina ſcriptura non minùs, quàm Leſbia, vt dicitur, regula quoſdam olim vſos, & hodie, proh dolor, vti? ſi iam nihil reſtat vlteriùs, quò ſit nobis procedẽdum, ſi hic ſtatus eſt ac finis quæſtionis de vera eccleſia, nempe ſcripturæ pura interpretatio, quis, rogo te, hæreticorũ, non dico tãtùm noſtræ ætatis, ſed omnium ſæculorum, non iam de nobis duobus triumphos ſuos aget? miſſos facio phanaticos nonnullos, qui ſcripturæ ſanctæ erant iniurioſi, porci ſtolidiſſimi, nugatores, ſomniantes, rudes, atque penitus amentes, venio ad eos, qui in ſcripturis ſe exercent, ac de ſcripturis gloriantur. Quis non dicet apud ſe germaniùs enarrari diuinum verbum? quis non ſuę conſpirationi erit Gnato? ô Caluine quantam, vt video, feneſtram iniquis hominum commẽtis patefacis, cogitandi, ſentiẽdi, atque loquendi de Deo vt lubet, vt magis placet, modò rationes non deſint nonnullis locis ſcripturæ ſuffultę ad omne tui animi deſiderium cohoneſtandum. certè, vt vno verbo dicam, ſi in puram enarrationem ſcripturæ vltima debet fieri reſolutio veræ eccleſiæ cognoſcendæ, atque in legitimum ſacramẽtorum vſum, & hæc omnia à ſola ſcriptura ſunt exigenda, oculos clauſos vltro tenentes andabatarum more in

tenebris continuò pugnabimus: cúmque diu certauerimus, non quàm antea minùs incerta, dubia, ſuſpicioſa, cuncta noſtra erunt.

Sacerdotum, Romanorum præcipuè pontificum, continuatam ſucceßionem, certißimam eſſe notam veræ eccleſiæ, ſanctorum teſtimoniis probatur, & optimis rationibus conuincitur. Cap. VI.

ENimuerò de eccleſiæ certo ſigno ac perpetua nota, quæ ſub iudicium noſtrũ optimè poſſit cadere, quale iudiciũ facere conueniat, ex ſuperioribus iam liquere exiſtimo. cùm enim ad eccleſiaſticum magiſterium, non ad priuati alicuius hominis ſenſum, tanquã ad veram amuſſim, fidem ſuam ſemper compoſuerit eccleſia, hinc nimirum naſcitur nobis, atq; nota efficitur ipſius eccleſiæ facies. vbi enim communis viget euãgelicæ legis cathedra, quam ſacerdotio ſemper annexam intelleximus, & cum ſacerdotũ auctoritate ac præſtantia coniunctam eſſe nouimus, vbi continuata regnat paſtorũ, Romanorũ potiſſimùm, vſque ad præſentem ſacerdotem ſucceſſio legitima: ibi profectò quidem Dei verbũ candidè prædicatur, ibi ſacramenta ex Chriſti inſtituto & apoſtolorum traditionibus adminiſtrantur, ibi antiquitas, nouitate reiecta, ſemper vincit, ſemper immota perſeuerat, atq; regnat, ibi catholicæ nomen retinetur, ibi tandem Dei eccleſiam eſſe nullo modo ambigere cuiquam hominum licebit. Hanc notam agnoſcendę eccleſiæ tradit Clemens Romanus, dum nos monet, vt ſcilicet cùm Dei lex legitur, veram illíus intelligentiam ab eo diſcamus, qui eam à maioribus, & à Dei ſacerdotibus, quorum muneris id ſit, ſibi traditam ſeruat. tanti refert illis antiquis ſacerdotibus & legitimis magiſtris ac noſtris paſtoribus veris aſſentiri. hoc ſignum veræ cùm doctrinæ, tum eccleſiæ agnoſcendæ commendant Gregorius Nazianzenus & Baſilius Magnus, præcipui Grçcorum theologi, de quibus in hiſtoria eccleſiaſtica Rufinus ſcribit, quòd verbi Dei intelligentiam, non ex propria præſumptione, ſed ab antiquioribus ſacerdotibus quiduis poſtulabãt, quòd ipſos ex eccleſiaſtica ſucceſſione eam intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtaret. hac nota diſtinxit veram eccleſiam & apoſtolicã à Va-

Clem. li. 10. recog. epiſt. 5. Ruf. lib. 2. eccl. hiſt. c. 9. de Baſil. & Greg. Nazian.

Iren. lib. 3. aduerſ. hæreſ. c. 3. & 4. lentini & ſimilium iniqua coniuratione Irenęus. qui vſque ad Eleutherium, 12. loco à Petro epiſcopatum Romanum habentem, ſummorum pōtificum catalogū texens, inquit, Hac ordinatione ac ſucceſſione, ea, quæ eſt ab apoſtolis in eccleſia traditio, & veritatis pręconatio, peruenit vſque ad nos. hæc eſt pleniſſima oſtēſio, vnam & eādem viuificatricem fidem eſſe, quæ ab apoſtolis vſque nunc ſit conſeruata & tradita in veritate. quæ ſanè ſucceſſio multò maioris auctoritatis, & fidelioris veritatis teſtis eſt, quàm Valentinus, & Marcion, & reliqui, qui ſunt peruerſæ ſentētiæ idem candidus auctor capite quarto eiuſdē libri, Tantæ igitur oſtenſiones cùm hę ſint, non oportet apud alios quęrere veritatem, quam facile eſt ab eccleſia per ſucceſſiones epiſcoporū ſumere, cùm apoſtoli, quaſi in depoſitorium diues, pleniſſimè in eam omnia contulerint, quæ ſunt veritatis, vtì omnis, quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ. hæc eſt enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures ſunt, & latrones: propter quod oportet deuitare quidē illos, quę autem ſunt eccleſię, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. & poſt multa, quę cū noſtris temporibus vnicè conueniunt, ait hac ſucceſſione continua non ſe tueri poſſe hęreticos. Ante Valentinū, inquit, non fuerunt, qui ſunt à Valentino, neque ante Marcionem erāt, qui ſunt à Marcione, neque omnino erant aliqui ſenſus maligni antè, quàm imitatores & inuentores peruerſitatis eorum iſti fierent. Valentinus ſub Hygino Romā venit, ſub Pio creuit, & prorogauit tempus vſque ad Anicetū, Cerdon ſimiliter ſub Hygino, cui Marcion ſucceſſit, & inualuit ſub Aniceto decimum locū epiſcopatus continente. reliqui verò, qui vocantur Gnoſtici, à Menādro, Simonis diſcipulo, accipiētes initia, vnuſquiſque eorum, cuius participatus eſt ſententiæ, eius & pater, & antiſtes apparuit. omnes autem hi multò poſteriùs, mediantibus iam eccleſiæ temporibus, inſurrexerunt in ſuā apoſtaſiam. idem auctor libro eiuſdē operis quarto cap. 45. ſic habet, Vbi igitur tales (veros ſcilicet verbi Dei prędicatores) inueniat aliquis, Paulus docens, oſtendit: Poſuit Deus in eccleſia primò apoſtolos, ſecūdò prophetas, tertiò doctores, vbi igitur

charíſmata domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatē, apud quos eſt ea, quæ eſt ab apoſtolis eccleſiæ ſucceſſio, & id, quod eſt ſanum & irreprobabile, ſermonis conſtat. hi enim & eam, quæ eſt in vnum Deum, qui fecit omnia, fidem noſtram cuſtodiunt, & eam, quę eſt filium Dei dilectionem, adaugent, qui tantas diſpoſitiones propter nos fecit : & ſcripturas ſine periculo nobis exponunt, neque Deum blaſphemantes, neque patriarchas exhonorantes, neque prophetas contemnentes idem cap. ſexageſimo tertio, eiuſdem libri ait, Agnitio vera eſt apoſtolorum doctrina, & antiquus eccleſiæ ſtatus, in vniuerſo mundo, & charactere corporis Chriſti ſecūdum ſucceſſiones epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco eſt, eccleſiam tradiderunt, quæ peruenit vſque ad nos cuſtodita ſine fictione, ſcripturarum tractatione pleniſſima, neque ablationem recipiēs lectio ſine falſatione, & ſecundū ſcripturas expoſitio legitima, & diligens, & ſine periculo, & ſine blaſphemia, & præcipuum dilectionis munus, quod eſt pretioſius, quàm agnitio, glorioſius autem, quàm prophetia, omnibus autem reliquis chariſmatibus ſupereminēs. Hactenus D. Irenæus. Et, vt breui multa dicam, egregius codex Irenæi non multis ille foliis conſtat, at quidem certè non poſſum vel vnum verbum apud eum auctorē ibi legere, quod præſentis huius noſtri temporis ideam ante tot ſæcula expreſſam nō liceat intueri. vt non deſinam lectorem pium pariter & doctum, antiquitatiſq; obſeruatorē monere, ac per Chriſti viſcera vehementer obſecrare, obteſtarique, vt hunc librum ſæpe & ſæpius peruoluat, auctoris fidem velit imitari, ipſius obſeruātiam in eccleſiā non dimittere ſtudeat, certam deniq; notam veræ & apoſtolicæ eccleſiæ toties occurrentem tenere curet. Sed ad alios patres eſt iam veniendum.

Hac præclara nota Tertullianus doctiſſimus legitimum fidelium conuentū à factioſis ſectis interpungēdum elegantiſſimè aduerſus hæreſes ſcribens ſic docet, Edant origines eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem epiſcoporū ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille epiſcopus aliquē ex apoſtolis vel apoſtolicis viris, qui tamen cū apoſtolis perſeuerauerit,

habuerit auctorem & anteceſſorem. hoc enim modò eccleſiæ apoſtolicæ ſenſus ſuos referunt, ſicut eccleſia Smyrnæorum Polycarpum à Ioanne collocatum refert, ſicut Romanorum Clementem à Petro edit. proinde vtique & ceteræ exhibent, quos, ab apoſtolis in epiſcopatum conſtitutos, apoſtolici ſeminis traduces habeant. confingant tale aliquid hæretici. Hactenus Tertull. Sed quid vnum, aut alterum eius libri locum pro hac veritate citamus? num quidquam aliud toto opere auctor contendit, quàm apud nos teſtatum, & maximè conſtitutum relinquere, non niſi penes eccleſiam legitimam & puram Dei verbi interpretationem aſſeruari, quòd ea antiquitatem & præcedentium ſacerdotum atque paſtorum perpetuò contextam ſeriem vnà cum doctrina, fide, ac traditionibus veneretur, obſeruet atque ſola retineat? ſcripturam ſanctã eccleſiæ hortum feſtiuè appellat, hæreticos cõtra prædones iniquos & graſſatores, qui in alienam poſſeſſionẽ impetum faciãt, & vim legitimis dominis inferant, grauiter increpat & accuſat, eccleſiam apoſtolorum hæredem eleganter nominat, quæ firmas habeat ſuæ hæreditatis origines, ipſam nimirum vſque ad apoſtolos cõtinentem ſucceſſionem, iſtos verò perditionis filios, exhæredes nominatim teſtamento ſuo ſcripſiſſe apertè commemorat.

Orig. hom. 19. ſuper Matth. Origenem non eſt quòd nunc ſilentio prætereamus: ſæpe enim eadem nota contra noſtræ fidei hoſtes eſt vſus. etenim is auctor, ſuper Matthæum ſcribens, non ſemel huius notæ, eccleſiaſtici ſcilicet magiſterij, mentionem honorificam facit. Quotieſcunque, inquit, aduerſus ea, quæ vniuerſa obſeruat Chriſti eccleſia, canonicas alioqui ſcripturas hæretici proferunt, videntur nobis dicere, Ecce in domibus eſt Dei verbum. ſed illis credere non debemus, neque à paterna noſtrum ſacerdotũ doctrina, & eccleſiaſtica traditione exire idem, cùm hæreticum diffinire vult, non alia differentia à veris Chriſtianis vſus eſt in diffinitione ſua, niſi quòd aliter de ſcripturis ſentiat & loquatur, quàm habeat diffinitio traditionis eccleſiaſticæ. idem in eodem opere verbum illud Chriſti, Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & phariſæi, quæcunque dixerint vobis,
Matth. 23.

facite, ſecundum verò opera eorum nolite facere: dicũt enim, & non faciunt. totum hoc ad nouæ legis ſacerdotes atque doctores eſſe transferendum, docet, & explanat. Si verò ab eo quæras, quare hoc non de legis gratiæ doctoribus eo loco fuerit expreſſum: reſpondet, Quia ſcilicet non dũ erat tẽpus, pręcepta legis ante paſſionis tẽpus manifeſtare. Sed reuertamur ad Latinos.

Diuus item Cyprianus, poſtquam vnam eſſe dixit catholicam eccleſiam per continuam ſacerdotum à Petro & ab apoſtolis ad ſuum tempus ſucceſſionem protractam, quæ nec diuidi, nec ſcindi poſſit, ne dum intermori, ſubiunxit hac vna ratione ipſam à quibuſuis confictis & ſimulatis coniurationibus eſſe dignoſcendam. idem præclarus Chriſti confeſſor, dum contra Nouatianum acriter diſputat, ita ingenioſè colligit, Quæ vnà intus eſſe, (loquebatur porrò de vera & legitima eccleſia) & ſimul foris non poteſt. nam ſi apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit. quòd ſi apud Cornelium fuit, qui epiſcopo Fabiano optima ordinatione ſucceſſit, Nouatianus in eccleſia non eſt. Vbi igitur optima ſeruabitur ſucceſſio, ibi profectò neceſſe eſt, vt vera eccleſia habeatur. Verùm ratio ipſa poſtulat, vt nonnihil de B. Hieronymo & Auguſtino hîc referamus, & an id quoque ipſi probauerint, atque eadem nota contra hæreticos, quibuſcum contendebãt, ſe defenderint, breuiter oſtendere pergamus. *Cypr. l. 2. epiſt. 12. & l. 1. epiſtol. 1.*

Diuus cum primis Hieronymus, contra Luciferianos agens, in hæc præclara verba prorumpit, In ea eccleſia nobis eſt permanendum, quæ ab apoſtolis fundata, vſque in diem hanc durat: ſicubi audieris eos, qui dicuntur Chriſti, non à domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupati, vtputa Marcionitas, Valẽtinianos, Mõtenſes, ſiue Campales, ſcito non eccleſiam, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. ex hoc enim ipſo, quòd poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros apoſtolos pręnuntiauit. Cetera huius excellentiſſimi doctoris teſtimonia in hanc rem, quæ plurima ſunt, proferemus, cùm de Romanæ ſedis primatu agemus. Auguſtinus ſimiliter inſigne hoc catholicę eccleſię ſuis hoſtibus ſemper obiectat. Manichęos debellãs dixit, In catholica ec- *Hieron. cõtra Lucif.* *Aug. contra epiſt. Fũdamenti c. 5. & cont. Fauſt. lib. 33. c. 19.*

cleſia me tenet ab ipſa ſede Petri apoſtoli, cui paſcẽdas oues ſuas poſt reſurrectionem dominus commẽdauit, vſque ad pręſentem epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum. idem contra eoſdem, O infelix, inquit, anima cui te cõmittis? cur te non potiùs ſubdis euangelicę auctoritati, tam fundatæ, tam ſtabilitæ, tanta gloria diuulgatæ, ab ipſis apoſtolorum temporibus vſque ad hæc noſtra per ſucceſſiones legitimas commendatæ? idem Donatiſtas ſic vrget, Numerate ſacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo patrum, quis cui ſucceſſit, videte. ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorũ portæ. Sexcenta præterea eiuſmodi teſtimonia ex eodem auctore contra Donatiſtas, & contra Parmenianum hæreticũ etiam Donatiſtam, atque ex multis aliis locis proferre liceret nobis, verùm hæc ſufficiant, tũ quòd ad oſtendendam ſancti viri mentem hac in parte hæc, quæ protulimus, pro infinitis eſſe poſſunt, tum etiam quòd cùm de diui Petri ac Romani pontificis primatu cum Caluino, acerrimo veritatis hoſte, congrediemur, iterum Auguſtinum appellabimus, atque Mileuitanum Optatum.

Vincentius Liri. aduerſ. hæreſ. Porrò ſi quę de hoc negotio Vincẽtius Lirinẽſis paruo illo libello, eruditiſſimo tamẽ, quem aduerſus hæreſes eccleſiæ obtulit, hîc nos referre vellemus, totus pænè liber eſſet tranſcribendus. quid enim ibi ſanctus ille vir habet, quod eccleſiaſticam hanc ſacerdotum ſucceſſionem non ſapiat? quid ille dicit, quod in ſacerdotalis magiſterij laudem & æternã commendationem non cedat? quid docet, vnde Romanę cathedrę auctoritas vel minimas rimas pati poſſe videatur, & non magis à tam iugi & perenni ſucceſſione, à tam firma & conſtanti veritate, à tam infracto in hoſtes Chriſti animo vehemẽter laudari, prædicari, æterniſque pręconiis celebrari? diuinis ſcripturis veterem ſacerdotum traditionem adiungit, quam generalem & certiſſimam viam eſſe dicit ad catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernendam. ſummopere ducit nobis eſſe curandum, vt ſcilicet in ipſa catholica eccleſia id omnes ſentiamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus eſt creditum, prout ipſa vis nominis ac ratio declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit. ſe-

quendam primò vniuerſitatem, id eſt, tenendam eam fidem, quam tota per terrarum orbem eccleſia confitetur, non eſſe deinde ab antiquitate recedendum, hoc eſt, ab iis ſenſibus, quos ſanctos maiores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt, conſenſionem nouiſſimè amandam, vt in ipſa vetuſtate, omnium vel re ipſa ferè omnium ſacerdotum pariter & magiſtrorum diffinitiones & ſententias ſectemur, validiſſimis productis exemplis Donatiſtarum, Arrianorum, Photini, Apollinaris, & aliorum grauiter confirmat. à noſtris antiquis patribus egregiam nobis formam eſſe in errore Donati refellendo relictam ponderat, quemadmodum ſcilicet & deinceps bono more, vnius aut certè paucorum veſanię vniuerſorum ſanitas ac prudentia anteferretur. vtique ſi pro celeſti dogmate humanæ cogitationes introducantur, ſi bene fundata antiquitas ſceleſta nouitate ſubruatur, ſi ſuperiorum inſtituta violentur, ſi ſcita patrum reſcindantur, ſi maiorum diffinita conuellantur, ſi ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites profanę ac nouellę libido non ſe cõtineat, profectò non minora mala nos paſſuros vir hic verè doctus prænuntiat, quàm ab Arrianis eccleſiæ noſtræ iam olim inflicta fuerint. apud hunc etiam auctorem præclara illa diui Ambroſij verba leguntur, Seruemus præcepta maiorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate violemus. librum ſignatum illum propheticum non ſeniores, non poteſtates, non angeli, non archangeli aperire auſi ſunt, ſoli Chriſto explanãdi eius prærogatiua ſeruata eſt. librum ſacerdotalem quis noſtrum reſignare audeat, ſignatum à confeſſoribus, & multorum iam martyrio conſecratum? quem qui reſignari coacti ſunt, poſtea tamen damnata fraude ſignarunt: qui violare non auſi ſunt, cõfeſſores & martyres extiterunt. quomodo fidem eorum poſſumus denegare, quorũ victoriam prædicamus? prædicamus, inquam, ò venerande Ambroſi, ait Vincentius, prædicamus planè, laudanteſq; miramur. nam quis ille tam demens eſt, qui eos etſi aſſequi non valeat, nõ exoptet ſequi, quos à defenſione fidei maiorum, nulla vis depulit, non minæ, non blandimenta, non vita, non mors,

non palatium, non ſatellites, non imperator, non dæmones: quos, inquam, pro religioſæ vetuſtatis tenacitate tanto munere dominus dignos iudicauit, vt per eos proſtratas repararet eccleſias, extinctos ſpiritales populos viuificaret, deiectas ſacerdotum coronas reponeret, nefarias illas nouellæ impietatis non literas, ſed lituras, infuſo cælitus epiſcopis fidelium lacrymarum fonte deleret: vniuerſum poſtremò orbem ſæua repétinæ hæreſeos tempeſtate perculſum ad antiquam fidẽ à nouella perfidia, ad antiquam ſanitatem à nouitatis veſania, ad antiquam lucem à nouitatis cæcitate reuocaret. neque enim fas erat, inquit ille, vt tanti ac tales viri vnius, aut duorum hominum errabundas, ſibíque ipſis contrarias ſuſpiciones tàm magno molimine aſſererẽt, aut verò pro alicuius prouinciolę temeraria quadam cõſpiratione certarent: ſed omnium ſanctæ eccleſiæ ſacerdotum, apoſtolicæ, & catholicæ veritates, decreta, & definita ſectantes, maluerunt ſemetipſos, quàm vetuſtæ, ſacerdotalis, & eccleſiaſticæ fidem prodere. Sed quid ago lector? quò feror? nónne ſtatueram nihil Vincentij attingere? verum eſt, quod vulgo dici ſolet, in vberi argumento neminem eſſe, qui etſi truncus, aut fungus ſit, & non homo, celerem & exercitatam linguam non ſe habere ſentiat. te tamen lector oro, vt commemoratum librum breuem, elegantem, eruditum, exemplis plenum, Deo vndique manantem memoria retinere cures, ne dum legere ac ſemper tuis manibus geſtare gaudeas. de me ipſo auſim affirmare, nunquam ad ipſius lectionem accedere, (quod facio ſedulò ac ſæpe) quin mihi cum iſtis nouis euangelicis coràm & à præſentibus rem geri videatur. nunquam verò aliò ſpectat, quàm vt doceat ſacerdotum magiſterium, quod re vera eccleſiaſticum vocamus, antiqua ſucceſſione confirmatum, Lydium fore nobis lapidem, ad quem vnum cùm fidei noſtræ dogmata, tum ipſas etiam ſcripturas diligenter examinemus, atque per eandem ſacerdotum in eccleſia ſucceſſionem, veram & antiquam eccleſiam à temerariis conſpirationibus, à contrariis ſuſpicionibus, à nouella perfidia, à nouitatis veſania, ab erroris demum cæcitate diſtinguere, diuí-

dere, ac longo diſcrimine ſeparare nouerimus. Si igitur, vt ſemel finiam, hac nota, eccleſiaſtico ſcilicet magiſterio, vſus eſt contra Marcionem Tertullianus, contra Valentinum Irenæus, contra Nouatianos Cyprianus, contra Donatiſtas & Manichæos Auguſtinus, contra Luciferianos Hieronymus, contra hæreticos omnes Vincentius Lirinenſis, cur minùs nobis licebit eodem ſigno veram eccleſiam contra Lutheranos, Zuuinglianos, Anabaptiſtas defendere? ſi publicus omnium mortalium cum ipſa natura exortus vſus habet, vt legitima nimirum eorum, qui religioni cuiquam, aut doctrinæ pręſunt, ſucceſſio in primis attēdatur, ſi id ipſum in quauis viuendi ratione ciuilis etiam prudentia ſtatuit, cur, à te magnopere peto, & quæſo, à religione noſtra, à republica noſtra tantum luminis, tantum ſplēdores, tantum certitudinis remouebimus? an quia ceteris non eſt præſtantior? an quia ceteris non eſt certior? an quia prior non eſt, quàm ipſa ſcriptura? an quia non mater ſcripturæ & intelligentiæ ipſius eſt? an quia non ſatis eſt, vt dicebat Auguſtinus, dum de baptiſmo paruulorum ageret, auctoritas matris eccleſiæ affirmet quidquam, vt pro cæleſti canone id ipſum habeatur? Num omnes eccleſiarum epiſcopi, aiebat Hieronymus contra peſſimum Vigilantium, non ſolùm ſacrilegi, ſed fatui ſunt, qui reliquias martyrum in ſerico & vaſe aureo portauere? num Romanus, inquit, ipſe pontifex ſacrilegus eſt, qui, non conſiderans ſcripturas, offert domino ſacrificia ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli veneranda oſſa, & tumulos eorum arbitratur altaria Chriſti? Antiqui ſacerdotes anteceſſores noſtri, inquiebat Antiochenus Serapio apud Euſebium, de euangelio Petri loquens, Petrum & alios apoſtolos receperunt, ſicut Chriſtum: quæ autem ſub eorum nomine falſa ab aliis ſunt conſcripta, declinarunt, veluti gnari eorum ſenſus, & diuinarum ſcripturarum intelligentiæ, ſcientes, quòd talia non ſunt nobis tradita.

Caluiniana oppoſitiones, contra præfatam veritatem ab eis excogitatæ, planè diluuntur, quæ ac qualis ſit hæc ſacerdotum ſucceſsio legitima, declaratur, eam olim in Aſia, Græcia, Ægypto, Africa viguiſſe ſatis probatur, cathedram demum Petri ſemper veritatem coluiſſe, à qua Caluinus receſſerit, non obſcurè ſignificatur.

CAP. VII.

EX vetuſtis annalibus, quid olim in Italia, in Gallia, in Hiſpania fuerit obſeruatum, lector Chriſtiane, copioſè produximus, à ſanctis illis viris, qui ſana doctrina, excitarunt, fundarúntque eccleſias, & doctrinam ipſam, atque eccleſię ædificationem ſuo ſanguine ſtabilierunt, noſtram nos originem ducere palàm oſtendimus, eccleſiam item ſic & ſpiritualibus donis, & martyrum ſanguine conſecratam, perpetua epiſcoporum ſucceſſione apud nos conſeruari probauimus, commemorauimus, quanti hanc ſucceſſionem fecerint Irenęus, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Auguſtinus, Hieronymus, & alij auctores, mea quidem ſententia, haud cõtemnendi, immo quorum vnumquenque mille Caluinis, Oecolampadiis, Zuuingliis, Seruetis, atque ſimilis farinę hominibus anteferre debeamus: quid autem ad hęc iſte reſpondeat, diligentiſſimè, à te maximopere quæſo lector, perpẽdamus. *Quàm friuola ſint iſta & planè ludicra, faciam, vt nullo negotio intelligant ij, qui mecum ea paululùm expendere volent. equidem eos quoque hortarer, vt huc animo ſeriò aduerterent, ſi quid docendo proficere apud eos poſſe confiderem. Primùm ab illis quæro, cur non Africam citent, & Ægyptum, & totam Aſiam? nempe quia in omnibus illis regionibus deſit ſacra hæc epiſcoporum ſucceſsio, cuius beneficio ſe eccleſias retinuiſſe gloriantur. Eò igitur recidunt, ſe ideo veram habere eccleſiam, quia ex quo eſſe cœpit, non fuerit epiſcopis deſtituta: perpetua enim ſerie alios alius ſucceſsiſſe. Sed quid ſi Græciam illis regeram?* hoc vnũ quidem certè tibi ſemper propoſitum eſt Caluine, vt ſcilicet omiſſa penitus veritatis ratione, quacunque poſſis via, rem tuam agas. primùm ſic patres illos, quos produximus, pręteris, vt indignos eos ęſtimare ſis viſus, quibus apud tuos iſtos viros bonos, & veri ſtudioſos vel verbum vnum reſponderes. tantum abeſt, vt eis

Conſideratio prima
Cal. lib. 4. c. 2. ſect. 2.

velis ſtudio obſequi, atque ipſorum ſententiis vnquam ſtare decreueris. Ecquis, dices, non grauabitur exædificare id opus, quod ſemel conſtruere inſtituit? Deinde quid nobis obiicis Aſiam, Ægyptum, & Africam, qui de Romanę potiſſimùm eccleſiæ legitima vſq; ad nos ſucceſſione locuti ſumus, quæ verum magiſterium apud ſe continenter retinuit, quemadmodum referunt iidem ipſi magiſtri, quos ſupra recenſuimus? Si ordo ſibi epiſcoporum ſuccedentium, inquit Auguſtinus contra Donatiſtas, conſiderandus eſt, quantò certius & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus? cui totius eccleſiæ figuram gerenti dominus ait, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam: & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemẽs, &c. Age iam qui voles curioſitatem exercere, Tertullianus ait, in negotio ſalutis tuæ, percurre eccleſias apoſtolicas. ſi Italiæ adiiceris, Romam habes, vnde nobis quoque auctoritas præſtò eſt ſtatuta. felix eccleſia, cui totam doctrinam apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Si ignoras, inquit Mileuitanus Optatus contra Parmenianum Donatiſtam, diſce, ignorantia tibi aſcribi non poteſt, ſciente te, Petro in vrbe Roma primò cathedram epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium apoſtolorum caput ipſe Petrus, inde Cephas appellatus, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne ceteri apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram, alteram collocaret. Ergo in cathedra vnica, quę eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c. vbi etiam hic auctor pulchra vſus ſimilitudine dixit in Romanam eccleſiam ceteras conſentire non aliter, quàm ſoleant digiti in vnam manum conuenire. Ad hæc iſtud, quod tu in Aſia, Ægypto, nonnulliſque aliis prouinciis ſacerdotum ſucceſſionem ceſſaſſe ponderas, multò te elegantiùs iam olim fecerunt ſancti, ſed longè alio animo ab iſto tuo. ò rem omni conſideratione dignam, vnde tu Caluine perditum iri arbitraris ſacerdotũ magiſteriũ, quò ſimul Romanam celſitudinẽ funditus euellas, inde eximij illi patres apoſtolicã

Conſideratio. 2.

Aug. cõt. Donat. epi. 36.

Tertull. de pſc. pag. 109

Optat. li. 2. cont. Parm.

Conſideratio. 3.

hanc ſucceſſionem à Petro vſque ad præſentem Romanum epiſcopum confirmatam, ac corroboratam eſſe non ſine ratione cenſent. Poſtremò, vt de omni ſacerdotum ſucceſſione loquamur, vide quàm te tuis armis feriam. tu dicis, *In omnibus his regionibus deſiit ſacra hæc epiſcoporum ſucceſſio, cuius beneficio ſe eccleſias retinuiſſe gloriantur*: immo verò quàm diu in ipſis regionibus ſeruata eſt hæc legitima ſucceſſio, de qua ſermonem hactenus fecimus, tam diu catholica fides, & eccleſiæ nomen apud ipſos mãſit. quid te ſimulas morionem, ſtultum, non capientem neque verba, neque ſenſum noſtrum homo vafer? num, quando nos continuam ſacerdotum ſucceſſionem citamus, dicere intendimus, vt tu iniquè interpretaris, ideo nos veram habere eccleſiam, quia regiones noſtræ ea ſacerdotum ſucceſſione deſtitui non poſſint? non argumentamur à perpetua ſucceſſione prouinciarum, ſed à doctrina, quæ habita eſt, cùm in eis regionibus ea legitima ſucceſſio vigeret. cúmque hæc noſtra fides eadem ſit omnino cum religione, quæ olim in Aſia, Africa, Ægypto, & Grçcia colebatur, atque illa in apoſtolos & Chriſtum recto tramite deuoluatur, & ſic in ſçculi conſummationem fore ſuperſtitem firmiter credamus: nõ poſſumus hac legitima epiſcoporum ſucceſſione nos ſemper non tueri. Nihil igitur auctoritatis antiquæ doctrinç, quç viguit aliquãdo in Aſia, detrahitur, quòd poſtmodum ea ſucceſſio quoquo pacto prçſciſſa fuerit. num quia Africam pænè totam barbarica gens Chriſtiana pietate & fide ſpoliauit, ſacerdotibúſque priuauit: ideo exiſtimare licebit, ſimul ab antiquis patribus hçreditariam ſucceſſionem, quam ab apoſtolis, atque Chriſto ipſo apud ſe depoſitam habuerunt, quàm diu religio vixit, vi aut furto fuiſſe ſublatam? hçc, inquam, ſucceſſio finibus prouinciarũ alligata non eſt, ſicut nec fides, modò per legitimos paſtores ſibi ſuccedentes ea recipiatur. Verùm ſi vnius Romanç eccleſiç, cuius fides nunquam peribit, legitima ſucceſſio proferatur, ſatis ſupérque Caluini argumento fecerimus. hac ſimiliter ratione nullo labore à ſequenti iſtius captione nos expedire poterimus: ait enim.

Conſideratio 4.

Quæro igitur ab ipſis iterum, cur apud Græcos periiſſe eccle-

ſiam

ſtam dicant: apud quos nunquam interrupta fuit illa epiſcoporum ſucceſsio, eorum opinione, vnica eccleſiæ cuſtos & conſeruatrix. Græcos faciunt ſchiſmaticos: non nos facimus, ſed ipſi, dum à ſede Petri deſciuerunt, & dũ ſimul Chriſti veritatem, quam à patribus per manus acceperunt, in qua Rom. ſedis obſeruantia bonum locũ obtinebat, ſaluam & incorruptam ipſi non retinuerunt, nec in ea, quæ fuit olim ſuorum patrũ, fide permãſerunt, ſe ipſos tanto priuilegio priuarunt. cúmq; etiam apud eos multi patriarchæ, & imperatores hæretici, & ſeditioſi homines ſuborti ſint, ipſis porrò religionem adminiſtrantibus legitima illa ſucceſſio catholicorum epiſcoporũ interrupta ſeruari non potuit: quamuis ea, quam videmus, apud ipſos patriarcharum & epiſcoporum continuatio floreret. Conſtantinopoli ſederunt hi, Macedonius, Acacius, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Anaſtaſius, & alij: Ieroſolymis verò Ioãnes Origeniſta, Salluſtius, Arſenius, Heraclius, Hilarius: Antiochiæ, Paulus Samoſathenus, Eulalius, Euzoius, Ioannes Domnus, Petrus Gnaphæus, Macharius. non enim de quauis epiſcoporum ſucceſſione hîc tractamus, ſed de legitima, quæ ab apoſtolis, Petro potiſſimum & eius cathedra, originem ſuam trahit. Magnus Baſilius, Cæſareæ Cappadociæ & Orientis totius ſingulare ſidus, quò legitimus haberetur apoſtolorum ſucceſſor, Petri cathedram omnium aliarum eccleſiarum parentem eſſe, magiſtram, & principem, ac proinde ſemper fore conſulẽdam ſæpe prædicauit, ac ſæpe hortatus eſt. epiſtola verò 52. in Romani pontificis obedientiam diſertiſſima eáque valde catholica oratione, ad Athanaſium ſcribens, ſeipſum ac ceteros coepiſcopos vehementer incitat. quod & confirmat in altera epiſtola ad Vltramarinos miſſa. Nicænum cõcilium, quod vnum totam illam Aſiæ prouinciam benemeritam de Chriſtiana religione reddidit, huius principatus meminit. quem honorẽ ſecunda ſynodus Nicæna Romano paſtori nõ detulit? in Bithynia celebrata fuit Calcedonenſis ſynodus, ea tamen quanto honore ac reuerẽtia Romanum paſtorem Leonem proſecuta fuerit res eſt lippis ac tõſoribus, vt vulgò dicitur, notiſſima. Aſiæ erat nobiliſſima pars, Græ-

Aſia Petri primatũ recognouit.

Concil Nicæ can. 44.

gorius nimirum Naziãzenus, qui in oratione funebri in obitu Magni Baſilij, cum fratre ſuo, primũ ac ſummũ in terris iudicem, Romanũ certè pontificem recognoſcit. Si Græciam commemorare etiam velimus, quis, rogo, Chryſoſtomum in ſuam ſedem Antiochenam ſcilicet, niſi Romanus pontifex reſtituit? quis Maximum? quis Flauianum? quis Ignatium? ſupremũ apoſtolicum, ſummum pontificem, papam ac martyrem Martinum epiſcopum Romanum à maximo monacho Græco vocari ſępe audies. Theodoritus Cyrenſis Leonem beatiſſimum, non minùs, quàm fecerat anteà diuus Hieronymus Damaſum papam, ſuarum cauſarum iudicẽ à Deo in Petro apoſtolo creatum fuiſſe, ſcribens ad ipſum, atque ad Renatum presbyterum ex collegio cardinaliũ, diſertis verbis frequentiſſimè nominat. Conſtantinopolitanus patriarcha Photius, auctor in omni genere literarum erudítiſſimus, ad Nicolaum põtificem ſcribẽs, ſatis explicatè ſignificauit eſſe epiſcopum Romanum iudicem primum eccleſiaſticarum rerum, cui cõueniat ἐπικυροῦν συνοδικὴν ἀπόφασιν. (his enim verbis vtitur) id eſt, auctoritatem tribuere ſynodicæ ſententiæ. Si ad Africam venerimus, putas defutura nobis illuſtria exempla, quibus probemus tãdiu illas eccleſiæ Romanæ hæſiſſe, quàmdiu ipſa regio in vera Chriſti fide perſtitit? annon in gloriam Alexandrinæ eccleſiæ Hieronymus, ſcribens ad Theophilum epiſcopum, reponebat, quòd Romanæ ſemper adhæſiſſet? annõ ad Pammachium & Marcellam idem auctor ſcribit, Alexandrinam ſedem Iulium, Liberium, Marcum pontifices Romanos ſummos & apoſtolicos viros & orbis totius rectores, ſuſcipere, ac venerari? quis Athanaſium exulem ſuæ ſedi reddidit? quis Appionem? quis, niſi ille omnium moderator, qui, Romæ ſedens, totius Chriſtiani orbis clauum tenebat? ad quem, niſi ad Innocentium primum Mileuitanum concilium pro ſuo robore, ac confirmatione geſtorum confugit? Quoties Africæ meminerimus, reuocemus, rogo, animos noſtros ad præclariſſimorum luminum memoriam Cypriani, Auguſtini, Tertulliani, Optatíque, huic ſedi maximè addictorum. cuius auctoritate duo illa Africana concilia, tertium videlicet

Syn ſeptima.

Alexãdrina eccleſia Romanæ obediẽs ſemper. Hieron. tom.2. fol.103. & to.2 fol.105.

Aug. epiſt. 90. & 91. Cypr. lib.2. epiſt.11.

& quartum, niſi Zoſimi vniuerſalis magiſtri illuſtrata enitêre videntur? altera verò duo nonne Bonifacius cõfirmauit?

Sed iam, his prætermiſſis, ad conuicia per integrum fermè librum Caluinus ſe confert. nos itaque, dum ad Romanorum pontificum perennem ſucceſſionem confugimus, ſimiles illis facit, qui apud Ieremiam, cuius ſe tenere nunc perſonam nihil dubitat aſſeuerare, mendacibus verbis gloriabantur, dicentes, Templum domini, templum domini, templũ domini eſt. nos inſtar Iſmaelis ex ancilla natos, ſe verò Iſaac ex libera nominat: vt hoc inuiolabili decreto, Eiice ancillam, & filium eius, fretus fortiter ſpernat inſipidas vetuſtatis iactantias noſtras. in noſtra eccleſia verbum Dei ne apparere quidẽ dicit, quæ vna nota perpetua eſt, qua ſuo dominus noſter ſignauerit. in noſtram ſocietatẽ omnia certiùs cõuenire, quæ de vetere ſynagoga à prophetis dicta leguntur, quàm longiſſimè probare contẽdit. negare inprimis nulla frõte nos poſſe obiicit, vt vitia noſtra maximè extenuemus, religionis ſtatum ita apud nos corruptum vitiatúmque eſſe, ſicut fuerit in regno Iſraelitico ſub Ieroboam. idololatriam craſſiorem dicit nos habere, neque in doctrina guttula vna eſſe illis puriores. non in minori odio, non in mitiori inuidia apud nos eſſe veros Dei cultores affirmat, ac ſui diuini verbi candidi explicatores, quàm fuerint in Iſrael quidem Elias, Michęas & ſimiles, in Iuda autẽ Eſaias, Ieremias, Oſeas, & reliqui eius notæ, quos peius quibuſuis incircumciſis oderant & execrabãtur ſui ſęculi prophetæ, ſacerdotes, & populus (credo lector, quòd per Eliã Lutherũ intelligat iſte, per Michæam Muſculũ, Eſaiã Petrum Vermeliũ martyrem, Ieremiam Melanchthonẽ, Oſeam Oſiãdrum) denique pro verbi miniſterio habere nos ſcholas impietatis, & errorũ omne genus ſentinam, multa oratione affirmat. proinde aut eccleſia, ſecũdum iſtius rationem, hæc noſtra communitas non erit, aut ſi certè eſt, nullum iam reſtabit ſymbolum, quo legitimi fidelium cœtus à Turcarum conuentibus diſcernantur. baptiſmum tamen diuini fœderis teſtimonium, ſimul cũ nonnullis aliis pauculis reliquiis, legitimæ eccleſiæ hîc

Tertiũ arg. Cal. quod totum cõuiciis conſtat.

Iere. 7.

Gene. 27.

diuina prouidentia conſeruatum fuiſſe dicit, ne eccleſia prorſus interiret. de eccleſiæ doctoribus, & miniſtris, & eorum electione, atque officio multa comminiſcitur, quibus eccleſiaſticam hierarchiam deſpicabilem reddat. de ſtatu veteris eccleſiæ & ratione gubernandi, quæ in vſu fuerit ante papatum, vt ipſe loquitur, mendaciſſimè plurima contra ſanctos, & contra antiquas hiſtorias coaceruat, nõ aliò oculos ſuos coniectos tenẽs, quàm vt hanc antiquam regiminis formã omnino peſſundatam nunc iacere apud nos, quoquo pacto demõſtret. ò quàm eſt hîc elegans in dicendo, quàm acutus, quàm ſubtilis, quàm ſuis facetus. nihil relinquit immotum, ac nõ peccata noſtra modò ante oculos noſtros ponit, ſed ad ipſos etiam cogitationum noſtrarum longè poſitos receſſus penetrans, cuncta luſtrat, cuncta percurrit, omnia retegit. Nos itaque, optime ac Chriſtiane lector, vniuerſam iſtius accuſationem in tria capita redigemus, nam idololatras nos facit, & diuini verbi contemptores, ac veritatis deſertores, deinde eccleſiaſticam hierarchiam nos cõfudiſſe criminatur, peccata poſtremo ſacerdotum, qui præſunt eccleſiæ noſtræ, nobis obiectat. horum primum ſæpe iam nos tetigimus, vt opus fore non arbitremur hîc iſti reſpõdere. verùm quia Caluinus ſemper erit Caluinus non minùs, quàm Geta ſemper Geta, de eccleſiaſticæ fidei veritate nunc hoc iam dictis addemus. Quæ neceſſaria nobis cognitu & fixa omnibus eſſe oporteret ac minimè dubia, ſic hæc noſtra eccleſia, quàm tu peſſundas, quam crucias, quam verbis ac vnguibus figis, mira antiquitatis conſenſione, inenarrabili ſeculorum concordia, diuina demum vnitate nobis credenda, obſeruandáq; porrigit: vt id ipſum omnes ſapiamus, id ipſum omnes loquamur, id ipſum denique omnes prædicemus. ſiue igitur res agatur de ſacramentorum pluralitate, ſiue de ipſorum vſu, efficacia, atque virtute, ſiue de libero hominis arbitrio, ſiue de operum meritis, ſanctorum gloria, veneratione, inuocatione, atque ipſorum imaginibus, ſiue de purgatorio, de ſuffragiis mortuorum, ſiue de apoſtolicis traditionibus, atque eccleſiaſticis cæremoniis: ſemper quidem certè tam nos, quàm illos patres, quoquot cum ca-

Partitio accuſationis Caluini.

tholicæ fidei ſigno nos præceſſerunt, vno ore fuiſſe locutos, ſemper nobis conſtaſſe reperiet, quiſquis veritatis ſimul ac ſuæ felicitatis amator rem expendere animo non faſcinato, ſed libero & candido curauerit. ò beata & ſemper benedicta Petri ſedes, quæ nullis inimicorum copiis ſuccumbis, nullis hæreticorum ponderibus fatiſcis, tot malleis percuſſa perſtas, tot fulminibus icta non cótereris, à tot diurnis graſſatoribus, nocturníſque furibus moleſtè, inſidioſè, fallaciter, ſceleritérque tractata, cæleſte depoſitum firma & fida cuſtodia aſſeruatum habes: tibi ſemper optimè conſtas, non eſt apud te, eſt, & non eſt: ſingulæ illæ partes, quibus tu, pulchrum nimirum Chriſti ſponſi tui corpus, conſtitueris, tanta concordia in officio & religione retinẽtur, vt nihil ſit omnino, quod te deformet, nihil, quod de cęleſti iſta tua forma vel minimum quidem deiiciat. Solent nonnunquam auctores noſtri doctores ſcholaſtici præſertim, in rebus, quæ vnitatem fidei minimè offendunt inter ſe nonnihil diſſidere, citra tamen contemptionis rabiem, & citra firmiter aſſerendi peruicaciam. vt facilè intelligere quiuis poſſit veritatis cognoſcendæ gratia, non impetuoſa contradicendi libidine in certamen illud modis omnibus commendãdum deſcendiſſe. Contra verò, qui ſunt Caluine, qui pro verbi miniſterio ſcholas habẽt impietatis, & errorum omne genus ſentinã, niſi vos? annõ impietatis ſchola, Pelagiana fuit? at Pelagius, teſte Auguſtino lib. 3. ca. 3. cõtra Iulianũ, & in libro de hæreſibus ad Quod vult Deum, ac ſæpe alibi, non eſſe peccatum originale propriè in infantibus, & nõ eſſe fideliũ paruulos immũdos etiã ante baptiſmũ, ſed bonos naſci, atque hæredes vitæ æternæ docuit: quã certè doctrinã tu pro Dei verbo habes. an non errorum magna & pernicioſa erat ſentina Manichæorũ eccleſia? at Manichęus, Hieron. de eo affirmãte, in præfatione in dialogos in Pelagianos, hominem nõ eſſe liberi arbitrij, ſed & Dei legẽ hominibus eſſe impoſſibilẽ prædicabat: vtrãq; tamẽ aſſertionẽ tu pro Dei verbo æſtimas. Manſilianos, nemo dubitat, peſtilentiæ cathedrã conſcendiſſe, de quibus S. Damaſcenus in ſuo libro de hæreſibus refert, eos docuiſſe baptiſmum ho-

Recẽſentur qui pro verbi miniſterio res impias docuerint, atq; eorum veſtigia iſtos perſequi oſtenditur.

minem non perficere, nec ſanctificare, nec in ipſo originale peccatum remitti, ſed non imputatum tantùm manere. quam certè aquam ex illa ſentina tibi ipſi collegiſti Ioannes, quam & ex Dei verbo puro te habere iactas. Seleucianos & Herminianos peſtem Chriſti populo propinaſſe, docētes non eſſe baptiſmum aquæ neceſſarium, ex diuo Auguſt. libro de hæreſibus ad Quod vult Deum, apertè didicimus. horū tu poculum nobis porrigere, id ipſum aſſeuerando, per Dei verbū niteris. cum Donatiſtis, vt videre eſt apud Optatū, chriſma cōſpuis, ac conculcas. cū Berengario Chriſti corporis realem præſentiā in ſacramēto negas: & cum Neſtorianis, vt auctor eſt Cyrillus in epiſtola ad Colobas, extra vſum ſacramenti euchariſtiam nō recipis. Aërij diſcipulum te eſſe oſtēdis, cùm pro mortuis non eſſe ſacrificādum oblatras, teſte diuo Auguſtino & Epiphanio. Armenorū, Catharorū, Flagellatorū errorē reuocas, dum ſacramenta eccleſiæ hominū figmēta vocas, nullā gratiā cōferentia. cùm imagines Chriſti & ſanctorum inſectaris, Feliciano & Vualdēſibus adhęres. Porphyrius, Eunomius, Euſtathius per te ex inferno ad viuos reuocantur, cùm ſanctorū miracula dæmonū præſtigias reputas. vt Vigilantij vtique ſectatorē te diuus Hieronymus, ſi illo ſæculo nat⁹ fuiſſes, ſuo calamo fixiſſet, quippe qui ſanctorū reliquias nō eſſe venerandas, nec ipſos ſanctos inuocandos ſentias. & audes ò Pelagij progenies, ò Manichæi proles, ò Aërij propagatio, ò Porphyrij, Eunomij, Euſtachij, Vigilātij, Berēgarij, Donati, Feliciani, Soboles, ò Maſſilianorū, Seleucianorū, Armenorum, Catharorum, Hermianorum, Vualdenſium genus, audes, inquam, catholicam eccleſiam, ò viperarum procreatio, ad quam nulla iſtarum acceſſit vnquam perfidia, omne genus erroris ſentinam nominare? eccleſiæ titulum ei pęripere, apud quam verbi ſui prædicatio & myſteriorum obſeruatio, ſicut Deus depoſuit, ita cuſtodiuntur? Verùm hæc ſint dicta de primo accuſationis tuæ capite. ſecundum verò, quod totum poſitum eſt in diſpoſitione & ordine eccleſiaſticæ hierarchie, ſuū locū habebit, approbāte Deo, in ſequēti quidē libro, cū de ſacramento ordinis agemus. nunc tantùm ſupereſſe

videtur tertium,quod ſanè in abuſibus,vt iſte loquitur, in corruptis moribus, in deprauatis ſanctis legibus , ac conſuetudinibus antiquis recenſendis collocatum eſt. ſed , ne nimia verborum prolixitate lectorem meum offendi contingat , in ſequens caput rem hanc totam transferam : atque , vt hæc omnia , quæ impudenter in nos coniicit, veriſſima forent, non tamen cuiquam ob hanc cauſam ab eccleſiaſtica vnitate licere ſe preſcindere,optimis productis exemplis,planiſſimè oſtendemus.

Nemini licere eccleſiæ vnitatem deſerere,quòd antiqui mores poſthaberi videantur, modò antiqua fides ſemper retineatur,ſanctorum ſcripturis conuincitur,atque ſic ſolitos iam olim hæreticos fuiſſe, Donatiſtas maximè,contra eccleſiam inſurgere,ipſorum verbis inductis, monſtratur.

Cap. VIII.

VNa nos conſolatio ſuſtentat optime & Chriſtiane lector,peruulgata quidem illa maximè,quam ſemper in ore atque in animo habere debemus , vt eiſdem telis omnibus hodie , quibus olim Chriſti eccleſiã propoſitam eſſe meminerimus. immo verò ſi Auguſtinum legas cõtra Donatiſtas,quàm veriſſimum reperies,non niſi conſepultis pridem artibus,& iniuriis, quas iam obliuio contriuiſſe videbatur, noſtri temporis hæreticos ipſam pulſare ac exercere. vtinam omnes iſti,qui Chriſti eccleſiam perſequuntur,eos religioſè legerent:intelligerent profectò, quàm nihil ſit aliud iſta ſua iactãtia, niſi recocta cambre Donatiſtarum. ne viuam lector, ſi id certiſſimum tibi non reddidero. omitto morem illũ appellandi ſcripturas , quem aliâs nos tetigimus , nihil referam inanem illam ſuam conſtantiam, & firmitudinem,quam catholicis obiectabãt,de qua certè re & nos hoc in opere locuti ſumus : hæc itaque relinquamus,vt ad duo,quæ ſunt conſideratione digniſſima,veniamus. Narrat diuus Auguſtinus olim Petilianum quendam, Donatiſtarum apoſtatarum ducem & epiſcopum , clamare ſolitum eſſe, TOTVS MVNDVS APOSTATAVIT, NOS AVTEM IN ECCLESIA PERMANSIMVS, TANQVAM ILLAE DVAE TRIBVS IN POPVLO DEI. audiuiſti lector quale iudiciũ

Verba impudentiſſima Donatiſtarum, quæ noſtri temporis hæretici vſurpant.

Auguſt. lib. 2. cont. lit. Petil. *Ibidem.*

beſtia iſta de ſe habeat, audi iam nunc, precor te, quales eſſe dicat Romanæ eccleſiæ ſectatores. catholicos patres, quos habuit ea ætas, omni ſanctimonia & literarũ ſplendore clariſſimos, pſeudoepiſcopos nominat, Iudæ proditoris vicarios nuncupat, euãgeliorum incenſores appellat, ſceleratos, impios, viperarum progenies, rapaces lupos, diabolos in lucis angelos transformatos, carnales, à ſpiritu Dei longè alienos, verorum Chriſtianorum, immo ipſiuſmet Chriſti Ieſu acerrimos hoſtes, elatos dicit ac vanos: nihil demum relinquit, ne quid poſtmodum haberet Caluinus, quod contra epiſcopos nouè diceret. Si ſacerdotes, inquit, vos dicitis, bene: ſic à domino dictum eſt per prophetam, Vltio domini ſuper falſos ſacerdotes. ſi cathedram vobis miſeri vendicatis, habetis illam profectò, quam Dauid propheta pſalmographus peſtilentiæ cathedrã pronuntiauit. vobis enim iuſtè relicta eſt, in qua ſancti ſedere nõ poſſunt. ſi ſacrificia vos facere iudicatis, de vobis nequiſſimis Deus ipſe ſic dicit, Facinoroſus ſacrificat mihi vitulum, quaſi canem occidat, & qui ponit ſimilaginem, quaſi ſanguinẽ porcinũ fundat. ſcitote ſcitote veſtrũ ſacrificiũ, qui ſanguinem humanum iam funditis. Sacrificia eorũ, inquit ſcriptura, quaſi panis luctus: omnis, qui mãducat ex illo, inquinabitur. ſi precem Deo facitis, aut orationem funditis, nihil vobis penitus prodeſt. veſtras enim deuiles preces cruenta cõſcientia veſtra euacuat: quia dominus Deus puram magis conſciẽtiam, quàm preces exaudit, domino Chriſto dicente, Non omnis, qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum cælorũ, ſed is, qui facit voluntatem patris mei, qui in cęlis eſt. volũtas vtique Dei bona eſt: nã quotidie in oratione ſic petimus, Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra. vt quia volũtas illius bona eſt, nobis, quæ bona ſunt, largiatur. vos ergo voluntatem Dei non facitis, quia mala quotidie perpetratis. Hactenus furia iſta. Iam Caluine, quod tu auferas, non habes. arripuit iſte magiſterij cathedram, ſacrificandi poteſtatem, atque orãdi miniſterium, (quæ certè tria euangelici ſacerdotij abſolutę partes ſunt) abſtulit vitæ candorem à ſanctis, ſcientiæ lumen à doctiſſimis, ſacrificium à ſacerdotibus, orationis efficaciam à

veris & ſpiritualibus adoratoribus, quid plura? nomen eccleſiæ, immo Deum ipſum abſtulit. habéſne tu Ioannes, quòd nobis ampliùs noceas? quod lædas? Sed percupio, inquies lector, audire, quid diuus Auguſtinus, tot iniuriis ac contumeliis exagitatus & irritatus, importuno ſatis conuiciatori reſponderit. & id referre tibi lector mihi perplacet. Quære potiùs, inquit magnus pater Auguſtinus, quid verè dicas, quàm vnde male dicas, quid doceas, non quid obiicias. nam hęc non vides non eſſe documenta, ſed vana conuicia? hoc enim eſt illud, quod paulò antè dixi, VERBA LEGIS DICITIS HAERETICI, SED IN QVOS DICATIS, NON ATTENDITIS. ſicut diabolus verba legis dicebat, ſed cui diceret, non agnoſcebat. ille caput noſtrum, ſurſum aſcenſurum, deorſum volebat deiicere: vos autem corpus eiuſdem capitis, quod per totam terram diffuſum eſt, ad exiguam partem vultis redigere. Certè ipſe paulò antè dixiſti, nos legem noſſe, & legaliter loqui, ſed in actibus erubeſcere. dicis quidem iſta nihil probans, ſed etſi de aliquibus probares, de his ceteris non pręſcriberes. veruntamen ſi omnes per totum orbem tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris, CATHEDRA TIBI QVID FECIT ECCLESIAE ROMANAE, IN QVA PETRVS SEDIT, ET IN QVA HODIE ANASTASIVS SEDET, CVI NOS IN CATHOLICA VNITATE CONNECTIMVR, ET À QVA VOS NEFARIO FVRORE SEPARASTIS? QVARE APPELLAS CATHEDRAM PESTILENTIAE, CATHEDRAM APOSTOLICAM? ſi propter homines quos putas legem loqui, & non facere, nunquid dominus Ieſus Chriſtus propter phariſæos, de quibus ait, Dicunt enim, & non faciũt. cathedrę, in qua ſedebant, vllam fecit iniuriam? nónne illã cathedram Moyſi commendauit, & illos, ſeruato cathedræ nomine, redarguit? ait enim, In cathedra Moyſi ſedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis cathedram apoſtolicam, cui non communicatis. Sed quid eſt

Verba Aug. contra Petilianum.

aliud,quàm neſcire,dicere,& tamen non poſſe niſi maledicere?Vtinam celerem & exercitatam linguam haberem,vt rem tantam ſi non vincere ſermone,ac ſuperare poſſem.æquare tamen omni accuratione ſtuderem. ſed tantò illuſtrior veritas hęc omnium oculis ęſtimabitur, quantò minoribus ac propè nullis eloquentię ornaméntis elaborata colluxerit.non iam poſtulo Caluine,vt totam iſtam tuam orationem,qua cõtra Romanam eccleſiam quatuor integra folia maledicendo conſumis, vni Petiliano referas acceptã:(nolo nimiùm vrgere,ex iſto vno fonte vniuerſa te hauſiſſe,quę bonis temporibus in ſtagnis retenta,tu modo abſurdo piis auribus ſono cieres)tãtùm reſponde,nónne tua vox illa eſt, Totus mũdus apoſtatauit?nihílne tuæ maledicentiæ & iactantiæ conuenit cum ea Petiliani arrogantia, Nos in eccleſia permanſimus, tanquam illæ duæ tribus in populo Dei? quoties peſtilentiæ cathedram nobis opponis, qui non niſi,quam tenebat Auguſtinus, nempe Romanam & apoſtolicam, ſeruamus? quoties pro vero Dei cultu nefandum idololatriæ ſacrificium in Chriſti eccleſiam inuexiſſe criminaris?quoties orationes noſtras,quotidianas & horarias preces irrides?nos ſtultos,moriones,ſceleratos, iniquos, verorum prophetarum interfectores, immo Chriſti acerrimos perſecutores plenis,vt tu dicere ſoles, buccis nominas & infamas? quibus omnibus hæc ſolùm reſpondebimus,Quære Caluine potiùs,vnde verum dicas,quàm vnde malè dicas,quid doceas,non quid obiicias.non vides hæc documẽta non eſſe,ſed vana conuicia?verba legis & ſcripturę dicis,in quos dicas, non attendis. túne Chriſti capitis noſtri corpus, quod per totã terram diffuſum eſt, ad exiguam partem rediges? ſi omnes per totum orbem tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris, quid tibi fecit cathedra Petri, hoc eſt,Romana eccleſia, in qua ſedit Petrus, cui nos in catholica vnitate connectimur,& à qua tu nefario furore te ſeparaſti?cathedram apoſtolicam, peſtilentiæ cathedram appellaſti Caluine?

Legatur Auguſt. lib. operu breuiculi collact. contra Donat. & lib. poſt collact.

Quanquàm ex nimio iuſtitiæ zelo eam tentationem ſe pati hæretici ſimulent lector Chriſtiane:hoc tamen rem curioſiùs indagantes,reperiemus,nimiam ſuam il-

Quæ ſit hæreticorũ mens, dũ corruptos

lam moroſitatem ex ſuperbia magis, & faſtu, falſáq; ſan ctitatis opinione, quàm ex vera ſanctitate, veróq; eius ſtudio naſci. itaq; qui ad faciẽdam ab eccleſia defectionem ſunt aliis audaciores, & quaſi anteſignani, ij vt plurimùm nihil aliud cauſæ habent, niſi vt omniũ cõtemptu oſtẽtẽt ſe aliis meliores. bene ergo & prudẽter diuus Auguſtinus, contra quendã Donatiſtã agens, Cùm pia, inquit, ratio & modus, eccleſiaſticę diſciplinę vnitatem ſpiritus in vinculo pacis maximè debeat intueri, (quod apoſtolus ſufferendo inuicem pręcipit cuſtodiri, &, quo non cuſtodito, medicinę vindicta non tãtùm ſuperflua, ſed etiã pernicioſa, & propterea iam nec medicina eſſe conuincitur) illi filij mali, qui non odio iniquitatum alienarũ, ſed ſtudio contentionum ſuarũ infirmas plebes, iactantia ſui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè diuidere affectãt, ſuperbia tumidi, peruicacia veſani, calumniis inſidioſi, ſeditionibus turbulenti, ne luce veritatis carere oſtendãtur, vmbram rigidæ ſeueritatis oſtẽdũt: & quæ in ſcripturis ſanctis, ſalua dilectionis ſinceritate, & cuſtodita pacis vnitate, ad corrigenda fraterna vitia, moderatiori curatione fieri præcepta ſunt, ad ſacrilegium ſchiſmatis, & occaſionem præciſionis vſurpant. Piis verò ac placidis hominibus hoc cõſilium dat idẽ pater Auguſtinus, vt miſericorditer corripiãt, quod poſſunt, quod non poſſunt, patiẽter ferant, & cum dilectione gemant, atque lugeãt: donec aut emendet Deus, aut corrigat, aut in meſſe eradicet zizania, & paleas vẽtilet. His armis pręmunire ſe pij omnes ſtudeant, ne, dũ ſtrenui & animoſi iuſtitiæ vindices ſibi videntur, à regno cælorum, quod eſt eccleſia, deſciſcãt. nam qui odio improborum eccleſiaſticę vnitatis teſſeram frangit, viã ingreditur, quà procliuis eſt à ſanctorum communione lapſus. cogitent iſti, in magna multitudine complures eſſe verè ſanctos epiſcopos ac paſtores coram oculis domini, qui aſpectum ſuum fugiãt: cogitent ex his qui morbidi videntur, multos eſſe, qui in vitiis nequaquam ſibi placent, aut blandiuntur, ſed ſeriò timore domini identidem expergefacti ad integritatem maiorem aſpirant: cogitent non ferendum eſſe de homine iudiciũ ab vno facto, quãdo ſanctiſſimi interdum grauiſſimo caſu

mores noſtros ipſi eccleſiæ obiectant.

Aug. lib. 3. cont. Parm. c. 1.

Eiuſdem libri cap. 2.

excidunt: cogitent plus ſubeſſe ad retinendam eccleſiã momenti, tum in maiorum obedientia, tum verbi miniſterio, tum ſacrorum myſteriorum participatione, quàm vt quorundam ſacerdotum culpa vis illa tota euaneſcere queat: reputent tandem in cenſendis meritis hominum pluris eſſe diuinum, quàm humanum iudicium. Qui latiùs volet rem hanc expendere, quàm ſit à nobis diſcuſſa, legat Auguſtinum in lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 27. & libro de paſtoribus cap. 9. & tractatu 46. in euangelium Ioannis. & lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 11. quibus in locis reperiet inìquorum ſacerdotum culpa & ſcelere eccleſiaſticam diſciplinam, ſimplicemque fidelium vnitatem non ſcindi. adiungat etiam his diui Auguſtini locis aurea verba Gregorij Naziãzeni in ſermone de ſancto lauacro, quę nos in libro ſecũdo, capite verò vigeſimo huius noſtri operis, ſimul cum præclara in hanc rem diui Chriſoſtomi oratione retulimus. nolumus enim, quæ ſemel opportunè ſunt lectori oblata, ea iterũ ſibi offerre, ne ſimplici dono mercedes plures venari voluiſſe, non immeritò nos quiſquam iudicet. quid plura? huius certè rei, quam docuimus, lector optime, Chriſtus ipſe, apoſtoli, & ferè omnes prophetæ exemplum omnes prębuerũt. horrendæ ſunt illæ deſcriptiones, quibus Eſaias, Ieremias, Ioel, Habacuc, & alij eccleſiæ Ieroſolymitanę mores deplorant. in plebe, in magiſtratu, in ſacerdotibus omnia vſqueadeo corrupta erant, vt nõ dubitet Eſaias æquare Ieroſolymam Sodomæ & Gomorrhæ. religio partim contẽpta, partim contaminata, in moribus paſſim referuntur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes, & ſimilia ſcelera. neque tamen propterea aut nouas ſibi eccleſias exigebant, aut noua altaria extruebant prophetæ, in quibus ſeparata ſacrificia haberent: ſed qualeſcunque eſſent homines, qualeſcunque eſſent ſacerdotes, quia tamen reputabant dominum cultum ſuum & verbum apud eos depoſuiſſe, & cæremonias inſtituiſſe, quibus, illic colebatur in medio ſceleratorũ cœtu, puras manusad Deum extendebant. certè ſi putarent aliquid inde contagionis ſe contrahere, centies potiùs mortui fuiſſent, quàm quòd paterentur illic à ſa-

Cotãtur plures loci ſanctorum pro hac catholica veritate, quòd ſcilicet mala vita prelatorum eccleſiaſticum magiſterium non impedit.

Eſaie 1.

cerdotibus ſe pertrahi. nihil ergo eos retinebat, quò minùs diſceſſionem facerent, quàm ſeruandæ vnitatis ac fidei vinculi retinendi ſtudium. quòd ſi religio ſanctis prophetis fuit, ob plurima, non falsò conficta, ſed veriſſima & maxima ſcelera, non vnius aut alterius hominis, ſed ſacerdotum, ſed propemodum totius populi, ſe ab eccleſia alienare, quantum ſibi proh Deus, furiæ iſtæ arrogant, dum homines, mente corrupti, ac circa fidem reprobi, qui cauteriatam (vt dicebat Paulus) habent conſcientiā, audēt ab eccleſię cōmunione deficere ob quorundā paſtorū mores, qui ſuo iudicio, immo ſuo conuicio, Chriſtianæ profeſſioni non ſatisfaciunt. Iam Chriſti & apoſtolorum ſæculū quale fuit? neque tamen impedire potuit deſperata illa phariſæorū impietas, & quæ tunc paſſim regnabat diſſoluta viuendi licentia, quin iiſdem ſacris cum populo ac ſacerdotibus vterentur, & in vnum cum reliquis templum ad publica religionis officia conuenirent, vnde id, niſi quia ſciebant malorum ſacerdotum vita, & ſocietate minimè pollui religionē, & eos, qui pura conſcientia cum ipſis eadem ſacra communicarent Si quem parum mouent prophetæ & apoſtoli, ille ſaltē Chriſti auctoritati acquieſcat, atque ipſius imperio pareat dicentis, Super cathedram Moyſi ſederunt principes & phariſæi, quæcunque dixerint vobis, facite, quæ verò faciunt, nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. bene ergo diuus Cyprianus, Etſi videntur, inquit, in eccleſia zizania, aut vaſa impura, non eſt tamen, cur ipſi de eccleſia recedamus. nobis modò laborandum, vt frumentum eſſe poſſimus: nobis danda opera, & quantum licet enitendum, vt vas aureū vel argentum ſimus: ceterùm fictilia vaſa confringere, ſolius domini eſt, cui & virga ferrea data eſt. nec quiſquam ſibi quod proprium eſt ſoli filio, vendicet, vt ad aream ventilandam & purgandam paleam ſufficiat, zizaniaque omnia humano iudicio ſegreganda. ſuperba eſt iſta obſtinatio, & ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor prauus aſſumit. Hactenus præclarus Chriſti martyr, & Romanæ ſedis obſequentiſſimus, atque eccleſiaſticæ vnitatis amantiſſimus diuus Cyprianus Carthaginienſis ipſe epiſcopus. Fixum igitur vtrunq; ho-

Matth.23.
Cyp. l.3. epiſt.5.

rum tuæ menti pie lector in perpetuum maneat, nihil excuſationis eum habere, qui eius eccleſiæ communionem ſponte deſerit, vbi antiqua fides regnat, vbi Dei verbum, vt eſt à maioribus enarratum, prædicatur, vbi ſacramenta apoſtolico ac veteri ritu adminiſtrantur, vbi tandem paſtores non pauci ſunt, qui vitæ ſanctimonia, ac doctrinæ pabulo Chriſti plebem paſcunt, nutriunt, vegetant, atque roborant. nihil præterea obſtare vel paucorum vel multorũ vitia, ſacerdotum, aut de plebe, quò minùs ibi rite cæremoniis à Deo inſtitutis, ab apoſtolis traditis, ab eccleſia ſumma cum prudentia per diuinum ſpiritum edocta excogitatis, fidem noſtrã profiteamur. quia nec alterius ſiue paſtoris, ſiue priuati in dignitate lęditur vera fides, vera doctrina, immo nec pia conſcientia, nec minùs pura ſunt ac ſalutaria myſteria homini ſancto & recto, quia ſimul ab impuris attrectentur, vel per impuros conferãtur. Crede mihi lector pie, ſi ipſa Romana ſedes diuum Petrum adhuc ſuſtineret, ſi vnaquæque particularis noſtrarum eccleſiarum ſexcentos haberet Auguſtinos, ſexcentos Iræneos, ſexcentos Cyprianos, ſexcentos Athanaſios, aut alios, qui ſuo magiſterio & auctoritate ingentem ſplendoris ornatũ ipſis eccleſiis, quib⁹ per vitã pręfuere, oppoſuerũt, nihilo ſecius decertarẽt nobiſcũ iſti corruptiſſimi homines de paſtorũ eccleſiaſticorũ corruptis moribus, de fraudibus, quibus ad ipſas dignitates aſcẽdunt, vitiis, in quibus eccleſiaſtica bona abſumũt. miraris? nũ eſt diſcipulus ſupra magiſtrum? quis fuit vnquã Chriſto innocentior? quis pontifice noſtro purior? quis Dei filio ſanctior? quis Chriſto iuſtior? at talis ac tantus cùm eſſet, non defuerũt, qui eum publicanum, peccatorem, legis tranſgreſſorẽ, ſcripturæ iniquum interpretem, heluonem, voracẽ, vini potatorem, Samaritanum, &, quod fuit omnium moleſtiſſimum, à dæmonio obſeſſum dicerent. & putas tu vlla ratione iſtorum conuiciatorum maleuolorum ora eſſe reprimenda, ne maledicant Chriſti ſacerdoti ſummo, cui benedixit Deus, quãuis integro, candido, & verè pio? te tamen, ſumme & beatiſſime pater, qua maxima poſſum humilitate, hîc deprecari non ſinam, voſque eccleſiarum paſtores in Ieſu Chri-

Hæretici, etiam ſi incorruptiſsimè omnes Chriſti ſacerdotes viuerẽt, non tamẽ ab iniuriis ſe abſtinerent.

ſti viſceribus ſimiliter obteſtabor, & orabo vt, poſtquã linguas ſuas nunquã iſti continebunt, neq; maledicere ceſſabunt, ſic per vos, penes quos rerũ ſumma eſt, Chriſtianum negotium tractetur, vt maledicendi occaſionẽ ipſos accepiſſe, non vos dediſſe omnes videant. ſitis ò Chriſtiani exercitus duces præclariſſimi ſine querela, (vt vos hortatur Paulus) & ſimplices filij Dei ſine repre- *Philip. 2.*
henſione in medio generationis iſtius prauę ac peruerſæ, inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo, verbũ vitæ continentes, ad gloriã eccleſiæ in die Chriſti. memor eſto PIE beatiſſime diui Petri verbi, cuius tu auctoritate legitimus es hæres & ſucceſſor. Vos autẽ ge- *1. Pet. 2.*
nus, inquit, electũ, regale ſacerdotiũ, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntiaretis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum, & conuerſationem veſtram inter gentes haberetis bonam, vt in eo, quod detractant de vobis, tanquã de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.

Caluini obiectiones ſoluũtur, Eliæ prophetæ verbum cum diuino reſponſo põderatur, diui Hilarij locus profertur, de Antichriſti regno multa narrantur, Arrij epiſtola ſatis oportunè recitatur, atque tandem verba Ieremiæ, Templũ domini, templum domini, templum domini eſt, ad literam enarratur.

Cap. IX.

NIhil iam reſtare videri poſſet, quod nos impediat, quin Romanæ ſedis primatus tractationem ingrediamur. verùm libet priùs nonnullos locos, quos iſte ex ſcripturis & ſanctis contra huius legitimæ ſucceſſionis magiſterium, atque viſibilis eccleſiæ conſiderationem tam in epiſtola, quàm in inſtitutione depromit, breui percurrere, quò omnibus conſtare denuò poſſit, non iſtum conſideraſſe, quomodo loqueretur, ſed quo pacto male diceret, & malè loqueretur. igitur in epiſtola Eliæ verbum ſimul cum cęleſti reſpõ- *Caluin. in*
ſo nobis obiicit. is enim ſanctus propheta, cùm occiſos *epiſt. 3. Reg.*
prophetas, ac ſuam etiam animam perdendam quæri, *19.*
quippe qui ſolus eſſet in eccleſia relictus, apud Deum

vehementer & grauiter deploraret, audit ex domino, ſalua eſſe ſeptem millia virorũ, qui genua ſua ante Baal non curuaſſent. hinc iam colligit Caluinus, nõ ſemper eccleſiã veram ac legitimam apparenti forma & viſibili facie conſtare. O Satanicam artem! non vides ò homo extra rem te loqui? an negamus nos etiã poſt Chriſti aduentum hæreticorum & barbarorum potentia ſæpe Dei eccleſiam ſic afflictam, vt monaſteria euerterẽtur, diſturbarentur clerici, verberarentur leuitæ, necarentur ſacerdotes, in exilium agerentur paſtores, ergaſtula ſanctis complerentur, carceres, & metella: quorũ multi (ſicut tempore, quo Arrianorum ferocia in Chriſti fideles inſultabat, vt alias eccleſiæ perſecutiones omittam, contigiſſe hiſtoriæ narrant, ac ſancti commemorãt) interdictis vrbibus, inter deſerta, ſpelũcas, feras, ſaxa protruſi morabantur, & extorres, nuditate, ſiti, fame afflicti, attriti, atque tandem tabefacti? an credit Caluinus nos latêre, quàm cõtentioſè olim orbis Chriſtianus variis tumultibus, exitialibusque diſſidiis concuſſus fuerit, cùm contra apoſtolicam veritatem de filio Dei domino noſtro Ieſu Chriſto totis conatibus mundi princeps Conſtantius, Magni Conſtantini filius, inſurgeret? congregans ſiquidem multa & numeroſa epiſcoporum concilia iam in Oriente, iam in Occidente, quibus eccleſiaſticam ſacerdotum fidem reſcinderet, in eam denique anguſtiam redegit eccleſiam catholícam, vt in tribus tantùm epiſcopis aſſertio veræ confeſſionis conſiſtere videretur, teſte Hieronymo, in Athanaſio vìdelicet Alexandrino, Hilario Pictauienſi, & Romano pontifice Liberio. ſæpe trecenti, nonnunquam ſexcenti in hanc veritatem, quæ modis omnibus Romanæ ſedi probabatur, incõſulto omnium patre, & magiſtro, atque eius ſententia ne audita quidem, vnanimiter cõſpirarunt, Mediolani, Arimini, Sirmij, Seleuciæ, Antiochiæ: ò inæſtimabilis fidei noſtrę firmitas & certitudo, quam neque Conſtantij potentia, aut ingenium, neque apoſtaticum Iuliani imperatoris odium, nec decem & ampliùs concilia numeroſa ſubſcribentium epiſcoporum, nec item Valẽtis ac Iuſtinę conatus impij, nec demum tot populorum barbarorumq; in Gothis, ac Vandalis gen-

Arrianorũ perſecutio.
Hiſt. eccl. ſæpe.

dalis gen-

dalis gentiũ ſæuæ impugnationes extinguere & penitus euertere potuerũt: ſed ſemel à Deo eccleſiæ ſuæ per ſacerdotes tradita illius fidei confeſſio, per ipſos retenta, immota ſtetit, dum tot tantíſque quaſſaretur hæreticorum turbinibus & procellis. ò eccleſiæ ſtabilitas, quę quia ſuper firmam petram fundata eſt, iccirco nec hæreticorum pluuiæ, nec popularium vexationum flumina, nec ſæui perſecutionum regalium, imperialiumq́ue venti in ipſam irruentes, vnquam diſturbari & diſſipari potuit, nec poterit. immo firmiter credimus Caluine, apud Germanos, apud Geneuenſes etiam, & apud quoſcunq; iſtius factionis, permultos nunc eſſe qui nec coram Iſlebienſi idôlo, nec coram Geneuenſi Baal genua ſua flexerunt. ſed hi quamuis nouo iſti Eliæ noti non ſint, Deo verò atque ſibi ipſi ſunt noti. quod nimirũ ſatis ſuperq́; eſt, vt dici poſſit viſibili forma conſtare eccleſiam, poſtquam ipſius membra non minus ad eam ſocietatem ſe pertinere ſentiunt, quàm cognoſcũt Chriſtianę religionis cultũ, & ipſius fidei catholicę ſacramẽta ſe integrè, atq; inuiolatè ſeruare, nec minimũ quidẽ ab auita ſacerdotũ ac maiorum ſuorũ fide & pietate recedere. vt enim auctor eſt diuus Auguſtinus in libris de trinitate, fidem ſuam videt quiſque in corde ſuo eſſe, ſi credit, vel nõ eſſe, ſi non credit: non ſicut corpora, quę videmus oculis corporeis, vel per ipſorũ imagines, nec ſicut animam, quam eſſe coniicimus ex motibus corporis, ſed fidem noſtram videmus, ac tenemus firmiſſima ſcientia. neque hîc loquimur de Chriſti regno, in quo Deus per gratiam electionemq́; reconditam & penitus abditam in fidelium cordibus regnat, (quod vtique regnum digito noſtro indicari non poteſt) ſed de viſibili eccleſia, quæ multũ apud nos habet notitiæ atq; experientię, & quã niſi digito oſtendamus, hoc eſt, niſi eam eſſe dicamus, quę eccleſiaſticum videt ſe ſequi magiſterium, & ſuorum ſacerdotum, quorum ſucceſſio tot turbinibus non fuit vnquam impedita, veſtigia debita obſeruantia ſe retinere intuetur, fremimus quidem, atque grauiter & moleſtè iure & merito ferimus. *At id iam ſummi vitij loco in ſuo ſæculo ducebat Hilarius, quòd ſtulta epiſcopalis dignitatis admiratione occupati, patentem ſub ea*

Hiſtor. tripart. lib. 1. c. 9.

Fides videtur, caritas verò diuina & ipſius gratia nos latẽt.

Cal. in epiſt. 2. obiectio.

Verba Hilarij contra Auxẽtium

referũtur & explicantur, vbi Caluini perfidia demonſtratur.

larua exitialem lernam non animaduerterent. ſic enim loquitur. Verùm moneo, cauete Antichriſtũ: malè enim vos parietũ amor cœpit, malè eccleſiã Dei in tectis ædificiiſq; veneramini, malè ſub his pacis nomen ingeritis. an ambiguũ eſt in his Antichriſtum eſſe ſeſſurũ? montes mihi, & ſyluæ, & lacus, & carceres & voragines ſunt tutiores. in his enim prophetæ aut manentes, aut demerſi prophetabant: ſemper te, Caluine, tanquam ſerpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus infers. auſus es contra ſacerdotum auctoritatem, eccleſiaſticum magiſterium, paſtorum ſucceſſionem, eccleſiæ apparentem formam diuum Hilarium citare? quare omiſiſti, quę ſequuntur? Fugite, inquit diuus Hilarius, ab Auxentio Satanæ angelo, hoſte Chriſti vaſtato, perdito fidei negatore, quã ſic eſt regi profeſſus, vt falleret, ſic fefellit vt blaſphemaret. cõgreget nunc ille, quas volet in me ſynodos & hęreticum, vt ſæpe iam fecit, publico titulo proſcribat, & quantam volet, iram potentiũ moliatur: mihi certè ille nunquam aliud, quàm diabolus erit, quia Arrianus eſt. nec pax aliquorum mihi vnquam optabitur, niſi eorum, qui ſecundum patrum noſtrorum Dei, inquam, ſacerdotum apud Nicæam tractatum, anathematizatis Arrianis, Chriſtum verum Deum prædicabunt. Hæc Caluine, quia cum inſtituto ſuo non multum conueniebant, immo quia eccleſiaſticum magiſterium, quod fuerat in vniuerſali ſynodo Nicæna expreſſum, atque à Chriſti vicario, Romano ſcilicet Silueriо pontifice ſancto, ſemel approbatum, vt ex eiſdem actis concilij Nicæni conſtat, grauiter his diui Hilarij verbis apud omnes Chriſtianos commendatum reddi videbas, tu homo vafer, pariter & maleuolus reticuiſti, omiſiſti, atque ſilentio præteriuiſti cur etiam referre grauatus es Caluine quædam præclara verba, quæ idem ſanctus ibidem præmiſerat, niſi quod vehementer timuiſti, ipſis lectis, intellecturos eſſe nos nullo labore, de quibus ſacerdotibus diuus Hilarius loqueretur? ea verò ſic habent Nunc, proh dolor, diuinam fidem ſuffragia terrena commendant, in ipſoſque virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur. terret exiliis & carceribus eccleſia, crediq; ſibi cogit, quæ

exiliis & carceribus eſt credita, pendet ad dignationem communicantium, quæ perſequentium eſt conſecrata terrore, fugat ſacerdotes, quæ fugatis eſt ſacerdotibus propagata, diligi ſe gloriatur à mundo, quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet. hæc de comparationæ traditæ nobis per ſacerdotes olim eccleſiæ, nunc quàm deperditæ, vt res ipſa, quæ in oculis omniũ eſt atque ore, clamat. Hactenus diuus Hilarius. Igitur Caluine, qui nullius hominis pacẽ optabat, niſi is iuxta fidem à ſacerdotibus Nicçæ congregatis ſub vno capite, ſuam etiam exigeret, & qui fugatis ſacerdotibus eccleſiam dicit propagatam fuiſſe, quidem certè ne pilo minus de eccleſiaſtico magiſterio detrahit, modò & hi antiquorũ ſuorum patrum obſeruent veſtigia, atque ſuo principi & capiti adhæreant. ceteri verò, quotquot illi ſint, qui contempta patrum doctrina, diuinã fidem hominum ſuffragiis commendari credunt, qui exiliis & carceribus ob antiquitatem à nouitate terrentur, qui Chriſti veros ſacerdotes fugãt, qui veteres eccleſiæ miniſtros, nouis proditoribus, ſub introductis, trucidant & necant, hi profectò Hilario ac nobis nunquam aliud erunt, quàm diabolus, quàm Antichriſtus, quocũque iuerint, vbicunque cõuenerint. *Antichriſtum ipſum, quem in templo Dei ſeſſurum predixerũt Daniel & Paulus, atque ſcelerati & abominandi regni ipſius ducem & anteſignanum noſtri faciunt Romanum pontificem*: qui ſunt iſti, Noſtri? num tuus eſt Ioannes Vuiclephus? num Ioannes Hus? Martinus ne Lutherus tuus fuit vnquam? aut Buzerus, aut Melanchthon? nam Rutheni, Græci, Paduanus item Marſilius, atque alij, qui Vuiclephum præceſſere, quamuis Romanum pontificem vniuerſalem eccleſiæ paſtorem non recognoſcerent, tamen in horrendam impudentiam nunquam proruperunt. eſt quidem inter vos bellum planè ἄσπονδον, atque irreconciliabile, & tu tunc tuos omnes vocas? *Noſtri*, inquis, *faciunt*: in illorum memoriam profectò hîc tu me venire cogis, qui apud Salomonem ſic loquebantur, Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra: deglutiamus eum, ſicut infernus viuentẽ, & integrum, quaſi deſcendẽtem

Cal. obiectio 3. lib. 4. cap. 2. sect. 12.

Prouerb. 1.

in lacum. omnem pretioſam ſubſtantian reperiemus, implebimus domos noſtras ſpoliis. ſortem mitte nobiſcum, marſupium vnum ſit omnium noſtrum. demũ illud pſalmi, Conuenerunt in vnum aduerſus dominũ, & aduerſus Chriſtum eius.

Pſal.2.

De Antichriſto.

De Antichriſto lector vnum habemus certum, quod ſcilicet vnus eſt, in quo finem hæretici habebunt. Hæreticorũ primus, inquit Gloſſa ſuper cap. 17. Lucæ, fuit Simon Magus, vltimus erit Antichriſtus, poſt quẽ Chriſtus ipſe immediatè deſcendet, mundo finem impoſiturus: vt Antichriſti ipſius ortus hunc poſtremũ Chriſti aduentum in ianuis eſſe iudicet. Rectè proinde Euſebius ſuper illis Chriſti verbis, Et dicẽt vobis, Ecce hîc, & ecce illic, nolite ire, neque ſectemini. Si adueniente, inquit, Antichriſto, fama de ipſo volet, quaſi Chriſtus apparuerit, non egrediamini, neque ſequamini: nã impoſſibile eſt eum, qui in terra eſt ſemel viſus, iterum in terrę angulis cõuerſari. Ergo lector, Antichriſti aduentus Chriſtum iam iamq́; in ſuo fulgore ac ſplendore venientem demonſtrabit. quare Caluine ſi Romanus põtifex iure Antichriſtus appellãdus foret, ſanè non vnus, ſed quamplurimi elapſi fuiſſent Antichriſti: & dies illa nouiſſima iam diu, ac pluries adueniſſet. ſi verò Antichriſti nomen ad vniuerſos ab eccleſiaſtica vnitate abſciſſos extendere libeat, tunc infiniti profectò tales eſſent, ac fuiſſent Antichriſti, illius principalis iniquitatẽ imitantes. Sicut enim in Chriſto, ait diuus Thomas, omnis plenitudo diuinitatis inhabitat, ſic in Antichriſto malitiæ. hoc excepto, quòd humana natura à diabolo in perſonæ vnionem non aſſumetur. ſunt igitur hæretici omnes, iſtius peſſimi diaboli figura quædã ac typus, dicente Paulo, Myſteriũ iam operatur iniquitatis. vt non ineptè omnino & iſti Antichriſti ſuo modo poſſint appellari. Ioannes item in ſua canonica dicit, antiChriſtus venit, (quod exponitur à ſanctis in ſuis membris) & nunc Antichriſti multi facti ſunt. vnde ſcimus, quia nouiſſima hora eſt, (id eſt, nouiſſimæ perſimilis) quæ talis erit, qualis non fuit ab initio mundi. atque ſic plures dicuntur Antichriſti, vt in prima & altera diui Ioannis canonica legimus. at quòd nomen non Roma-

Euſeb. Luc. 17.

Thom.3.p. q.8.art.8. corp.art.

2.Theſſal.2.
Matth.24.
1.Ioan. 2.
Gloſ. ibidẽ.

no pontifici,nec iis, qui ei hærent, conueniat,ſed contrà Lutheranis,Zuuinglianis,Anabaptiſtis,& Caluinianis,non eſt oſtenſu difficile, Primùm iſti à nobis receſſerunt, non ab ipſis nos abiuimus, ſicut diuus Ioannes dicebat. deinde Romanus pontifex, non eſt ex tribu Dam,ſicut de Antichriſto communiter fertur. deinde, nunquam ſe vocauit iuſtitię ſolem,& gigantem geminæ ſubſtantiæ, vt de illo alio quidam affirmant: immo Chriſtum eſſe Deum negabit,ac ſe Deum faciet,quẽadmodum ad Theſſalonicenſes apoſtolus Paulus indicare videtur. deinde Romanus pontifex omnes, qui Chriſtum verum eſſe Deum negarunt,à ſe reiecit, veluti Ebionitas,Marcionitas, Manichęos, Huſſitas,atq; alios. deinde clamat diuus Hieronymus ſæpe, contra Luciferianos maximè, in illa eccleſia eſſe nobis permanendũ, quæ ab apoſtolis fundata,vſq; ad diem hanc durat. Sicubi,inquit,audieris eos,qui dicũtur Chriſti,non à domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupari, vtputa Marcionitas,Valentinianos,Montenſes, ſiue Cãpates, ſcito non eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti ſynagogam eſſe. ex hoc enim ipſo, quòd poſtea inſtituti ſunt,eos ſe iudicãt,quos futuros apoſtolus prænuntiat. nec ſibi blandiantur,ſi de ſcripturarum capitibus videãtur ſibi affirmare,quod dicunt, cùm & diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus,& ſcripturæ non in legẽdo,ſed in intelligendo conſiſtant. poſtremò ſi papa eſt Antichriſtus, quare tam diu eſt à Deo perſeuerare permiſſus?quare plantationem hanc,à ſuo cæleſti patre minimè plantatam,non eradicat? quare ſpiritu oris ſui non interficit eum,non modò reuelatum ſemel,ſed tam diu regnantem,quàm diu apoſtolica & Chriſtiana eccleſia viget? quare tam iugem,tam perennem, tam conſtantem ſucceſſionem ſuſtinet? ſi ſectæ omnes breui ſpatio abſumuntur, quod & oculis noſtris ſuper vos ipſos cõpletum intuemur Caluine,dum diſcipulus in mortuum magiſtrum inſultat,& vnus alteri delirat ac deſipit,cur, rogo, tot ſæculorum centuriis Romanam ſedem, apoſtolicam pleno ore, ab omnibus acclamari diuina prouidentia ſuſtinuit?num Simoniacis,Ebionitis,Marcionitis, Manichæis, Pelagianis, Arrianis, aut Lutheranis

Pontificem Rom non eſſe Antichriſtum oſtenditur.
1. Ioan. 2.
Albert. ſuper 13. Apocaly.
2. Theſſ. 2.
Hieron. cõt. Lucif. pag. 67.
Matth. 15.
2. Theſſ. 2.

tantum gloriç permiſſum eſt?ſi eccleſia catholica,vt dicebat Cyprianus, vna eſſe poteſt,ſcindi verò,aut diuidi non poteſt,quæ omnes hæreſes deſtruit, quo pacto, doce me,quçſo,ne graueris,illa ſedes, ad quam perfidia acceſſum nunquã habuit,& quç omnem perfidiam ſcidit,ac deſtruxit,Antichriſti ſedes nominabitur, & non magis iſtæ veſtræ nouæ, ſub quibus Chriſti eccleſia ſacrilega impietate profanatur,immani dominatione affligitur, malis & exitialibus doctrinis, ceu venenatis potionibus,corrumpitur,& propemodum enecatur:in quibus nõſemiſepultus,ſed penitus ſubmerſus Chriſtus lateat,cçleſte,quod nobis apoſtoli tradiderũt,euangelium obruatur,profligetur pietas,Dei cultus prorſus aboleatur,vbi denique omnia ſic ſintconturbata, vt Babylonis potiùs, quàm ciuitatis Dei ſanctæ facies iſthic appareat? Antichriſtum Caluine, in templo Dei ſeſſurum prædixerunt Daniel & Paulus. illius ſcelerati & abominandi regni duces & anteſignanos non apud nos tantùm facimus, ſed iam olim antiqui patres fecerunt, quotquot ab eccleſiç Romanç vnitate receſſiſſent,Tertullianus,Cyprianus, Clemẽs vterque,Auguſtinus perſæpe, Hieronymus nonnunquam. *At, non eò vſque apud pios valere debet eccleſiæ communio,vt ſi illa ad profanos pollutóſque ritus degeneret,ſequi protinus ſit neceſſe. abundè ergo mihi eſt,oportuiſſe nos ab ipſis recedere,vt ad Chriſtum accederemus. cùm ergo eiectos nos eſſe conſtet, idque propter Chriſti nomen fuiſſe factum parati ſimus oſtendere, de cauſa certè priùs quærendum eſt. quàm aliquid de nobis in hanc vel illam partem diffiniatur:* dixi ſæpe eiſdem artibus contra veterem eccleſiam nouos hæreticos agere ſolitos: oſtendi etiam eadem ipſa verba, quæ tu nunc pro te vſurpas,olim à Manichçis,Donatiſtis frequenter catholicæ vnitati fuiſſe obiecta: verùm libet nunc Arrij hæretici peſſimi epiſtolam,ad Euſebium Nicomedienſem epiſcopum Arrianum hominem miſſam, huc transferre,vt denuò conſtet alienis ſermonibus perditiſſimorũ ſcilicet hominum vos innocentiam veſtram tueri.

Daniel.9. *2.Theſſ.2.*

Cal. obiect. 4.l.4.c.2. ſect.9.

Arij epiſtola ad Euſebium Nicomedien epiſc.

DOmino deſideratiſſimo, homini Dei, fideli, orthodoxo Euſebio Arrius, qui perſecutionẽ ab Alexandro papa patitur iniuſtè, propter vincentem omnia veritatem, quam tu quoque defendis, in domino ſalutẽ. Patre meo Armonio veniente ad Nicomediam, rationabile iudicaui, te ſalutare per eum, ſciẽs dilectionem, pariter & affectum, quẽ circa fratres propter Deum habere dignoſceris. Vehementer nos vaſtat, atque perſequitur, & omnem benignum animum mouet aduerſus nos epiſcopus, ita vt etiam ciuitate nos expuliſſet, velut homines ſine Deo: quoniam non concordamus ei publicè dicenti, Semper Deus, ſemper filius, ſimul pater, ſimul filius coexiſtit ingenito Deo. filius ſemper genitus eſt, ab ingenito genitus eſt, neque cogitatione, neque atomo quadam præcedit Deus pater, ſemper filius ex ipſo Deo eſt. Et quoniam Euſebius frater tuus Cæſarienſis, & Theodotus, & Paulinus, & Athanaſius, & Gregorius, & Etius, & omnes per Orientem dicunt, quia præexiſtit Deus filio ſine principio, anathema facti ſunt, præter ſolum Philogonium & Helladium, & Macharium, homines hæreticos, ineruditos. nos autem quoniã dicimus, & ſapimus, & docuimus, ac docemus, quod ſancti apoſtoli docuerunt, & ſcripturæ docent, & impietates illas nec audire poſſumus, licèt innumeras mortes nobis minentur hæretici, perſecutionem patimur. De cetero tu noſti. Valere te in domino opto, memorem tribulationum noſtratum collucianiſta vere Euſebi, id eſt, pie.

Trip. hiſt. l. 1. c. 15. & Theod. li. 1. c. 5. habetur etiã tomo. 1. conciliorum.

Hactenus hæreticorum facilè princeps Arrius pietatem ſuam, conſtantiam, fidelitatem, ſanam doctrinam, Chriſti verùm euangelium, apoſtolicam confeſſionem apud ſuum commilitonem iactans. quamobrem Caluine, vt vno verbo dicã, nullus hæreticorum hominũ adhuc extitit, quòd ego ſciam, qui iſtam ipſam cauſam diſcedendi à vera & legitima eccleſia non comminiſceretur. *Non aliud hodie prætendunt Romanenſes, quàm Iudæos olim obtendiſſe apparet, cùm cæcitatis, impietatis, idololatriæ à prophetis domini arguerentur. nam vt illi templũ, cæremonias, ſacerdotia glorioſè iactabant, quibus rebus*

Quinta Cal. obiectio, lib. 4. cap. 2. ſect. 4.

eccleſiam magno, vt ſibi videbantur, argumento metiebãtur: ita pro eccleſia ab his quædam laruæ opponuntur, quæ longè ſæpe abſunt ab eccleſia, & citra quas eccleſia optimè conſtare poteſt. Quare nec alio argumento refutandi nobis ſunt, quàm quo aduerſus ſtultam illam Iudæorum confidentiam repugnabat Ieremias. nempe ne gloriarentur in verbis mendacibus, dicentes, Templum domini, templum domini, templum domini eſt. quãdo nihil dominus vſpiam ſuum agnoſcit, niſi vbi verbum ſuum auditur, ac religioſè obſeruatur : hæc eſt tua illa vrbanitas Caluine, hæreticis nimirum omnibus communis, ſcilicet ne vnquam ab antiquis conuiciis abſtinere. Iudæi profectò neque Ieremiæ ſæculo, neq; Chriſti tempore de ſacerdotum ſucceſſione gloriabantur: bene quidem illi de templo domini, quo ſuperſtite diuinitatis auxilium ſibi ſemper fore paratiſſimum credebant. quare nec peccare timebant, nec vnquam futurum arbitrabantur, vt domum illam, ſanctámque ciuitatem idololatris ac profanis hominibus dominus traderet. à qua quidem ſtulta confidentia prophetico Ieremiæ vaticinio dehortantur. nunquam quidem illi vel templo, vel externis cæremoniis tantùm ſuam religionem metiebantur. Sed præſtat diuinum ipſum oraculum audire, quò tota iſta Caluiniana impoſtura vndique videatur, ac loci illius ſenſus legitimus teneatur. Verbum, quod factum eſt ad Ieremiam à domino, Sta in porta domus domini, & prædica ibi verbum iſtud, & dic, Audite verbum omnis Iuda, qui ingredimini portas has, vt adoretis dominũ. Hæc dicit dominus exercituum, Deus Iſrael, Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra: & habitabo vobiſcum in loco iſto. nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum domini, templum domini, templum domini eſt. quoniam ſi bene direxeritis vias veſtras, & ſtudia veſtra, ſi feceritis iudicium inter virum & proximum eius, aduenæ, pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & poſt deos alienos non ambulaueritis in malum vobiſmetipſis: habitabo vobiſcum in loco iſto, in terra, quam dedi patribus veſtris à ſæculo vſque in ſæculum. Ecce vos cõfiditis in verbis mendacij, quæ nõ proderunt vobis, furari,

Verba Ieremiæ. c. 7. referuntur ac diluc idãtur.

occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Balaaim, & ire poſt deos alienos, quos ignoratis. Hactenus cæleſte oraculum. Vidéſne Caluine, Iudæos de malis moribus & idololatria, non de peruerſa legis aut religionis intelligentia hîc à Deo notari? vidéſne, non eos contẽdere veram & incorruptam doctrinam poſſidere templi poſſeſſione, aut externo apparatu, ſed tãtùm ſtulta iſtarum rerum confidentia horrendis peccatis Deum ad iracundiam prouocare? iſta verò perſuaſio tã longè abeſt à catholica eccleſia, vt nihil magis metuamus, quàm ne per veſtram immoderatam rabiem diuina in nos ira ob ſcelera noſtra deſæuiat. vis dicã? noſtris peccatis vos hæretici fortes eſtis. quid igitur, malùm, ſtultè & prẹter rem in ſanctam eccleſiã Iudaicas increpationes contorques, quẹ nõ de ſui punitione ac flagellis, ſed de ſua religione ac fide ex legitima paſtorũ ſucceſſione eſt ſecura? quæ enim certa eſt verã eſſe eam fidẽ, quã eccleſiaſtico magiſterio accepit, eadẽ optimè nouit, nec ratione religionis, nec tẽpli, nec cæremoniarũ, nec ſacerdotalis, ſucceſſionis filios ſuos, ſi Deum offenderint ſimilibus ſceleribus eis, quẹ per Ieremiã domin⁹ ibi refert, ipſius diuinam iram poſſe fugere. vt ergo vera religio legitima paſtorum ſucceſſione conſeruetur, diuina tamen miſericordia non ea ſolùm ſucceſſione, ſed integra vita apud nos retinetur. Verùm ſit iam de his, atque de prima libri huius parte ſatis dictum.

De diui Petri primatu agitur, ipſum à Chriſto domino eccleſiæ principem creatum veteris ſacerdotij exemplo, & illis verbis, Paſce oues meas, & illis, Tu es Petrus, &c. diligẽter indicatur, atque, vt Caluino reſpondeatur, multa de apoſtolorum inter ſe paritate, ac differentia ordine proponuntur, Cypriani, & Auguſtini loci quidam enarrantur, ſcripturis etiã idem primatus oſtenditur, & omnibus Caluini cauillis reſpondetur. CAP. X.

NIhil nobis occurrere potuiſſet, quod libentiori animo pertractemus, nec quod copioſiùs fortè dixiſſe videremur, quàm de diui Petri primatu, ac Romanẹ ſedis ſupra ceteras celſitudine. quãobrem non poſſum non vehemẽter mirari, cùm conſidero, quem in locum *Secũda pars principalis huius ſexti libri.*

hominem iſtum maledicendi libido pertraxerit. poſtquã enim ſatis iam ſatis petulãter in particulares eccleſias inuectus eſt, ſtylum acuit in omnium principẽ, Romanam nimirũ, tam in epiſtola, quàm in inſtitutione. quapropter Chriſtiane lector etſi multi copioſè ſatis de hac ipſa re egerint, nos tamen ſumma cũ diligentia non tam noſtra confirmabimus, quàm aliena cõfutabimus. niſi quidem non mediocriter rem ſtabilire iure ac merito dicendus ſit, qui impiorum calumniis omni ſtudio occurrere laborat. quidquid ſit, hoc vnum ſine inuidia liberè affirmauerim, quòd ſcilicet nec nos, lector, pigebit huius noſtri laboris, nec te vnquã pœnitebit, vt ſpero, hæc noſtra legiſſe. ſi nõ aliud præſtabimus in negotio tam graui, at certè nõ erit iniucundum intueri, quo pacto Caluini cõmenta & verba nullo dolo, nulla arte, ſed ipſa veritate ſuperantur. In libro igitur inſtitutionis ſuę quarto cap. 6. ſectione prima caput ac faſtigium totius ordinis eccleſiaſtici, hoc eſt, primatum Romanæ ſedis fatetur Caluinus ſe non attingere. neque enim ex Chriſti inſtituto, nec ex veteri eccleſia exordium ſumpſiſſe putat. primùm non decuiſſe Chriſtianam hierarchiam, vt vnus homo toti eccleſię præeſſet, probare cõtendit. deinde diuum Petrum apoſtolis & vniuerſis eccleſiis præfectum à Chriſto fuiſſe omni conſtantia negat. tertiò nulla ratione eiuſmodi principatum ad Romanum pontificem extendi, etiam ſi diuus Petrus, apoſtolorum princeps, extitiſſet, & dignitate reliquos antecelluiſſet, firmiſſimè aſſeuerat. poſtremò verò ſedem Romæ ita fuiſſe collocatam, vt quicunque ſit vrbis illius eſpicopus, orbi vniuerſo præſideat. nunquam nos apud ſanos homines dicit obtenturos, quamuis nobis libenter ipſe largiretur, ſic fuiſſe in Petro conſtitutum eccleſiæ primatum, vt perpetua ſucceſſione ſemper maneret. Quare ſimili proceſſu oſtẽdenda nobis quatuor hæc ſunt, magnopere ſcilicet decuiſſe eccleſiæ vnitatẽ, quòd vnus paſtor in ea crearetur, ac diuum Petrum huic muneri deſtinatum fuiſſe, & eiuſmodi auctoritatem cũ ipſo diuo Petro ei eccleſiæ adiunctam fuiſſe, quam ipſe tempore mortis ſuæ regeret, atque Romæ demum eam ſedem eſſe in perpetuum collocatam.

Circa Petri primatum licebit nobis à Caluino non tã extorquere, quàm ſponte cõceſſum accipere, ſenſiſſe videlicet antiquos patres, B. Petrũ principẽ eccleſiæ eſſe à Chriſto antè, quàm cælos côſcenderet, diuina ordinatione creatũ. *Nam iſtæ, inquit, veteres ineptiæ, quibus fucum facere initiò tentarunt, relatu quoque, ne dum refutatione indignæ ſunt. nonnulli ex patribus ſic ſcripturas expoſuerunt, verum eſt, ſed, cùm reclamet tota ſcriptura, quid eorum auctoritas aduerſum Deum prætenditur?* ergo Caluine veteres ineptiæ fuerunt, quas apud Cyprianũ diſertis verbis legimus in libro de ſimplicitate prælatorum, cuius verba de primatu & auctoritate Petri ac maiori iuriſdictione, euidentiora ſunt, quàm quòd vlli tuæ calumniæ patêre poſſint, vt ſuo loco dicemus, Ambroſij ſimiliter in libro primo de pœnitentia capite ſecundo, & de fide ad Petrum. fucũ ergo facere tentauit diuus Auguſtinus, tam apertè nobis tradés eiuſmodi diui Petri ſupra vniuerſalem eccleſiam præfecturam tractatu quinquageſimo ſexto ſuper Ioannem, & clariùs libro ſecundo contra Donatiſtas. omitto ceteros locos, quos ſupra me retuliſſe memini. Dionyſius ſimiliter fucũ fecit in libro de diuinis nominib' capite tertio, Origenes ſuper principio Ioannis. quid num? Athanaſius ipſe nobis fucum facere initiò tentauit, dum Petri principatum, tam magnificè, tam religioſè, tam ornatè ſcribens ad Marcum, ad Liberium, ad Felicem, ex ſcripturis colligit, ac cõfirmat? ipſéne Euſebius Cæſariẽſis in libro ſecundo eccleſiaſticæ hiſtoriæ capite 14. veteres ineptias prudens ac ſciens ſectari voluit? ſi ſic reclamat tota ſcriptura Caluine quî factum eſt, vt homines, ceteroqui in ipſis ſcripturis exercitatiſſimi, ipſarum clamores non perciperent, Baſilius in libro contra Eunomium, Cyrillus in libro theſaurorũ, Lactantius Firmianus in libro ſeptimo inſtitutionum diuinarũ, Paulinus in vita Felicis, Beda in multis homiliis, Anſelmus ad Vrbanum papam? vident lectores multò plures me nũc ſilere, quàm ſint. quos cõmemoraui: nam omiſi imperatores illos verè pios & ſincere Chriſtianos, Valentinianum, Martianum, Iuſtinianum, Phocam, vt legere eſt in titulo De ſumma trinitate & fide catholica, Clemẽtem prætériui Romanũ

De primatu Petri.

Referuntur loci ſanctorũ pro primatu diui Petri.

rum ſępe, tum maximè in illis tribus epiſtolis ad diuum Iacobum fratrem domini. Hieronymus non eſt hîc à me citatus, Petri auctoritatis eximius prædicator, atque in eam rem ſcripturæ ſanctæ acerrimus ponderator. tádem auſim affirmare nullum eſſe eccleſiaſticorum auctorum, tam Græcorum, quàm Latinorum, qui præfecturæ Petri ac paſtoralis muneris ſibi à domino iniuncti non meminerit. Quod concilium, à concilio ſancto Nicęno, & Romano ſub eodem Silueſtro papa celebratis, cæleſtis huius diui Petri epiſcopatus, ac poteſtatis ſuper omnem eccleſiam mentionem non fecit, & eam perhonorificam quidem? non pontifex vllus eſt, à diuo Petro, qui id ſuis in epiſtolis non affirmet. Theodoritus ſimiliter ad Leonem primum, Bernardus ad Eugenium, Irenæus aduerſus Valẽtinum, & ſimiles libro tertio capite item tertio, Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum, Vincentius Lirinenſis libro aduerſus hæreſes, de Stephano Romano epiſcopo loquẽs, Chryſoſtomus ſæpe, ſuper Matthęum præſertim, vt ſuo loco commodiùs referemus hinc illæ antiquorum voces, illa nomina omni auctoritate plena, quibus veteres patres Petrum appellant apoſtolorum πρόκριτον, ἔξαρχον, πρόεδρον, πρωτοστάτην, ἀκρότητα, κορυφαῖον, ἀρχιποίμενα, ἡγεμόνα, & ſi quæ alia ſunt eiuſdem modi nomina.

Ex veteri ſummo ſacerdotio, ac ſũmo iudicio colligitur ſũmum nouum & euangelicum.

Sed iam videamus, quæ ſit iſta ſcriptura, quæ tota reclamat contra patres. num vetus eſt? at illa ex lege ſummum ſacerdotium, ſummum item iudicium, quod Deus Ieroſolymis inſtituit, continet, vnde pro ſummo ſacerdotio euangelico, ac ſummo item iudicio cathedrę Petri non infirmum poſſit ſumi argumentum. *Sed ad hæc,* Caluinus reſpondet, *facilis eſt ſolutio, eáque multiplex: ſiquidem vna illis non ſatisfaciat:* & quæ iſta multiplex ſolutio Caluine? *Primùm quod in natione vna fuit vtile, id in vniuerſum orbem extendere nulla ratio cogit:* & quare non? *quia vnius gentis, & totius orbis longè diuerſa ratio eſt.* & quàm longè diuerſa aliàs Caluine, ſed in hoc in Chriſtiano orbe maior, quãtò vnitas, pulchritudo, ordo denique ipſe Chriſtianæ hierarchiæ ſynagogæ illius ſtatu eſt excellentior. *Illi ab idololatris ſepti erant. ne ergo religionem varietate diſtraherentur, cultus ſui ſedem in medio*

terræ ſinu Deus collocauit: & nos Ioannes ab hæreticis eheu quàm circumplicati manemus. ne ergo dogmatum varietate tanta, quantam apud vos vigere videmus, diſtraheretur eccleſia, veræ fidei, cultus, ac totius religionis ſedem in medio terræ ſinu, nimirum Romæ, Deus collocauit. Huc confugit Athanaſius, huc Cyprianus, huc Chryſoſtomus, huc Hieronymus, huc Theodoritus, huc omnes, quotquot ab hæretica prauitate malè tractari ſe videbant. huc Oriens, huc Occidens. *Vbi vera religio in totum orbem diffuſa eſt, vni dari Orientis & Occidentis moderationem, quis non videat eſſe prorſus abſurdum?* quis Caluine? ſanè qui intelligit ſummè oportere in tanta eccleſiarum varietate, in tanto fidelium numero, in tam vario regnorum, prouinciarum, nationúmque vſu, in toto demum Oriente atque Occidēte ſimul vnam tātùm fidem, vnam religionem coli, credi, & obſeruari. quæ ſanè res nunquam ſic haberetur, niſi particulares omnes eccleſiæ in vnam Romanam ſcilicet, vt ſolent plures digiti in manum vnam, ſicut Afer Optatus contra Donatiſtas dicebat, conuenirent. At, *Abſurdum videtur totum mundum à præfecto vno debere regi:* quibus videtur abſurdum? certè his, qui orationis illius virtutem ignorant, quam pro Petro atque eccleſia Chriſtus dicit, ſe apud patrem profudiſſe, ne ipſius fides vnquam periret: nobis verò, (qui illius orationis gratia factum credimus, vt nunquam ad ſedem hanc acceſſum inuenerit perfidia, ſed ſemper Petri cathedra vera de Dei fide dederit reſponſa, ſemper Dei & Chriſti docuerit legem, ſemper particularium eccleſiarum grauiores cauſas legitimè compoſuerit) non abſurdum, ſed diuinis decretis conueniens, rationi conſentaneum, neceſſitati verò noſtræ aptum, atque cum noſtra vtilitate valde conſentiens eſſe videtur. At, *Tranſlato vetere ſacerdotio ius illud non ad papam, ſed ad Chriſtum transferri conuenit:* quis tam impudens, qui Chriſti elogia, ſibi propria, ad quenquam hominum, etiam ad maximum pontificem, transferri patiatur? quòd enim ſit ſacerdos ſua oblatione, ac morte patrem placans, quòd ſit doctor & ſimul doctrinæ auctor, quòd ſit ſacramentorum inſtitutor, quādo ad ſe traxit Romanus pontifex calumniator?

Lucæ 2.
Vide Clement. Rom. l. de ſchiſmatibus.
Hebr. 7.

quòd verò cum vicario, aut ſucceſſore ſuo, qui incruentam hoſtiam pro eccleſia offerat, munus ipſum regendi, paſcendi, docendíque alios Chriſtus ſuſtineat, quòd honorem hunc Chriſtus ſibi reſignet, non tam ad ſe trahit Romanus pontifex, quàm liberaliter à Chriſto ſibi & toti eccleſiæ cõceſſum recognoſcit. vt enim filij Dei ſacerdotiũ in propitiatione patris, quam morte ſua peregit Chriſtus, maxima ex parte conſiſtat, & hunc honorem nemini reſignauerit: tamen, vt in doctrina, in auctoritate, in ſacrificio altaris, in oratione demum cõſiſtit, non vult clementiſſimus dominus munus hoc ſacerdotis ſine vicario, aut ſucceſſore ſuſtinere, ne viſibilis eccleſia ſine viſibili ſacerdote, & ſine ſacrificio remaneret. immo verò Caluine ſicut illa interceſſione, qua nunc apud patrem fungitur Chriſtus, eccleſiæ interceſſio non tollitur, ſed magis illa huius principium, fons, & tota cauſa exiſtit: ita quidẽ Chriſti ſacerdotio eccleſiaſticum innititur, ne dum non deſtruitur. manet ergo Chriſto illibatum ſuum elogium, & Chriſti vicario ac vero ſucceſſori a integra ſua auctoritas. Sed pergamus ad nouum teſtamentum.

Ex nouo teſtam. eadem Petri auctoritas valde conſtat.

Matth.16. *Ioan.21.* *Cal.ſect.3.*

Ad nouum verò teſtamentũ ſi veniamus, veritas hæc de Petri primatu. & vniuerſali poteſtate in gubernãdo clariùs nobis occurret. In primis, Tu es Petrus, inquit Chriſtus, & ſuper hanc petrã ædificabo eccleſiã meam. item, Petre amas me? paſce oues meas. Verùm his tam illuſtribus ſcripturę locis duo reſpondet Caluinus. alterum eſt, non ei mandari poteſtatem in omnes eccleſias, qui paſcere Chriſti gregem iubetur, nec ligare & ſoluere idem eſſe, quod præſidere: ſed per claues regni cælorum euangelij doctrinam fore intelligendam dicit, atque non alio modo ligari & ſolui homines credit, niſi dum fides alios reconciliat Deo, alios ſua incredulitas magis cõſtringit, alterum eſt, nihil hîc diuo Petro fuiſſe datum, quod non fuerit collegis omnibus commune. Primum illud aſſertum probat ab ipſa ratione nominis. idem ſiquidem eſt ligare & abſoluere, quod retinere ac remittere peccata. habemus enim hanc ex Chriſti ore expoſitionem. modum verò remittendi Paulum optimè interpretatum fuiſſe ait illis verbis, Reconciliamini

Ioan.20.

Deo. & illis, De poteſtate noſtra, quam dedit nobis dominus ad ędificationem veſtram, &c. hoc autem vltimũ multis ſcripturarum & ſanctorum locis inuoluit. principiò, quòd etiam omnes alios presbyteros idem ipſe diuus Petrus hortatus fuerit, vt paſcant eccleſiã. deinde, quòd alioqui nõ modò perſonis fieret iniuria, ſed claudicaret ipſa doctrinæ maieſtas. deinde, quòd id ipſum, quod vni hîc eſt promiſſum, alibi omnibus confertur, & quaſi in manum traditur, Matthęi nimirũ 18. poſtremò eam fuiſſe Cypriani & Auguſtini mẽtem, vt ſcilicet nemo toti collegio apoſtolico pręficeretur, ſed vt illis verbis eccleſiæ vnitas tantùm commendaretur, vehemẽter laborat omnibus perſuadere. Porrò claues regni cęlorũ non fidei doctrinã, vt vult Caluinus, hîc ſignificare, ſed iudicium, ſed auctoritatem, ſed diſcretionem, ſed iuriſdictionem, teſtes ſunt vniuerſi patres, quotquot hunc Matthæi locũ, & decimũ octauum etiam eiuſdem Matthæi, atque verbum illud Chriſti, Quorum remiſeritis peccata, &c. verſant & enarrant, ſiue Græci, ſiue Latini. ad hæc omnium fidelium paſtorem atque epiſcopũ his in locis diuum Petrum eſſe à Chriſto renuntiatũ, caput declaratum, Petrum ac Cepham nominatum, columbæ filium appellatum, præ ceteris regni cælorum clauibus donatũ, ſupra omnes apoſtolos, ſuper omnes epiſcopos & præpoſitos, ſuper omnes primates eccleſiarum à domino hîc fuiſſe collocatum, vno ore, vna voce, vno conſenſu clamant ſuper hoc loco diui Chryſoſtomi, Origenis, Theophilacti, Hilarij, Hieronymi, Rabani, & omnium ſcholia. ſuper ipſo nouiſſimè fundatam eccleſiam à Chriſto ex hoc loco, nõ obſcurè, ſed illuſtribus verbis affirmant idem Theophilactus, Hieronymus, Rabanus, Hilarius, Cyrillus, in eo loco, & ſuper vndecimum caput euangelij Ioannis, Cyprianus contra Nouatianum in epiſt. vigeſimaſexta Auguſtinus in ſermone de ſanctis decimoſexto, & libro retractationum vtranque expoſitionem probat, Super confeſſione tua, &, Super te, qui me ſic es confeſſus. idipſum ſentit hîc Origenes, & cap. decimooctauo ſuper Matthæum. Video lector paſſim à ſanctis his multa hoc ipſo Matthęi loco in rem hãc ponderari. & quòd dominus ipſum

Quid ſit, Soluere, & Ligare.

Super hanc petrã, id eſt, Super te, qui me es confeſſus.

ſolum beatum appellauerit.quòd ad Ioannis filium verba ſua Chriſtus dixerit, Simonem Barionna ipſum nominando,quòd cum commendauerit à magiſterio cæleſti, quòd ad ipſum ſolùm orationem conuerterit, Et ego dico tibi, cùm aliâs ſolitus eſſet dicere, Amen dico vobis, (ea enim loquendi phraſi cum ipſo agebat, quoties ſingulare quidquam ad Petrum dirigere volebat) quòd tanta diligentia Chriſtus dominus vtrunque pronomen expreſſerit,Ego,&,Tibi, atque multa alia, quæ libens prætereo,ne in re,omnium ſęculorum ſuffragiis confirmata, nouas probationes curioſiùs inquiſiuiſſe, quaſi ea res adhuc ſub iudice eſſet, meritò videri poſſim. redeo igitur ad Caluinum. Lutheranorum ac tua cum primis hæreſis èſt iſta tua Caluine,qui,ſicut explicatiùs tractabimus,cùm de ſacramento pœnitẽtiæ fuerit agendum,non aliam in eccleſia poteſtatem agnoſcitis,quàm reconciliãdi homines Deo per euangelij prędicationem, & ſimul auctoritatem habere exercendæ vindictæ in eos qui beneficium hoc reſpuũt. &,vt non omnino ieiunus tranſeam,ſi hoc tantùm eſſet abſoluere & ligare, certè hæc poteſtas non modò euangelicis miniſtris conueniret,ſed omnibus his,per quos vitæ & reconciliationis verbum proponeretur, ſiue miniſter is foret,ſiue doctor, publica perſona, aut priuata. ac proinde nihil ſingulare apoſtolis, neque eorum ſucceſſoribus illis Chriſti verbis fuiſſet tributum, quod cum mulieribus veſtris, & coquis, piſtoribus, lecticariiſque ſimiliter veſtris non habeatis commune. ô pulchrã hierarchiam, ô ordinem bene diſpoſitum!præterea Caluine,ſi id eſt abſoluere ac ligare,profectò non nos ſoluimus, nec ligamus, ſed fides eſt quæ remittit, quæ nos Deo conciliat:incredulitas contrà,quæ retinet, quæ ligat. *At Paulus interpretatur reconciliari:* immo non de ſacerdotali remiſſione,nec de iudiciali hac abſolutione & retentione,ſed de admonitione,qua ſolent verbi Dei prædicatores Chriſti fideles ad pœnitentiam prouocare,fuiſſe Paulum locutũ ipſa verba declarant.ait enim, Obſecramus pro Chriſto,reconciliamini Deo. vltra tamen miniſterium hoc, affirmare non eſſe aliam poteſtatem in eccleſia,nefarium eſt,& ſceleratum.Iam verò illud,

Hæreſis omnium Lutheranorum.

illud, quod de diuo Petro producis, vt ſcilicet mandatũ ipſe à domino acceperat, ita alios omnes preſbyteros hortabatur, vt paſcerent eccleſiam, quàm faueat propoſito noſtro, intelligent omnes, qui attentiori animo cogitare volent, quanta ſolicitudine & cura diuinus hic & cæleſtis paſtor Petrus in ſibi commiſſam eccleſiam incumbat, poſtquam nõ propriis laboribus ſolùm, verùm alienis vigiliis ſui gregis commodis & vtilitati tam ſolicitè inſeruit. in hoc ſiquidem negotium omnes alios adiutores, hortatores, adminiſtros, ſocios, atque participes apoſtolica caritas habere deſiderat, ac poſtulat. eſtque in illis Petri verbis ſumma conſideratione obſeruandum, quod dicit, Paſcite, qui in vobis eſt gregem. cum tamen ſibi mandatum eſſet à Chriſto, vt omnes ipſius oues paſceret.

Si quidquam fuiſſet datum Petro, quod non aliis, & fieret perſonis iniuria, & claudicaret ipſa doctrinæ maieſtas. De apoſtolorum auctoritate, & an ipſi parem cum diuo Petro poteſtatem à Chriſto acceperint, tribus aſſertionibus, quod mihi videbitur probabilius, ex ſcripturis ſanctis, ac ſacris doctoribus indicabo. Prima ſit, In rationẽ apoſtolatus, quemadmodum optimè cõſiderauit diuus Thomas ſuper illud Pauli, Quoſdam poſuit Deus in eccleſia apoſtolos, &c. hæc tria veniunt, facultas ſcilicet prędicãdi diuini verbi, auctoritas Chriſtiani populi gubernandi, ac ipſa tandem miraculorum poteſtas. & quidem Lucæ nono dicitur, quòd Ieſus, conuocatis duodecim diſcipulis, dedit eis poteſtatem ſuper omnia dęmonia, & vt languores curarent. ecce primũ: ſequitur deinceps, Miſit eos prædicare verbum Dei. quo in loco duplicem illam auctoritatem nimirum doctrinæ ac ſpiritualis iuriſdictionis ſancti intellectam fuiſſe volunt. id verò explicatius eſt additum Marci vltimo, Docentes, inquit, eos ſeruare mandata, quæ ego vobis præcepi. & Gloſſa ordinaria, enarrans illud Pauli, Quoſdam primò apoſtolos. ait, Primò apoſtolos, primò dignitate & tempore apoſtolos, omnium ordinatores ac iudices. Non aliò verè, quàm huc ferebatur Chriſti ſermo, qui eſt apud Lucam, Ego diſpono vobis, ſicut pater meus diſpoſuit mihi regnũ. Altera aſſertio eſt, Apoſtoli ſancti om-

Apoſtoli an parem cũ Petro auctoritatẽ à Chriſto acceperint.

Aſſertio 1.

S. Th. ſuper Paul.

1. Cor. 12.

Luc. 10.

Aſſertio 2.

nes diuino iure, & ab ipſomet Chriſto totius orbis paſtores, epiſcopi, doctores, rectores, iudices demum ſunt conſtituti. hāc certè ſecundam ſatis commodè prior illa aſſertio probat. nam ſi à Chriſto ordinati ſunt apoſtoli omnes, ſanè quidē diuina ordinatione omnia hæc, quæ in noſtra aſſertione retulimus, habebunt, cùm apoſtolatus præſtantia ſecum trahat non ordinis tantùm poteſtatem, ſed etiam iuriſdictionis imperiū. hoc eſt, quod Anacletus papa dixit, apoſtolos videlicet omnes, qui erant pari conſortio, parem accepiſſe poteſtatem. neque puto, quidquam potuiſſe diuum Petrum, quod pertineret ad hanc ſpiritualem politiam, quod non etiam præſtaret diuus Ioannes, ſi contingeret eò accedere. credo enim pleniſſimam eos omnes à Chriſto poteſtatem in orbem vniuerſum accepiſſe. quod enim legitur, ſanctū Iacobum, fratrem domini, ordinatum fuiſſe epiſcopum Ieroſolymorum à diuo Petro & Ioanne, atque Paulum & Barnabam ab apoſtolis, non arbitror ſic eſſe intelligendum, vt tunc denuò epiſcopi crearentur: ſed quòd tunc alicui ſpeciali eccleſię conſecrabantur, aut inſigni cuipiam operi dedicabantur, atque ſimul modum, quo poſtea creādi eſſent atque ordinandi epiſcopi, ipſorum

Aſſertio 3. apoſtolorum exemplo docebamur. Tertia tādem aſſertio erit hæc, Quanquàm apoſtolorum omniū auctoritas à Chriſto ipſo ſine medio profluxerit: tamē vniuerſi Petri principatum agnoſcebant, &, vt caput ac principem, ſequi tenebantur. hoc eſt, quod Leo papa dixit, & habetur in cap. Ita dominus 19. diſtinctionē. ita dominus ad omnium apoſtolorū officium pertinere voluit, vt in B. Petro, omnium apoſtolorum ſummo, principaliter collocaret, quò ab ipſo, quaſi à quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe intelligeret diuini myſterij eſſe, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. ſic etiam Caluine & datum eſt diuo Petro, quod non aliis eſt conceſſum, & nulla perſonis acta eſt iniuria, neque doctrinæ maieſtas claudica-

Cal. ſect. 4. uit. *Atqui quod vnum tunc promiſit, alibi reliquis ſimul om-*
Matth. 18. *nibus confert, & quaſi in manum tradit:* quidquid auctori-
Ioan. 20. tatis, quidquid iuriſdictionis eſt Petro promiſſum, traditum eſt apoſtolis: (quod enim ad apoſtolatus exerci-

tium pertineret, datũ eſt & ipſis, ſcilicet quòd ligarent, quòd ſoluerent, quòd retinerent, quòd remitterent) at quòd huius poteſtatis quaſi principiũ eſſent, quòd ſupra ipſos ædificanda eſſet eccleſia, quòd inferi portæ nõ eſſent præualituræ in ſuam ſedem, quòd, vt caput, claues eſſent accepturi, nunquam in illos ſimul omnes cõtulit, nec quaſi in manum tradidit, ſed vni Petro, ſicut pollicitus eſt, dedit. *Sed quid, ſi cum Cypriano & Auguſtino obiiciam, non ideo id Petro dominum dixiſſe Chriſtum, vt hominem vnum aliis præferret, ſed vt eccleſiæ vnitatem ſic cõmendaret? ſic enim loquitur Cyprianus, in perſona vnius hominis dominum dediſſe omnibus claues, vt omnium vnitatem denotaret. hoc vtique fuiſſe reliquos, quod erat Petrus, ſed exordium ab vnitate fieri: vt eccleſia Chriſti vna monſtretur. Paulum enim ſecutus Cyprianus eccleſiaſticæ concordiæ fontem ab vnico Chriſti epiſcopatu ducit: Auguſtinus verò,* expecta Caluine: diui priùs Cypriani locum euoluamus, pòſt ad Auguſtini teſtimonia progrediemur. Hæc certè Cypriani verba, quæ ille de vno epiſcopatu Petri ſcripſit, aut non intellexiſti, aut malitioſè interpretatus es, cùm enim diuus Cyprianus cauſam hæreſum & ſchiſmatum aſſignaret, ſubiunxit, Hoc eò fit fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur. de quo autem capite id dixiſſet, & quę hæc eſſet cęleſtis magiſtri doctrina de capite, ſtatim indicauit, dicens, Loquitur dominus ad Petrũ, Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper petram iſtam ædificabo eccleſiam meam. & paulò pòſt eidem poſt reſurrectionem ſuã dicit, Paſce oues meas. vt vnitatẽ eccleſiæ, ait Cyprianus, manifeſtaret, vnitatis eiuſdẽ originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. ab vno, inquit, incipiẽtẽ, id eſt, à capite. quod ſupra dixerat Cyprianus, non quęri ab hæreticis, & ſchiſmaticis: & quod dominus ſua auctoritate diſpoſuit, cùm ait, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam. hæc vnitas terreni capitis efficit, vt vna ſit in terris eccleſia, hoc enim ipſum ſignificat, quod idem Cyprianus dicebat, Exordium ab vnitate proficiſcitur, vt eccleſia vna mõſtretur. & paulò pòſt, Vnũ caput, vna origo eſt, & vna mater fecũditatis.

Cal. lib. 4. c. 2 ſect. 6.

Cypr. verba ponderãtur.

Ad hæc, cùm ex Cypriano audis, Epiſcopatus vnus eſt, non hoc de Chriſti epiſcopatu dictum intelligas, qui eſt ſanè epiſcopus vnus animarum noſtrarum, ſed de ordine epiſcoporũ in terra, qui eſt vnus, cuius à ſingulis, vt ait ipſemet Cyprianus, in ſolidũ pars tenetur. non enim magis eſt ordinis epiſcoporum vnus, quàm alius: immo omnes ſunt, quod vnus iuxta epiſcopatus rationẽ. vnũ tamen eſt in terris caput, & origo à Deo diſpoſita, vnde ceteros, inquit, proficiſci voluit. ita vt per hoc caput, ceu per fontem, & lumen quoddam, ac radicem, ceteros epiſcopos, tanquam riuos, radios, ac ramos quoſdam, ille fons aquæ viuæ, luminum pater, vitæ arbor, atque omnis boni principium emittat, deriuet, proferat, moderetur ſecundũ vniuſcuiuſque menſuram. Sed quòd de põtifice dictum accipiendũ ſit, quod idem auctor ad Cornelium ſcribit, cauſam ſcilicet hæreſum, & ſchiſmatum eſſe, quòd caput non quæreretur, ex eodem rurſus Cypriano intelligi facillimè poteſt. quod quidẽ Caluinus non aduertit, vel potiùs, vt coniicio, callidè diſſimulauit. Non aliũde, inquit, hæreſes ortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, neque vnus in eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur. cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus ſacerdotum collegiũ quidquam moueret. vbi vniuerſam eccleſiam, id eſt, catholicam, vocauit vniuerſam fraternitatem, quæ vni capiti obtemperare debet. Ergo, vt vno verbo tibi reſpondeã Caluine, quãuis, vt nos annotauim⁹, & Cypriani videtur eſſe expreſſa ſentẽtia, hoc eſſent apoſtoli ceteri, quod fuit Petrus, id eſt, vniuerſalis orbis paſtores: exordium tamen ab vnitate antea profectum fuit, vt eccleſia vna ab eo vno capite, principe, & epiſcopo, nimirum diuo Petro, mõſtraretur. ſic enim conſtituti ſunt à Chriſto paſtores, vt re ipſa forent & ipſi ſub vno paſtore, à quo eccleſia vna diceretur.

Cypria. ad Corn. papã.

Matth. 16. 18.

Ioan. 20. 21

Cal. lib 4. c. 6. ſect. 4.

Aug. hom. 50. in Ioan.

Auguſtinus *ait, Si in Petro non eſſet eccleſiæ myſteriũ, non ei diceret dominus, Tibi dabo claues. ſi enim hoc Petro dictũ eſt, non habet eccleſia: ſi autem eccleſia habet, Petrus, quando claues accepit, eccleſiam totam deſignauit. Et alibi, Cùm in-*

terrogati eſſent omnes, ſolus Petrus reſpõdet, Tu es Christus. cui dicitur, Tibi dabo claues. quaſi ligandi & ſoluendi ſolus acceperit poteſtatem: cùm & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam perſonam gerens ipſius vnitatis, acceperit. ideo vnus pro omnibus, quia vnitas eſt in omnibus: quòd ita omnes ſentirent, vt Petrus Chriſto reſpõdet, nec Auguſtinus affirmat, nec cum verbis ſcripturæ conueniunt, quæ apud Ioannem dicit, Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. ſciebat enim, inquit euãgeliſta, ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum. quòd verò Petrus os fuerit & organum ceterorum apoſtolorũ, quid, quæſo de ſummo ſuo pontificatu detrahit, aut diminuit? ſimiliter quòd dũ Chriſtum veraci confeſſione prædicat totius eccleſię fideliũ perſonam diuus Petrus ſuſtineat, quòd etiam in Petro eccleſia claues regni cælorum acceperit, ſicut Auguſtinus hîc affirmat, quid, precor te impedit, quò minus ipſius pontificatus gloria apud Petrum maneat? fatemur libenter, fatemur cæleſtis huius donationis finem eſſe eccleſiam, in cuius vnius vtilitatem ac commodum cũcta à Chriſto dirigerentur. non enim eccleſia propter Petrum, ſed magis Petrus ipſe ob eccleſiæ bonum diuino munere donatus à Chriſto fuit. Verùm quid hoc ad Petri epiſcopatum? ſic nanque totius eccleſiæ perſonã, aut figuram tum gerebat Petrus, vt in veritate eas claues ipſe in bonum eccleſiæ reciperet, non minùs, quàm apud vnam gentem imperij celſitudo retineri dicitur, quòd vnus ipſorum ea corona perfulgeat, licèt non omnes ſint imperatores. eſt igitur ea dignitas in eccleſia, poſtquam collata eſt Petro ipſius eccleſiæ principi, neque in mũdi finem ea priuabitur eccleſia. nec diuus Auguſtinus, quando Petrum figuram facit eccleſiæ, veritatem negat, vt ſolet fieri in parabolis, ac fabulis, ſed ita datur hîc figuræ ſuus locus, vt tamẽ primò hiſtoriæ veritas ſit ſeruanda. Sed percurramus cetera. *Paulus vnicũ eſſe ait fundamẽtum, Chriſtum nimirum Ieſum, præter quod ſtatui aliud non poßit: ſupra quod fundandam eſſe eccleſiam idem dominus Petro ipſi hic dicit, Et ſuper hanc petram, quã tu confeſſus es, id eſt, ſuper me Chriſtum, ædificabo eccleſiam meam:* quòd poſſit hic locus euangelij de petra, qui

Homil 11. Repetit. homil. 124. Verborum Aug. facilis dilucidatio. Ioan. 6. 1. Cor. 3. Epheſ. 2. 1. Pet. 2.

Chriſtus eſt, lapis ſummus & angularis, in quo ſuperſtruantur, qui creſcunt in templum ſanctum domino, intelligi, dummodo communis ſanctorum ſenſus de Petri cathedra integer & immotus permaneat, facilè cum multis orthodoxis explicatoribus concedemus. immo ipſe diuus Auguſtinus in libro retractationum vtrunque ſenſum cum litera euangelij ſatis conuenire probat. eſt ſiquidem eccleſiæ ſingulare caput Chriſtus, quòd ipſam regit, quòd ipſam inſtituerit, quòd ipſius ſit auctor, atque ſuo ſanguine redemerit ipſam, ac lauerit. tale certè fundamentum vnum eſt, nec aliud, quàm quòd poſitum eſt Chriſtus Ieſus: tale caput vnum eſt, ſicut eccleſia vna. at ſub hoc primo, cuius merito habet eccleſia, quidquid habet, qui Chriſto ſucceſſit, qui in
Matth. 16. ipſius locum ac vices ſuffectus fuit, Petrus eſt, eccleſiæ
Act. 10. poſt Chriſtum inter omnes apoſtolos fundamentum ſingulare, quia omnium primus integram de Chriſto fidem paucis verbis complexus eſt, quia omnium primus in nationes fidei fundamenta iecit, quia firmamentum factum eſt aliorum, dicente domino, Et tu conuerſus confirma fratres tuos.

Lucæ 22. Atque re vera nullus quæſtionem hãc ſoluere meliùs poteſt, quàm ſcriptura ipſa, ſi locos omnes conferamus: vbi docet, quid muneris & poteſtatis habuerit diuus Petrus inter apoſtolos, qualiter ſe geſſerit, qualiter etiam fuerit ab ipſis acceptus. percurre quidquid extat, quàm multa reperies, quæ huius primatus ſupra ceteros veritatem te doceant. Inter apoſtolos quoties res de eccleſia ageretur, omnium primus aut quærebat, aut quærẽti domino reſpondebat. primam ſynodum, in qua de v-
Act. 1. nius apoſtoli creatione eſſet agendum, Petrus congregauit, cui & ipſe præfuit, proponẽs quid agendum, ſtatuens quis ordo eſſet ſeruãdus in progreſſu, & demum ſuo ſuffragio confirmans cuncta, quæ ibidem à concilio peracta fuiſſent, concionem illam apoſtolicam &
Act. 2. ſacratam ſynodum ſoluit. cùm ebrij, temulenti, inſani, muſto pleni, diuini numinis templa, ac cæleſtis ſpiritus organa ſancti ſcilicet apoſtoli ab inſanis aliquot & perfidis hominibus in die pentecoſtes vocarentur, irriderentur, atque contemnerentur, ipſorum princeps

Petrus,non ſuſtinens tantam iniquitatẽ apoſtolicę celſitudini inuri,eccleſiaſtici iuris defenſor, & quaſi cæleſtis patrimonij continuus propugnator, multa & prodigioſa oratione eam iniuriam à ſuis omnibus propulſauit. Quis horrẽdo ſupplicio Ananiæ & Sapphirę mẽdacium ac dolos,niſi Petrus correxit, atq; acerba & inſperata morte vtrunque multauit? vt iam deinceps in ſupremo eccleſiæ iudice non dignitatem tantùm ceteri ſpectarent,ſed grauitatem,atque rigorem timerent. quis,niſi Petrus omnium primus, Simonem illum, iniquam exercentem mercaturam ac turpem,extra domini ſortem procul iecit, ne dum repreſſit? ad quem,niſi ad Petrum gentes in euangelij gratiam admittere cęleſti antea oraculo edoctum pertinebat? concilium Ieroſolymis congregat,refert ad concilium quid faciẽdum, & quid facto opus ſit, cum primis ipſe admonet, atque ſumma prudentia cuncta gerit. alios ſimul audit,nec locum tantùm concedit dicendæ ſententiæ, ſed arbitriũ eis permittit,& cũ ipſis, quod viſum eſt ſpiritui ſancto, ſtatuit,ſequitur, & obtẽperat. cùm ad paſtores ſcribit, (nimia ſiquidem ſolicitudine, eccleſiæ regendæ vrgebatur) collegas ſuos facit, & comiter hortatur, vt inter æquales fieri ſolet,qui viuere poterat vt ſuperior. accuſatus à nonnullis, quòd ad gentes fuiſſet ingreſſus, etiam ſi id fit iniuſtè, non ſe ſupremæ auctoritatis defendit titulo, qui certè poſſet, ſed omnibus ſe multùm debere cogitans humaniter reſpondet, ac ſeſe purgat. indiget Samaria tanti paſtoris præſentia (cuncta enim prouincia Simonis Magi præſtigiis quotidie lædebatur) mittitur eò à fratribus, non vt inferior, ſed quòd conſilio, auctoritate, & feruore longè præ aliis apud illam gentem profecturus cũctis videretur. ſuſcipit ſibi cælitùs mandatam legationem, ab vniuerſa eccleſia approbatam,cum Ioanne promptiore quidem animo, quàm olim fecerat Phinees, Eleazari filius, & ſacerdos, cũ decẽ principibus miſſus de ſingulis tribubus à filiis Iſrael ad filios Rubẽ,Gad,& dimidiæ tribus Manaſſæ, ſicut, ſacra Ioſùe hiſtoria referente, didicimus. At, *Vna epiſtola ad Galatas omnem dubitationem nobis eximere facilè poteſt:* quî ſic Caluine? *duobus ferè ca-*

Act.5. *Act.8.* *Act.10.* *Act.15.* *1.Pet.5.* *Act.11.* *Ioſue 22.* *Cal.ſect. 7.*

pitibus nihil aliud Paulus contendit, quàm ſe honore apoſtolatus Petro eſſe patrem, hinc cõmemorat ſe ad Petrum veniſſe, vt teſtatam faceret omnibus doctrinæ conſenſionem: dixi ſæpè, in quo ſenſu pares eos fuiſſe, ſit nobis concedendum: nolo immorari ampliùs, quando hæc magis noſtra confirmant, quàm quòd ea deſtruere videantur.

Galat. 2. *Denique cum minus fideliter Petrus ageret, fuiſſe à Paulo correctum ipſe Paulus affirmat:* nolo hîc antiquas concertationes inter Auguſtinum & Hieronymum excitare, nolo rem tantam vno verbo hîc componere: ad Caluinum verò hînc contra Petri primatum multa colligentem non nos reſpondebimus, ſed diuus Cyprianus in epiſtola ad Quintium. Nec Petrus, inquit, quem primum dominus elegit, & ſuper quem ædificauit eccleſiam ſuam, cùm Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, ſe vindicauit, ſeu aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potiùs oportere. nec deſpexit Paulum, quòd eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis adminiſtrationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit: documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientię tribuens, vt non partinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus, & collegis noſtris vtiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint verba & legitima, ipſa potiùs amplectamur. Hæc diuus Cyprianus. Vides Petrum à domino primò electum: vides ſupra ipſum à domino fundatam eccleſiam, quod paulò antè negabas ex diuo Cypriano oſtendi quoquo pacto poſſe: vides laudari Petri modeſtiam, quippe qui cùm eccleſiæ princeps eſſet, ac ſibi nonnulla eſſent obiecta, noluerit tamen ea auctoritate ſe tueri, nec dicere, primatum ſe tenere, & à nouello Palo nõ doceri, ſed ſe coli & ſibi obtemperari oportere: vides denique, quale humilitatis exemplum concordiæ ac patientiæ cæleſtis hic paſtor Petrus ſuo facto nobis tradiderit, vt non partinaciter noſtra amemus, ſed quicunque ſimus, etiam ſi ſummi paſtores, quæ à fratribus noſtris ac collegis vtiliter & ſalubriter ſuggeruntur, modò vera ſint ac legitima, vtraque, vt dicitur, manu amplectamur. quam diui Cypria-

Cypr. verba, quæ non modo Caluini obiectionẽ euacuãt, ſed etiam Petri primatũ valde cõfirmãt.

ni ſententiam, fidem, immo ipſa etiam verba libenter amplectimur, & cùm in laudem primatus Petri, tum in modeſtiæ ipſius æternam famam in perpetuum firma memoria retinebimus

Non minùs vniuerſæ Christianæ eccleſiæ ſummum pontificē præeſſe debere, quàm olim fecerit diuus Petrus, ſatis apertè indicatur, ac Caluini criminationibus reſpondetur.

Cap. XI.

VErùm, vt de diuo Petro nobis concedat Caluinus, fuiſſe ſcilicet apoſtolorum principem, & dignitate ac primatu reliquos antecelluiſſe: (quomodo id negare poteſt homo, qui Chriſtum non fuiſſe mentitum ſibi perſuadeat?) vllā tamen cauſam eſſe negat, cur ex ſingulari exemplo regulam vniuerſalem faciamus, & quod ſemel factum fuit, ad perpetuitatem trahamus, cùm lōgè diuerſam eſſe rationem credat. certè Caluine vigere & nunc Petri ſedē omnes, quotquot tu legeris, ſancti vno ore affirmant factam eſſe vniuerſalem regulā, quę omnibus ſæculis obſeruaretur in ipſa creatione Petri copioſiſſima, atque ornatiſſima oratione ad Damaſum duabus epiſtolis diuus Hieronymus eiſdem Chriſti verbis, nimirum, Super hanc petram, &c. confirmat. diuus ſimiliter Auguſtinus in quæſtione 110. veteris teſtam. in tantum credit Petri primatum adhuc vigere, vt omnē aliam ab ea, quæ non ei obtemperet, & ipſam ſequatur, peſtilētiæ cathedram non dubitet nominare. Sedem Petri (vt nihil modò de ipſius loco tractemus) magiſtram ſibi ſemper fore proponit diuus Ambroſius, atque eam Dei domū honorificè quidem nominat. Cirillus item alexandrinus libro illo theſaurorum pleniſſimam auctoritatē Petro, ac ſuis ſucceſſoribus à Chriſto fuiſſe traditam ſuper omnes particulares eccleſias, ſicut ipſe dux ab æterno patre ſuper omnē principatū fuerat conſtitutus docet. meminit huius ſucceſſionis Athanaſius, ad Marcum ſcribens, & ad Liberium Romanos pontifices, Irenæus, Tertullianus, atque alij, quos ſuperiori articulo me produxiſſe ſatis recordor. Iam diuus Bernardus, ad Eugeniū ſcribens, libro ſecundo de conſideratione, Petri ſucceſſorem vocat ſacerdotem magnum, pontificem ſummum, epiſcoporū prin-

Cal lib 4.c. 6.ſect.8.

2.Tim.3.

cipem, apoſtolorum hæredem, primatu Abelem, grauitate Noe, patriarchatu Abrahamum, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moſem, iudicio Samuelem, poteſtate Petrum, vnctione Chriſtum. At, *Vnus inter apoſtolos ſummus fuit: nempe quia pauci erant numero:* immo Caluine, quia pauci erant numero, & quia vniuerſi erant primi & apoſtoli, audierantq; Chriſtũ & viderant, doctrinam acceperant, mores ipſius nouerãt, miracula inſpexerant, non tam indigebant paſtore ac præfecto, qui ipſis pręſideret, quàm nos, in quos vniuerſa illa, quę cũ ſanctis apoſtolis gerebantur, reſpiciebãt, immo iã tum in nos conferebãtur. hoc enim fert natura, hoc hominũ ingenium poſtulat, vt in quouis cœtu vnus ſit velut moderator, in quẽ omnes reſpiciãt. nulla eſt curia ſine cõſule, nullus cõſeſſus iudicũ ſine prætore ſeu quęſtore, collegiũ nullũ ſine pręfecto, nulla ſine magiſtro ſocietas. *Ad vniuerſum orbẽ terrarũ regendum nemo vnus ſufficit:* verum eſt, ſi huius vnius humana prudẽtia, ſapientia, iudicio ſit enitendum ſolùm, & non magis illi excellentiſſimæ promiſſioni, qua Deus ipſe huic ſedi pollicitus eſt, ſe eam non deſerturũ, item illi Chriſti orationi, qua in altiſſimis defixa ſedes hæc radicibus vnquam vi aut errore labefactari non poſſit. accedit etiam, quod, cum ſingulis eccleſiis ſui epiſcopi attribuãtur, nec ad ſummum Petri ſucceſſorẽ res, niſi grauiores deferantur, & principis vnitas, vt dicebat Cyprianus, & recta gubernandæ reipub. ratio ſimul hîc ſeruetur. Vt igitur Chriſtus vnicum ſit eccleſiæ caput, quia ſua auctoritate, ſuoq; nomine ſolus regnat, nihil tamen iſtud obſtat, quò minùs ſub ipſo alterum ſit miniſteriale caput. quod eius vices in terris gerat. ſicut nec id impedimento eſſe potuit, quò minùs omnium apoſtolorum caput Petrus à Chriſto inſtitueretur. quod certè miniſterium ſatis ſuperque oſtendimus fuiſſe à Chriſto ordinatum. At, *Cùm aliquoties viuam eccleſiam Paulus depingeret, de vno capite nullam prorſus ibi mentionẽ facit. immo qui dixit aſcendiſſe Chriſtum, vt adimpleret omnia, indicauit ipſum adhuc præſentem habere eccleſiam, vt miniſteriale iſtud caput neceſſarium non fuerit:* bella ſanè quidem conſecutio, apoſtolus Paulus non expreſſit Chri-

Chriſtus quomodo eccleſiæ ſit caput.

Cal. ſect. 10. Epheſ. 4.

ſtum vnum omnibus præfeciſſe,qui vices ſuas gereret, ergo nulli eas vices mandauit. quid ſi ipſi dominus antè id dixit? quid ſi à domino inſtitutum ſemper eccleſia retinuit? num diuus Paulus omnia explicuit? num omnia dixit? At, *Locus ille, vbi de eccleſia tractabat Paulus, id maximè poſtulabat: nec vllo modo debuit omitti, ſi verum eſſet*: nihil minus Caluine. apoſtolus ſiquidem Paulus eo loco Epheſios ad ſeruandam eccleſiaſticam vnitatem primùm his verbis hortatur, Obſecro itaque vos ego vinctus in domino, vt dignè ambuletis vocatione veſtra, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in caritate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo *1.Cor.7.* pacis, vnum corpus & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. atque ſtatim dictæ vnitatis formam ipſis Epheſiis dupliciter Paulus eo loco oſtendit. nam, cùm Dei eccleſia ſit velut quædam ciuitas, variis & longè aliis partibus conſtans, eius vnitatem priùs apoſtolus docet per id, quod in vniuerſum omnibus conuenit, & non vni in numero ac particulariter, pòſt verò per id, quod varium eſt, & diſtinctum, atque diuiſum in membra ipſa. de priore dicitur, Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. habent enim vniuerſi fideles omnia hæc communia, nempe dominum vnum ac redemptorem, neque vnus alteri redemptor eſſe dicitur, ſed ſolus ille, qui omnium eſt dominus, maximè fidelium. habẽt omnes vnam fidem, hoc eſt, eoſdem articulos, eandem legem, ſcilicet euangelicam, quæ nemini eſt propria, ſed omnibus ex æquo communis: habent eadem inſignia, nimirum eundem baptiſmum, eademque ſacramenta: habent demum eundem finem, & eadem ſpe omnes aluntur, nẽpe fruendi ſine fine Deo ipſo. & hoc eſt, quod dicit, Vnus Deus, & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Iam vides Ioannes, non cõuenire propoſito apoſtoli, dum de hac priore conſideratione formæ vnitatis eccleſiaſticæ agit, miniſterium quodpiam in terris commemorare: quoniam id quidem ad poſteriorem conſideratio-

nem pertinebat, de qua ſtatim erat acturus, nō ad priorem, quæ nihil continet, quod particulare donum ſit in aliqua perſona ipſius eccleſiæ poſitum, ſed vnum Chriſtum, vnā legem aut fidem, vnum inſigne, vnum Deum ſeu finem. Iam accedit diuus Paulus, vt eccleſiæ vnitatem oſtendat ex his, quæ quamuis omnia in eccleſiæ bonum cedant, ſunt tamen ſingulis fidelibus eccleſiæ propria, & ſpecialia. Vnicuique, inquit, autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. hanc verò donationis Chriſti menſuram verbo regij prohetæ confirmat, Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores terræ? qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia. hoc eſt, quod idē propheta fuerat vaticinatus, Replebimur in bonis domus tuæ. Habes formam vnitatis eccleſiæ, quantum ad id, quod membris ſingulis proprium eſt: habes auctorē ac largitorem eorum munerum, nempe Chriſtum aſcēdentem ſuper cælos, qui & deſcendit in inferiores partes terræ: iā videamus, quæ ſint hęc dona non omnibus cōmuniter cōceſſa fidelibus, ſed ſingularibus perſonis. quare addit Paulus, Et ipſe dedit quoſdā quidē apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios verò euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in menſurā ætatis plenitudinis Chriſti. ac ſi diceret electionis vas, Conſtat eccleſia noſtra ex plurium donorum varietate, nimirum & prophetarum lumine, apoſtolorum excellentia euangeliſtarum monumentis, paſtorum magiſterio, atque doctrina. Quis hîc non videat, niſi talpa ſit aut lippus, parū facere ad rem, quā apoſtolus tractabat, quot eſſent in eccleſia euangeliſtæ à Deo deſignati, quot doctores à Deo conceſſi, quot fuiſſent apoſtoli miſſi, aut certè quot paſtores Chriſtus creauiſſet, vel ſi vnum tantùm toti eccleſiæ præfeciſſet? &, vt verbo vno multa complectamur, hierarchiam Paulus eccleſiæ, & ſacrum, ac diuerſis muneribus corpus vnum repræſen-

Eadem fermè referuntur.
1. Cor. 12.

tare ibi voluit: monarchiam autem inter miniſtros ſilet non quòd iudicet nullam eſſe, vt iniquè de ipſo Paulo Caluinus interpretatur, ſed quòd ad rem, quam initiò propoſuerat, nihil penitus id pertineret, vel quòd eam iam à domino inſtitutã ſciebat, & in eccleſia eam religioſè obſeruari videbat. concludamus igitur, ſicut hierarchia illa cæleſtis ſuum habet principẽ, quem omnes intueantur, quem alloquãtur, in quem omnes proſpiciant, haud ſecus eccleſiaſticam hanc habere oportebat. atqui res ipſa nos ſatis docere potuiſſet, in quas errorum tenebras, in quas ſine fine lites, Chriſti eccleſia quotidie veniſſet, ſi diuinum oraculum omnibus indicaturum ſemper expectaremus, & non magis per hominem vnum ſimilem nobis mortalẽ immortalis Deus verbum ac vitam ſimul in nos cõferre inſtituiſſet, ſicut fecit. Vide & conſidera Dei noſtri ſapientiam cum admirabili illa ſua clementia iunctam: toti orbi Chriſtiano oportebat vnum pręficere, nullus verò tot rebus gerendis ſufficere poterat. ne ergo latiſſima hęc reſpublica hac vnitate ſui principis careret, ſpiritum & ſapientiã dedit, vt quod mortalis homo præſtare ſua virtute nequibat, diuino ſibi aſſidente ſpiritu, ſemper ac vbique cum ſumma veritate tractare poſſit. nòn hîc contendimus affirmare neminem huic ſedi pręfuiſſe, qui vnquã, vt priuatus quiuis alius homo, errauerit, quamuis non deſint viri omnium literarum diſciplinis ornatiſſimi, qui, veris productis hiſtoriis, ad ipſum affirmarunt: nos tamen ſolùm ab ipſa ſede nunquam accepiſſe hæreſim, ſed ſanam Chriſti doctrinam omni aſſeueratione affirmabimus, ne moleſtus ſit homo iſte vnum Ioãnem 22. nobis obiectans.

Romanam ſedem hæredem eſſe fidei & auctoritatis Petri, vbi vrbis pariter & orbis totius epiſcopus mortuus eſt, defenditur, ac probatur, Caluinianáque commenta tam verè diluuntur, vt nullibi veritas de ſuis hoſtibus tam glorioſè, honeſtè, amplè, quàm hic triumphaſſe videatur.

CAP. XII.

IAm, vt hoc nobis largiatur Caluinus, homo ſcilicet liberaliſſimus munificentiſſimúſque, ſic nimirum cõ-

ſtitutũ fuiſſe in Petro eccleſiæ primatum, vt perpetua ſucceſſione ſemper maneret: vnde tamen nos euincere poſſimus ſedem Romæ ita eſſe collocatam, vt quicunq; ſit vrbis illius epiſcopus, orbi vniuerſo prȩſideat, ſe non ſatis attingere ingenuè concedit. quo item iure dignitatem hanc loco nos alligemus, quæ ſine loci mentione data eſt, nõ ſe intelligere haud erubeſcit fateri. quòd ſi ei reſpondeamus, quemadmodum ſancti omnes, qui de Romano primatu loquuntur, reſpondent, Petrum Romæ vixiſſe, & ibidem mortuum fuiſſe, vt proprio martyrio, ſicut Tertullianus, Irenæus, Hieronymus, Clemens Romanus, Dionyſiúſque dixerunt, ea ſedes, omnium princeps, ſuo martyrio fuerit cõfirmata: præmiſſa ad Petrum Chriſti voce, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam. & illa, Tibi dabo claues regni cælorũ. & illa, Tu aliquando conuerſus cõfirma fratres tuos. & illa, Paſce oues meas. ſtatim nobis ipſe obiicit, *Quid Chriſtus ipſe? nónne Ieroſolymis functus eſt epiſcopatu, dum vixit: & moriendo ſacerdotij munus impleuit? princeps paſtorũ, ſummus epiſcopus, caput eccleſiæ, non potuit honorem loco acquirere: Petrus longè ipſo inferior potuit? Nempe hac ratione ſedem primatus debuerunt olim Iſraelitæ conſtituere in deſerto; vbi Moſes ſummus doctor & princeps prophetarum miniſterio ſuo functus erat, & mortuus*: nónne ſunt ineptiȩ iſtȩ tuæ argutiolæ pluſquàm pueriles Caluine? adeóne tibi certare ineptiendo in re ſic graui libebit? potuit, & maximè potuit princeps paſtorũ, ſummus epiſcopus, caput eccleſiæ, honorem loco dare, ne dum acquirere: ſed ſucceſſorem ſibi Petrum elegit ac conſtituit, quem ſummo ſuo iudicio noluit Ieroſolymis tã diu manere, ne ea ſedes ſua morte ſimili priuilegio inſigniretur. & meritò quidẽ. ſummè profectò decebat, non minùs ſedem ipſam, quàm ſacerdotium, trãſlata lege, aliò transferri. caput gentium, ſedes ſit fidei, mundi iſtius princeps, errorũ ſentina, cæli porta, & eccleſiarum magiſtra hoc munere prædicabitur. ſanguis ille, qui à Iudȩis Ieroſolymis eſt profuſus, gentibus, primatum peperit. Auferetur, dixerat dominus Ieroſolymitanis, à vobis regnum, non mea quidem ſentẽtia terrenum illud ſæculareque ſacerdotium, ſed ſacerdotij pri-

matus,ne ampliùs gẽs duræ ceruicis iactaret, Templum domini,templum domini,templum domini eſt. noluit igitur ſummus ſacerdos noſter loco eam præſtantiam contuliſſe, non quia non potuit,ſed quia omnino noluit.quod& maximè,vt diximus,diuinam ſuam ſapientiam decebat.Iam verò illud alterum de Moſe argumẽtum perridiculum eſt. num Moſes ſummus fuit ſacerdos? ſed eſto,ſummus ille doctor erat,ac prophetarum princeps:ò ſingularem hominis ſtultitiam! an nõ vides vniuerſa illa,quæ in deſerto tradita ſunt Iſraelitico populo,promiſſionis terram ſpectaſſe,vbi ſacrificia, oblationes,cæremoniæ, templum denique ipſum erigẽdum erat? Cúmque introduxerit te dominus, ait ipſe per Moſem,in terram Chananęi, & Hethęi, & Amorrhæi, & Heuęi,& Iebuſęi, quam iurauit patribus tuis, vt daret tibi terram fluẽtem lacte & melle, celebrabitis hũc morem ſacrorum mẽſe iſto. Sed quid laboro pręteruolantes plumas perſequi?en iſta illa ſunt argumenta,quę noſtrum Democritum ab antiqua fide diſcedere compulit:quibus ſi tertium iſtius addas, nihil iam inſanius expectari hîc poſſe tibi lector videbitur. *Exod.13.*

Ergo Antiochena eccleſia primatum ſibi iure vendicat: nego tibi conſequentiam.extat Marcelli papæ non cõficta ſub illius nomine,ſed verè ab eo ſcripta ad presbyteros Antiochenos epiſtola:vbi ſic loquitur, Petri ſedes initiò apud vos fuit,quæ poſtea,iubente Deo,huc trãſlata eſt. *Verùm quo oraculo habuerat ille bonus vir ſic dominum iuſsiſſe?* an ſanctus ille pontifex ſolus eſt in hac ſententia? an Anacletus eadem pænè verba in epiſtola ad omnes epiſcopos & presbyteros tertia non vſurpauerat? annon Hieronymus verbis eiſdem agit in libro de viris illuſtribus, tractans curſum vitę apoſtolorum principis? Damaſus papa nonne in vitam diui Petri eadẽ cõmemorat?nõ dicimus, Caluine, expreſſum eſſe in ſcriptura,Romanam eccleſiam principem eſſe omniũ, nec ſimiliter in ſcripturis ſanctis haberi reuelationem factam fuiſſe ſancto Chriſti apoſtolo, vt ſedem ſuam Romã transferendam curaret:ſed bene in ſcripturis legimus cõmiſſam eſſe Petro ſanctiſſimo eccleſiã. ſcimus ſimiliter, (quòd nec negare ipſe potuiſti) Petrum Ro- *Calui. obiectio.3.*

mam veniſſe, ibíque pro Chriſto occiſum, vitam hanc finiuiſſe: vnde ab ipſis primis temporibus vſque ad hęc noſtra ſemper cognitum, penitúſque perſpectum habuit eccleſia, eam ſedem ſibi perpetuam elegiſſe, quam ſua morte firmaſſet. neque vlterior quærenda nobis eſt huius tranſlationis reuelatio præter eam, qua ad expugnandum Simonem magum, atque ad annuntiandum gentibus Chriſtum Romam cęlitus perductum, ibíque paſſum credimus. Rectè proinde Anacletus & Marcus papæ dixerunt, quòd hæc ſacroſancta Romana & apoſtolica eccleſia nō ab apoſtolis, ſed ab ipſo domino primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſi beato Petro apoſtolo dixit, Tu es Petrus, & ſuper hāc petram ædificabo eccleſiam meam. neque minùs cum his conueniunt, quæ in epiſtola prima ad Iacobum fratrem domini apud Clementem legimus, & quę apud Athanaſium ad Felicem papam. immo quotquot ex catholicis de hac re loquũtur pari certitudine, qua ſupra diuum Petrum fundatam eſſe eccleſiam per euangelium edocti credunt, eadem ſimiliter fide fatentur ſuper Romana ſede, vt in cardine verè apoſtolico, totum hoc cęleſte ædificium verti.

Epiſt.3.

Calui obiectio.4.

Si iure definienda ſit hæc cauſa, neceſſe eſt reſpondeant, velint ne priuilegium hoc perſonale eſſe, an reale, an miſtum. vnum enim ex his tribus eſſe oportet. ſi dixerint perſonale, nihil ad locum: ſin reale, ergo vbi ſemel datum eſt loco, non adimitur propter perſonæ vel mortem, vel diſceſſum: ſupereſt igitur, vt miſtum eſſe dicant. tunc autem non ſimplex erit loci conſideratio, niſi perſona ſimul reſpondeat, ò incredibilem iſtam tuam iuris peritiam Ioannes! ecquis te eam docuit? quid ſi vno verbo reſpondeamus, non tam priuilegium id fuiſſe diuo Petro, ac ſuis ſucceſſoribus à Chriſto cōceſſum, quàm officium perpetuum in eccleſię bonum à Deo inſtitutum ac creatum, quod in Chriſti oues diuus Petrus exerceret, & quotquot ei ſuccederent, ſiue ipſe Antiochiæ moreretur, ſiue Romę? nonne verbum, ædificabo, ſucceſſionis perpetuitatem in eccleſiæ regno ſignificat? ſicut enim dominus dixit, cùm promitteret Dauid regi ſucceſſionem perpetuam, Firmabo

mabo regnum eius,& ſtabiliam thronum eius vſque in ſempiternum. & paulò pòſt, Thronus tuus erit firmus in ſæculum. ac pòſt, Ædificabo tibi domum: ita nunc ædificare Chriſtum non ſuper arenam, iuxta euangelij parabolam, ſed ſuper petram, quæ ſymbolum eſt firmitatis, nihil eſt aliud, quàm eccleſiaſtica & perpetua auctoritate diuum Petrum in ſuis ſucceſſoribus fulgere. quod ſtatim declarauit, dicẽs, Et portę inferi non præualebunt aduerſus eam. eſt igitur publicum munus & eccleſiaſticum miniſterium hoc, quod ex priuilegio Petro, & iis, qui ſibi legitimè ſuccedent, à Chriſto conceſſum fuit. atqui Caluine, niſi primus moriatur, ipſius hęredes præfato iure non gaudebunt. elige quidquid voles, protinus inferam, & facilè euincam, Romam diui Petri morte illius primatus legitimam eſſe hæredem, quem in perpetuum ipſe, quàm diu eccleſia hîc vigeret, à domino accepit.

Cur tamen non retinuit Antiochia ſecundum locum? antiquæ ſunt iſtæ quæſtiones Caluine, quas per Clementem Romanum diui Petri ſucceſſorem, per Anacletum ſimiliter, & Marcum Romanos pontifices, immo per Nicænum concilium canone 6. & 7. ac pòſt per Leonem primum ſcimus eſſe compoſitas. vbi neque fateri cogimur præpoſterum illum ordinem fuiſſe, quo Antiochia prima Petri cathedra & edes Alexandriæ ceſſit, vbi ſedit Marcus, vtrique Ieroſolymitana, quam rexit Iacobus, omnibus tribus Epheſina, vbi ſedit Ioannes: quoniam hoc certo conſilio factum ab eis fuiſſe non dubitamus, neque affirmare compellimur nulli eccleſiæ ſui profundatoris dignitatẽ deberi. nam vt non ſit commune, quòd cuique eccleſiæ debeatur honoris gradus, quem quiſque fundator habuit: bene tamen ea eccleſia proprium hoc elogium habebit, pro qua dominus orauit, ne in fide deficeret, & quæ ſola apoſtolicæ nomen obtinuit. ſi quęras etiam, cur Petro ſucceſſerit, & vſque ad conſummationẽ ſæculi ſuccedat epiſcopus apoſtolicus, reliquis verò apoſtolis non ita: (neque enim Alexandriæ beato Marco apoſtolicus epiſcopus ſucceſſit, aut Ieroſolymis B. Iacobo, aut Ioanni Epheſi) in cauſa eſt, quia diuina prouidentia, & ſapientiſſimo conſilio

Calui. obiectio. 5.

vnũ eſſe voluit Chriſtus totius eccleſiæ caput, quod ita ſanum eſſet, vt reliqua mẽbra corporis huic connexa ſanitate firmarentur, ſi ſanis domini noſtri IESV Chriſti ſermonibus acquieſcere velliẽt. atque hoc fecit ipſe dominus orando pro eo, & pro fide catholicæ eccleſiæ, cui præerat. quam certè prærogatiuam vnius nimirum capitis ſupra reliqua membra non conueniebat cum aliis cõmunem eſſe. quare non ſic pro aliorum fide, nec pro fide eccleſiarum, quæ eis commiſſæ ſunt, rogauit, ita vt eas ſuper fidem huius, aut illius apoſtoli ædificaret. vbi enim, aut quando dixit de Ioanne, ac fide eius, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, id eſt, Epheſinam? aut de beato Iacobo, id eſt, Ieroſolymitanã? aut de beato Marco, id eſt, Alexandrinam?

Calui. obiectio. 6. *Quanquam quod de ſeſsione Petri in Romana eccleſia referunt, non video, quid fidei habere debeat. non pugno, quin illic mortuus fuerit: ſed epiſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore perſuaderi nequeo:* quantum id fidei, quod de ſeſſione diui Petri in Rom. eccleſia nos referimus, ſit habiturum, egregiè vident, qui veritatem ſincerè amant, & hiſtorias optimè ac candidè legerunt. rurſum, non ſolùm Romæ fuiſſe mortuum, ſed ibi epiſcopatum geſſiſſe, & quidem longo tempore facilè poterunt perſuaderi, qui eccleſiaſtica monumẽta bona fide, ac magna cũ diligentia percurrerint. inter hæc verò (quoniam ſingillatim vnumquodque hîc attingere non poſſumus) extat Dionyſij ad Timotheum epiſtola de apoſtolorũ tranſitu, in qua à Paulo iam iámque morituro Petrus, eccleſiarum fundamentum, ouium & agnorũ Chriſti paſtor, Romæ eſt appellatus. Romæ priorẽ epiſtolam ſanctum Petrũ ſcripſiſſe auctor eſt Papias Ieroſolymitanus, Ioãnis euangeliſtæ auditor. Dionyſius Corinthiorũ epiſcopus, apoſtolorũ æqualis, anno domini quinquageſimo, Romæ exiſtens, ait, Romanæ eccleſiæ planctationẽ ab apoſtolo factam, ipſiúſque ſedẽ ſuo martyrio ſtabilitã fuiſſe. Quid Clementem Romanum ad Iacobũ fratrem domini, Græcum Anacletũ, Linũ eiuſdẽ Petri coadiutorem, & ſecũdum aliquos ipſius immediatum ſucceſſorem, teſtes quidem certè oculatos, veraces, atque de noſtra fide bene meritos, hîc nos referemus? quorum

primus regem omnium ſæculorum per orbem terræ, & vſque ad ipſius Romanæ vrbis notitiam, vt ipſa ſaluaretur, à principe apoſtolorum inuectum fuiſſe, illuſtri oratione commendat: atque ibidem pro pietate, quam eccleſiam docebat, fuiſſe mortuum affirmat. alter verò, nempe Anacletus, in epiſtola ad omnes epiſcopos, & reliquos Chriſti ſacerdotes, cap. 3 Petri & Pauli coronis ſanctam Romanam eccleſiam conſecratam, aliiſque vrbibus in vniuerſo orbe ſua præſidēria, atque venerando ſuo triumpho, fuiſſe prælatam verè atque eleganter probat. Linus tandem de hac re integram ad Orientales dedit epiſtolam. Tertulliani verba ſunt hæc, Felix eccleſia, cui totam doctrinā apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. vbi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur. Idem in libro tertiò aduerſus Marcionem, Romanis euāgelium Petrus, & Paulus ſanguine ſuo ſignatum reliquerunt. Cùm Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, aiebat Irenæus Polycarpi auditoris Ioannis diſcipulus, & fundarent eccleſiam, Matthæus Hebræis ipſorum lingua dedit euāgelium. Egeſippus, vetuſtiſſimus ſcriptor, qui Aniceti tempore Romam venit, Gaudentius ſimiliter antiquiſſimus hiſtoriographus hoc ipſum concordi ſtylo memoriæ prodiderunt. Euſebius item Cæſarienſis libro de temporibus, viginti quinque annis euangelium Romæ prędicaſſe, ac eiuſdem verbis ibidē epiſcopum perſeueraſſe, de diuo Petro narrat. de hac re, vna & mente & voce conſentiunt Ambroſius in ſermone apoſtolorum Petri, & Pauli, ac lib. 2. de vocatione gentium cap. 6. Hieronymus de viris illuſtribus, & ad Damaſum ſcribens, Auguſtinus contra Donatiſtarum pertinaciam, epiſt. 162. & aduerſus Petiliani literas, lib. 2. cap. 5. Damaſus papa in ſuo pontificali illud de viginti annis cū Euſebio, ac diuo Hieronymo, & aliis probās, Maximus in apoſtolorū Petri & Pauli ſermone, Gelaſius papa in decreto de ſcripturis apocryphis Romæ cū 60. epiſcopis celebrato. Paulus etiam Oroſius lib. 6. hiſtoriarū cap 6. narrat exordio regni Tiberij Claudij ab Auguſto quarti, qui regnauit annos ſexdecim, Petrum apoſtolū Romam veniſſe, & ſalutarem cunctis credentibus fidem

Lib. de præſcr. hær.

Lib. 3. c. 1. & 3.

Idē lib. 2. hiſt.

fideli verbo docuiſſe, potentiſſimíſque virtutibus approbauiſſe, atque exinde Chriſtianos Romæ eſſe cœpiſſe. tranſlationis Petri de Antiochia in Romam, vbi permultos annos ſederit, meminit Anterus in epiſtola de trãſlatione epiſcoporum. Hermanus etiam Cõtractus, comes Veingenſis, virque doctiſſimus, in ſua cronica de ſex mundi ætatibus totos viginti quinque annos Romæ ſediſſe apoſtolorum principem omni aſſeueratione cófirmat. Fuit igitur, vt ex tam multis colligitur, diuus Petrus epiſcopus Romanus, ſedit ibi multos annos, mortuúſque ibi ad idem faſtigium, quod ipſe, domino præbente viuus tenuerat, omnes ſucceſſores ſuos vocat: atque nõ minùs orbis, quàm vrbis epiſcopos verè apoſtolicos, & eccleſiæ poſt Chriſtum principes quaſi hæreditate conſtituit.

Certè quod eſt apud Euſebiũ: præfuiſſe illic 25. *annis, nullo negotio refellitur: conſtat enim ex* 1. *&* 2. *cap. epiſtolæ ad Galat. circiter* 20. *annos à Chriſti morte fuiſſe Ieroſolymis, veniſſe deinde Antiochiam: vbi quàm diu fuerit, incertum eſt. atqui à Chriſti morte vſque ad finem imperij Neronis (ſub quo ipſum cæſum fuiſſe volũt) reperiũtur tãtùm* 37. *anni. paſſus eſt enim domin⁹ ſub Tiberio, anno imperij ei⁹* 18. *ſi* 20. *annos decidas, quibus habitaſſe Petrum Ieroſolymis teſtis eſt Paulus, reſtabunt* 17. *anni, quos nunc inter duos epiſcopatus partiri oportet. ſi diu Antiochiæ moratus eſt, non potuit Romæ ſedere niſi per exiguum tempus:* à Chriſti morte vſque ad Petri paſſionem quidam dicunt annos 34. tantùm reperiri, alij, inter quos eſt diuus Thomas ſuper 2. cap. epiſtolæ ad Galatas, 40. annos numerant: communiter tamen hæc, quam Caluinus hîc commemorauit, ſupputatio tenetur, vt ſcilicet 37. ferè anni interceſſerint. de hoc ergo parua, aut penitus nulla erit inter nos concertatio. at verò circiter viginti annos à Chriſti morte continuos Ieroſolymis permanſiſſe neque Paulus teſtis eſt, neque ex primo & ſecundo cap. ad Galatas conſtat, neque demum cum hiſtoriis congruit. primo ſiquidem capite ſolùm habetur ipſum fuiſſe viſum à diuo Paulo Ieroſolymis poſt triẽnium ab eiuſdẽ Pauli conuerſione, hoc eſt, quadriẽnio poſt Chriſti mortẽ. etenim cõſtat primo anno poſt paſſionẽ fuiſſe Paulũ cõ-

A Chriſti morte vſque ad Petri paſſionem quot anni fluxerint.

uerſum ad Chriſtũ. dicũt igitur quidam 10. annos cõti nuos Ieroſolymis mãſiſſe Petrũ antè, quàm veniſſet pri mũ quidẽ Romã, deinde Antiochiã. nos verò, maiorũ ſectãtes veſtigia, non multò poſt hoc Pauli triennium Antiochiam perrexiſſe credimus, vbi commoratus eſt annis 7. Tiberij tempore, & Caij antè, quàm Romam primùm veniſſet. quo ſanè tempore potuit iterum à Paulo, ſicut cap. 2. dicitur, poſt annos quatuordecim conuerſionis ſuæ, vt ſancti interpretantur, hoc eſt, poſt annos 15. paſſionis Chriſti, Ieroſolymis videri, & conueniri, vel quia prope Ieruſalẽ erat Antiochia, vel quia eò omnes tunc apoſtoli conuenerant, tractaturi de ceſſatione legis Moſaicæ, vt optimè ſuper hoc ſecundo cap. Hieronymus annotat, docens id colligi facilè poſſe tum ex ipſis actis apoſtolicis capite maximè 15. tum etiã ex ipſo ſecundo capite epiſtolæ ad Galatas. Quintodecimo igitur anno à Chriſti paſſione, relicta Iudæa & Antiochia, vbi tam diu ſederat, cõfirmatis Aſiaticis eccleſiis, finito concilio apoſtolorum Ieroſolymis, Chriſti matre exequiis peractis, eccleſiæ paſtor diuus Petrus Romam primùm venit, anno nimirum ſecundo imperij Claudij, à Chriſto verò paſſo 15. vix completo, xv. kal. Februarij. vnde ea etiã die cathedræ ſancti Petri ſolennitas Romæ recèns eſt inſtituta. ab eo tempore vſque ad Petri obitum anni propè 25. interſunt, quibus, miranda hiſtoriarum concordia, Romę eum vſque ad obitum ſediſſe, veteres omnes ſcribunt. non tamen inde ſequitur ipſum perpetuo in vrbe manſiſſe aut quoquam prædicationis gratia non fuiſſe profectum. immo verò, Simone mago extincto, peregrinationem per vniuerſam ferè Europam ſuſcepiſſe multi narrant, atque Romam, vt ad ſuam metropolim, ſolitum confugere dicunt, ipſámque eccleſiam dilabentem quotidie reparaſſe, Linum, & Cletum in chorepiſcopos, ſiue coadiutores ſuos inſtituiſſe, duas epiſtolas ſcripſiſſe, Marcum ſimiliter ad euangelij hiſtoriam literis tradẽdam magnopere hortatum fuiſſe, (quod & obtinuit) cura denique admirabili his 25. annis ſtuduiſſe, vt Romanorum fides, ſicut Paulus dicit, ad eos ſcribens, & diuus Hieronymus non diſſimulauit, vniuerſo orbi re-

Petrus antè, quã Romã primùm veniret, bis eſt à Paulo viſus, atque 7. annis Antiochiæ præfuit.

Qua die primum fuerit Romam ingreſſus Petrus.

Rom. 1.

ligionis ſpecimen ſingulare præberet. At, *Nulla ibi Petri mētio, quæ minimè omittenda erat, ſi ibi eccleſiam rexiſſet:* nullámne Petri mentionem ibi factam credis, cùm dicitur, Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo? rurſum, Deſidero videre vos, vt aliquid impertiar gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos? & illud, Tranſiens in Hiſpaniam videbo vos. ex quibus locis ſatis apertè ſignificari nobis docet diuus Hieronymus, Paulum eius prædicationis, quam per Petrum Romani accepiſſent, meminiſſe. At, *Salutationes ipſæ Paulinæ, immo res ipſa, & totum argumentum epiſtolæ clamat, non debuiſſe Petrum prætertre, ſi Romæ fuiſſet:* ò bellum argumentum! non ſalutatur à Paulo, ergo Petrus non erat Romæ. porrò an id temporis, quo ad Romanos ſcripſit Paulus, Petrus Romæ fuerit, non multùm conſtat, nec id quidquam ad Petri cathedram facit: hoc verò pro explorato habetur, eam epiſtolam paulò ſcilicet antè, non quadriennio, vt vult Caluinus, quàm Romam vinctus ab Agrippa mitteretur ab Athenis, vt Auguſtinus credit, aut à Corintho, ſicut Hieronymo probatur, fuiſſe ſcriptam. parabat quidem iam apoſtolus, ſicut in eadem ſcribit, Ieroſolymam proficiſci, ac viſitare ſanctos: vbi non multò pòſt vincîtur, &
Rom. 14. Romam, vt dixi, mittitur. Romæ biennium in libera manens cuſtodia, aduerſus Iudæos de aduētu Chriſti quotidie diſputabat. Hæc fuit prima illa Pauli ſatiſfactio, in qua neminem ſibi affuiſſe, morti proximus, poſt annos duodecim, ad Timotheum è carcere ſcripſit. ſed ad Philippenſes etiam tum, cùm prima vice in
2. *Tim.* 4. carcerem fuit coniectus, literas miſit, quibus neminem ſe habere, qui ita fideliter curaret opus domini, vt Timotheus curabat, ſatis ſupérque indicauit: atque conqueritur omnes quærere, quæ ſua ſunt. quapropter id temporis Romæ non fuiſſe apoſtolum Petrum, non omnino ſine ratione nos fuiſſe ſuſpicatos, cuiquam meritò videri poterimus. Quò ergo ad diui Petri curſum reuertamur, diuinis rebus vir certè ipſe ſatis diuinus cùm eſſet aſſiduè Romæ intentus, quam relinquere iam, vt antea, ob Neronis in Chriſtianos ſæuiētem furorem, bonus paſtor non audebat, vnà cum

diuo Paulo,qui ipſe per id tempus eam eccleſiā, vt fuerat pollicitus,confirmabat. tantum ſibi nominis apud Romanos comparauerat, vt iam ferè pro Deo coleretur. hanc ob rem indignatus Nero mortem hominis quærit.ſic tādem ſimul cum Paulo,vltimo Neronis anno,qui fuit quartus decimus,vitam pro ouibus & Chriſto ſæuienti leoni ac rapaci lupo obiiciens, tantam illi ſedi promeruit fidem, vt nuſquam vlla ad eam perfidia acceſſerit. vixit itaque poſt Chriſti mortem Petrus annos triginta ſeptem, ſub Tiberio circiter quinque, ſub Caio Caligula tres,ſub Claudio quatuordecim,ſub Nerone ad quatuordecim ſimiliter. Iudæam,Antiochiam, Aſiaticáſque eccleſias quatuordecim primis cōfirmauit vſque ad initium anni ſecundi imperij Claudij: reliquis verò annis vitę ſuę ſic Europam illuſtrat,vt ſemper omnes ſuas curas, ſolicitudines, ſtudia denique omnia in Romana fide propaganda, retinenda, confirmandáque collocata haberet. Hæc, quæ diximus, nos docuerunt Caluine apoſtolorum acta,Pauli epiſtolæ ad Gal.c.1. & 2. Dionyſius Corinthiorum epiſcopus, Caius antiquus ſcriptor, in Proculū quēdam Cataphrygum apud Euſebium lib.2.cap.25.hiſtoriæ eccleſiaſticæ diſputās,Iuſtinus in apologia ad imperatorem Antoninū Pium, Irenæus cōtra Valentinum lib.3.c.1.& 3.Tertullianus pluribus in locis,Origenes tom.3.in Geneſin,EuſebiusCęſarienſis libro 2.cap.25.Damaſus in vitis quatuor pōtificum Petri,Lini,Clemētis, & Cleti, Hieronymus in libro de viris illuſtribus,in martyrologio,& contra Iouinianū,atq; alibi, Epiphanius lib.1.tomo 2.Geneſis 27. Lactātius lib.4.cap 2.Oroſius lib.7.c.6.& alij vetuſtiſſimi auctores.Porrò diligentiùs perueſtigare, quis primus diuo Petro in epiſcopatu ſucceſſerit,an Clemēs,an Linus,an Cletus,quàm nullā in partem ad Petri primatū interſit,quin videat & intelligat, arbitror eſſe nemimem.hoc vnum certiſſimis hiſtoriis,immo ſacrorū doctorum ſentētiis confirmatū accepimus, videlicet nunquam eam ſedem ſucceſſore caruiſſe. quidam à Clemente inchoant eiuſmodi ſucceſſionem,Irenæus verò, atq; Hieronymus à Lino, Cleto,Clemēte:quibus videtur conſentire Chryſoſtomus homilia 10 2 1.Timot 4.

Auguſtinus cõtra Donat. epiſt. 36. à Lino, deinde à Clemente filium diducit. Sed quid in his recenſendis tempus conterimus? vbi ſucceſſio probatur manifeſta, continua, perpetua, iugis, quorſum attinebit inquirere, quis horum trium primus ſucceſſerit, quorum vnum, Clementem ſcilicet, ipſe apoſtolorum princeps, dum adhuc viueret, eo epiſcopatu inſigniuiſſe, reliquos verò duos chorepiſcopos creauiſſe antiquis monumentis expreſſum nouimus? maximè cùm res in cõcordiam facilè reduci poſſe catholicis omnib⁹ ſemper fuerit viſum. beatum nimirum Clementem, virum ſanè quidem modeſtiſſimũ, Linum & Cletum in hoc honore præferri ſibi ſtuduiſſe, ne dum paſſum fuiſſe, optimis rationibus perſuadetur. Verùm quia de hoc plus ſatis dixiſſe iam videmus, finem iam dicendi fecerimus, ſi tamen cauillationem vnam Caluini vltimã abſoluerimus. *Teſtatur Paulus Petri apoſtolatum ad Iudæos peculiariter pertinere, ſuũ verò ad nos. proinde, vt ſocietas illa, quam inter ſe pacti ſunt, rata apud nos ſit, immo, vt ſpiritus ſancti ordinatio firma apud nos habeatur, in Pauli apoſtolatũ magis, quàm Petri reſpicere nos conuenit. ſiquidem inter eos prouincias ita diuiſit ſpiritus ſanctus, vt Petrum Iudæis, nobis Paulum deſtinaret:* non tibi meis verbis hîc reſpondebo Caluine, ſed diuus Hieronymus, ſi placet, à nobis duobus audiatur. Occulta, inquit, hîc oritur quæſtio. Quid igitur, Petrus, ſi veniſſent ex gentibus, non eos adducebat ad fidem? aut Paulus, ſi ex circumciſione aliquos reperiſſet, non eos ad Chriſti baptiſmum prouocabat? quæ facilè ſic ſoluitur: vt dicamus principale tunc ſingulis in Iudæos & gentes fuiſſe mandatum, vt qui defendebant legem, haberent quem ſequerentur, & qui legi gratiam præferebãt, non deeſſet eis doctor & præuius. in commune verò hoc eos etiam tunc habuiſſe propoſiti, vt Chriſto ex cunctis gẽtibus eccleſiã congregarent. legimus enim & à ſancto Petro initio prædicationis baptizatum fuiſſe gẽtilem Cornelium, & à Paulo in ſynagoga Iudæorum Chriſtum ſæpiſſimè prædicatum, & quòd per Petrum plenitudo gentium intrauit, Paulus etiam ait, ſe factum fuiſſe Iudæis tanquam Iudæum, & gentibus tanquam ſi ſine lege eſſet, vt omnes lucraretur. Vides tunc eam

Lege Platinam.

Galat. 2.

1. Cor. 9.

fuiſſe diuinam ordinationem, vt ſcilicet Petri apoſtolatum peculiariter ad Iudæos pertineret, Pauli verò ad gentes: vides & in ipſis etiam primis principiis prędicationis eorum non ſic habitam firmam huiuſmodi ordinationem, nec ratam, quin Iudæorum prouinciæ magiſtrum ac doctorem habeant ſæpe Paulum, contra verò gentium populus Petrum: vides feliciter iam apoſtolica prædicatione currente Paulum Ieroſolymis diſputare, & in ſynagogis Chriſtum prædicare, Petrum Iudæã, Antiochiam, Aſiam, Romam percurrere, quippe qui nõ has, aut illas oues à Chriſto paſcendas acceperat, ſed vniuerſum domini gregem fuiſſe ſuę fidei ac curę commiſſum, ſatis perſpectum habebat.

Reſpondetur falſis Caluini rationibus, quibus probare ſtudet pontificis Romani primatum apud veterem eccleſiam in pretio non fuiſſe, atque quàm parum fundamenti, & parum virium ſua falſitas hîc habeat, productis veris hiſtoriis, perſpicuè indicatur. *Cap. XIII.*

NOn mihi diues Ciceronis lingua ſufficiat, non feruens Demoſthenis oratio animi mei poſſit implere feruorem, ſi velim iſtius hæretici fraudulentias prodere, qui tam impetuosè támque libidinosè mortuos lacerat, viuos pũgit, antiquitatem peſſundat, ſua demũ tempora irridet, ac contemnit ſatis iam ſatis pro ætate luſiſti Caluine, ſatis iam ſatis callentibus adhuc rhetorum floſculis, ſtudiis, atque doctrinis, omnia tua maledicentiæ ſtylo depinxiſti: nunc iam cano capite, & arata rugis fronte, & inſtar bouum pendentibus à mento palearibus, ne nunc quidem frigidus obſiſtet tibi circum præcordia ſanguis? non tuæ peruicaciæ vel minimam partem feret ætas? ô grandis natu, quando cygneum neſcio quid, & ſolito dulcius, vicina morte, ſine alicuius hominis offenſione canes, vt feciſſe olim legimus Platonem, octoginta annos natum, (taceo enim Chriſtianos ſcriptores) Iſocratem pænè cẽtum annos habẽtem, Pythagoram, Democritum, Xenocratem, Cleantem, Zenonem: qui omnes iam ætate longæua, in mitiſſimæ cuiuſdam ſapientiæ ſtudiis floruerunt? vt etiam Homerum, Heſiodum, Simonidem, Sophoclem, atque alios ſilentio prætermittam, certè Homerus refert, quod de

lingua Neſtoris, iam vetuli & ferè decrepiti, dulcior melle, ac ipſa humanitate humanior oratio flueret: at tua lingua Ioannes, nunquam magis venenata, quàm nunc, tua oratio, nunquam magis peſtifera, quàm nunc, vt venenum iam in iſtam tuam naturam ſic tranſiſſe videatur, vt ſine eo vita dulcis aut iucũda eſſe non poſſit. Cúmq; non te fugeret, ſed nec te ſcire diſſimulare quiueris, ſupremum honorem, eccleſiaſticúmque principatum vbique Romanæ ſedi veteres detuliſſe, ac religioſiſſimè ſummáque cum reuerentia de ea fuiſſe locutos, vt quæ diui Petri hæres eſſet, ſolitis diuerticulis vſus ad imperium ſæculare, ad doctrinæ præſtantiam, prudentiam, peritiam, & multarum rerum vſum, (quæ omnia multum ſplendoris non totum illi ſedi addidiſſe neque volumus, neque poſſumus negare) non ad Chriſti inſtitutionem, non ad euangelij verbum, Super hãc petram ædificabo eccleſiam meam, vt faciunt ſemper veteres, confugis, cùm etiam optimè noueris pios & ſanctos epiſcopos, ſedibus ſuis pulſos, Romam ſe, veluti in aſylũ, aut portum quendam, ſæpe recepiſſe, quęrentes aut abſolui, aut ligari ab eo, qui præ omnibus ſacerdotibus vtriuſque rei poteſtatem in diuo Petro accepiſſet: quid tu adhæc? ſæpe quidem factum non negas: eam tamen rem nullius iuriſdictionis in põtifice Romano ſignum extitiſſe, ſed quòd hæc eccleſia non ita dubiis illis temporibus tumultuata fuerit, vt reliquæ orientales, Græcæ, & Africanæ. fuit hoc aliquid Caluine, ſed in eo non ſunt omnia, quæ ad auctoritatem illius ſedis pertinebant, quam vno ore apoſtolicam, & omnium eccleſiarũ magiſtram & parentem vniuerſi illi, qui Romam cõfugiebant, immo qui longiſſimè aberant, apertiſſimè nominabant. vnde itaque habuit eccleſia hæc nullis opinionũ diſſenſionibus tumultuari, inde etiam habet auctoritatem & iuriſdictionem tumultuãtes ceteras in fide, religione, atque officio retinendi, nempe à Chriſto domino, & à Petri primatu. quod & nos latiùs in ſuperioribus ſumus proſecuti, vt hîc nobis ampliùs non ſit immorandum. cùm præterea Nicæno concilio Oſium Cordubenſem pręſediſſe loco Iulij aut ſcias, aut ſciuiſſe debeas Cæcilium Alexandrinũ pro Cæleſtino in Ephe-

Lege Hier. ad Damaſ. in duabus illis epiſtol.

ſina ſynodo, in Chalcedonenſi legatos miſſos à Leone primo,viro doctiſſimo & ſancto,pro Agapeto papa epiſcopos quinque in quinta ſynodo,proAgathone in ſexta Theodorum,& Georgium preſbyteros, & Ioannem diaconum? Mileuitanum concilium, vbi damnatus eſt Pelagius,per Innocentium papam,ſicut à toto concilio fuerat poſtulatum,cõfirmatum fuiſſe, atque tertium & quartum Carthaginienſe per Zoſimum papam, Telenſe etiam Africanum, in quo damnatus eſt Iouinianus hæreticus,à Siricio,prout à concilio humiliter petitum cognouerat,eſſe approbatũ.cùm itaque hęc omnia non te legiſſe dicere erubeſceres,attrita frõte reſpondes,aut in locum vltimum reiectos fuiſſe Romani præſulis legatos,aut certè vi,quod ſibi iure non foret debitum,ad ſe tranſtuliſſe, aut quidem id contigiſſe, quòd ij, quos prçeſſe decuerat,per ſuam intemperiem ac libidinẽ ſeſe loco iure ac merito excluſerunt,aut vltimò quòd precibus aliiſque viis & modis Romani põtifices, vt ſemper fuerunt paratiſſimi quáſque contentiones& labores ſuſcipere pro ſuis honoribus, hunc primatum ab imperatore extorſerunt horum primum Caluine mendacium eſt,ſecundum verò conuicium,tertium excogitatum diuerticulum, quartũ denique notiſſima & certiſſima calumnia. Quicunque itaque conciliorum acta,hiſtorias, verbáque legerit,penitus perſpexerit,planéque cognouerit,eiuſmodi primatum,quo ſemper in conciliis polluit Romana ſedes,non vi extortum,non armis comparatum,aut precibus mendicatum, non aliorum demum ſcelere acquiſitum,ſed Chriſti & apoſtoliPetri auctoritate fuiſſe firmatum. cùm item apud Cyprianum, Tertullianum,Hieronymum,ceteróſque antiquitatis teſtes illuſtriſſimos huius primatus crebram mentionem & perhonorificam factam fuiſſe cernas, quò tantæ luci tenebras offundas, Cyprianum producis, qui ſemper Cornelium fratrem appellauerit, neque ſummum vnquam pontificem nominauerit,aut vniuerſalem paſtorem.quem certè titulum diuum Gregorium fuiſſe ſæpe execratum,multis productis ex libro 4.epiſt.76.78.80. & libro 7. epiſt. 79. 194. & libro 6. epiſt. 188. probare contendis. vtinam Ioannes tanta reuerentia & honore

tu proſequerere PIVM IIII. quanta obſeruantia ipſe Cypr. ſemper fuit aduerſus diuum Cornelium ac Romanam ſedem? non enim arbitror, eius clementiã atque humanitatem nimis ægrè laturam, quòd eum fratrem in domino appellares, modò patrem in Chriſto & in Petro nominares, ſicut ipſum petrum, cuius partes PIVS ſuſtinet, à Paulo fuiſſe nominatum, teſtis eſt Dionyſius. neque PIVS noſter ſic vult vocari ſe vniuerſalem paſtorem, vt reliquos ſacerdotes debito honore priuet, quemadmodum Conſtantinopolitanus ille Ioannes facere ambiebat. Ad hęc cùm de *iuriſdictione*, quæ ſemper fuit apud Romanam ſedem, quò ad epiſcoporum ordinationem, conciliorum indictionem, appellationum audientiam, iuriſdictionem, monitiones, caſtigationes, atque cenſuras multa extare veterũ exempla intueare Caluine, vt quod Athanaſius ſit à Iulio papa ſuo loco, hoc eſt, ſedi Alexandrinæ, reſtitutus, Chryſoſtomus Conſtantinopolitanæ ab *Innocentio*, ſimiliaque alia, tu id totum nihil aliud eſſe dicis, niſi vt magni æſtimaretur eius communio, à qua excommunicari eſſet turpe, & ignominioſum duceretur. atque addis, id, quod erat ad communionem teſtendam, & volontariam, pro neceſſario poſtea haberi cœptum eſſe. vbi quis non videt te iocari? quis non intelligit vltro te & ſine ratione inſanire? dicito parum, quæſo, quibus verbis, ſi legiſti, potuit eam poteſtatem, ſanè quidem neceſſariam, non voluntariam ſolùm communionem obediendi Romano pontifici clariùs expreſſiſſe concilium Nicænum, quàm quibus vſus eſt capite 6. & 7. & can. 44. cuius canonis verba hîc referam. Vt à principio Petrus, Chriſti vicarius, religioni, eccleſiis, ceteriſque rebus ad Chriſtum pertinentibus præfectus, principum Chriſtianorum, prouinciarum, & omnium gentium dominus, & rector erat, ita ille, cuius principatus Romæ eſt, Petro ſimilis, & auctoritate par, patriarcharum omnium dominatum, & principatum obtinet. Huic ſanctioni ſi quis repugnauerit, & obſiſtere auſus fuerit, totius ſynodi decreto anathemati ſubiiciatur. Sed omitto iſta, ne dicas primos illos canones aliter eſſe intelligendos, quàm tota antiquitas adhuc

Vide apud. Turrenſ. lib. 3. de dogmat. charact fol. 125.

interpretata eſt, & hunc poſtremum à nobis eſſe compoſitum, cùm præter illos viginti canones, quos Cirillus Alexandrinus, & Aëtius Conſtantinus tantùm reperi ſſe potuerunt, alius non legatur. ſit ita, dic, te etiam atq; etiã oro, reſtituere quenquã ſuo antiquo muneri, ſpoliare inuaſorem, percutere anathemate repugnãtes, gratiis & beneficiis cumulare ſibi obtemperantes, pœnas præſcribere flagitioſis, dolore tabentes recipere, ſententiam ferre, cui ſit omnino ſine dubitatione parendum in fidei cauſa, cogere ad abiurationem hæreſum, hæreticos renuntiare, & ſi quæ his ſimilia officia excogitari poſſunt, nonne veram iuriſdictionem indicant eius, qui reſtituit, qui priuat, qui percutit, qui ſanat, qui recipit, qui de fide iudicat, qui abiurationem præcipit, qui declarat, atque eiuſmodi munera in vniuerſa eccleſia exequitur? atqui Caluine talis fuit ſemper ęſtimatus à tota veteri eccleſia Romanus pontifex. hoc iudice ſuam cauſam approbante fidei hoſtes Theodoritus non timet: huic doctori & magiſtro hærere per omnia cupit Hieronymus: iudicet hæc ſedes, quid facto opus ſit in rebus fidei, & ſtatim Magnus Baſilius ac Gregorius Nazianzenus conquieſcent: è ſuis poſſeſſionibus expulſi ſi ſemel ab hoc iudice iterum in poſſeſſionem mittantur, antiquam auctoritatem retinent, cùm tamen, qui eos expulerunt, ea auctoritate, quam vſurparunt, Romani iudicis imperio ſe priuatos intelligant. quid plura? non eſſe Dei ſacerdotes, neque fideles ſeruos, qui huius ſedis iudicio nolint ſtare, qui pro capite ac principe habere nolint, Iuſtinianus imperator in epiſtola ad Epiphanium, quæ eſt in ſexta ſynodo, diſertiſſimè prædicat & clamat. Eat nunc Caluinus, atque miſerabiliter queratur id, quod voluntarium initio fuerat, in neceſſitatem abiiſſe.

De cogendis conciliis.

De ſynodis conuocandis pudet me profectò dicere, quæ iſte comminiſcitur, ſed non poſſum non lætari & quidẽ omnibus lætitiis, quòd tam apertas in hanc rem habeamus hiſtorias, ex quibus manifeſtò poſſimus colligere, Chriſtianos principes ſuas operas conciliis præſtitiſſe, ipſe verò pontifex Romanus auctoritatem & robur. conſtat etiam, quidquid in hanc rem per metro-

politanos geſtum eſt, illud totum in Romanam ſedem rectà eſſe referendum,tãquam ad originem,exemplar, & caput. Cùm etiam tibi Anacletum, Marcellum, Clementem,Leonem,Gregorium,atq; alios ſanctos & ſatis veteres pontifices citamus,quos ea auctoritate ac iuriſdictione, de qua nunc agimus,certum eſt (neq; negari à quoquam poteſt)fuiſſe in tota eccleſia ſæpe & ſæpius vſos,quos veriſimile eſſe non poteſt,viros ſanè pios pariter & doctos,fines ſuos vltra diuinas lineas protendere voluiſſe: tu ſtatim aut falſo nomine citatã epiſtolam criminaris , aut iniquè contra antiquas leges interpretaris,aut,quod tibi familiare eſt,auctorem bonum virũ nominas,quaſi velis dicere, non decere tuam magnificentiã illorũ ruſticitati cedere,ſcientiã ſimplicitati,immo veròimpietatẽ tuam ipſorumreligioni,nequitiã bonitati.ſic locutus eſt Clemẽs Caluine,ne dubita,ſic Linus,ſic Anacletus,ſic Euariſtus ſic Xyſtus,ſic Teleſphorus,ſic Siricius,vt omittamus eos,qui noſtris tẽporibus tamſedẽ ſunt moderati,atque eos qui medio tẽpore rexerunt,Leonẽ videlicet,Gregoriũ,&alios.Neque vllus Romanorũ pont. ſupremã hanc auctoritatẽ in regenda vniuerſali eccleſia alicui imperatorum huius ſæculi aliquando tulit acceptã , bene tamen quòd ipſorũ potentia ſępe adiuuarẽtur,ad ſua exequẽda munia gratias eis magnas agebant, ſicut nonnunquam imperatorum tyrannide impediri ſeſe, quò minùs debitum exercerẽt rigorem,non ſemel querebantur. Nolo cetera Caluini capita hoc in loco percurrere , quoniam tota ipſius fabula quatuor ſcenis clauditur : aut enim petulantiſſimè maledicit,aut iniquè interpretatur,aut antiqua monumenta lacerat, aut dèmum nouam hiſtoriam fraude ac mendacio componit. tria tamen tacere hîc non queo, vtpote quæ falſa & mendacia cùm ſint , mortalium tamen mentes,eorum potiſſimùm,qui hiſtorias veras neſciunt , facilè incitabunt : ea verò in ſequenti capite enarrabo , atque rem totam, prout geſta eſt, ſinceris lectoribus indicabo : vt vel hac ratione omnibus ſit notum in Caluino nihil eſſe,niſi falſum,veri ſpecie,atque imitatione ſimulatum.

Auctoritas põtificis Romani à Chriſto fluxit,nõ ab hominibus.

Candidè ac verè, qualem ſe Leo primus eccleſiæ præbuerit in cauſa Flauiani Conſtantinopolitani epiſcopi aduerſum Eutychem, ex ipſa facti hiſtoria narratur, Miltiadis factum ſimiliter contra Donatum pro Cæciliano Carthaginienſi, ex diuo Auguſtino integrè refertur, Eugenij & Baſileenſis concilij controuerſia Pio ſecundo commemoratur, atque ex his omnibus ne pilo minus de auctoritate Romanæ ſedis fuiſſe detractum, explicatè demonſtratur.

Cap. XIIII.

OBiicit igitur in primis nobis Caluinus, religioſe ac benigne lector, quòd, cùm Eutyches à Flauiano Conſtantinopolitano damnatus eſſet, fuiſſet apud Leonem conqueſtus factam ſibi iniuriam, pontifex nihil moratus patrocinium malæ cauſæ non minùs temerè, quàm ſubitò ſuſceperit, fuiſſeque in Flauianum grauiter inuectum. atque hac ambitione effectum affirmat, vt Eutychiana impietas ſpatio temporis ſe confirmaret. Quæ ordine & ratione vocant lector, ea mentita, falſa, plenaque erroris ſunt fuiſſe primùm damnatum à Flauiano epiſcopo ſanctiſſimo & catholico Eutychẽ presbyterum & abbatẽ cuiuſdã monaſterij apud Conſtantinopolim tempore Leonis primi & Marciani imperatoris, res eſt certiſſima, deinde imperatorẽ atq; Romanum pontificem literis ſolicitaſſe Eutychem, cauſatum ob Nicæni concilii confeſſionem à Flauiano ſe fuiſſe de ſuo gradu deiectum, ex epiſtola ipſius ad Leonem, & item Leonis ad ipſum, & ex aliis ad theodoſium Auguſtum & Pulcheriam Auguſtam, & eundem Flauianum à Leone miſſis ſatis conſtare poteſt. tertiò diu tacuiſſe Flauianum, neque ad pontificem ſuo tempore ſcripſiſſe, quò rei totius ac tantorum tumultum, quos id negotium in tota prouincia concitarat, (plurimi ſiquidem Eutycheti adhærebant) rationem redderet Flauianus, teſtis eſt ea epiſtola, quam omni paſtorali cura refertam ad Flauianum dedit Leo, quæ eſt octaua in numero atque ordine epiſtolarum diui Leonis. quartò re mox per Flauianum pontifici integrè relata, quanto ſtudio Eutychem Leo fuerit deteſtatus, quantoque fauore Flauianum proſecutus, ſatis ſuperq;

Lib. 4. c. 7. ſect. 4.

Leo primus.

Omnes hæ epiſt. leguntur in primo volumine cõciliorum.

Ex epiſt. 10. Leonis.

indicant literæ, quas ſtatim, accepta rerum ratione per Flauianum miſſa, ad eundem ipſe Romanus pontifex ſcripſit: vbi fidei noſtræ ac de Chriſti domini duplici

*Epiſt.*11. natura rectam confeſſionem, omnibus catholicis perneceſſariam, religioſè edidit: quam & iterum ipſe expreſſit in epiſtola ſequenti ad Iulianum epiſcopum cõtra Eutychianæ impietatis errorem. quintò Theodo-

*Epiſt.*9.12. 13. ſium Auguſtum literis prouocaſſe, quò haberi faceret ſynodum epiſcopalem, vt quàm citiſſimè vniuerſa illa ſuborta ſcandala conquieſcerent, ex tribus epiſtolis, ad Auguſtũ & Pulcheriam datis, facillimè perſpicitur. vbi libenti animo ſe operam dediſſe mittendis à ſua ſede legatis Epheſum, (ibi enim epiſcoporum celebrabatur conuentus) atque impenſe ſe deſiderare, vt iſtiuſmodi Eutychiana hęreſis à noſtris finibus lõgè profligaretur, ornatis verbis veriſſimè ſignificare ſtudet. nec ſic poteſt quieſcere pia pontificis pro dominico grege ſolicitudo, ſed maiori quotidie veræ fidei zelo æſtuans, E-

*Epiſt.*14. pheſinam ſynodum ſecundam ad Eutychetis blaſphemias damnandas eruditiſſimis ſimul atque grauiſſimis literis prouocat. quibus ſuper eadem re adiectæ ſunt ad Flauianum, ad Theodoſium Auguſtum, ad Pulche-

*Epiſt.*15.16. 17.18. riam, ad Iulianum epiſcopum literæ. cumque pontifex verè ſanctus ex literis Flauiani longè ſecus res fidei tractari Epheſi, quàm ipſe ſperabat, atq; legatos ſimul cum ſuis literis ibidem dolo & arte Dioſcori Alexandrini

*Epiſt.*19.20. fuiſſe ſpretos comperit, Flauianum epiſcopum ſuauiter incipit conſolari, atque ad maiora pro fide toleranda ſanctum epiſcopi animũ duabus epiſtolis vnicè firmat & corroborat. poſtquam verò rem totam perfectè cognouit, & Flauianum ab epiſcopatu expulſum, atque ipſum Eutychẽ antiquo gradui fuiſſe reſtitutum accepit, quanto fuerit tum pro fide, quam videbat grauiter offendi, tum pro ſancto illo epiſcopo, quem vtique ab hæreticis tractari intuebatur, dolore commotus, o-

*Epiſt.*21.22. ptime intelliget, qui ipſius epiſtolas duas conſolatione plenas ad Conſtantinopolitanos legerit. ad Fauſtum

*Epiſt.*25.26. etiam & ceteros archimãdritas Conſtantinopolitanos ſcribens Flauiani cauſam, immo fidei potiùs contra ſynodum ſecundam vehementer agit, neque omittit ſuis epiſtolis

epiſtolis Flauianum ſede & loco expulſum conſolari. nouiſſimè frequentibus literis Theodoſium & Pulcheriam rogat. vt permittant iterum cogi concilium, nec patiantur ab iniquitate veritatem opprimi. quod & à domino atque à Martiano imperatore obtinuit. celebratum itaque eſt huius ſanctiſſimi Leonis tempore inſigne illud Chalſedonenſe concilium, vbi catholica veritas obtinuit, Chriſti vicarius honoratus eſt, Flauianus in integrum reſtitutus, orbi Chriſtiano nõ modica pax atque tranquillitas à Deo conceſſa eſt, Dioſcorus verò cum ſuo Eutyche anathemate eſt pro meritis percuſſus. Iam reſponde, iam loquere, quòd voluerit iudex ſupremus cauſam tam grauem intelligere, patrocinium malę cauſæ ipſum ſubitò temerè ſuſcepiſſe dices? qui ſanctũ epiſcopum Flauianum tot literis eſt conſolatus, qui ſuam fidem toties laudauit, toties defendit, cum tu in ipſum acerbè & prauiter inuectũ fuiſſe tam apertè mentiere? Dioſcori, hominis nomini Romano & apoſtolicæ ſedi inimiciſſimi, culpam, cuius ſcelere factum eſt, vt Eutychiana perfidia non parum cõfirmaretur, in Innocentem pontificem, qui vno anno ſupra triginta epiſtolas contra Eutychem ad diuerſos ſcripſit, tu audax, temerarie & mendax reiicies? Sed lector, obſecro, hæc omittamus: nã, ſicut te optimè ſcire exiſtimo, cùm quis impudẽs eſſe cœpit, gnauiter impudẽs eſſe debet. quod in Caluinum aptiſſimè quadrare, iam nimis valde perſpicuum eſt. Veniamus ergo ad ſecundum.

Epiſt.23.24

Hæc colliguntur ex ſequẽtibus epiſtolis Leonis.

Accuſauerat, inquit, *Cæcilianum Carthaginienſem epiſcopum Donatus à caſis nigris, damnatus erat reus indicta cauſa. nam, cùm ſciret coniugationem contra ſe ab epiſcopis factam, comparere noluit. ventum inde eſt ad Conſtantinum imperatorem. ille, cùm vellet cauſam eccleſiaſtico iudicio finiri, cognitionem mandauit Melchiadi Romano epiſcopo, cui addidit collegas nonnullos ex Italia, ex Gallia, ex Hiſpania epiſcopos*. infert iam Caluinus, *Si id erat ex ordinaria ſedis apoſtolicæ ac Romanæ iuriſdictione, audire appellationem in cauſa eccleſiaſtica, cur alios ſibi adiungi patitur imperatoris arbitrio? immo cur ipſe iuſſu magis imperatoris, quàm ex officio ſuo ſuſcipit iudicium? Sed audiamus, quid poſtea contigerit. Vincit illic Cæcilianus, Donatus à caſis nigris cadit*

Cal. obiectio 2 ſect. 10. *Augu. epiſt.* 162. *& in breui collat. cont. Donat. & alibi.*

actione calumnioſa. prouocat. Conſtantinus appellationis iudicium demandat epiſcopo Arelatenſi. ſedet ille iudex, vt poſt Romanum pontificem, quod viſum fuerit, pronuntiet. hîc nobis inſultat iterum iſte, *Si Romana ſedes ſummã habet poteſtatem ſine prouocatione, cur ſibi tam inſignem iniuriam irrogari patitur Melchiades, vt ſibi Arelatenſis epiſcopus præferatur? & quis imperator hoc facit? Conſtantinus ſcilicet, quem iactant non modò omne ſuum ſtudium, ſed omnes ferè imperij opes contuliſſe ad amplificandam ſedis ſuæ dignitatem:* non poſsũ ſatis mirari, quàm apertè ſemper tu prudens ac ſciens ludificari & calumniari pergas diuum Auguſtinum teſtem produxiſti, ſit ita, ſtemus viri huius teſtimonio. age prodeat Auguſtinus, immo prodeat Caluiniana iniuſta vexatio ac fraudulẽta oppoſitio Auguſtini verbis de mendacio ſatis conuicta. Sed dic, quota in numero eſt epiſtola, quam citaſti? *Centeſima ſexageſima ſecunda:* proh Deus, & hãc tu cõtra Romanæ ſedis principatum in medium proferre non grauaris? vbi, niſi ea in epiſtola Auguſtinus diuus eam protulit ſententiam, quæ vna tuum os obſtruere facilè poſſit & debeat? *Et quæ ea eſt?* In Romana eccleſia apoſtolicæ cathedrę ſemper viguit principatus. Vbi niſi ea in epiſtola Romanus pontifex, non huius aut illius, ſed Chriſtianę totius pater appellatur? Qualis, inquit, ipſius beati Melchiadis vltima eſt prolata ſententia, quàm innocẽs, quàm integra, quàm prouida atque pacifica? & paulò pòſt, O virũ optimum, ò filium Chriſtianæ pacis, ò patrem Chriſtianæ plebis, *At cognitionem illius cauſæ per appellationem nõ habebat Melchiades, ex ordinaria ſedis apoſtolicæ iuriſdictione:* immo maximè. audi Auguſtinum. An fortè, inquit, non debuit Romanæ eccleſiæ epiſcopus Melchiades cum collegis tranſmarinis illud ſibi vſurpare iudicium, quod ab Afris ſeptuaginta, vbi primas Tigiſitanus præſedit, iam fuerat terminatum? At, *Conſtantinus eam cognitionẽ Melchiadi mãdauit, cui & collegæ, ex Italia ex Gallia, & Hiſpania ſunt adiuncti:* reſpõdeat Auguſtinus. Rogatus imperator iudices miſit epiſcopos. qui cum Romano ſederent, & de tota illa cauſa, quod iuſtum videretur, ſtatuerent. facit autem hoc imperator, importunis clamoribus & precibus Donatiſtarum victus. At,

Verba Aug. in eadẽ epiſt. quam pro ſe Cal. citat.

Non reclamat pontifex: quid mirùm, ſi Chriſtianæ reipublicæ ita expedire intelligebat, mentemque Romani principis ſatis probè perſpectam habebat? At, *Pòſt appellationis iudicium demandat Conſtantinus Arelatenſi epiſcopo:* reſpondeat Auguſtinus, Dedit imperator aliud Arelatenſe iudicium, aliorum ſcilicet epiſcoporum, nõ quia iam neceſſe erat, ſed eorum peruerſitatibus cedẽs imperator, & omnimodo cupiens tantam dementiam cohibere. neque enim auſus eſt Chriſtianus imperator ſic eorum tumultuoſas & fallaces querelas ſuſcipere, vt de iudicio epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe iudicaret, ſed alios, vt dixi, epiſcopos dedit, à quibus tamen ipſi ad imperatorem prouocare maluerunt. *Malè igitur illi fecere cùm ad imperatorem prouocarunt?* Malè ſanè quidem fecerunt, inquit Auguſtinus, cùm terrenum regem ſuæ cauſæ iudicem eſſe voluerunt, peiùs, cùm iudicium epiſcoporum ad imperatorem appellatur, peſſimè verò, cùm ab ipſis vltimis ſacerdotibus ad ipſum rurſum imperatorem prouocare maluerunt. *Quid? imperator ne ipſe, cùm id faceret, peccauit?* reſpondeat Auguſtinus, Eis ipſe ceſſit, vt de ipſa cauſa poſt epiſcopos iudicaret, à ſanctis antiſtibus veniam poſtea petiturus, dum tamen illi, quod vlteriùs dicerent, non haberent, ſi eius ſententiæ non obtemperarent, ad quem ipſi prouocarunt. vt ſic aliquando cederent veritati. Iniquus igitur in nos eſt cauillator Caluinus, dum nobis obiicit Arelatenſe iudicium, atque iudices à Conſtantino Melchiadi (qui Miltiades debet appellari, non, vt vulgò legitur, Melchiades) adiunctos: quorum vtrunque feciſſe Chriſtianiſſimum imperatorem precibus, atque hæreticorum tumultibus, bene ſibi ceteroqui conſcius non licuiſſe, vt vel ſic Chriſtianorum paci pius Auguſtus conſuleret, idem Auguſtinus affirmat, tum alibi, tum verò in eadem epiſtola milleſima quingenteſima ſecunda quam contra nos citauit Caluinus.

Sed, vt extremũ habeat aliquid oratio mea, &, vt ego antè ſcribendi finẽ faciam, quàm tu me attẽtè audiendi lector, concludam illud, quod de Baſileenſi concilio contra Eugenium quartum Romanum pontificem, im- *Tertia obiectio Cal. in epiſt.*

imo contra vniuerſam hanc eccleſiæ formam, de qua tã diu ſumus locuti, Caluinus, ore duriſſimo & exhauſto pudore homo, in epiſtola ad regem Chriſtianiſſimum prope finem oblatrans refert. nullus re vera finis huic controuerſiæ conſtitui poſſe videtur conuenientior, quàm hic, qui in arcẽdis impiis hoſtibus à noſtris finibus totus verſatur. Caluinus igitur ſic habet in epiſtola. *Quòd ſi ex animo loquũtur, reſpondeãt mihi bona fide, vbi nã gentium, ac locorum eccleſiam reſidere exiſtiment, ex quo Baſileenſis concilij decreto deiectus & abdicatus eſt pontificatu Eugenius, ſubrogato in eius locum Amedeo? negare, vel ſi rũpantur, nequeũt concilium, quantũ ad externos ritus attinet, fuiſſe legitimũ, nec ab vno tantùm põtifice, ſed à duobus indictũ. dãnatus eſt illic Eugenius ſchiſmatis, rebellionis, pertinaciæ cũ toto cardinaliũ & epiſcoporũ grege, qui cũ eo cõcilij diſſolutionẽ admoliti erant: poſtea tamen principũ fauor eum ſubleuatus, ſaluũ pontificatũ recepit. illa verò Amedei electio, ſacroſanctæ ac generalis ſynodi auctoritate ritè peracta, in fumũ abiit, ex illorũ hæreticorũ rebelliũ, hæreticorũ, pertinacium gremio prodiit, quidquid poſtea paparum, cardinalium, epiſcoporum, abbatum, presbyterorum fuit. Hîc deprehenſi hæreant neceſſe eſt, Vtram enim in partem eccleſiæ nomen cõferent? negabuntne concilium generale fuiſſe, cui nihil ad exteriorem maieſtatem deerat? nempe quòd duobus diplomatibus ſolenniter indictum, præſidente Romanæ ſedis legato conſecratum, rerum omnium ordine bene compoſitum, eadem ſemper dignitate ad extremum perſeuerauit. fatebuntur ſchiſmaticum Eugenium cum tota ſua cohorte, à qua omnes ſanctificati ſunt? Aut igitur eccleſiæ formam aliter diffiniant, aut quotquot ſunt, habebuntur à nobis ſchiſmatici, qui ſcientes volentes, ab hæreticis ordinati ſunt*: nec eccleſiæ formam aliter vnquam, Deo nobis bene propitio, definiemus, quàm, vt hactenus expreſſimus, nempe quæ continuata ſacerdotũ in Romana ſede ſucceſſione conſtat, & oculis noſtris apparens eſt, nec quidquam eſt, vnde ſchiſmatis nos inſimulare iure ac merito vllus hominum poſſit. quòd ſi abs te, atque ab iſtis tuis miniſtris ſchiſmatici habemur, nihil ad rem Caluine: non enim magni æſtimamus iſtiuſmodi maledicentiam. nouum certè cõuicium non eſt. interrogabatur Elias,

an non is eſſet, qui turbabat Iſrael? Chriſtus ſchiſmaticus Iudæi erat, apoſtolis crimen impingebatur ſchiſmatis ac popularis comotionis & ſeparationis: quid ſit talibus reſpondendum, docuit nos Elias, non nos eſſe, qui vel errores ſpargimus, vel tumultus commouemus, ſed eos ipſos, qui Dei veritati, fidei, religioni, atque diſciplinæ obluctantur. Baſileenſe concilium à tempore inchoationis ſuæ legitimè fuiſſe cōtinuatum ex ſeſſione decima ſexta eiuſdem concilij, donec ad capitis ſui obſciſſionem ventum eſt, optimè conſtat. poſtea verò, pontifice atque ipſius legato ſpretis, inſolenti coitione facta, quaſi repētè corpore in caput mutato, atque ipſo damnato & reiecto, leuitate fuiſſe vſum, planiſſimè omnes intuentur. Sed quia res, quam tractamus, non obſcura eſt, neq; pro defenſanda veritate catholica quidquam mendacij admiſcere cupimus, Æneæ Syluij Picolominei Senenſis, qui illi concilio interfuit, & Pius ſecundus poſtea nominatus eſt, ad Colonienſem ſcholam bullam miſſam omnium dudum per eum in minoribus adhuc agentem retractationum pro concilio Baſileenſi & contra Eugenium ſummum pontificem ſcriptorum, pro fine noſtræ quæſtionis, immo pro libro huius ſexti termino & complemento inſeram. nec me latet non defuturos, qui oblatrent, fallaciter, & ſimulatè nos cum ipſis agere, adulterinas ſcripturas pro veris opponentes, ſed nos, præterquam quòd ſtylus ipſe mirè cum ipſius phraſi conuenit, atque ſemper Æneas Syluius continuata oratione, variata tamē ſententia loqui ſemper videtur, vltra id verò IORDANVS ZILETVS, typographus publicus ſereniſſimi dominij Venetorū, admirabili ſemper literarum, earum præſertim, quæ ad religionem noſtram pertinent amore æſtuans, omnem curam ac diligentiam adhibuit, vt ad ipſamet Coloniēſi ſchola, atque ad eius primatibus precibus ſibi compararet. quam poſtquam fidelibus teſtimoniis vidit ſubſcriptā, ad eiuſdem auctoris cetera ſcripta conferendā magno ſtudio curauit, & publico reip. Chriſtianæ cōmodo formis mandauit, atque à me petiit, vt ſinerem hîc locum ſuæ bullæ dari, quoniam intelligebat, nihil poſſe à me in rem hanc, quam tractabam, oportu-

niùs,aut magis cōmode afferri . mihi verò res hæc gratiſſima viſa eſt , quare lector videbis hîc, quàm ſanctè ſenex pontifex ſe ipſum corrigat,atque emēdet iuuenē negotiorum ignoratione falſum , & maiorū rerum experientia carentem : videbis,quàm doleat,quòd Eugenium IIII . IeſuChriſti ſacerdotem maximū, ac Chriſtiani orbis patriarcham ſuo calamo fixiſſet homo priuatus,rudis,ignarus rei,iuris, atque æquitatis : videbis Auguſtini humilis & probatiſſimi viri ampliſſimè ingenium prędicari,qui ſuas ineptias verecundè confiteri,ac corrigere,quàm impudenter defendere maluerit: videbis , quàm egregiè ex ſcripturis probetur , ſemper Chriſtianos animos oportere Romani primiq́ue throni eminentiam & gloriam defendere : videbis,quàm eleganter ratione & diuino teſtimonio oſtendatur decere diuinam prouidentiam , vt in eccleſiaſtica & militanti eccleſia non minùs , quàm in cœleſti,ad vnū perueniatur,qui ſit princeps ac moderator cunctorum,qui infra ſe ſunt. quam etiam rem exemplis minimè malis probat. Romanæ ſedis quàm ſit verbo domini firmata auctoritas , non obſcurè ex hoc verè pio pectore hauries,cuncta qualiter fuerint geſta Baſileæ,candidè ac verè narrat, diſſidij cauſam & radicem retegit , quæ tunc ipſum cum nonnullis aliis in errorem impuliſſent, non erubeſcit prodere,ignorationem ſuam publicè,ac cum dolore fatetur,Eugenij falsò abiecta crimina horrenda narrat,vt ipſa veritate compulſus fuerit propriū errorē agnoſcere,& Eugenio pontifici maximo caput,vt dicitur,ſubmittere,ac tandē ſimplicis veritatis amicus cuncta , quæ nos de primatu Romanæ ſedis hîc congeſſimus,ſatis breuiter & ornatè ſuo ordine collocata, officioſe atque integerrime lector intueberis. Petrum apoſtolorum caput fuiſſe dicit, eumq́ue honorem eccleſiæ Romanæ ab ipſo relictum fuiſſe egregiis patrum locis locupletiſſimè probat.

Verùm,quoniam, cùm Pius ſecundus loqui cœperit, nihil nos ſumus addituri,libet Chriſtiane lector hac in parte libri huius poſtrema vnum addere. quod ſæpe ac diu nobiſcū cogitauimus tibiq́; maiori diligētia conſiderandum proponimus . ſi quidem cōſideras hæreſum

patronos ac principes,qui nouas eccleſias cōtra vniuerſalem omnium magiſtram erexerunt,hoc vnum omnibus contigiſſe certò reperies, tam diu ſcilicet eam hæreſim valuiſſe, quàm diu ipſius auctor viueret,qui mox atque mortuus eſt, mortem etiam ſuæ nouitati intuliſſet. nolo antiquis exemplis rem hanc firmare & ſtabilire,ſed ab his rebus, quas heri nati nos vidimus, & ſumus experti,experimenta ſumere maximopere licet. Lutherus primus fuit, qui, lucem nouam neſcio quam iactans, rumores quoſdam diſceſſionis à fide vetere ac religione ſpargere cœpit hæſit. ei Caroloſtadius quidam monachus. principiò quidem is multum tribuebat Martino, cuius doctrinam verè euangelicam ſuis verbis ac ſermonibus priuatè ac publicè prædicabat: at non multò poſt ex aperto amico & commilitone occultus inimicus eſſe Luthero Caroloſtadius cœpit, donec in notiſſimum hoſtem euadens, aperto Marte de multis eum accuſabat.mortuo tandem Luthero, plurimi eorum,quos ipſe ad primam illam candidámq; euāgelij lucem perduxit,eum cæcitatis, erroris, ignorationis,atque ignauię inſimulare non clam,ſed palàm,non verbis tantùm, ſed ſcriptis apud orbē vniuerſum veriti non ſunt. PhilippusMelanchthon,vir alioqui non vulgariter eruditus,cùm principatum& primas inter ſuos, antiquo idôlo contempto,habere inciperet, occidit, ac ſimul cum ipſo tota ſui magiſterij gloria periit. Quis, rogo, iam reſtat, qui velit Auguſtanæ confeſſioni ſubſcribere, præter perpauculos quoſdam,quos vos nebulones ac nugatores appellatis? quis inter vos iam Lutheri nomen non horret? quis inter vos Seruetum non execratur? ò rem omni animi noſtri conſideratione dignam, ſcripturarum illa iactatio, illa, inquam, noua lux, quomodo fieri poteſt, vt tam paſſim ab iſtis contemnatur? tam crebrò relinquatur? tam ſæpe immutetur? vna eſt eccleſia,quæ,cùm ceteræ factiones in fumum abeant, immota perſeuerat, vna eſt, quę, cùm ſancta ſit, diuiſionem ac ſeparationem neſcit, vna eſt, quę, cùm catholica ſit, nullius hominis morte labefactatur, ſi vna eſt,quę,cùm apoſtolica ſit,nouitatem omnē reſpuit ac deteſtatur. ò quàm eſt pro veterè fide re-

tinenda efficax conſideratio, ſi quidem aduertamus, ne pilo minus de vera fide fuiſſe detractum, quòd mortui fuerint ſancti apoſtoli, quòd occiſi fuerint Cyprianus, Petrus Alexādrinus, Polycarpus, & alij. quorum magiſterio atque doctrina nimiùm ipſa eccleſia fulgebat, quòd è vita deceſſerint Ambroſius, Baſili', Auguſtinus, ceteríq; illuſtres eccleſiæ doctores: quamuis, cùm hi viuerent, doctrina & eruditione eccleſiam compleuerint. huius certè rei ſi quiſpiam occultarum rerum curioſus indagator à me rationem repoſcat, neſcirem profectò aliam reddere, quàm quòd fides noſtra non ipſis apoſtolis nitebatur, vt tam diu eam poſſideremus, quàm diu ipſi apud nos manerent, ſed Deo ipſi & Chriſto domino, qui manet in ęternum. non eſt euangelium noſtrum, euangelium aut Cypriani, aut Polycarpi, aut alicuius alîus hominis, vt ſimul atq; ipſius vita priuati fuerimus, eo etiam ſit nobis carendum. non nititur fides noſtra Auguſtino, nō Hieronymo, non Ambroſio, non Iręnęo, benemeritis quidē de Chriſtiana religione, ſed Deo ipſi, qui verax eſt, neque mētiri, aut fallere poteſt. ea itaque inſomnia, quæ dormiuit Lutherus, ipſo deficiente, pereant neceſſe eſt. quidquid fingunt homines, vſque eò perſeueret oportet, donec humana mortalitas id ipſum fouere quiuerit. putas lector, defuncto Caluino, defuturos Geneuę, qui maledictis mortuum lacerēt, doctrinam mordeant, & qui iniuſtè eum principatum tenuiſſe apud omnes querantur: & hoc non alia certè ratione, quàm quòd iuſtum eſt, eam nos pati mēſuram, quam in alios exercuerimus: hęc lex à Deo eſt hominibus omnibus pręſcripta, quam fugiſſe nulli vnquam hactenus licuit, nec poſtea aliquando licebit. moneo igitur, atq; hortor omnes veterem tenēre fidem, quotquot volunt, non tot nouas religiones induere, quot magiſtros ſepelire eis cōtigerit. ſciant atque nouerint, quicunque à Romana fide deflexerint, quicūque illud reſpuerint magiſterium, quicunque ſedem illam intueri deſpexerint, quicunq; Dei ſacerdotem audire neglexerint, in hac etiam vita pro tali pœna fore multandos, vt ſimul cum hominibus mores, fidei articulos, euangelium, religionem, vitam denique totam mutent. Pla-

cent nouitates contra antiquitatem multis: non nego: ſed nouitates tales,quàm habeât infelices exitus,quàm triſtes caſus,quàm lugendos fines, quàm horrēda ſupplicia, res ipſa apertiſſimè indicat.at difficile eſt, vnius hominis fidei , Romani ſcilicet pontificis , teneri nos. immo perquàm facilè.dic te, oro atque obteſtor,ò homo ! quando vnus pontifex alteri in fide contradixit? quando,quod ille ædificauit , hic deſtruere molitus eſt? quid dicam ? ſi Romanam eccleſiam conſidero, omnes idem ſentire,idem dicere,idem prędicare intueor. ſi ad particulares iſtorum ſectas oculos conuertam, nihil videbo conuenientiæ inter magiſtrum & diſcipulum, inter defunctum & eum , qui in demortui locum venit, ſed omnia plena diſſenſionum, diſſidiorum, ac contentionum. cogor igitur aſſentiri , veram fidem eam eſſe, quam hi tanta vnitate, conſenſione , concordia , atque perpetuitate docent,prędicant,& profitentur. Sed,heu me,quàm ſum longè progreſſus,dum verę eccleſiæ inſignia perſequor. reuertar itaque, vnde ſum digreſſus, atque iam dicendi finem faciam, quò ſummo pontifici noſtro Pio loquendi initium relinquamus.

PII PAPAE II. BVLLA REtractationum omnium dudum per eum in minoribus adhuc agentem pro concilio Baſilien. & contra Eugenium ſummum Pontificem ſcriptorum.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, dilectis filiis, rectori & vniuerſitati ſcholę Coloniẽſis, ſalutẽ & Apoſtolicã benedictionem. In minoribus agentes non dum ſacris ordinibus initiati, cùm Baſileæ inter eos verſaremur, qui ſe generale cõcilium facere, & vniuerſalem eccleſiam repreſentare aiebant, dialogorum quẽdam libellum ad vos ſcripſimus, in quo de auctoritate concilij generalis, ac de geſtis Baſilientium, & Eugenij Papæ contradictione ea probauimus, vel damnauimus, quæ probanda, vel damnanda cẽſuimus: quantum capiebamus, tantũ defendimus, aut oppugnauimus: nihil mentiti ſumus, nihil ad gratiã, nihil ad odium retulimus. exiſtimauimus bene agere, & recta incedere via: nec mentis noſtrę aliud erat obiectum, quàm publica vtilitas, & amor veri. Sed quis non errat mortalis? Sapientem inquiunt philoſophi nunquam errare, verum eſt. At quis ſapiens, niſi bonus? quis bonus, niſi ſolus Deus? Omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, inquit propheta regius. Declinauimus & nos ab vtero matris, errauimus in inuio, & non in via ambulauimus, in tenebris, & procul à vera luce receſſimus: nec nobis tantùm errauimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cæcis ducatum præbentes cæci cũ illis in foueam recidimus. forſitan & aliquos ex vobis ſcripta noſtra decepere, & in deuia deduxerũt: quorum ſanguinem ſi de manibus noſtris requiſierit dominus, non habemus quod reſpondere poſſimus, niſi nos, vt homines, peccauiſſe, qui arbitrantes rectum iter oſtende-

re, obliquum monſtrauimus. in miſericordia tantùm Dei ſpes noſtra ſita eſt, quæ ſuper omnia opera eius elucet. Sed haudquaquam ſatis fuerit diuinam miſericordiam implorare, & dicere, Parce domine, parce peccatis noſtris, niſi pro viribus vulnera, quæ inflixímus veritati, curare annitamur: & ſicut eſt in fabulis, Sagitta, quæ vulnerauit, afferat opem: ſiue vt canit eccleſia, Medelam inde ferat, hoſtis vnde læſerat. mortem quidam priùs ſibi conſciuerint, quàm videri velint aliquãdo malè ſenſiſſe: & nonnulli ne vel ad horam videantur erraſſe, ſemper errant, & dum vel minimam tolerare honoris iacturam nequeunt, totum abiiciunt, & perpetua notantur infamia, & in peſſimas prolabuntur hæreſes: qui ne appareant inconſtantes, pertinaces efficiũtur. ſuperbiſſimi hoc agunt, qui videri dij, non homines volunt, quales Conſtantiæ combuſti ſunt noſtra ætate in magno conuentu Hieronymus & Ioannes hæreſiarchæ. Nos homines ſumus, & vt homines errauimus: neque imus inficias, multa, quæ diximus, ſcripſimus: egimus damnari poſſe, verùm non vt Arrius, Eutices, Macedonius, aut Neſtorius, & alia blaſphemorum turba ex animo damnatam viam elegimus. ſeducti peccauimus, vt Paulus, & ignoranter perſecuti fuimus eccleſiam Dei, & Romanam primámque ſedem. propter quod proſtrati ante oculos diuinæ pietatis ſupplices oramus, Delicta iuuentis meæ, & ignorantias ne memineris, &c. Pudet erroris, pænitet malè feciſſe, & malè dictorum ſcriptorúmque vehementer pænitet: plus ſcripto, quàm facto nocuimus. Sed quid agamus? ſcriptum & ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum. Non ſunt in poteſtate noſtra ſcripta, quæ multas inciderunt manus, & vulgò leguntur. vtinam latuiſſent, quæ ſunt edita. nam ſi futuro in ſæculo manſerint, & aut malignas mentes inciderint, aut incautas, fortaſſe ſcandalum parient. Qui hæc ſcripſit, inquient, in beati tandem Petri cathedra ſedit, & Chriſti ſaluatoris vicariatum geſſit: ita ſcripſit Æneas, qui poſtea ſummum Pontificatum adeptus, Pius II. appellatus eſt. nec inuenitur mutaſſe propoſitum. qui eum elegerunt, & in ſummo Apoſtolatus vertice collocarunt,

ab iis ſcripta eius approbata videntur. Verendum eſt, ne talia noſtris aliquando ſucceſſoribus obiiciantur, & quæ fuerunt Æneæ, dicantur Pij, atque ab ea ſede auctoritatem vendicent, ad quam ignoranter latrauerunt. Cogimur igitur, dilecti filij, beatũ Auguſtinũ imitari, qui, cùm aliqua in ſuis voluminibus erronea inſeruiſſet, retractationes edidit. Humilis, & probatiſſimi vir ingenij, qui ſuas ineptias verecundè confiteri, ac corrigere, quàm impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus: confitebimur ingenuè ignorantias noſtras, ne per ea, quæ ſcripſimus, iuuenes error irrepat, qui poſſit in futurum Apoſtolicam ſanctã ſedem oppugnare. nam ſi quem decuit vnquã Romani primíque throni eminentiam & gloriam defendere, ac extollere, nos illi ſumus, quos ſine vllis meritis pius, & miſericors Deus ſola diſpẽſatione ſua ad beati Petri ſolium, & dilectiſſimi filij ſui domini noſtri Ieſu Chriſti vicariatũ euocauit. Quibus ex rebus dilectiones veſtras hortamur, & in domino commonemus, ne prioribus illis ſcriptis & inhæreatis, aut fidem vllam præſtetis, quę ſupremam Apoſtolicę ſedis auctoritatem vobis pacto elidũt, aut aliquid aſtruũt, quod ſacroſancta Romana non amplectitur eccleſia. Suadete omnibus, vt id ſoliũ præ ceteris venerentur, in quo ſaluator dominus ſuos vicarios collocauit, & quod beati Apoſtoli Petrus, & Paulus ſuo ſanguine dicauerunt. nec putetis diuinam prouidentiã, quæ cũcta gubernat, & nihil negligit, eorum, quæ creauit, inordinatam reliquiſſe militantem eccleſiam: quæ cùm ſit ſponſa Chriſti, profecto à Deo eſt, & ordinem habet, dicente Apoſtolo, quæ ſunt, à Deo ordinata eſſe. requirit autem ordo, vt inferiora à ſuperioribus gubernentur, & ad vnum tandem perueniatur, tanquam principem & moderatorem cunctorum, quæ infra ſe ſunt. Sicut Grues vnam ſequuntur, & in Apibus vnus eſt rex: ita & in eccleſia militanti, quæ inſtar triumphantis habet, vnus eſt omnium moderator, & arbiter Ieſu Chriſti vicarius: à quo, tanquam capite, omnis in ſubiecta membra poteſtas & auctoritas deriuatur, quæ à Chriſto domino Deo noſtro ſine medio in ipſum influit. nec profectò in alium, tanquam ſui exercitus ducem, ſupre-

mam auctoritatem Chriſtus principaliter deriuaſſet, quàm in ſuum vicariũ, qui primus fuit Petrus, cui commiſſam nouimus Dominici gregis curam, nec duos pluréſue Petros euangeliſtæ commemorant, nec duos aut plures inſtituit dominus, qui ſuum locum tanquam capita tenerent æqualia: ſed vnum conſtituit, vt verticem ac ducem, & paſtorem vniuerſi gregis, Simonem Petrũ, dicens, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum. & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælo. & quodcũque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cęlo. Et paſce oues meas. Quę nulli alteri ſeorſum dicta leguntur, niſi Petro, vt in Petro vnitas & ſumma contineretur auctoritas: nec alius à petra dictus eſt Petrus, niſi Simon, vt intelligeremus vnicum eſſe veræ & ſolidæ petræ. id eſt, Chriſti, (vt Paulus exponit) locum tenentem Simonem Petrum, qui ſolus pro domino in periculo conſtituto exemit gladium. Petrus igitur, & ſucceſſores eius Romani Pontifices primatum in eccleſia tenuerunt, & nos hodie quamuis indigni ſola domini voluntate digni tenemus: & quicunque Romanæ ſecundum canonicas ſanctiones præficitur eccleſiæ, quã primùm electus eſt in ſacro collegio, ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequitur, & per ordinem in omnem diffundit eccleſiam, cuius diuino iudicio peccata punienda relinquuntur. Si quid aduerſus hanc doctrinam inueneritis aut in dialogis, aut in epiſtolis noſtris, quæ plures à nobis ſunt editæ, aut in aliis opuſculis noſtris, (multa enim ſcripſimus adhuc iuuenes) reſpuite atque contemnite. ſequimini quæ nunc dicimus, & ſeni magis, quàm iuueni credite, nec priuatum hominem pluris facite, quàm Pontificem. Æneam reiicite, Pium recipite. illud gentile nomen parentes indidere naſcenti: hoc Chriſtianũ in Apoſtolatu ſuſcepimus. Dicent fortaſſe aliqui cum Pontificatu hãc nobis opinionem aduenïſſe, & cum dignitate mutatam eſſe ſententiam: haud ita eſt, longè aliter actum. Audite filij conuerſationem noſtram: breuis narratio erit, quæ vobis, quantum ad rem attinet, veritatem aperiet & obiectioni faciet ſatis. Anno ſalutis primo, & 30. ſupra mil-

Je 400. cum Dominico Capranica, quem Martinus quintus in ſecreto conſiſtorio Cardinalem creauerat, Eugenius IIII. ſpreuerat, Baſileam petiuimus, ibíque concilium inchoatum inuenimus, verùm ab Eugenio reuocatum, quamuis congregati noluerant obedire, aſſerentes iam inceptum concilium ſine conſenſu patrum, qui cõueniſſent, haud quaquam potuiſſe diſſolui. Iulianus aderat ſancti Angeli Cardinalis, natione Romanus, moribus & doctrina conſpicuus. Is cùm ceteris præſtaret, audita Eugenij reuocatione, præſidẽtiam dimiſit, tãquam ſummo Pont. vellet obedire: ſed cùm augeſceret in dies Eugenio vel inuito concilium, & multi ex diuerſis regionibus Epiſcopi, & regum legati aduentarent, Cardinales quoque ex Romana curia profugi in dies nonnulli cõcurrerent, præſidẽtiam reſumpſit, & auctoritatem concilij mirum in modum extollens, eminentiam primæ ſedis ſupprimere cœpit. Venientes Eugenij legatos, & poteſtatem Romanorũ præſulum magnificantes apparenter confutauit: & cùm eſſet facundiſſimus, facilè perſuaſit auditoribus quę cupiebat. Cardinales ex vrbe profecti, Eugenio infenſi, vitam eius moréſque carpebant: accedebant in horas cateruatim noui curiales, qui (vt eſt omnis multitudo maledica, & inimica principi) Eugenij nomen modis omnibus lacerabant. Nos, qui ex patria iuuenes non ex vrbe illuc migraueramus, & noua tum primùm auis ex Senẽſi gymnaſio euolaueramus, rudes & inexperti vera eſſe arbitrabamur quęcunque dicebantur. nec putabamus mentiri alios: qui neſciremus ipſi mentiri: atque vt eſt innatum homini, tetra & horrenda crimina odio habebamus. nec Eugenium diligere poteramus, quem tot tantíque teſtes indignum Pontificio dicerent. Aderant legati Pariſienſis ſcholæ, cuius eſt fama percelebris: affuerunt & aliquando veſtri & aliorum ſtudiorum Germanicæ nationis oratores: & vno cuncti ore cõcilij generalis auctoritatem ad cælum efferebant. De poteſtate Rom Pontificis pauci erant, qui loqui pręſumerent, omnes, qui publicè loquebãtur, prurientes auribus multitudini applaudebant. Acceſſit & ipſius Eugenij conſenſus, qui diſſolutionem cõcilij à ſe factam reuocauit,

& progreſſum eius approbauit,cum recōciliata ſynodo Eugenio videretur,& pax eccleſiæ data. præterita enim omnia per ſuas literas cōcilij patres Eugenio ſeſe remiſſuros, & pedes ejus tanquam beati Petri exoſculaturos promiſerant, ſi reuocata diſſolutione, concilio curſum permitteret,atq; illi cohæreret. Nouæ interceſſere diſcordiæ, tum aliis de rebus,tum potiſſimè ſuper tranſlatione concilij,Grçcorū cauſa:in alium locum Eugenius in Italia non ſine ratione conciliū petebat: popularitas ſynodalis tranſire montes horrebat,& in Auinione,aut in Sabaudia locum deſiderabat. Adiuerūt per id temporis duo viri ex Italia Baſilienſe cōcilium, Nicolaus Panormitanus Archiepiſcopus,& Ludouicus Pontanus Apoſtolicç ſedis notarius,Alphōſi Magni regis oratores, qui,velut duo orbis ſidera,ceu Pontificij iuris,& totius ciuilis ſapiētiæ duo præcipua lumina & clariſſima,cenſebantur. Hi dictis ſcriptíſque concilij geſta probabāt, Eugenij facta damnabāt:nec erat qui aut vellet, aut auderet dicta eorum refellere. Quid ageremus? audire potuimus,non diſcere. Rude nimis ingenium eſt,quod per ſingulos dies audita & inculcata non capit. Quales magiſtri ſunt, tales diſcipuli euadere ſolent. Paucos inuenias Ariſtoteles,qui Platonica norint deſtruere dogmata. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrū,inquit dominus: nec nos magiſtrum potuimus ſuperare: Iulianus nobis, & Nicolaus,& Ludouicus,& alij complures fuere magiſtri: ſchola Baſiliēſis conuentus, in quo rarò aliquis Eugenij cauſam defendit. Aduerſus concilij dignitatē mutire aliquid,crimen hçreſis fuit. Vna omnium vox concilium Eugenio præferebat. De ſedis Apoſtolicæ præcellentia aut ſilentium,aut contemptus: Conciliū,conciliū cuncta ſonabant. Didicimus ergo quç audiuimus, & poſt aliquot annos exiſtimantes nos aliquid eſſe, diximus,vt eſt apud Satyricum, *Semper ego auditor tantùm, nunquámne reponam?* puduit ſemper diſcipulum gerere, ſubtraximus ferulç manum,cœpimus loqui,& magiſtri perſonam induimus. ſcripſimus epiſtolas, & opuſcula. hoc omnibus paſſim datur: docti & indocti ſcribunt: & quæ ſcripſit ipſe, nemo contemnit, niſi editionis feruorem tempus extinxerit. nobis placebant ſcripta

noſtra more poëtarum, qui poëmata ſua tãquam filios amant. Nec in Baſilea quenquam inueniebamus qui ea damnaret: probãt enim ſimilia ſimiles: applaudebamus nobis ipſis, & in editionibus noſtris gloriebamur. & quanquàm poſtea Eugenius concilium in Italiam tranſtulerit, & cum Græcis Ferrariæ, ac demum Florentiæ conuenerit, quanquam Iulianus ſancti Angeli, & Ioannes ſancti Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defeciſſent, quanquàm pauciſſimi in fide Baſilienſi remanſiſſent: Noluimus tamen credere, exiſtimantes cunctos, qui abibãt, metu recedere, ne bona temporalia perderẽt. &, cùm nihil haberemus, quod nobis auferri poſſet, perſeuerandum putauimus, ne partem, quæ verior nobis apparebat, relinquentes, detrimentum animæ faceremus. Manſimus igitur Baſileæ, quoad Eugenio, vt credidimus, iuſto iudicio depoſito Amedeus Sabaudiẽſis ſuffectus eſt, & Felix quintus appellatus: quem non vt idolum, quod erat, ſed tanquam verum Chriſti vicarium venerati fuimus, nihil ad hæc ſiniſtri putantes interceſſiſſe. At cùm Fridericus Romanorum rex Aquiſgrani coronatus domum repetẽs, Baſilea tranſitum feciſſet, rogatúſque Felicem illic præſentem accedere nullo pacto perſuaderi potuiſſet, vt honorem ei, tãquam Rom. Pontifici, exhiberet, aut publicè cum eo verba miſceret: tum primùm conſiderauimus poſſibile eſſe, quòd partem erroneã ſequeremur, quando rex imperator Romanorum futurus in tanto negotio dubius eſſet, & ad Eugenium inclinaret magis. multùm & ſępe inter nos ipſos cogitauimus quis eſſet modus inueniendi verum. nunquam enim volentes errauimus. rogati in familiam Friderici tranſire, non renuimus. erat tunc ille cum tota ferè Germania neutralis. Concilium Baſileæ dicebant eſſe Germani, & idolum eius reſpuebant, Eugenium Chriſti vicarium appellabant, & concilium ab eo celebratum recuſabãt, nec Eugenio, nec Baſilienſibus plenè obediebant. Placuit ad neutrales tranſire, vt verum apud eos liberiùs audiremus; & ſi recedendum eſſet ab vno extremorum, per aliquod medium tranſiremus ad alterum, & eorum iudicium ſpectaremus, qui non eſſent affecti cauſæ. Manſimus

ſimus in aula Friderici pluribus annis, illic varias audiuimus opiniones. Neutralitatem iccirco Teutones induxerant, vt concordia faciliùs inueniretur, non ex conſilio Solonis, qui tumultuante ciuitate extorrem fecit, qui ſine parte remãſit. Multa inter neutrales didicimus, quæ nos antea latebant: Eugenium falsò de multis accuſatum inuenimus, Cardinales, qui Baſileam venerãt, ob priuatas inimicitias bono & ſancto viro notam inurere voluiſſe: qui tamen cuncti poſtea ad eum redierũt, & veniam errati petierunt. Fortè per id temporis Iulianus ſancti Angeli Cardinalis, cuius ſuprà meminimus, ex Vngaria, quæ ſibi decreta contra Turcas fuerat prouincia, Flauinianum venit, (quæ hodie Vienna dicitur) præcipuum Auſtriæ columen: ſæpe cum eo ſermonem pro veteri conſuetudine miſcuimus, ſępe de rebus Baſilienſibus diſputauimus. tuebamur antiquam ſententiã: ille nouam defendebat. extollebamus generalis cõcilij auctoritatem: ille Apoſtolicæ ſedis poteſtatem magnopere collaudabat. dicebamus concilium Baſilienſe iure perſeueraſſe, quamuis Eugenius præſidẽtes reuocaſſet, & hoc eius factũ accuſabamus: ille diſſolutum ſeu trãſlatum rite concilium affirmabat, & Baſilientium opera multis modis deteſtabatur, Baſileæque non ſynodũ eccleſiæ, ſed Satanæ, & miniſtrorum eius ſynagogam remanſiſſe dicebat. Diutina fuit inter nos cõcertatio, verùm modeſtia & caritate plena: ad extremum cùm ſuis ſcriptis, dictíſque Cardinalem & vinceremus, premerenúſque vehemẽter, ſubridens ille, Tu, inquit, Ænea tabellis obſignatis agis mecum: & quoniã aliquando ſenſimus vt dicis, iccirco & hodie idem putas debere ſentire, & additos priori ſentẽtiæ cenſes. verùm propterea nos ſumus liberi, quia mutare ſententiã vſque ad mortem poſſumus. cur enim non liceat omni tempore relicto falſo verum complecti? verùm fateor me dixiſſe & ſcripſiſſe, quæ refers, verum à vero remotum erraſſe: at tu, qui ais me doctore Baſiliẽſibus credere adductus es, errantem olim ſectatus ſum, cur modò non ſequeris recta monentem? Præſumpſi de me ipſo, dum eſſem Baſileæ, nimis, quamuis deceptus decepi, & credens prodeſſe, nocui. in medio eccleſiæ docens quæ non didici, ex-

cus erraui, & in tenebris ambulaui. reliqui tandem eccleſiam malignantium, & cum impiis ſedere recuſaui. reuelauit dominus oculos meos,& conſideraui mirabilia de lege ſua. cognoui priorem errorem:& quantum à vero procul abiiſſent Baſilienſes, planè intellexi. adij Romanam curiam, & Eugenio, cùm fuiſſem rebellis, ſubmiſi ceruicem: à quo miſericordiam conſecutus, ad vnionem Græcorum nauaui operam, & illis Romanæ eccleſiæ reconciliatis aduerſus impios Turcas legationem accepi. caſtigans caſtigauit me dominus, & morti non tradidit me,ſed humiliatum exaltauit:quia cognito in errore non perſeueraui, ſed mox in viam redij,& ex magiſtro factus diſcipulus,ex magno paruus,ex purgato veteri fermento,nouum hominem indui, & veræ matris lacte nutritus ad fontem veri peruêni,quem ſancti doctores oſtendũt Græci & Latini,quorum vna vox eſt,ſaluari non poſſe, qui ſanctæ Romanæ eccleſiæ non tenet vnitatem,omnéſque illas virtutes mancas eſſe ei, qui ſummo Pont. obedire recuſat,quamuis in ſacco,vel cinere iacens,dies & noctes ieiunet, & oret, & in ceteris videatur legem implere:quia melior eſt obedientia, quàm victimæ,& omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta eſt, & Romanum præſulem in eccleſiæ vertice conſtitutum eſſe conſtat, à quo nullam ex ouibus Chriſti exemptam nouimus. Ego ad ouile redij,qui diu erraueram extra caulas, & paſtoris Eugenij vocem audiui:tu ſi ſapias,idem facies. hęſerunt pectori noſtro verba viri, quæ ſæpe ad nos repetiit non ſine caritate ardenti, & amore ſingulari. Interea ex diuerſis regionibus homines doctiſſimi Cæſarem adierunt,quibuſcũ placidos de eiſdem rebus miſcuimus ſermones ſemper ad verum intenti,cuius eſt natura hominis auida. Multum profuit nobis Ioannes Carauagialis Apoſtolici palatij auditor,natione Hiſpanus, qui, Iuliano defuncto, in titulo Cardinalatus ac legatione ſucceſſit: quocum ſæpe de concilio Baſilienſium amicè diſputauimus. Nemo doctus ad imperatorem venit,quem de his rebus in colloquium non adduceremus. Cúmque Cęſar ad vnionem eccleſiæ procurandam in Nurimberga ſuæ nationis conuentum inſtituiſſet, decreuiſſétque ſummum

Pontificem adhortari, vt Conſtātiæ nouum concilium indiceret, legatúmque mitteret, ac Baſilienſes pariter inducere, vt eò ſe transferrent, ibi vt pax eccleſiæ redderetur, primi Baſilienſes recuſauere. Quod audiens Thomas Aſſalbachius ex Germanis inſignis theologus, Nunc, inquit, ſcio Baſilienſes ſpiritum ſanctum non habere ductorem, quando tam ęquam imperatoris legem effugiunt, idem multi alij dixere viri doctiſſimi, & opinione ſanctitatis illuſtres. Quibus conſideratis, caligo tandem ab oculis noſtris cecidit, quæ, velut aranearum tela, verum cernere impediebat. Recognouimus errorem noſtrum, venimus Romam, Baſilienſium dogma reiecimus, Eugenio Pontifici maximo caput ſubmiſimus, & reconciliati eccleſiæ Romanæ doctrinam eius imbuimus, & illud Hieronymi diximus, Ego nullum pręmium niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſortior. Super illam fundatam eccleſiam ſcio: quicunque extra hanc domum agnum Dominicum comederit, profanus eſt: ſi quis in arca Noę non fuerit, peribit regnante diluuio. Eramúſque adhuc pænè laici, quando ad Eugenij obedientiam rediuimus. Ex Baſilea clericali tantùm charactere inſigniti receſſimus, nec vnquam ſacros imbuimus ordines, niſi poſt veritatem cognitam, Baſilientium cæcitate relicta. In Auſtria minores ordines, ac ſubdiaconatum, & diaconatum recepimus. In vrbe ad preſbyteratum peruenimus. Hæc eſt conuerſatio noſtra per hos gradus, è tenebris ad lucem migrauimus. ad quam rem non parum luminis nobis attulit Thomas Saracenus theologicæ ſapientiæ celebratus, ac acutiſſimus interpres, qui poſtea in ſummo collocatus Apoſtolatu Nicolai quinti nomen accepit. His auctoribus vnam eccleſiam catholicam, & apoſtolicam eſſe didicimus matrem omnium fideliū, extra quam non inuenitur ſalus, ſponſam Chriſti immaculatam, in qua omnes qui militant, finem ſibi proponunt vitam æternam. iccirco enim in eccleſia militanti laborant homines, & cum dæmonibus tanquam hoſtibus pugnant, vt pacem tandem aſſequantur, & cum Ieſu magiſtro ac legifero ſuo in cæleſti Ieruſalem triumphare, ac regnare poſſint.

Hic finis Chriſtiano proponitur, huc omnes eccleſiæ militantis conatus,omnes leges,omnes regulæ tēdunt. & quoniam eccleſia quidam exercitus eſt Deo militās, terribilis vt caſtrorum acies ordinata dicitur: vni proculdubio imperatori ſubeſt,ad cuius nutum cūcta referūtur. Cúmque Pius ac max. & opt. Deus in ſuo ſanguine fundauerit eccleſiam, eámque voluerit ad finem vſque ſęculi perdurare:quis non dixerit in ea id regimen inſtitutum eſſe,quod optimum cēſeretur? at verò inter genera gubernationum communis philoſophorum ſententia eſt,præſtare monarchiam. & Romani quorū toto micuit orbe dignitas, quamuis eiectis regibus duos annos conſules elegerunt,& modò tribunos addidere, modò alios magiſtratus inuenere:in aduerſis tamen caſibus, bellíſque grauioribus ad vnum aliquem recurrerunt, virtute & auctoritate præſtantem, quem dictatorem appellauerunt,cuius dicto non liceret aduerſari. & quāquàm dictaturam ab initio temporaneam inſtituerunt,in Iulio tamen & ſucceſſoribus eius perpetua effecta eſt. Nec vnquam Romana res admirabilior, aut celſior fuit,quàm ſub Auguſto Cæſare,quando iam clauſis portis totus ferè orbis ſub vnius hominis gubernatione quieuit. Quo tempore natus mundi ſaluator monarchicum regimen ceteris prætuliſſe videtur gubernationibus. Idem probat totius ferè orbis conſuetudo, cuius maximam partem gubernāt reges,ſiue Chriſtianos intueamur,ſiue Barbaros. & quamuis ciuitates aliquot reperiantur, quæ cùm maximè ſeruiant,liberas ſeſe vocitāt,ſine rege viuētes,non poſſunt tamen effugere,quin vnum pręferant aliis,eíque tanquam capiti pro tempore obediāt. Quid plura? cæleſtis aula nos admonet. quid illa pulchrius? quid ordinatius? quid maius? aut durabilius? quid melius aut beatius? quamuis in ea & Angelorum diuerſi ſint ordines,& ſanctorum ſpirituum innumerabiles chori, vnus eſt tamen omnium rex æternus Deus,qui condidit vniuerſa,& nihil negligit eorū,quæ cōdidit. cuius filius vnigenitus Chriſtus Ieſus cùm pro noſtra ſalute veniſſet in hunc mundum, ſeruili accepta forma,eccleſiam,de qua loquimur, in cruce patiens,ſuo ſanguine acquiſiuit, & in ea vſque in diem aſcenſionis

corporaliter præſedit, & , tanquam dux verus & imperator,cunctaiu finem ſuum direxit. at cùm aſcendiſſet in cælum , eum indubitanter ſui gregis paſtorem reliquit,cui dixerat,Paſce oues meas,& tibi dabo claues regni cælorum. Neque enim dixit,& non fecit, qui ſolus eſt verax. Grex Chriſti eccleſia eſt. Paſtor primus ipſe Chriſtus fuit,& paſtor bonus,qui poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis. Secundus paſtor Petrus extitit ab ipſo domino inſtitutus, atque omni poteſtate donatus,quæ ad bene regendum commiſſas oues neceſſaria ducitur, alioqui Chriſtus, qui ſapientia patris eſt,& omnino ſapienter egit,eccleſiæ ſuæ haud ſufficienter prouidiſſet, quod eſt nefarium aſſerere . & quamuis plures per orbem eccleſiæ inſtitutæ fuerint,& plures epiſcopi,id eſt, plures greges,& ouilia plura,& paſtores plures: omnes tamen ſub vno paſtore,& in vno grege,atque ouili cõtinebantur , ſicut & hodie continentur : quia vnus eſt Chriſti thalamus, vna ſponſa, vnum ouile , & vnus paſtor , & omnium epiſcoporum vnus epiſcopus Romanus pręſul beati Petri ſucceſſor,& Ieſu Chriſti vicarius. Petrus enim in Antiochia primum ſedit , deinde Romam venit . vnde cùm perſecutionem fugiens , vellet abire , à domino prohibitus eſt, & hic glorioſo martyrio vitam finiuit ſucceſſore Clemente ſubſtituto.atque ita in hanc vſque diem ſeruatum eſt , vt qui Romæ ſederit antiſtes rite inſtitutus per legitimum electionis tramitem , tanquam Aaron vocatus à domino, hunc omnes Chriſtianæ plebes , omnes populi , omnes reges, omnes clerici,omnes epiſcopi tanquam Ieſu Chriſti vicarium & beati Petri ſucceſſorem vniuerſalis eccleſiæ caput ac rectorem & ducem venerati ſint . Inter quos plurimi pro Chriſti nomine aſperrimos perpeſſi cruciatus , & morte multati , coronam martyrij ſuſceperunt. Plurimi confeſſores,egregij,vita, moribus, & doctrina fulgentes,quamuis ſine ſanguinis effuſione,non tamen ſine periculis & labore, ac voluntate parata pro conſeruanda ſacri euangelij auctoritate moriendi ad cæleſtem gloriam peruenere:vt Gregorij,Damaſi,Leonis,Innocentij, Bonifacij, Benedicti , & alia nomina, inter quæ tertius claruit Eugenius ex monaſterio ſancti Anaſtaſij

ad ſummum ſacerdotium euocatus, ad quem diuus Bernardus monachorum pater non minùs doctrinæ fulgore, quàm vitæ ſanctimonia illuſtris, inter multa, huiuſmodi verba conſcripſit. Indagemus, inquit, adhuc diligentiùs quid ſis, quam geras videlicet perſonam pro tempore in eccleſia Dei. Tu es ſacerdos magnus, ſummus Pontifex, tu princeps epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus, tu es, cui claues traditæ, cui oues creditę ſunt. Sunt & alij quidem cæli ianitores, & gregum paſtores, ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius vtrunque præ illis nomen hæreditaſti. Habent illi aſſignatos ſibi greges ſingulis ſingulos, tibi vniuerſi crediti vni ſumus. Nec modò omnium ſed & paſtorum, tu vnus omnium paſtor. Hæc Bernardus ad Eugenium III. ſcribit, cui ſupremam & omnimodam in eccleſia poteſtatem concedit. Quod ille de tertio teſtatur Eugenio, hoc nos de quarto, & omnibus aliis Romanis Pontificibus profitemur, quia dignitatis eſt auctoritas. Liquet igitur vnum in eccleſia caput eſſe, & vnum principem: quia pax populi ex vno rectore dependet, & pluralitas principum diſcordiam parit. Chriſtus eccleſiæ ſuæ in vltimo teſtamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendauit, dedit ergo & regimen pacis amicum, id eſt, monarchicum, ſub beato Petro, & ſucceſſoribus eius adminiſtrari, cuncta præcipiens clauibus illi commiſſis, & cura gregis demandata. Hæc nos de Romani Pontificis auctoritate, & poteſtate ſentimus, cui & congregare generalia concilia, & diſſoluere datum eſt: qui etſi filius eſt propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur: & ſicuti filiationis cauſa venerari debet eccleſiam, tanquam matrem, ita & prælationis cauſa præfertur ei, vt paſtor gregi, princeps populo, rector familiæ. Cum his & generalis concilij auctoritatem & poteſtatem complectimur, quemadmodum æuo noſtro Conſtantię, dum ibi fuit ſynodus vniuerſalis, declaratum definitúmque eſt. veneramur enim Conſtantien. concilium, & cuncta, quæ præceſſerunt, à

Romanis Pontificibus noſtris præceſſoribus approbata. inter quæ nullum inuenimus vnquam fuiſſe ratum, quod ſtante Romano indubitato præſule abſque ipſius auctoritate conuenerit. quia non eſt corpus eccleſię ſine capite, & omnis ex capite defluit in membra poteſtas. Hæc noſtra ſententia eſt, filij, hæc credimus, & profitemur, hęc iam ſenes, & in Apoſtolatus apice conſtituti, pro veritate aſſerimus: ſi qua vel vobis, vel aliis conſcripſimus aliquando, quę huic doctrinæ repugnét, illa, tanquam erronea, & iuuenilis animi parum penſata iudicia, reuocamus, atque omnino reſpuimus. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, VI kalendas Maias milleſimo quadrigenteſimo ſexageſimo tertio.

Pij Papæ II. Bullæ retractationum omnium dudum per eum in minoribus adhuc agentem pro concilio Baſilien. & contra Eugenium ſummum Pont. ſcriptorum finis.

LOCORVM CATHOLICORVM PRO ORTHODOXA ac veteri fide retinenda,

De euangelicæ Legis veris & propriè dictis Sacramentis ſeptem.

LIBER VII.

F.Franciſco Horantio Hiſpano auctore.

POST œcumenici cōcilij Tridentini exactiſsimam ſeptem ſacramētorum legis gratiæ tractationē, atque explicationē, ſuperuacaneū fore tibi videri fortaſſe poterit optime lector, nullūque vſum habiturum, ſi eam rem, quæ ſit omnium ordinum calculis comprobata ac diffinita, priuatus quiſpiam homo, vulgaris, ac ruſticanus iterum aleæ cōmittere velit. verùm quid nos coegerit hanc partē, ſatis iam ab eccleſia examinatam, non ſilentio præteriiſſe, paucis indicabo, ſi mihi per tuam benignitatē paululùm licere intellexero. Quis, proh ſancte Deus, ſacerdotum ſententias denuò perpendere, & non magis exequi, atque obſeruare, ſi homo ſana mente is fuerit, non malit, ac percupiat? ſed neſcio, quo pacto iſtorum hæreticorum hominum ſcelus, ac vetus furor, & audacia anti-

qua, etiam nunc validiùs & fortiùs in nos erumpunt. videbamur, certè omni cura, & metu eſſe releuati, poſtquam tam admirabili cõſenſione, Chriſtianus orbis totus eam, quam de ſacramentis tenemus, fidem, quaſi vno ore omnes loqueremur, nuper in præfacta ſynodo, nobis audientibus, expreſſit. non Germania, non Italia, non Gallia, nõ Hiſpania, non Polonia, nulla denique Chriſtiani orbis regio reliqua fuit, quæ hanc eſſe fidem ſuã, patrúmq; ſuorum, communibus ſuffragiis nõ publicè atteſtaretur. verùm homines iſti, tam graui morbo ægri æſtu, febréque continua iactati, hac feliciſſima diuini ſpiritus aqua non modò releuati nõ ſunt, ſed etiam multò grauius, vehementiúſque nunc afflictantur. nec tamen nouum hoc, aut, inuſitatum, ſed ſæpe antea in Chriſti eccleſia cognitum, perſpectúmque eſt. Arriana ſiquidem inſania, Satanicúſque furor, 318 patrum Nicææ in ſpiritu ſancto cõgregatorum pura ac ſincera fidei noſtra confeſſione etſi notati fuerunt, non tamen omnino extincti. vt etiam poſt illud concilium præfata hæreſis, vehementiùs ingraueſcens, eccleſiaſticorum auctorum præclariſſima ingenia exercuerit. & id ipſum poſt Conſtantinopolitanam ſynodũ contra Sabellium eccleſiæ contigiſſe hiſtoriæ narrant. Epheſinum concilium

Neſtorianam quidem impietatem deprehendit, ſed non penitus extinxit. Eutychetis blaſphemiam cum ſuo Dioſcoro Chalcedonenſe anathemate percuſsit, hæreſimq́ue damnauit: ſed non tam ſubitò peſsima illa rabies cõpreſſa eſt, quin diuus Leo, qui eo tempore ad clauũ dominici gregis Romæ ſedebat, coactus fuerit ſæpe dolorem ſuum, quòd eam hæreſim adhuc in aliquorum hominum animis vigere intelligeret, literis ad varios miſsis eis declarare. Eo certè ſunt ingenio homines iſti peſsimi, ac reprobi, vt nulla ratione à ſemel concepto facinore eos auocare poſsis, non eccleſiæ magiſterio, non ſanctorum teſtimoniis, non demum antiqua patrum fide. quamobrem non immeritò operæpretij nos aliquid facturos Chriſtianæ reipub. exiſtimauimus, ſi omni breuitate capita tantùm controuerſiæ circa hunc ſacramentorum tractatum inter nos, & Caluinum hîc attingeremus. De numero ſacramentorũ, de ipſorum efficacia, ac virtute primò agemus. deinde ſingillatim vniuerſa ſacramentã breuiter percurremus: vbi ab his, quæ ſunt ab aliis notata, libenter abſtinebimus, eaq́ue tibi lector proponemus, ſine quibus orthodoxa veritas non tam facilè intelligi queat. nouiſsimè ad Caluini poſtremam epiſtolæ partem nos etiam vltimo in loco noſtri operis ſimiliter

reſpondebimus: atque iuſtè eccleſiam, & ſatis candidè facere, cùm commemorat, quantas turbas, tumultus, contentiones ſecum traxerit nouæ iſtius doctrinæ prædicatio, & quos nunc in multis fructus faciat, non extraneis, aut longè petitis exemplis planum faciemus. Erit, vt ſpero, non minùs res hæc tibi grata, lector Chriſtiane, quàm fuerit nobis laborioſa, diligentiæ, atque ſtudij plena. eccleſia ſiquidem Chriſti, cui nos totos dicauimus, piis omnibus vnquam deeſſe nec volumus, nec Deo bene propitio ſecus euenturum ſperamus.

Breuiter ac dilucidè legitima ſacramẽti diffinitio traditur, vox ipſa in quo ſenſu ſit hîc accipienda, explicatur, vſus tandem, atque efficacia ſacramentorum nouæ legis ex ſcripturis demonſtratur.

Caput Primum.

LIcèt ſincera verbi diuini prædicatione, atq; ſacramentorum legitimo vſu eccleſię catholicæ forma tantùm conſtaret, vt vult Caluinus: adhuc tamẽ id nomen Romanæ eccleſiæ proprium foret, non Caluinianæ, Zuuinglianæ, aut Lutheranæ. cùm enim admirabilis quædam de his rebus apud nos ſit conſenſio, ipſi verò non minus circa numerum ac vſum ſacramentorum inuicem diſſident, quã ſunt in interpretandis ſcripturis diuerſi, cõtrarij, atque inter ſe repugnantes. alij certè ſeptem ea eſſe cõcedunt, alij vnum tantùm agnoſcunt, alij duo, alij tria, alij quatuor, alij ſemper ſex fuiſſe & alicubi ſeptem docent. tanta eſt, & ſemper fuit diſcordia hæreticorum hominum. taceo tam varios ipſorum ſacramentorum vſus apud iſtorum ſingulos, tam longè diuerſas cæremonias, vt vix calamo iuſtè quis recenſeat, ne dum humana memoria eas retinere valeat, quæ cùm ita ſe habeant, non eſt tamen vlla apud iſtos tam ignobilis ſecta, neque tam ſtulta factio, aut coniuratio, quæ apoſtolos ſanctos imitari ſe non iactet. Verùm, quia vnus Caluinus nobis initiò propoſitus eſt oppugnandus, relictis aliis, quid ſit Sacramentum, quáue ratione veteres hoc vocabulum vſurparint, quæ ſint neceſſariò conſideranda in ipſis ſacramẽtis, quis demum ipſorum ſit effectus, breuiter, Tridentium œcumenicum concilium ſecuti, primùm referemus, poſt verò Caluino reſpondebimus. Maiores noſtri Sacramentum appellauerũt non ipſum iuſiurandũ, & quod iuriſiurãdi ſacratione geritur, (quæ ſanè ſignificatio Latinis auctoribus ſatis eſt familiaris) ſed quod ſimul ſignum, ac ſuo modo cauſa eſt noſtræ ſanctificationis, qua Deo ſacramur, quemadmodum ornamento ornamur, ac veſtimento veſtimur. ſicut enim neceſſitate coacti Chriſtus ipſe, atque ſancti apoſtoli, & ipſa eccleſia multis nominibus vſa eſt per ſolam accõmodationem, non iuxta ipſarum vocum germanam

De nomine Sacramenti.

proprietatem, vt in nominibus fidei, fidelis, ſpiritus ſancti, hypoſtaſis, perſonæ, & aliis ſimilibus, & ſicut quædam nomina ſacratiora habita ſunt à noſtris maioribus, quàm quæ in alienam linguam transferrentur, vt de alleluia, & amen diuus Auguſtinus ſumma conſideratione obſeruat: ita profectò vtrunque huic voci vſu venit. nam hoc noſtræ religionis myſteriũ ſingularem habet vocem, quam omnis lingua ſine variatione proferat, atque obſeruet, quò aliquid magnum ſanctúmq; omnes intelligamus, quòd videlicet noſtram conſcientiam à peccato liberet, cùm vocem hanc, ſcilicet ſacramentum, audimus. In hac itaque ſignificatione breuiter ac rectè ſic diffinitur à ſanctis Sacramentum, Inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, hoc eſt, ſenſibile ſignum, cuius imaginem gerit, & cauſa exiſtit: cauſa autem ſaltem ex aſſiſtente Dei virtute. Non ergo quodlibet ſignum eſt ſacramentum, ſed illud, per quod ſua pietate miſericors Deus certò diuinos gratiæ effectus in eo, cui adhibetur, modò ſit ad tantum munus præparatus, tunc, cùm exercetur, producit, quos fieri ipſum ſignum indicat. Ex aqua ſiquidē & ſpiritu ſancto naſcimur denuò. &, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. &, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Quæ, inquit Auguſtinus, tanta eſt vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? cui & eleganter ſubſcribit Chryſoſtomus homilia 24 ſuper Ioannem. Imponebant manus ſuper illos, inquit Lucas de confirmatis ab apoſtolis, & accipiebant ſpiritum ſanctum. Qui manducat meam carnē, ait dominus, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam, cũ impoſitione manuum presbyteri, dixit Paulus Timotheo, de ſacramento ordinis locutus, ſicut & diuus Auguſtinus obſeruauit in lib. 4. noui & veteris teſtamenti cap. 93. Infirmatur quis in vobis? dicebat Iacobus capite vltimo, inducat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Viri, inquit Paulus, de ſacramento matrimonij ad Epheſios ſcribens, diligite vxores veſtras, non vt vxores, aut car-

Hieron. ad Damaſum, tom. 3.

Aug. lib. 2. de doctri. Chriſt. c. 11.

Quid ſit ſacramentum.

Sacramentorũ efficacia.

Baptiſmus.

Ioan. 3.

Marc. vlt.

Pœnitentia.

Ioan. 20.

Confirmatio.

Act. 8. & 19.

Ioan. 6.

Euchariſtia.

1. Tim. 4.

Extr. vnctio.

Matrimonium cap. 5.

nem veſtram tãtùm, ſed ſicut Chriſtus eccleſiam ſuam: vt in vxore maritus eccleſiam ſpectet Chriſti ſponſam. Atque ex hac ſacramentorum efficacia optimè intelligimus ipſorum auctorem Deum eſſe,qui eam ſupernaturalem virtutem creatis rebus impertiri ſolus poteſt. ſuper qua re nemo grauabitur legere diuum Auguſtinum tractatu quinto in euangelium Ioannis: ibi enim tum de ſacramentorum efficacia, tum etiam de auctore primo ipſorum egregiè ſatis ac catholicè agit. Sed ò me immemorem,qui illum actorum cap.2. pro efficacia ſacramẽtorum omiſerim. Pœnitentiam, inquit b. Petrus, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum,& accipietis donum ſpiritus ſancti. & locum Pauli ad Epheſios 5. Mundãs eccleſiam ſuam lauacro aquæ in verbo vitæ. Si quis verò ea, quæ hîc adduximus,nõ ſatis ſufficere exiſtimauerit, legat his multò plura apud venerabilem doctorem Hugonem de ſancto victore, lib. 1. de ſacramentis, parte 9 c 3. legat & Auguſtinum lib.3.cap.8.contra Creſconium grammaticum & lib.4. contra Donatiſtas cap.4. vbi etiam miniſtri malitia hanc ſacramentorum efficaciam minimè impediri ſcripturę verbis probat. Quò itaque finiamus, hæc eſt vera de ſacramentis eccleſiæ & ſincera prædicatio, hæc legitima adminiſtratio, vt primùm credamus ſeptem ea eſſe à Chriſto domino inſtituta:deinde vt dicamus ipſa ab antiquæ legis ſacramentis differre, non quòd cæremoniæ aliç ſint, & alij ritus externi,ſed quòd gratiam contineant, quam ſignificant: deinde vt affirmemus non propter ſolam fidem nutriendam inſtituta ea fuiſſe,ſed vt iuſtitia nobis habeatur,aut certè augeatur: deinde vt prædicemus non ſigna tantùm externa eſſe acceptæ pęr fidẽ gratiæ,aut iuſtitiæ, & notas quaſdam Chriſtianæ profeſſionis,quibus apud homines diſcernunt fideles ab infidelibus, ſed quòd obicem non ponẽtibus gratiam conferant,quæ datur ſemper & omnibus,quantùm eſt ex patre Dei:poſtremò vt teneamus non ſolùm fidem diuinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, ſed perneceſſaria eſſe nouæ legis ſacramenta,quæ ex opere operato,vt noſtri loquuntur, gratiam conferunt.

Deus inſtitutor ſacramentorum.

Vide concil. Trid ſub Paulo ac Iulio. III.

Peruerſa & praua Caluini diffinitio confutatur, differentia inter euangelium & ſacramentum ſignificatur, veram demum eſſe doctrinam de efficacia ſacramentorum ex opere operato demonſtratur, atque noui & veteris teſtamẽti ſacramenta eſſe inæqualia virtute & efficacia, ne dum ſignificatione planiſſimè conuincitur.

CAP. II.

LOngum foret tam varias iſtorum hominũ ſententias de vſu & efficacia ſacramentorum in medium proferre: tot enim ſunt, quot capita. immo ab eodẽ capite tot nouæ quotidie prodeunt, vt pro vnius ſententiis colligendis acerrima memoria homo non ſufficiat. quidam volunt ipſa tantùm eſſe quaſdam notas noſtræ profeſſionis, quibus diſcernamur à reliquis gentibus, ſicut Romanos toga diſcernebat à Græcis, aut ſicut forma veſtitus diſcernit monachos. alij, cuiuſmodi ſunt Anabaptiſtę, quaſdam ſolùm allegorias bonorum operum eſſe ſacramenta interpretantur: vt circumciſio ſignum fuerit coercendarum cupiditatum, baptiſmus afflictionum, cœna mutuæ beneuolentiæ. alij rurſum dicunt, vt Philippus, quòd ſacramentum eſt cęremonia in euangelio inſtituta, cui addita eſt promiſſio gratiæ, & fauoris Dei, ac remiſſionis peccatorum, quæ ſcilicet fide in ſacramento apprehendatur. Zuuinglius tandem & Caluinus ſic diffiniunt ſacramentum, an verò omnium peſſimè, ſtatim conſiderationi noſtræ ſubiicietur. *Sacramentum eſt externum ſymbolum, quo beneuolentia erga nos ſuæ promiſſiones conſcientiis noſtris dominus obſignat, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem: & nos viciſſim pietatem erga eum noſtram tam coram Deo & angelis, quàm coram hominibus teſtamur. vel,* inquit, *eſt teſtimonium gratiæ, Dei, qua grati ſumus ei, hoc eſt, fauoris, quo nobis fauet ob Chriſtum, externo ſymbolo declaratum, quod adhibetur verbo promiſſionis, veluti ſigillo appenſum diplomati, aliiſque publicis actibus, per quod renouatur memoria, & firmatur fides, quam priùs ex verbo habemus:* hæc ſanè quidem in re maximè ad fidem noſtram pertinente ſententiarum diuerſitas, quæ non minor eſt illa priori de numero ſacramentorum, clare arguit

Diffinitio ſacramẽti ſecũdum Cal. lib. 4. c. 14. ſect. 1.

vertiginis ac diſſenſionis auctores ſuos primos ſiquidē validiſſimis fulminibus noui Anabaptiſtæ poſternunt, hos Philippus in locis cōmunibus erroris ac mēdacij cō uincit, Philippum Bucerus optimis rationibus de omni præſidio deiicit, Bucerū & alios Caluinus fortiter impugnat: vt opus non ſit diu agere contra regnum iſtud, inteſtinis odiis & ciuilibus bellis exagitatum. demus ergo rectè fuiſſe argumentatos Anabaptiſtas cōtra primos illos hæreticos, concedamus hos à Philippo in arena fuiſſe ſuperatos, tribuamus in certamine ſuperiorem Bucerum euaſiſſe ipſo Philippo, non magni æſtimemus, an iure de iſtis omnibus ſuos agat Caluinus triumphos, ſolùm nos noſtros de eo pro catholica veritate agere curemus.

Quā ſit abſurda Caluini diffinitio ac ſententia.

Habet hoc peculiare ac proprium, & cum nullo commune Caluinus, quòd bonam voluntatem Dei intelligit, qua nos, tāquam filios, hæredes, ac gratos ſibi propter filium complectitur, non in baptiſmate, vel ſacramētis tantùm, ſed ſemper à tempore, quo concepti ſumus & nati. ſic quòd ipſa ſacramentorum ſignificatio non propriè eos reſpiciat, ad quos applicantur, quaſi promiſſionem peculiariter pertinētem ad eum, ad quē applicatur, habeat externum ſymbolum, ſed abſolutam eſſe dicit eorum ſignificationem. non enim, vt clariùs procedamus, in baptiſmo infantis, ſecundum Caluinū, ſignificatur, quòd tunc ei peccatum remittitur, & in Dei filium ſuſcipitur, ſed iam antè fuiſſe ſuſceptum velut certa appendice obſignatur. iccirco nouum & abſurdiſſimū tradit paradoxum, quòd paruulus non ſaluabitur, quia baptizatus moritur: multi enim, vt ipſe ſomniat, baptizati infantes damnantur, & multi non baptizati ſaluantur. Hæc verò omnia ſine ſcripturis docet, ſine patribus affirmat, ſine legitima ratione vult nobis perſuadere, immo contra ſcripturam ac concordem patrum ſentētiam. indigniſſima certè res eſt, atque hominis inſani argumentum, huiuſmodi paradoxis moueri, in eáq; refutanda validiùs incūbere, cùm ſemel prolata, ipſa ſua abſurditate ſeſe falſitatis ſatis conuincāt. Quiſquis, beatus Auguſtinus dicebat, dixerit, quòd in Chriſto viuificabuntur etiam paruuli, qui ſine ſacramenti

Aug. epi. 28.

eius

eius participatione de hac vita exeunt, hic contra apoſtolicam prædicationem venit. In hoc igitur particularis eſt Caluinus: quoniam alij bonam Dei volũtatem intelligunt in ſua diffinitione, qua præſtat promiſſionẽ factam cæremoniæ, modò fide, iuxta iſtorum ſententiam, apprehendatur: catholica verò cõfeſſio bene ſentit ſacramenta nouæ legis eſſe teſtimonia bonæ voluntatis Dei & Chriſti, quem, vt Auguſtinus lib. 19. cap. 16. & 17. contra Fauſtum conſiderat, noſtra ſacramenta paſſum & mortuum ſignificant, ceu cauſam & fontem efficaciæ ac virtutis ſacramẽtorum, propriè autem primò & per ſe non niſi effectus, quos per ſacramenta voluntate ſua bona in nos confert, atque operatur, ibidem ſignificantur. Sufficiat ergo hîc dixiſſe, quòd ſi vera eſſet tam praua & peruerſa Caluini fictio, in reprobis ſanè falſa teſtimonia eſſent hæc noſtra ſacramenta Dei teſtificantis eos ſibi eſſe filios & hæredes, cùm tamen non ſint ex Deo, ſed ex patre diabolo, quando etiam recèns ſunt baptizati, quibus nunquam remitti peccatum docet. quod ex Adamo cõtraxerunt, ac nunquam fieri Dei filios. neque eum excuſat, quod de euãgelio, ac Chriſto ipſo in ſua inſtitutione adducit, quòd ſcilicet, cùm à multis audiantur, ſpernuntur tamen, vbi non propterea euangelium, aut Chriſtus teſtimonium eſſe deſinit gratiæ Dei: hoc, inquam, parum eum iuuat, quoniam per euangelium nihil ampliùs teſtatur, quàm ſe paratiſſimum eſſe omnibus, offerendo omnia neceſſaria ſuæ ſaluti, in ſacramentis verò teſtatur ipſam ſalutem à ſuſcipiente habitam.

Habent nihilominus iſti omnes nonnulla communia, vt quòd ſola fide bona illa Dei voluntas ſiue abſolutè ſignificata, ſiue ſpecialiter facta illi cæremoniæ nõ virtute ſacramentis apprehenditur. negant ſiquidem omnes ſacramentorum efficaciam nouæ legis, & illam doctrinam, ex opere operato, irrident ac ſubſannant. item docent omnes, non eſſe ſalubriorem & magis efficacem vſum ſacramentorũ nouæ legis, quàm veteris, contra concilium Florentinum, contra doctrinam apoſtoli Pauli, Rom. 6. Hebr. 7. & ſequentibus, Galat 4. Ephe. 5. Tit. 3. cõtra Auguſt. in expoſitione Pſal. 73. Sa-

cramenta noui teſtamenti, inquit ipſe, dant ſalutem, veteris verò legis tantùm promittebant ſaluatorem. cōtra omnes locos denique ſcripturæ, quos ſupra ex nouo teſtamento pro virtute & efficacia noſtrorum ſacramētorum ſumpſimus. docent præterea ex eodem fonte eundem eſſe vſum ac fructum baptiſmi Ioannis, immo & purificationis Iudæorum, ac cineris vitulæ aſperſi, & baptiſmi, quod ex Chriſti inſtitutione in nomine Trinitatis confertur. docent ex eadem radice tantundem valere abſolutionem à muliere impenſam, quantùm ſi à ſacerdote ea conferatur. hinc illud iſtorum paradoxum, Tantùm te crede abſolutum, ſiue ſacerdos ludat, ſiue ſeriò abſoluat, æquè es abſolutus. ex hac ſimiliter peſtilenti ratione ſacramenti prodiit Anabaptiſtarum hæreſis, docentium paruulos non eſſe baptizandos, eò quòd credere non poſſint, nec eorum fides baptiſmi ſignificatione excitari ac cōfirmari poſſe quoquo pacto videtur. vt meritò iſti ad Lutherum ſuum ſanguinem ac progeniem referrent. à quo ſcelere cùm ſe purgare vellet Caluinus iſte, lector, non erubuit in prima inſtitutione ſua dicere, quòd paruuli intelligunt ſignificationem myſteriorum baptiſmi, & quòd ſpiritu Chriſti intus mouente verè credunt, propter Chriſtū remitti ſibi peccata, quando baptizantur. ſed hæc tam magna delirationin poſterioribus ab ipſo emendata & correcta eſt, ſicut ſuo loco dicemus. docent vltimò iſti omnes non alium, ſed eundem eſſe penitus ſacramentorum vſum & euangelij, cùm Paulus de euangelio dicat, virtutem eſſe Dei in ſalutem omni credenti, quia ſcilicet in eo reuelatur iuſtitia Dei ex fide in fidem, quæ eodem Paulo auctore, ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei: baptiſmus verò ſine vllo bono motu cordis, ſine fide paruulis hoc tribuat, vt Auguſtinus optimè conſiderat in lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 35. & lib. 21. de ciuit. Dei cap. 16. & lib. 22. c. 24. quòd ſcilicet ex impiis filij Dei ſint, & habeantur. atqui in adultis, qui ratione viuunt, quamuis fides dignæ ſuſceptioni ſacramentorum debeat præcedere, ſaltem confuſa, eius effectus, ad quē ſunt inſtituta, eámq; excitent ac confirmēt: propriè tamē ipſa ſacramenta inſtituta ſunt, vt ſa-

Varius vſus ſacramentorum & euāgelij.

Roman. 1.

lutem operentur, & eam fieri ſignificent. neque ſacramenta ideo ſunt in ſalutem credenti, quòd in eis reueletur Dei iuſtitia, ſicut in euãgelio, ſed quòd in eis Deus ſalutem operetur etiam in non credente, quando per ætatem, aut impedimentum credere homo non poteſt.

Ex his colligemus hæc omnia, quæ ſequuntur, contra Caluinianam inſtitutionem. primùm, quòd euangelium operatur ſolùm ſignificando per apprehenſionem eius, quod ſignificatur, ſacramentum verò operatur media ſignificatione ſua actiua, quæ præcedit effectum ex diuina voluntate, non ex intelligentia, quæ ſequitur effectum. ſignificando enim illæ formæ operãtur, non vt intelliguntur. id habent omnes orationes practicæ, quæ efficiunt, quod ſignificant. ſic adoleſcenti mortuo, & qui audire, ne dum intelligere nequibat, dictũ eſt, Adoleſcẽs tibi dico, Surge. ſic quatriduano Lazaro, Lazare veni foras. ſic Soli ac Lunę, Sol cõtra Gabaon non mouearis, & Luna contra vallem Haillõ. ſic dominus monti, Iacta te in mare. immo hæc ſignificatio ſacramẽtorum non tam manifeſtè ex ſcripturis habetur, quàm efficientia. Deinde colligitur aliud inter hæc diſcrimen, quòd euangelium prædicatum, apprehenſum, & intellectum adhuc dependet in operatione ſua ex æterna Dei electione, & interna vocatione: ſacramenta autem, poſtquam ſemel fuerũt applicata, ſine noua apprehẽſione, ſine noua cõſideratione æternæ electionis, ſed ex antiqua Chriſti diſpoſitione pendet, quanquã ex æterna Dei electione quibuſdam aliquando applicatur. vnde diuus Auguſtinus inter ſpecialia Dei dona recenſebat, non ſolùm audire Chriſti euãgelium, apprehẽdere, & intelligere, vt re vera eſt, ſed etiã, audito euangelio, apprehẽſo, & intellecto, credere. *At idẽ Auguſt in hoc ſenſu tractatu 80. ſuper Ioannẽ nominauit ſacramẽtũ verbũ viſibile, ſicut & euangeliũ verbũ audibile*, non quòd illud ab intellectione noſtra quoquo pacto pẽdeat, Caluine, ſed quòd à Chriſti inſtitutione ſuam habens efficaciam, quaſi ſpectaculum, ſeu pictura noſtris oculis ſæpe occurrat. Tertiò item infertur non oportere ſacramẽta in vulgari idiomate miniſtrari, cũ ſignificationis

Differentia prima inter ſacramentorum & euãge.

Differentia. 2.

Augu. lib. de ſpir. & lit. c. 33. 34. lib. de prædeſt. ſanct. c. 8 li. de bono perſeur. cap. 8.

Differẽtia 3.

ſacramentorum intelligentia non ſit neceſſaria ei, qui illa ſuſcipit. non enim minorem effectũ habent in homine ſurdo, paruulo, amente, & non intelligente, quod dicitur, quàm in aliis. Hinc quartò orta eſt celebris illa diſtinctio ex opere operato, & operis operãtis. At, *Longè aliter de verbo ſacramentali docet Auguſtinus. Accedat, inquit, verbum ad elementum, & fiet ſacramentum Vnde enim iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? nõ quia dicitur, ſed quia creditur. nã & in ipſo verbo aliud eſt ſonnus trãſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbũ fidei, quod prædicamus, inquit apoſtolus. vnde in actis apoſtolorũ, Fide mũdãs corda eorũ. & Petrus apoſtolus, Sic & vos, inquit, baptiſma ſaluos facit nõ depoſitio ſordiũ carnis, ſed cõſciẽtiæ bonæ interrogatio. hoc eſt verbũ fidei, quod prædicamus: quo ſine dubio, vt mundare poſſit, conſecratur & baptiſmus. Vides, vt prædicationẽ requirat, vnde naſcatur fides*: cur omiſiſti, quæ ibidem apud Auguſtinum de illo verbo, quod debet accedere ad elementum, vt ſacramẽtum fiat, niſi quòd intelligeres facile eſſe cuiuis hominũ deprehendere, de verbo, hoc eſt, de ipſa Chriſti inſtitutione, & de fide nõ tam illius, qui baptizatur, quàm eccleſiæ, quæ, Chriſti ſponſi ſui verbis & inſtitutioni hærens, ei elemento verbum applicat? quamuis etiam adultus nunquam mundabitur, niſi credat, confuſè ſaltẽ, quòd baptiſmus ſit à Chriſto inſtitutus, & ab eccleſia frequentetur, in remiſſionem peccatorum: & ita verbum hoc etiam credi debet ab eo, qui baptizatur. Sed ne dicat Caluinus, peregrinis ſolutionibus Auguſtini mentem nos corrumpere, audiatur idem ipſe auctor. poſt hæc enim, quæ retulit iſte, ſic loquitur, Chriſtus quippe nobiſcum vitis, cum patre agricola, dilexit eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea. lege apoſtolum, & vide, quid adiungat. Vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo. mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, niſi adderetur, In verbo. hoc verbum fidei tantùm valet in eccleſia Dei, vt per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingẽtem etiam, tantillùm mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. totum hoc fit per verbum

Cal. ſect. 4. Aug. in Ioã. tract. 80. Roman. 10. Act. 15. 1. Pet. 3.

de quo dominus ait, Iam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis. Vides lauacro ſanctificari, & mundari eccleſiam in verbo, hoc eſt, ob verbum inſtitutionis ſacramenti. Nam & hoc vtique dixerat, *Ioan. 13.*
ait Auguſtinus, quando pedes diſcipuli lauit, Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. ac ſtatim addidit Auguſtinus, Vnde iſta tanta virtus aquæ, &c. ac tandem, Propter ſermonem, inquit, quem locutus ſum vobis. nempe, Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet. quo accedente ad elementum fit ſacramentum: non autem propter verbum, in quo conſiſtit forma baptiſmi. mundat igitur aqua propter verbum, non quia dicitur, ſed quia ſemel dictum eſt à domino, & nunc creditur, non particulariter ab iſto, aut illo, ſed ab omnibus, qui ſunt in eccleſia. Huic explicationi vnicè conſentiunt vniuerſa illa, quæ ſequuntur de virtute manente, de fidei verbo, quod prædicatur, quod fide munda corda, quo ſine dubio conſecratus fuit baptiſmus, vt mundare poſſet. verum tamen eſt, quòd adultus non mundatur, niſi credat ſaltem confuſè, quòd baptiſmus eſt in remiſſionem peccatorum. ſi tamen diuus Auguſtinus intelligendus eſt de verbo, in quo forma ſacramenti conſiſtit: rectè quidem. nam & hoc verbo accedēte ad elementum virtutem habet animam mundandi, non ratione ſoni, qui voce, dum dicitur, tranſit, ſed myſterij crediti & ſignificati ex Chriſti inſtitutione. nec eſt, quòd in hac probatione laboremus, quando minimè obſcurum eſt, quid Chriſtus fecerit, quid nos facere iuſſerit, quid ſecuti ſint apoſtoli, quid ipſa eccleſia obſeruauerit. At, *Qui eiuſmodi ſacramentorum efficaciam ponunt, iuſtitiam citra fidem pollicentur*: nihil minus. immo ipſa facit, quòd ſacramenta miniſtramus, & ſuſcipimus, atque adeò adulti per fidem eorum dignæ ſuſceptioni diſponūtur. in ipſis verò ſacramentis, vt in baptiſmo, non alicuius hominis fides, ſed ſola victima crucis ſaluos facit, & peccata remittit. *Deinde iuſtitiæ cauſam à ſacramentis ducere, quid eſt aliud, quàm miſeras hominum mentes, in terram ſuapte ſponte plus ſatis inclinatas, hac ſuperſtitione alligare, vt*

in ſpectaculo rei corporeæ potiùs, quàm in Deo ipſo acquieſcant? quis vnquam à ſacramentis primam iuſtitiæ cauſam duxit Caluine? quis docuit in ſpectaculo rei corporalis potiùs, quàm in Deo ipſo acquieſcere, qui ſolus principaliter mundat, purificat, & iuſtificat? nos à ſolo Deo noſtram iuſtitiam quærimus, nõ à creatura, ſed bene per ſacramenta, quæ in hoc à domino ſunt inſtituta, vt nobiſcum ſuæ paſſioni communicandæ ſeruiant. itaque ſic inter Deum ſacramentáque partimur, vt penes illum prima ac ſumma virtus reſideat, his verò inſtrumẽti ratio, ac miniſterium relinquatur: idque ſine Dei actione, & ſine Chriſti ſanguine inane ac friuolum: eo verò per ſacramenta ſui ſanguinis fructum nobis applicante, vímque ſuæ miſericordiæ per creaturas exerente, inſtrumenta quidem ipſa multa energia ſunt referta. nunc clarum eſt, qualiter ſecundum omnium catholicorum ſententiam de modo, quo ſacramenta noſtrã ſalutem operantur, fideles per ſacramenta in Dei gratiam perueniant, aut certè in ea confirmentur & creſcant, atque non niſi in Deo ipſo acquieſcere cum hoc dicantur. vtrunque ſanè perinde conſequitur, neque ſacramenta hilum proficere ſine Dei virtute, ſine Chriſti merito ac ſanguine, & nihil obſtare, quò minùs ſuſcipientibus inſtrumenta ſint aſſequendæ iuſtitiæ ac retinendæ & augendæ. Habetur aliquando iuſtitia ante ſacramentum, immo ſuſcipitur nonnunquam ſacramentum ſine iuſtitia, hoc eſt, ſine re atque effectu ſacramenti, ob indignitatem eius, qui tam diuinum inſtrumentum perperam ad ſe applicat. ſed quemadmodum illud prius non offert à ſacramentis, quòd via ſint ordinaria ad iuſtitiam. & quod ſaltem in voto ſacramenta præcedant: ita profectò poſterius hoc cæleſti ipſorum operationi nihil cogit decedere, adeò verum eſt, quod ab Auguſtino quoque ſcribitur, inuiſibilem ſanctificationem ſine viſibili ſigno eſſe poſſe, & viſibile rurſum ſignum ſine vera ſanctificatione. Induunt enim, vt ipſe quoque alibi ſcribit, homines Chriſtum aliquando vſque ad ſacramenti perceptionem, aliquando vſque ad vitæ ſanctificationem. atque

An in ſacramentis dicamur acquieſcere.

Lib. 3. de q. vet. teſt.

Lib. 3. de baptiſ. contra Donat. cap. 14.

illud primum & bonis, & malis poteſt eſſe commune, hoc autem alterum, proprium eſt bonorum, ac piorum. hinc etiam dimanat illa eiuſdem Auguſtini diſtinctio de ſacramento, & de re ſacramēti, quæ gratia eſt, ac ipſius virtus, de qua toties agit in libro de baptiſmo paruulorum, & in pſal. 78. in Ioannem homil. 26. De hac verò ſacramentorum virtute, quæ nulla foret omnino ſine diuina ſanctificatione inuiſibilis gratiæ, agit idem auctor lib. 3. quæſt. veteris teſtamenti cap 84. quatenus etiam viſibilibus ſignis ſit adhærendū citra diuini muneris offenſionem docet idem libro 3. de doctr. Chriſt. cap. 9 vt tamen modis omnibus caueamus Caluino cōſentire, aſſerenti, quoties ſeparatur ſacramentum à ſua veritate, hoc eſt, ab effectu, indignitate ſumentis, nihil manere pręter inanem & inutilem figuram. id certè diuo Paulo repugnat, qui verum Chriſti corpus non inanem & inutilem figuram ab eo, qui indignè manducaret, dixit ſumi. & ipſe diuus Auguſtinus in locis, quos ſuperiùs produximus, vera ſacramēta vocat tum ea, quę per malos miniſtros adminiſtrantur, tum etiam, quę ab iniquis hominibus ſuſcipiūtur. ſatíſque eſſe dicit, quòd nunquam ſint caritura ſua veritate ac virtute, quantum eſt ex ipſorum natura, etiā ſi aliquando ſit verum ſacramētum ſine re ſignificata, hoc eſt, ſine fructu, immo cū damnatione, dicente diuo Paulo, Qui enim mādūcat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicās corpus domini. id cùm docemus de ſacramētis, eorum dignitas pręclarè in primis commendatur, veritas, vſus, atque vtilitas apertè indicatur, vtilitas conuenienter prędicatur, modus in his omnibus à Deo pręfixus retinetur, vt neque deferamus eis quidquam, quod Deus in ea non contulerit, neque rurſum, quod habent à Deo, detrahatur. interim illud, quod ſemper in ore fuit omnium, dictum obſeruetur, in ſacramentis, ceu in diuinis vaſculis, Chriſti ſanguinem eſſe incluſum, quem nobis liceat inde haurire. Neque minùs cauendum nobis eſt ab eo, quod idem Caluinus ſectione 19. eiuſdem libri & capitis habet: dicit enim ſacramenta, etiam nouæ legis, nihil, niſi quaſdam cæremonias eſſe, quibus exercere vult populum ſuum Deus ad fidem intus

Error Caluini ſect. 25.

primùm fouendam,excitandam,confirmandam,poſteà teſtãdam apud homines religionem. nam,vt ex ſcripturis colligebamus, & ex Auguſtino probabamus, atque ex definitionibus conciliorũ,Florentini ſcilicet,ac Tridentini oſtẽdebamus, per ſacramenta omnis vera iuſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur.

Diſcrimen ſacramentorum noui & veteris teſt. Catholicum autem illud dogma, (vt id quoq; obiter perſtringam) quo verũ diſcrimen inter veteris ac nouæ legis ſacramenta ſemper fuit à patribus notatum, quòd illa non aliud, quàm Dei gratiam adumbrarint, ac proinde ſola fides in ipſis ſuos cultores viuificarit, hæc verò præſentem verè cõferant; omni certitudine apud nos retinere oportet. *1.Cor.10.* ſiquidem multò ſplendidiùs de his, quàm de illis apoſtolus loquitur. illa etenim vocat egena & infirma elementa, baptiſmum verò lauacrum regenerationis ac renouationis: illa in figuris patribus contigiſſe, iuxta quas ſolùm eandem nobiſcum eſcam ſpiritalem manducauerunt, & eundem potum biberũt, hæc verò non in figura tantùm, ſed eundem ipſum *Act.13.* ſaluatorem, ſalutem in nobis operantem, cõtinere: illa neminem ad perfectum adduxiſſe, hęc vitę verbum habere. Nos, inquit, vobis annuntiamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus adimpleuit filiis veſtris. Sicut itaque duo illa teſtamenta, *Galat.4.* de quibus Paulus in epiſtola ad Galatas fuſiùs agit, non ſignificatione tantùm, ſed efficacia ac virtute differũt, vt nos libro tertio latiùs tetigimus, ita profectò ſacramenta noſtra, quamuis fremat Caluinus, differunt ab antiquis: quòd hæc quaſi digito monſtrent Chriſtum pręſentem, & operantem in eis noſtram ſalutem, at vetera ſignificabant ſalutem operaturum, in cuius fide ſal*Hebr.10.* uabãtur patres. hæc, neque alia fuit Pauli mens, cùm le*Coloſſ.2.* galibus cęremoniis expiata nõ fuiſſe peccata dixit, cùm circumciſionem manufactam multò inferiorem eſſe baptiſmo docet: cùm iudaicas omnes illas cæremonias vmbras rerum futurarum, quarum corpus ſit Chriſtus, quòd noſtra ſacramẽta continent, longa oratione perſequitur, cùm nouum teſtamentum multò illo ſplendidius eſſe, & meliores habere promiſſiones prædicat, cùm demum cultores virtute illarum cæremoniarum

nihil perfectionis fuiſſe conſecutos, planiſſimè pronuntiat. & ne calumnietur Caluinus, Paulum non ideo vmbratiles facere cæremonias, quòd minus haberent ſolidi, quàm noſtra ſacramenta, ſed quia eorũ complementum vſque ad Chriſti exhibitionem, quodammodo ſuſpẽſum erat, & quòd non de efficacia, ſed potiùs de modo ſignificandi hoc ſit intelligendum, ne igitur ſic diuina teſtimonia, & patres veteres deludat, proferamus verba diui Auguſtini in prooemio narrationis pſalmi 73. quæ ſcimus iniquè fuiſſe tractata à Caluino ſectione 26. Diuus Auguſtinus ſic habet, Si diſcernimus duo teſtamenta, vetus & nouum, non ſunt eadem ſacramẽta, nec eadem promiſſa, eadem tamen pleraque præcepta. ſacramenta non eadem, quia alia ſunt dantia ſalutem, alia promittentia ſaluatorem: noui teſtamenti dãt ſalutem, veteris teſtamenti promiſerunt ſaluatorem. adeò torquet locus hic diui Auguſtini Caluinum lector, vt non vereatur dicere vnum hoc eſſe inter immodica encomia, quæ de ſignis noſtris apud veteres leguntur. addit etiam has & ſimiles dicendi figuras hyperbolicas eſſe. ô bellam hyperbolen Caluine! ſi nihil eſt inæqualitatis inter nos & ipſos, vt ais, etiam hîc, ſi pares in ſacramentis illos nobis Paulũ feciſſe iudicas, ſi quidquid tandem nobis hodie in ſacramẽtis exhibetur, id in ſuis olim recipiebant Iudęi, Chriſtum ſcilicet cum ſpiritualibus ſuis diuitiis, quæ, malùm, iſta Auguſtini hyperbole eſt, Illa promittebant, iſta verò dant? Non ſunt eadem ſacramenta, non ſunt eadem promiſſa? *At*, dicis, *Auguſtinus de modo ſignificandi, non de ipſa efficacia loquitur:* bene ſit tibi, qui tam candidè ſanctos interpretaris. ergo apud te idem valet, promittere, quòd ſignificare daturum Deũ, dare verò non eſt aliud, quàm ſignificare præſentem datorem. tu, vt lubet, ludito Caluine, vt lubet, loquere, vtere pro libito vocibus, apud Auguſtinum verò nihil ſimile legimus, ſed cõtrà, quòd hęc ſit vtriuſque teſtamenti diſcrimen, hæc legis gratiæ præſtantia, hoc ſit ſacramentorum nouæ legis encomium non immodicum, ſed veriſſimum, ſed certiſſimum quod vtique illud teſtamentum promiſit, hoc dat, ſi illa lex figurabat noſtram ſalutem, hæc ipſam in nobis per Chriſtũ ope-

Aug. pſal. 73

Cal. ſect. 26

Loci Aug. pro efficacia ſacramentorum.

ratur, quidquid illa ſacramenta promittebant, hæc copiosè dant. illa figurabant redemptorem, hæc continēt, demonſtrant præſentem ſaluatorem: illa figurabant ſalutem in Chriſto promiſſam, hęc ipſam exhibent, & per Chriſtũ in eis prę̨ſentem conferunt. Lege Auguſtinum de hoc queſt. ſupra Num. cap. 33. eundem contra Fauſtũ lib. 19. cap. 14. & lib. 2. contra literas Petiliani cap. 37. & homilia in Ioan. 26. & 45. & in pſal. 77. & lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. & de doctr. Chriſt. lib. 3. c. 9. & in epiſt. ad Ianuarium. de differentia verò noui ac veteris teſtamenti tractat lib. 18. de ciuit. Dei c. 11. & lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum. Quidquid igitur de opere operato theologi loquuntur, non modò verum eſſe probauimus, ſed vnicè conuenire cum legis gratiæ, & cum noſtrorum ſacramentorum natura, virtute, atque præſtantia, immo cum ſcripturis ſanctis, & cum diuo Auguſtino, quem, vt optimum ex tota antiquitate & fideliſſimum teſtem, perſæpe citamus.

Baptiſmi efficacia ex ſacris literis demonſtratur, tres ipſius fructus referuntur, atque quatuor Caluini errores circa hanc diuinam baptiſmi virtutem proponuntur, & confutantur. *Cap. III.*

Primus error Caluini notatur circa efficaciã baptiſmi.

Cal. lib. 4. c. 15. ſect. 1 2

Baptiſmi primus fructus, qui in ſanctificatione conſiſtit.

Epheſ. 3.
Tit. 3.
1. Pet. 2.

LEgis igitur gratiæ ſacramēta enarraturus Caluinus à duobus inchoat, quæ vera ſacramēta nec plura eſſe autumat, nempe baptiſmum, & cœnam dominicam. hũc etiam nos ordinem ſecuti, de his duobus priore loco, breuiter rerum capita tantùm attingentes, tractabimus, atq; pòſt de aliis quinque ſimiliter agemus. vt itaque totius tractationis de baptiſmo ſummã tradamus, eſto hoc certiſſimum, nullibi Caluinum ſine ratione & cauſa magis à patribus deceſſiſſe, quàm hîc. in primis virtuti detrahit, dum ſalutem noſtram aqua perfici negat, dum purgandi, regenerandi, viuificandíque virtutē ab aqua contra ſcripturas & ſanctos remouet. ſed duntaxat per euangelium noſtrę ſanctificationis, & abſolutionis, ac ſalutis nuntium afferri, per baptiſmum verò eiuſmodi nuntiũ obſignari docet. quaſi verò de cognitione & certitudine, & non de virtute ipſa ageret Paulus, cùm diceret eccleſiã à Chriſto ſponſo ſanctificatam eſſe & mundatam lauacro aquæ in verbo vitæ. & alibi,

nos ſecundum eius miſericordiam ſaluos factos eſſe per lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti. & à diuo Petro dicitur, quòd baptiſma nos ſaluos facit. Verum eſt, Caluine, nō aliam nobis purificationem polliceri baptiſmum, quàm per aſperſionem ſanguinis Chriſti: ſed hic ſanguis per aquam non modò propter mundandi, abſoluendíque ſimilitudinem figuratur, ſed ex diuina Chriſti inſtitutione, qui baptizat nō in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſpiritu ſancto, nobis in baptiſmo mirabiliter applicatur, vt nati denuò ex ſpiritu dicamur, Chriſtum induiſſe, & in marte ipſius fuiſſe baptizatos, quotquot in Chriſto ſumus baptizati. Chriſti ſanguinē verum eſſe ac vnicum noſtrum lauacrum, quis negabit Caluine? non duos eſſe noſtræ ſalutis fontes ſanguinem ſcilicet Chriſti, & elementarem aquam, ſed vnum nempe ſanguinem, quis dubitat? ſed elementum illud viſibile, quod oculis noſtris obiicitur, inſtrumentum eſt, & quaſi tubus quidā ac euripus, per quem Chriſti ſanguis ad nos deriuatur, quò vel ſic vni Chriſto mētes noſtras perfectiſſimè deuinciat, non ſua ſignificatione duntaxat, ſed virtute & efficacia, vt non aliūde peti queat certior ratio ad refellendam iſtam tuam alucinationem, qui aquę virtutem pernegas, & ad ſolam abluendi figuram omnia refers. quādo enim Paulus dixit, In mortem eius baptizati ſumus, conſepulti ipſi in mortem, vt in nouitate vitę ambulemus. non ad imitationem eius nos tantùm hortatur, ac ſi diceret, admoneri nos per baptiſmum, vt quodam mortis Chriſti exemplo concupiſcētiis noſtris moriamur, atque exemplo reſurrectionis in iuſtitiam ſuſcitemur: ſed rem longè altiùs repetit, nempe quòd per baptiſmum, ceu per ſuæ diuinę miſericordiæ inſtrumentum, Chriſtus nos mortis ſuæ fecerit participes, vt in eam medio baptiſmo inſeramur. & quemadmodum ſurculus ſubſtantiam alimentúmque ducit à radice, cui inſitus eſt, ita qui baptiſmum ea, qua debent, mente accipiunt, verè efficaciam mortis Chriſti participant in mortificatione carnis ſuæ, ſimul etiam reſurrectionis, in viuificatione ſpiritus. inde Paulus exhortationis materiam deſumit, quòd ſi Chriſtiani ſumus, debemus mortui eſſe peccato, ac

Ioan. 3.
Galat. 3.
Rom. 6.
Coloſſ. 2.

Baptiſmi 2. fructus, qui in participatione mortis & reſurrectionis Chriſti conſiſtit.
Rom. 6.

iuſtitiæ viuere. quo etiam argumento vſus eſt idẽ Paulus ad Coloſſenſes 2. & ad Titum 3. Denique hanc è baptiſmo vtilitatem habemus, quòd non modò in mortem & vitam Chriſti, vt dicebamus, nos inſerit, ſed ſic ipſi Chriſto nos vnit, niſi obex ei contradicat, vt omniũ bonorum Chriſti participes cæleſte hoc lauacrum reddat. ideo enim baptiſmum in ſuo corpore dedicauit, & ſanctificauit, vt poſtquam communem cum nobiſcum habuiſſet, nobis tactu ſuæ carnis admirabili ornatum virtute relinqueret, eius vnionis ac ſocietatis, quam in eo nobiſcum Deus inire dignatur, certiſſimum ſignum, firmiſſimumque magna virtute vinculum. ſic Paulus ex eo probat nos eſſe Dei filios, quòd Chriſtum in baptiſmo induerimus, vtpote qui probè nouerat tanti ſacramenti virtutem & efficaciam.

Baptiſmi 3. fructus, qui in participatione bonorũ Chriſti conſiſtit.
Matth. 3.
Galat. 3.

Secũdus Caluini error notatur circa efficaciã baptiſmi.

Hinc etiam certiſſimum ſit, quanto errore laboret, atque ignorantia Caluinus, dũ idem fuiſſe prorſus Ioannis miniſterium, idemque baptiſma cum eo, quod poſt Chriſtus nobis reliquit, & quod apoſtolis poſtea delegatum eſt, immo nullum fuiſſe baptiſmum à Chriſto inſtitutum planè docet. omitto hîc referre dicta ſanctorum, qui ſumma diligentia vtriuſque baptiſmi pluſquam eſſentiales differentias ſcriptis tradiderunt, Cyrillus ſuper Ioannem cap. 2. Auguſtinus lib. 5. contra Donatiſt. de baptiſmo cap. 9. & tribus ſequentibus, & lib. 2 contra epiſt. Petiliani cap. 37. Hieronymus in com. Ioelis cap. 2. & aduerſus Luciferianos, Damaſcenus lib. 4. theologiæ cap. 10. Chryſoſtomus in Matth. hom. 14. Beda ſuper Matth. 3. nam his omnibus breuiter & piè Caluinus ſic ſatisfacit, *Neminẽ perturbet, quòd alterum ab altero diſcernere veteres contendunt:* cur ita optime Ioannes? *quorum non tanti eſſe nobis debet calculus, vt ſcripturæ certitudinem quatefaciat:* ita ſanè eſt: ſed, à te magnopere quæſo, quæ eſt iſta ſcriptura, cuius certitudo illo calculo quatefieret? *Quis enim Chryſoſtomo potiùs auſcultet neganti in Ioannis baptiſmo cõprehenſam fuiſſe remiſſionem peccatorũ, quàm Lucæ contrà aſſerenti, Ioannem prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum?* ſi Chryſoſtomus diuo Lucæ repugnaret, nemo profectò quidem ei potiùs iure auſcultaret, quàm Lucæ,

Sect. 7.
Luc. 3.

Chriſti euangeliſtæ: ſed ſi Chryſoſtomus mirè cum euangeliſta conſentit, ne dum ei contradicit, impudens eſt, quiſquis Chryſoſtomo non auſcultauerit. diuus certè Auguſtinus non ſemel dixit, Ioannem prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum, quæ expectabatur, & re ipſa fiebat in baptiſmo domini. ille baptiſmus erat in aqua tantùm, hic verò in aqua & ſpiritu per aquã operante, ſub qua etiam aqua Chriſti ſanguinem aſpergimus, quo conſcientia à peccatis mundatur, vt ex aqua & ſpiritu renaſcantur filij Dei. Chryſoſtomum ſequitur Theophilactus & Euthimius. &, vt vno verbo multa comprehendam, baptiſmus ille, vt dicit Lucas, erat baptiſmus pœnitentiæ, hic verò, vt inquit Paulus, eſt lauacrum regenerationis, non pœnitentiæ. *At recipienda non eſt illa Auguſtini argutia, in ſpe dimiſſa fuiſſe peccata baptiſmo Ioannis, Chriſti baptiſmo re ipſa dimitti. cùm enim euangeliſta clarè teſtetur, Ioannem in ſuo baptiſmo remiſſionem peccatorum pollicitum fuiſſe, quid extenuare hoc elogium opus eſt, cùm nulla neceſſitas ad id cogat?* bona verba quæſo. ſiccine optimum illum teſtem & ex tota antiquitate fidelium, vt tu vocas, Auguſtinum ſcilicet, contemnis? quid, quòd Auguſtini argutiam, quam ipſe ex ſcripturis ſe collegiſſe ibi dicit, receperunt vniuerſa ſecula, quę Lutherum, Zuuingliũ, Brentium, atque te præceſſerunt? euangeliſta, Caluine, clarè teſtatur, Ioannem, dum baptizat, pollicitum fuiſſe remiſſionem peccatorum: eam tamen ſe operari ſuo baptiſmo haudquaquam pollicebatur, immo nec potuit: nouerat enim ſe in aqua tantùm baptizare, cùm Chriſtus in aqua & ſpiritu ſancto eſſet baptizãs. quibus ſanè verbis non perſonam cum perſona contulit Ioannes ſolùm vt miniſtrum ſe faceret aquæ, gratiæ verò datorem Chriſtum, ſed baptiſmum à baptiſmo, de quo principaliter quærebatur, diſtinguere docuit. quare, cùm baptiſmo, quo apoſtoli baptizarunt poſt Chriſti paſſionem, & quo nunc vtitur eccleſia, Chriſtus ipſe præſideat, optimè dignoſcitur huius ab illo differẽtia, quem Ioannes in Iordane exercebat. Zacharias in cãtico ſuo diligenter & planè Ioannis præcurſoris domini officium ſic deſcribit, Et tu puer propheta altiſſimi

Ioan. 1.
Matt. 3.

Luc. 1. vocaberis : præibis enim ante faciem domini parare vias eius, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum. & ipſe, Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam. & Marcus, Fuit in deſerto Ioannes baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, prædicans, non conferens, vel qui ſignum erat pœnitẽtię, per quam fit remiſſio, ita quòd non per baptiſmum. vnde venerabilis Beda cõparat baptiſmũ Ioannis catechiſmo noſtro, quãuis itaq; non alium baptiſmum faciant diuerſæ manus, quibus adminiſtratur, quãuis in vnam doctrinam Ioannes & apoſtoli conſenſerint, vtrique in remiſſionẽ peccatorum, vtrique in Chriſti nomen: non tamen ideo idem eſt baptiſmus, quia non idem eſt immediatiſſimus & primus inſtitutor, non eadem vtriuſque virtus, nec efficacia. non quantùm ad luculentiores illas gratias ſolùm, quas viſibiliter, poſt effuſionem ſpiritus ſancti in diſcipulos cum baptizatis Deus communicabat, ſed quantùm ad gratiam illam, qua à peccatis purgamur, Dei amici reddimur, atque ad cæleſte regnum, quod filiorum eſt, ius nobis conceditur. quæ omnia affutura iam iamque tantùm præcurſor prænuntiabat, ac quaſi digito oſtendebat, non tamẽ ſuo miniſterio præſtabat.

Matth. 3. *Mar. 1.*

Baptizati baptiſmo Ioãnis baptizati ſunt baptiſmo Chriſti à Paulo. Act. 19. Caluin. c 15. ſect. 18.

Meritò proinde in actis apoſtolicis legitur rurſum à Paulo baptizatos fuiſſe, qui Ioannis baptiſmum ſemel ſuſceperãt. vt hunc ad noſtrã præparationem eſſe duntaxat, omnibus conſtet. ſed ad hoc reſpondet Caluinus, *Ego concedo fuiſſe illud verum Ioannis baptiſma quod illi receperant,* (& ego ſimiliter Caluine) *& vnum idémque cũ Chriſti baptiſmate:* hoc verò ego pernego. igitur fuerũt rebaptizati. vides Caluine, quãtam anſam Catabaptiſtis vos præbueritis ad ſuum errorem fouendum, vt nõ omnino de vobis gloriari poſſint, quòd vos progenitores ſuos habeãt. quod & faciunt, dum Lutheri ſe in hoc tenêre doctrinàm, ac ſequi veſtigia iactent. Sed tu reſponde, *Rebaptizatos eſſe nego:* probo Caluine: bis ſuſceperunt eundem baptiſmum, ergo rebaptizatos eſſe ne nega. quid ſibi volunt verba illa, Baptizati ſunt in nomine Ieſu? *Quidam interpretantur tantùm ſincera doctrina eruditos à Paulo fuiſſe:* ita interpretatur Hulricus

Zuuinglius, de baptiſmo ſcilicet doctrinæ, tibi verò quid videtur? ſatiſne conuenit ſcripturæ illi tam manifeſtæ, tam claræ cum iſta interpretatione Zuuinglij? *Sed ego ſimpliciùs intelligere malim:* vtinam veriùs. & quod iſtud, Simpliciùs? *Baptiſmum ſpiritus ſancti, hoc eſt, gratias ſpiritus viſibiles per manuum impoſitionem datas, quas baptiſmi nomine ſignificari non nouum eſt:* magnum quidem certè apud vos eſſe veteris doctrinæ faſtidium res hæc planiſſimè docet. ita ſanè torquetis & peruertitis ſcripturę ſanctę ſenſus, vt nihil ſic vos curare apud omnes teſtemini, quàm veſtras inuentiones contra eccleſiæ rationem, ac patrum doctrinam tueri. non vides, tria per ordinem, quo fuiſſent geſta, ibidem à diuo Luca narrari, atque vnum alteri copulatiua coniunctione vnitum & adiunctum fuiſſe? His auditis, inquit ſcriptura ſacra, baptizati ſunt in nomine Ieſu. ac mox adiunxit, Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit ſpiritus ſanctus ſuper eos. demum ait, Et loquebantur linguis, & prophetabant. quamuis enim familiaris ſit Hebræis aliquando ea forma narrationis, vt primùm rei ſumma proponatur, deinde fuſius explicetur: tamē ex ipſo verborum contextu animaduertere quiuis poteſt, longé eſſe diuerſum baptizari in Ieſu nomine, & gratias viſibiles, per baptiſmū dari ſolitas, extra ipſum recipere. Accedit huc, quòd voces pro libito tuo fingis Caluine. quando, à te maximopere peto, & quæſo, in ſcriptura ſancta baptiſmum in nomine Ieſu gratias illas tantùm ſine ipſo fonte, hoc eſt, ſine baptiſmo, ſeu lauacro, quod aqua & ſpiritu conſtat, ſignificaſſe legitur? non eſt alligatus Deus illi ſacramento, fateor, quin extra ipſum gratias illas conferat. immo quoſdā fuiſſe baptizatos non aqua, ſed igni, & ſpiritu ſancto, atque flamine optimè ſcio, & ex actis apoſtolicis probè noui: at verò ipſam impoſitionē manuum, ipſam collationem gratiarum viſibilium baptiſmi nomine ſignificari, baptiſmi, inquam, in nomine Ieſu mihi, immo omnibus, qui rectè de ſcripturis ſentiunt, nouum & nimiùm nouum videtur. ſciunt enim vniuerſi, baptiſmum in nomine Ieſu, baptiſmum, qui fit in aqua & ſpiritu ſancto, in diuinis literis ſignificare. quę ſanè res *Act. 1. & 11.*

notior eſt, quàm vt longa probatione egere videatur. Sed lege actorum cap. 2. 8. & 10.

Tertius Caluinis error notatur, ſect. 10.11.12.13. circa efficaciam baptiſmi.

Iam perſpicuum eſt, quàm falſum ſit quod Caluinus docet, (in quo nonnulli alij perſiſtunt) per baptiſmum videlicet non ſolui nos, & eximi ab originali peccato, neque in antiquam iuſtitiam reſtitui, ſed adhuc manere omnibus naturæ noſtræ partibus vitiatos ac peruerſos, immo totam noſtram naturam quoddam eſſe peccati ſemen: ideo non odioſam & abominabilem Deo eſſe non poſſe. hanc tamen damnationem ſublatam, & à nobis eſſe depulſam certiores nos fieri per baptiſmũ, Caluinus affirmat: vbi dominus plenam, vt iſte loquitur, ſolidamque remiſſionem facit, ac culpæ, quæ nobis imputanda foret, & pœnę, quæ ob culpam erat luẽda, atque adeò nos apprehendere, non formalem, ſed qualem in hac vita obtinere populus Dei poteſt, nempe imputatione duntaxat, quia pro iuſtis & innocentibus eos ſua miſericordia dominus habet. Circa hunc errorem, ac circa eius partes ſingulas plura me dixiſſe recolo variis in locis primi libri huius noſtri operis. ſatis luculenter, vt iudico, oſtendi primùm peccatum originale non rectè diffiniri per prauitatem illam, ac perpetuam naturæ corruptionem. deinde ea, quæ in naturam noſtram iſte coniicit, Dei fauore ibidem retudimus, atque commentũ hoc de imputatiua iuſtitia multis ac longioribus rationibus confutauimus, ac profligauimus. nihil præterea manere in regeneratis, quod Deus odio habere poſſit, non obſcurè oſtendimus. quare item concupiſcentia, quæ in renatis manet, aliquando à Paulo, & à ſanctis peccatum fuerit appellata, & in quo ſenſu, ibidem explicuimus. nihil igitur hîc reſtare videtur, niſi cum catholica eccleſia, & cum antiquorum patrum multitudine fateri, quòd primus baptiſmi effectus, quo ceteri nituntur, eſt ipſa peccati originalis remiſſio, quæ in baptiſmo fit, & quò ad culpam, & quò ad pœnam, quò ad maculam, & reatum ſimul. huic proximus eſt ille alter, qui participatione mortis & reſurrectionis Chriſti conſiſtit. ab hoc prodit tertius, qui in communicatione omnium bonorũ Chriſti nobiſcum collocatur.

Quartò

Quartò demum circa ſacramentorum efficaciam cõſiderandum nobis eſt, baptiſmum in præteritum ſolùm tempus ac præſens cõferri, ita vt nouis lapſibus, in quos à baptiſmate recidimus, quærenda ſint nobis ex euangelio alia noua expiationis remedia. neque enim impietate caret, quod hîc Caluinus docet. *Quoties*, inquit, *lapſi fuerimus, repetenda erit baptiſmi memoria, & hac armandus animus, vt de peccatorum remiſſione ſemper certus ſecurúſque ſit*: quis hîc ignorat ab apoſtolicis temporibus in eccleſia communiter receptum eſſe, pœnitentię ac clauium beneficio nos obtinere, vt ſcripturæ etiam ſanctę quenquam facilè docent, poſt baptiſmum remiſſionem, quæ prima regeneratione per ſolum baptiſmũ nobis datur? iſte Caluini error multa nobis mala peperit, de quibus aliquid antè attigimus primo illo libro, & quod reſiduum eſt, ſuo loco, cum ſcilicet de pœnitẽtiæ ſacramento à nobis tractabitur, abſoluemus. nihil autem mirum, ſi homines, qui pro ingenij ſui nimia arrogantia rebus nouis immodicè ſunt affixi, noua cõmenta à ſe ipſis conficta ingerent eccleſiæ. quaſi verò baptiſmus ipſe non ſit longè diſtinctus à pœnitentiæ ſacramento. Sed eſto hîc finis de baptiſmi efficacia, ac de eius effectibus, reiectis quatuor Caluini erroribus, quos omnes ſacra ſynodus Tridentina ſub Paulo III. anathemate percuſſit.

Quartus Caluini error notatur circa efficaciam baptiſmi, Sect. 3. & 4.

Baptiſmum neceſſarium eſſe ex ſcripturis probatur, aquam elementarem ipſius eſſe materiam, ex euangelio ſimul cum ſanctorum illuſtrationibus conuincitur, paruulorũ baptiſmum magis apoſtolica traditione, & eccleſiaſtica conſuetudine, quàm Dei verbo expreſſo niti ſignificatur, atque de miniſtro nonnihil attingitur.

Cap. IIII.

NEc minùs iniquus iudex eſt Caluinus circa huius ſacramenti neceſſitatem, materiam, cæremonias, atque miniſtrum: (quæ quatuor ſuo ordine ſunt nobis breuiter pertractanda) circa verò huius diuini ſacramẽti neceſſitatem ita ſuos inſtituit ac docet ipſe, *Quantũ,* *Sect. 20.*

inquit, *mali inuexerit dogma illud, malè expoſitum, baptiſma eſſe de neceſſitate ſalutis, pauci animaduertũt: ideóque minùs ſibi cauent. nam, vbi inualuit opinio perditos eſſe omnes, quibus aqua tangi nõ contingit, noſtra cõdicio deterior eſt, quàm veteris populi, quaſi reſtrictior eſſet Dei gratia, quàm ſub lege: veniſſe enim Chriſtus cenſebitur non ad implẽdas promiſſiones, ſed abolendas, quando promiſsio, quæ tunc ante octauũ diem ſaluti conferendæ per ſe erat ſatis efficax, nunc abſq; ſigni adminiculo rata nõ eſſet.* paulò verò pòſt, *Sed hanc cõ-*

Sect.22. *trouerſiam mox nullo negotio dirimet hoc principium, non arceri à regno cælorũ infantes, quos è præſenti vita migrare cõtinget antè, quàm aqua mergi datũ fuerit. atque iam viſum eſt fieri non leuem iniuriã Dei fœderi, niſi in eo acquieſcimus, ac ſi per ſe infirmum eſſet, cùm eius effectus neque a baptiſmo, neque ab vllis acceſſionibus pendeat. accedit poſtea ſacramẽtum ſigilli inſtar, non quòd efficaciam Dei promiſsioni, quaſi per ſe inualidæ conferat, ſed eam duntaxat nobis confirmet. vnde ſequitur, non ideo baptizari fidelium liberos, vt filij Dei tunc primùm fiant, qui antè alieni fuerint ab eccleſia, ſed ſolenni potiùs ſigno ideo recipi in eccleſiam, quia promiſſionis beneficio iam antè ad Chriſti corpus pertinebant. proinde ſi in omittendo ſigno nec ſocordia eſt, nec contemptus, nec negligentia, tuti ab omni periculo ſumus ſola Dei promiſ-*

Gen.17. *ſione Abrahæ facta, quòd Deus erit, & ſemini eius poſt eum. multò igitur ſanctius eſt, hanc Dei ordinationi reuerentiam deferre, vt non ipſam priuati hominus quoquo pacto miniſtrent, vt nec aliunde ſacramenta petamus, quàm vbi dominus depoſuit. vbi ab eccleſiaſtico miniſtro ſumere non licet, non ſic illis alligata eſt Dei gratia, quin eam fide ex verbo domini conſequantur:* profectò Caluine, ſi cùm fidelium liberi baptizantur, non tunc Dei filij regenerantur, ſed eis ſigilli tantùm loco eſt baptiſmus, quippe qui promiſſionis beneficia iam antè ad Chriſti corpus & regnũ, vt dicis, pertinebant, eoſque iam Deus ſibi in filios adoptauerat, certè etiam ſi in omittendo ſigno multa in parentibus foret ſocordia, ac negligentia, tuti ab omni periculo eſſemus. abſit enim, vt dicamus, hominum incuria firmam ac ratam Dei promiſſionem euacuari. verùm quidquid hoc ſit, & valeat, illud tamen commune dogma de neceſſitate baptiſmi adeò verum eſt, vt

nihil magis ſcripturæ ſanctæ doceant, nihil magis concilia definiant, nihil denique tanta conſenſione omniũ fidelium & ſæculorum firmatũ ſit. ſemper hæc fuit verè Chriſtianæ fidei habita confeſſio poſt verbũ illud Chriſti, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ introibit in regnum cælorum. baptiſmum medium eſſe, & quidem neceſſarium ad vitam habendam, vt qui ſine eo deceſſerit infans, pereat de Dei populo nõ minùs, quàm poſt octauũ diẽ in lege veteri peribat puer, cuius præputij caro circumciſa non foret. hunc verò Dei populum diuus Auguſtinus cæleſtem beatitudinem cum aliis ſanctis ſæpe interpretatus eſt, in libro ſcilicet de gratia & peccat. orig. cap. 30. de ciuit. Dei lib. 16. cap. 27. lib. 6. Hypognoſtic. lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 11. lib 2. contra Iulianum in fine, & lib. 3. cap. 18. & lib. 6. cap. 3. in opere etiam de bapt. paruulorũ, & cõtra Donatiſtas. Cyprianus de circuncilione & baptiſmo in epiſt. 8. lib. 3. Ambroſius lib. 2. de vocatione gentium cap. 8. idem ſanè probauerunt. nec nouam doctrinam patres iſti nobis tradiderunt, ſed antiquam atque ex ſcripturis ſanctis collectam. nulla tamen per hæc, quæ diximus, irrogatur iniuria aut baptiſmo ſanguinis, qui nondum etiam natis prodeſſe poteſt, aut baptiſmo flaminis, qui ſolis adultis conuenit.

Neceſſitas bapt.

Ioan. 3.

Geneſ. 17.

Per populum Dei beatitudo intelligitur.

Contrà tamen noua eſt doctrina, vel certè cum Pelagio ſemel mortua, nunc in lucem reuocata, vt auctor eſt diuus Auguſtinus in libro ſecundo, de peccat. merit. & remiſſione cap. 26. quæ dicit, de ſancto eam ſanctitatem trahi poſſe, quæ prohibeat paruulum pergere in damnationem, etiam ſi non baptizetur. nam, Iudicium ex vno, ait apoſtolus Paulus, in condemnationem. & per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, in quo omnes peccauerunt, ac per quem filij iræ naſcimur omnes. *At Paulus dicit, Alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*: verum eſt Ioannes, ſed ſi de hac ſanctificatione Paulus loquebatur, quomodo dixit, Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierẽ fidelem? num id verũ eſt de ea ſanctificatione, quæ immunitas eſt à peccato? at id affirmari nequit, dicente ſaluatore noſtro, Qui incredulus eſt filio, non

Sanctitas, quæ prohibet in dãnationem ire, non ex carne trahitur.

Rom. 4.

Cal. lib. 4. c. 16. ſect. 7.

1. Corin. 7.

habet vitam, ſed ira Dei manet ſuper eo. non ergo Paulus de ea ſanctitate loquebatur, quæ regni cælorum hæredes conſtituit, ſed de alia longè inferiori, vt auctor eſt Auguſtinus in lib. 2. de peccat. merit. cap. 26. & lib. 3. capite 12. & ſerm. 14. de verbis apoſtoli, & de ſerm. domini lib. 1. aſſerit, apud omnes auctores eccleſiaſticos conſtare non eſſe hanc ſanctitatem, quæ purget à peccato, quamuis variè à ſanctis locus ille Pauli fuerit illuſtratus. legatur diuus Hieronymus lib. primo aduerſus Iouinianũ, Tertullianus libro de monogamia, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theophilactus

Cal. ſect. 6. Oecumenius ſuper eo ipſo Pauli loco. *Dei promißio immota perſtat Abrahæ facta, Geneſis 17. quòd Deus erit ei, & ſemini eius poſt eum:* ad filios promiſſionis, non carnis eiuſmodi promiſſiones pertinere, Paulus in epiſtola ad Romanos cap. 4. & 8. interpretatur. Non, inquit, omnes, qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, hi ſunt filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. id eſt, non qui filij carnis hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. & idem, Ideo ex fide, vt ex gratia firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum, ſicut ſcriptum eſt, Quia patrem multarum gentium poſui te ante Deum, cui credidiſti. hoc pactum in Chriſto eſt mediatore Dei & hominum. omnes enim, quotquot filij Dei dicuntur, & ſunt, non niſi per Chriſtum talem gratiam acceperunt, per quam redempti & Deo renati ſunt. At Chriſtus ipſe, ſecundum veritatem carnis aſſumptæ, ſemen Abrahæ eſt. vbi & diſtinctio illa, Inter me, & te, & ſemen tuum poſt te. item, Vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui fœdere ſempiterno, ſic eſt accipienda, vt in nomine Abraham omnes electos, qui ſunt ex carne eius & ſimul fide, in nomine autem ſeminis poſt ipſum omnes electos ex gentibus intelligamus, qui non caro & ſanguis Abrahæ, ſed per fidem ſeminis eius, quod eſt Chriſtus, ſemen eius ſunt. ſequitur etiam, & tu ergo cuſtodies pactum meum, &c. vt ex ipſo textu colligamus pactum eſſe reciprocum, & promiſſionem condicionatam. Igitur Cal-

nine tota iſta tua collectio eadem eſt omnino, aut maximè ſimilis illi argumento, quod ſuo tempore quoſdam formaſſe ad probandum opus non eſſe baptiſmo pro paruulorum ſalute, teſtis eſt diuus Auguſtinus in libro ſecundo de remiſſione peccat. cap. 25. Quoniam ſicut Leui, inquiebant, decimatus eſt per Abraham, quia in eius lumbis erat, quando decimas ſoluit Melchiſedech, ita paruulos baptizatos eſſe, quia in eorũ lumbis erant, quando baptizabantur parentes. hoc profectò eſt mirandum Ioannes, quòd ſiue ſcripturis, ſiue rationibus nobiſcum agas, non alias profers, quàm eas ipſas, quas olim Pelagianos, ceteróſque hæreticos catholicæ eccleſiæ obiectaſſe, teſtes ſunt patres, quotquot contra præfatos homines ſcripſerunt. Nulla ergo talis ſanctitas, quæ in damnationem ire prohibeat, ex carne, aut ex ſola promiſſione ante baptiſmum nobis contrahitur, ſed in ipſo verè renaſcimur. ibi vita cæleſtis inchoatur, vt auctor eſt diuus Hilarius in pſal. 65. ab eo tempore, & non antea, in Dei poſſeſſionem cenſemur, vt diuus Hieronymus eleganter ponderat in comment. ſuper Ezechielem. quaſi verò lector ſoli & omnes filij Abrahæ ſecundum carnem ad hanc pertineant promiſſionem, quaſi verò omnes paruuli fidelium ſint filij gratiæ, & promiſſionis hæreditatis cæleſtis. Sed adhuc libet inſtare, atque hominem iſtum vrgere. dic amabo, promiſſio illa hæreditatis cæleſtis, patribus fidelibus facta, aufert peccatum originale à filiis ante, quàm baptizentur, immo antè, quàm naſcantur? ſi ſic, re ipſa peccatum originale non eſt, vtpote illa promiſſione multò antè, quàm nocere poſſit, deletum. rediit ergo Pelagiana peſtis. Si verò dicas, manere quidem originalẽ maculam, non tamen imputari, ſicut & de baptizatis affirmare vos ſoletis: quid tu reſpondebis Paulo pronuntianti, naſci nos natura iræ filios? quid etiam dices domino clamanti in veteri lege, Puer, cuius præputij caro non fuerit circumciſa, peribit de populo meo? quid ille paruulus fecerat Caluine poſt promiſſionem diuinam, natus ex parentibus circumciſis ac fidelibus, cuius cauſa periret de Dei populo? ſi firma ſtabat promiſſio, ſi peccatum iam non imputabatur, quid cau-

ſæ, quòd tã immaniter à populo, à regno etiã cum promiſſione excludatur? nũ ob parentũ ſolam negligentiã tam grauiter innocens iam puer, cui regnum Deus promiſiſſet, cuius iam peccatũ ipſe dominus in mare proieciſſet, cui in ſumma nihil imputare ſuo firmo decreto ſtatuiſſet, puniretur, exularet, immo periret? ſed quid contra fumos inuehimur? ſtat præclara Chriſti lex. Niſi quis, inquit, renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ poteſt introire in regnum Dei. en, vt baptiſmus, ore domini regeneratio vocetur. *Falluntur quotquot baptiſmi mentionem fieri hoc loco putant, quia aquæ nomen audiunt. aquam & ſpiritum ſimpliciter accipio pro ſpiritu, qui aqua eſt, nec hæc noua eſt locutio: prorſus enim cum illa, quæ habetur tertio Matthæi capite, conuenit, Qui ſequitur me, ille eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto & igni. quemadmodum ergo ſpiritu ſancto & igni baptizare, eſt ſpiritum ſanctum conferre, qui in regeneratione ignis officium naturámque habet: ita renaſci aqua & ſpiritu nihil eſt aliud, quàm vim illam ſpiritus recipere, quæ in anima id facit, quod aqua in corpore:* hoc modo in ſcripturis ſanctis, quando ſenſui veſtro minimè conuenire videntur, luditis vos, tropos inducitis, epitheti nomine defenditis, aut veritatem Hebraicam appellatis, ſi nihil horum ſuccurrat, aut Græcè longè aliter legi cauſamini. certè de naturali aqua, qua baptizamur, Chriſtum dominum fuiſſe locutum, tot auctores citare poſſumus, quot locum illum Ioannis enarrarunt. lege Auguſtinum, Cyrillum, Baſilium, Cyprianum, & alios patres eccleſiaſticos, lege antiquum illum Clementem, Petri diſcipulũ, in epiſtola ad Iulium & Iulianum, lege beatum Chryſoſtomum homilia 24. ſuper Ioannem. dominus item IESVS verè baptizauit in ſpiritu & igni, quando ſub ſpecie ignis viſibilis ſuper centum & viginti viros ſpiritus ſanctus deſcendit. ſic enim hunc locum interpretatur Theophilactus in 3. cap. Lucæ. & quamuis ignis ſecundum tropum hîc intelligeretur tribulatio, opus gratiæ, aut ſpiritus ipſe inflammans, vt videntur explicare Hieronymus, & Chryſoſtomus: nõ tamẽ alia aqua intelligi poteſt, quàm materialis, in verbis ſaluatoris, Ioan. 3. cùm paſſim ſcripturæ teſtentur in tali aqua fieri

De aqua neceſſaria in baptiſmo. Sect. 25.

renaſcentiã. nec ſermonis conſequentia aliam intelligi permittit: & concorditer, vt diximus, patres & concilia hanc aquam intelligunt. nõ enim ſunt ad tropos trahendæ ſcripturæ, quando ſermonis proprietas nullam incommoditatem facit.

Ex his patêre poteſt, quas anguſtias iſti patiantur ab Anabaptiſtis circa præceptum & fructum baptiſmi paruulorum. qui enim dicunt nihil fore credendum, quod non claris ſcripturæ teſtimoniis poſſit probari, & qui ſimul affirmant impiam eſſe opinionem aſſerentium baptiſmum gratiam cõferre ex opere operato, hancque non obtineri, niſi fide apprehendatur, non tam facilè ſe expedient ab inimicorum laqueis, quin bona ex parte aqua adhuc iſtis hæreat. nam neque loci ſcripturarum, quos de circumciſione, & de amplexu Chriſti erga paruulos, tam apertè intentum probãt, quàm videtur Caluino per infinitas propè ſectiones illius capitis 16. vbi de pædobaptiſmo tractat. vt enim diximus, locus Ioã. 3. Niſi quis renatus fuerit, &c. iuxta iſtorum interpretationem nihil pertinet ad aquæ baptiſmum. neq; ſe poteſt expediri, quantumcũque ſe extricare conetur, quomodo fides eſſe poſſit in paruulis, cùm per ætatem apprehendere non poſſint. & certè vnum illud, quòd hîc habet Caluinus circa eiuſmodi paruulos, docere nos ſatis poteſt, cæcitate ac ſpiritu erroris percuſſum in meridie ipſum palpare tenebras. neſcio enim, quos ſupercæleſtes motus in ipſis infantibus reperit, quos neque ratio, neque ſcriptura, neque fides ponere cogunt: &, ſi Deo placet, audebit dicere, quæcunque de ſacramentis dicuntur, ſi ea ex ſcripturis manifeſtè non conſtent, ex filo pendêre. Vt omni certitudine credamus maximè ſecuram & firmiſſimam eſſe diui Auguſtini probationem lib. 4. cap. 24. contra Donat. de baptiſ. & ſuper Geneſim lib. 10. cap. 23. & maiorum noſtrorum Orig. lib. 6. comment. in epiſto. ad Roma. & Dionyſij cap. vlt. eccleſ. hierarchiæ, qua ex apoſtolorum traditione & vſu, & de eccleſiæ catholicæ auctoritate docent paruulos in ſalutem baptizari, & in æternum perire, ſi ſine baptiſmo à luce hac eos migrare cõtigerit. nec locus de circũciſione, & amplexu paruulorũ,

De pædobaptiſmo.

quòd apoſtoli totas domos baptizauerint, act. 16. & 1. Corin. 1. tam efficaciter id probat, ſicut apoſtolica traditio.

De miniſtro baptiſmi. Cùm itaque baptiſmus aquæ ſit paruulis ad ſalutem neceſſarius, & ſi ipſius miniſter, non mulier, aut laicus quiſpiam ſit, ſed ſacerdos, profectò in extremo puncto non perperam fiet, ſi priuati homines baptiſmi adminiſtrationē ſibi vſurpent. multùm ſiquidem differt cōmunis vſus ab extraordinario remedio, cùm vltima, aut probabilis neceſſitas vrget. neq; quidquam ampliùs aut ex verbis diui Auguſtini lib. 2. cōtra epiſt. Parmen. cap. 13. aut diuus Epiphanius lib. 1. cōtra hęreſes aſſerere intendebant. Habemus ergo lector baptiſmum neceſſarium eſſe in aqua etiam paruulis, quos eſſe baptizandos apoſtolica traditione, & eccleſiaſtica conſuetudine magis, quàm ſcripturis expreſſis receptum in eccleſia ſemper fuit: atque cùm dogma hoc de neceſſitate baptiſmi verum ſit & catholicum, verum etiam erit, quod de miniſtro poſt antiquos patres theologi noſtri loquuntur.

De reuerentia & cæremoniis baptiſmo exhibendis agitur, Caluiniique arrogantia ſatis ponderatur. CAP. V.

Cal. ſect. 19. cap. 15. POſtquam ipſius baptiſmi naturam, valorē, atq; auctorē Caluinus negauit, iam accedit, vt reuerentiā, decorémque auferat, atque contra cæremonias ei adhiberi ſolitas inhumanè conuiciatur. ait enim, *Quod ad externum ſymbolū pertinet, vtinam genuina Chriſti inſtitutio valuiſſet, quantum par erat, ad cohibendam hominum audaciam. quaſi enim res eſſet contemptibilis, ex Chriſti præcepto, aqua baptizari, inuēta eſt benedictio vel potiùs incantatio, quæ veram aquæ conſecrationem pollueret. additus poſtea cereus cum chriſmate: exſufflatio enim ad baptiſmum ianuam aperire viſa eſt. cùm autem videret Satan ſtulta mundi credulitate abſque negotio ferè inter ipſa euangelij exordia receptas eſſe ſuas impoſturas, ad craſsiora ludibria prorupit. hinc ſputū, & ſimiles nugæ palàm in baptiſmi probrum effreni licentia inuectæ:* ò linguam hominis effrenis nefandiſſimam, quis te rerum eccleſiaſticarum, & antiquorum patrum cenſorem conſtituit? Lucifer nimirum ille, omnium hæreticorum pater. cur eccleſiæ noſtræ

minimè arbitraris licere in celebratione tanti ſacramẽti à Christo domino inſtituti, noſtræ ſalutis principij ac fontis, ea aſſumere, quæ ad decorem ſpectare hominibus multò te prudentioribus ſunt viſa? prçcipuè cùm hæc ipſa, ſicut & ipſe fateris, inter ipſa euangelij exordia recepta fuerint? ſi te non latet, quàm vetuſta ſit eius rei origo, cur tam facilè reſpuis, quod ſanctiſſimi homines diuino pænè conſilio obſeruandum tradiderunt? non his eccleſia vtitur Caluine, tanquam ad baptiſmum neceſſariis. ſed vt rebus, quæ ad eius ſolẽnitatẽ permagni intereſſe antiquitas ipſa ſumma conſideratione viderit. tantùm enim fore neceſſaria arbitramur illa duo, quæ apud Marcum legimus, aquam ſcilicet, & verbum. & hæc baptiſmi aqua, etſi non pura, nec nitida fuerit dummodò aquæ ſpeciem non amiſerit, tempore neceſſitatis ſufficiens & idonea erit: aliàs ob tanti ſacramenti reuerentiam munda eſt aſſumenda, iuxta illud apoſtoli dicentis, Aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda. cetera verò non niſi ad ipſius ſacramẽti honeſtatẽ ac ſolennitatem adhibemus. atque hoc facimus propter tria primùm ad pietatem ac reuerẽtiam baptiſmo cõciliandam, deinde ad fidelium ſimplicium inſtructionem, vt viſibilibus ſignis ſpiritualia homines rudiores doceantur, poſtremò vt per orationes ac benedictiones, ſi qua ſunt his ſimilia, vis dęmonis ab impedimento ſacramentalis effectus arceatur, & expellatur. Porrò de ſancto chriſmate & oleo diuus Hieronymus aduerſus Luciferianos dicebat, Sine chriſmate & epiſcopi iuſſiones neque presbyter, neque diaconus ius habet baptizandi. diuus Auguſtinus, Scriptum eſt, ait, in actis apoſtolicis, Vnxit eum dominus ſpiritu, non vtique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguento, quo baptizatos vngit eccleſia. diuus ſimiliter Ambroſius in lib. de iis, qui initiantur, cap. 16. inquit, Omnes, dum baptizamur, in regnũ Dei, & in ſacerdotium, vngimur gratia ſpiritali: quod ſcilicet per extremã vnctionem ſignificatur. Tertullianus item in libro de carnis reſurrectione dicit, Caro abluitur, vt anima emaculetur, caro vngitur, vt anima conſecretur, caro ſignatur, vt anima muniatur. Olei, quod in

Quæ ſint neceſſaria in baptiſmo.

Marc. 16.

Heb. 10.

Propter tria adhibentur cæremoniæ.

De chriſmate.

Act. 10.

baptiſmate ſuſcipitur, meminit Damaſcenus in lib.4. orthodoxæ fidei,cuius & mentionem facit Theophilactus ſuper Luc.cap.10. Vngi quoque neceſſe eſt,aiebat Cyprianus lib.epiſt.1 epiſt.12.eũ,qui baptizatus ſit, vt, accepto chriſmate & vnctione,eſſe vnctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit. diuus autem Auguſtinus tract.33.in Ioannem,Chriſti nomen à chriſmate deductum ſentit,atque ideo nos in baptiſmo vngi dicit,quia luctatores contra diabolũ efficimur.legatur S. Ambroſius lib 1.cap.8.& lib.2.cap.7.de ſacramentis,qui eiuſmodi chriſma valde commendat:quam rem ab apoſtolis accepiſſe nos diligenter obſeruat. Aquam fontis cõſecrãdã iuxta apoſtolicum ritum diſertè tradit Baſilius lib.de ſp.ſ.cap.27.cuius verba ſunt hæc, Conſecramus verò aquã baptiſmatis,& oleum vnctionis , atq; ipſum, qui baptiſmum accipit:ex quibus ſcriptis?nónne à tacita ſecretáque traditione? ipſam porrò olei vnctionem quis ſermo ſcripto proditus docuit? jam ter immergi hominem vnde eſt traditum?reliqua item,quæ fiunt in baptiſmo,veluti renuntiare Satanæ , & angelis eius , ex qua ſcriptura habemus?nonne ex priuata,& arcana traditione?nonne ex doctrina,quam patres noſtri in ſilentio, quod curioſos & otioſos ſubmouet,ſeruarunt. Mirè cum his conſentiunt, quæ apud Clementem Romanum,diui Petri diſcipulum,& in epiſcopatu ſucceſſoré, ex ipſius Petri doctrina legimus lib.3. recognitionum.

De conſecratione fontis.

Catechiſmus & exorciſmus.

De catechiſmo verò,atque exorciſmo,quòd hi præire debeant baptiſmum,quid attinet lõga oratione probare , cùm hoc ipſum tam aperto teſtimonio vniuerſi maiores noſtri confirmarint? Auguſtinus in ſermone 10.de verb.apoſt. Dionyſius Areopagita de eccleſiaſtica hierarchia , Chryſoſtomus item homilia 40.in epiſtolam prioris ad Corint. cap.15 Rabanus etiam lib.de inſtituend.cler. & Hilarius in Matth.15. quibus omnibus conſentit Epiphanius in Ancoratu. omitto referre quæ de inſtructione atque renuntiatione,quæ eſt neceſſariò præmittenda ante baptiſmum, Auguſtinus habet, ſcribens ad Bonifacium epiſt.23. item in lib.2.de anima,& eius origine cap.12. Quòd ſi quæramus,cur exſufflentur baptizandi:reſpondebit B. Auguſtinus lib.1.de

De exſufflatione.

ſymbolo ad cathecum. cap.1.id fieri, vt pellatur à paruulis diaboli poteſtas inimica, quæ decipit hominem, vt poſſideat hominem. quam certè doctrinam à diuo Cypriano eſt mutuatus. nec te pigeat Chriſtiane lector, quæ de hac re idem pater Auguſtinus habet in epiſto. 105. ad Xyſtum presbyterum, attentiſſimè legere. De ſaliua autem typica, & luto, quo ſacerdos paruuli aures, & oculos linit, fuſiùs tractat diuus Ambroſius in lib. de iis, qui initiantur myſteriis, cap. 1. & ante eum Cyprianus lib. 1. epiſtolarum epiſt. 12. Quare deſine iocari, & mortuis maledicere Caluine. vtinam genuina Chriſti doctrina, quam ſancti ij coluerunt, apud te aliquid valuiſſet, vt par erat, ad cohibendam iſtã tuã audaciam. non certè, quòd res eſſet cõtemptibilis, ex Chriſti præcepto aqua baptizari inuenta eſt benedictio, quam tu ore pluſquam ſacrilego incantationem nominaſti, ſed optimo conſilio, vt ab apoſtolis accepit eccleſia, ſic ſeruat & tenet. nec tibi, nec cuiquam alij reſpuere fas eſt, quidquid cum Chriſti inſtitutione conuenire ſanctis hominibus, atque ipſis apoſtolis viſum eſt. His itaque experimentis diſcemus nihil vel ſanctius, vel melius, vel tutius eſſe, quàm vnius eccleſiæ magiſterio contentos eſſe. *De luto.*

De euchariſtiæ ſacramento, & miſſæ ſacrificio.

CAP. VI.

LOcus hic poſtulare videbatur lector, vt pro dignitate rem hanc tractaremus, atque à Chriſto, & ab apoſtòlis nos habere, quod colimus, & tenemus, oſtendendum curaremus, de ſummo hoc ſacramento, de reali hìc Chriſti præſentia, de ineffabili ac cæleſti tranſmutatione, qua non pars in partem, ſed totum in totum conuertitur, panis ſcilicet tota ſubſtantia in Chriſti corpus, & quòd Deus ſit, qui ſub his ſpeciebus exiſtat, etiam extra vſum communicationis, ac tandem de miſſę ſacrificio, quod tam pro viuis, quàm pro defunctis, prout ab ipſo Chriſto ſponſo ſuo eccleſia accepit, ita offert immaculatam & incruentam hoſtiam: ſed quia ſuper his omnibus, poſt concilij Tridentini ſingularem explicationem, & multorum virorum illuſtriũ

tractatus,ſumma diligentia & immenſis vigiliis congeſtos,nos etiam eorum laboribus locupletes eius rei breue habemus compendium , quod paulò pòſt in lucem, domino noſtro approbante,ſimul cum indulgentiarum tractatu daturi ſumus,nũc ſimplici veritatis confeſſione tranſeundum eſt.ibi enim,diſtributis ſæculis,ordine,vt ſpero,tibi gratiſſimo,lector, quid ſit ab omnibus ætatibus de re hac creditum, tam aperta teſtimonia demonſtrant, vt mirùm ſit,quàm ſint iſti impudẽtes homines, qui perditiſſimorum quorundam nebulonum, Dei gratiæ inuidentium,ſtultitiam ac phreneſim eccleſiaſticæ, ac patrum ſuorum doctrinæ,quam nuper cõcilium collegit,& expreſſit,præferri ſatis arroganter volũt. vnum tamen modò non tacebo,quòd cùm ſemper nobis Caluinus obiiciat ſacramentum, niſi certo & expreſſo Dei verbo nitatur, de filo pendêre,atque quotidie nos accuſet,quòd contra Dei verbum allegorias neſcio quas obtendamus : hîc verò,vbi videt expreſſum nos habere euangelij locum,HOC EST CORPVS MEVM. nos literales appellat,antropomorphitas,Marcionitas,Manichæos, craſſos comeſtores , quòd in morem eorum, qui membra Deo tribuebant, ſcripturas voce tenus citemus.clamat verba illa nunc per allegoriam, nunc per metonymiam,nunc per tropum,ſeu figuram,non vt videntur ſignificare,eſſe accipienda. Sumitur, inquit, ſignificatum pro ſigno,figuratum pro figura, corpus demum pro ipſa corporis ſimilitudine. ecce lector, quàm ſe in omnes differentias iſti tranſmutant, vt quo pacto cum eis ſit tibi agendum , non facilè poſſis intelligere. ſi figuris vti ſcripturam cauſeris , criminantur te velle ſupra modum ἀλληγορίζειν,etiam ſi totam eis antiquitatem opponas:ſi verò claro ſcripturæ ac literali ſenſu cũ ipſis decertes,carnalis es comeſtor,animalis,brutus,antropomorphita , etſi quid nouerunt peius. Verùm nos obturata aure canum iſtorum latratus non horreamus, ſed tunc allegoriis vtamur,cùm vtendum eſſe per eccleſiam didicerimus : tunc rurſum literæ veritati firmiter hęreamus,cùm ita eſſe faciendum eadem magiſtra,quę Dei habet ſpiritum, nos monuerit,ac docuerit, omiſſis iſtis,quibus verſicolores,multũq; mẽdaces ſunt plumę.

Calu.c.17. ſect.25.

De quinque verè nominatis ſacramentis, vbi ſacramēta valde propriè ea eſſe declaratur, atque de confirmatione in primis agitur. *Cap. VII.*

POterat ſuperior de ſacramentis diſputatio apud dociles & ſobrios hoc obtinere, ne vltra eccleſiaſticam diſciplinam curioſius progrederentur, nec quæ à domino ſunt inſtituta ſacramenta, quibus veteres vſos fuiſſe optimè ſciunt, impudēter negare: verùm, quoniam hæc de ſeptem ſacramētis veritas, quæ omnium eccleſiarum conſenſione, ac vetuſtate ipſa ſuas radices egit, & catholicorum animis ſemper inſidet, ab iſtis ſummo ſtudio labefactari noſtro hoc ſæculo videtur, viſus ſum mihi nonnihil vtilitatis allaturus, ſi quinque reliqua, quę veris ac germanis domini ſacramētis accenſenda eſſe pernegāt, ſeorſum ac propiùs excuterem, omníque abſterſo errore ſimplicibus ſpectāda proponerem qualia ſint, & quàm verè pro ſacramentis hactenus habita fuerint. Sed audiamus Caluinum noſtrum, dicentem, *Nuſquam apud eccleſiaſticos ſcriptores numerus hic ſeptenarius inuenitur, nec ſatis conſtat, quo primùm tempore obrepſerit*: ſatis eſt Caluine, quòd inueniamus apud eccleſiaſticos ſcriptores baptiſmum eſſe ſacramentum, euchariſtiam eſſe ſacramentum, confirmationem ſimiliter, pœnitentiam, extremam vnctionem, ordinem, atque matrimonium, & non plura: iſta verò ſunt ſeptem: ergo numerus ſeptenarius in virtute legitur & inuenitur. hic verò numerus, quàm conueniat legis gratiæ ſacramentis, optimè explicat diuus Thomas in tertia part. q. 65. art. 1. *Cùm autem veteres de his ſignis loquuntur, quæ diuinæ in nos gratiæ teſtimonia eſſe debent, duobus iſtis baptiſmo & euchariſtia contenti ſunt. Ne quis falsò iactari hoc à me putet, legat Auguſtinum ad Ianuariū epiſt. 118. & lib. de doctrina Chriſtiana 3. cap. 9. vbi locutus de ſacramentis, hæc duo, quæ retulimus, tantùm recenſet. nec veriſimile eſt prætermiſſurum, ſi alia vigerent ſacramenta tunc in eccleſia*: ô os ſacrilegum, non vides exempli gratia ibidem loqui diuum Auguſtinum? non conſideras, quòd, poſtquam hæc duo ſacramenta connumerauit, adiungit, Et in ceteris ſanctis ſacramentis? vt videre licet in eius libro ſuper pſalmum 103 quare idem auctor lib. 2. cont. epiſt. Petil. cap. 104.

Cal. lib. 4. c. 19. ſect. 3.

& lib.3.cont. Donat.ca 16.ordinem & cõfirmationem, ſicut & baptiſmum inter ſacramenta refert. item lib. 2. cõtra epiſt. Parm.cap.13. & de adulter.coniugiis cap.28. lib 1.inter ſacramenta ponit pœnitentiam,& lib.2.cap. 9.ac circa pſal.103.explicat exempli cauſa ſe loqui.

Confirmationem adeò non recipit Caluinus pro ſacramento, vt etiã mirari ſe dicat, quòd eccleſiæ in mentem venerit, vt confirmationem faceret ſacramentum. & in re tam ſacra ludit, & nugatur homo nugaciſſimus, quærens, cur non ex pane quoque faciamus ſacramenta tria, cùm anſas quaſdam habeamus ex ſcripturis. Ideo non facit eccleſia, quia non apprehẽdit anſam ex qualibuſcunq; ſcripturę verbis alia cõdendi ſacramẽta quàm quæ Chriſtus inſtituit, & ſuo ſanctificauit ſanguine: quẽadmodũ è cõtrario nullũ eorũ omittit, quæ à Chriſto & apoſtolis per manus deinceps tradita ſunt, etiam ſi nuſquam quidquam de eis ſcriberetur. nam dicit tantùm, nec probat quidquam, duntaxat negat omnia. At, cùm loca quædam ipſe commemorat, è quibus (quanquàm id irridet) habere non abſurdè potuerimus ſacramenti confirmationis initium, cur tam malignè de tota iudicat eccleſia, quaſi temerè ſacramẽtũ ſuſcipiat, propterea quòd in illis locis nullum egit verbũ promiſſionis? quaſi nihil omnino promiſerit, dixerit, fecerit Chriſtus, quod non complectantur euangeliſtę. hac ratione, ſi tantùm Ioannis ſtaret euãgelium, negaret inſtitutionem ſacramẽti in cœna domini, de qua inſtitutione nihil omnino pręſcribit Ioannes, qui eodem Dei conſilio non tetigit iſtud, quo multa alia prætęrierunt omnes, quę fecit Ieſus. quę, vt inquit euangeliſta, non ſunt ſcripta in libro hoc, & quæ totus mundus non poſſet capere. ex quibus nonnulla per apoſtolorũ ora fidelibus patefacta ſunt, & perpetua deinceps catholicæ eccleſiæ fide conſeruata. cui quare non debeas de quibuſdam credere (quamuis non legantur in euangeliis) cùm, vt Aug. ait, niſi tradente eccleſia ſcire non poſſes, quæ ſint euãgelia? quorum ſi nullum vnquam ſcriptum eſſet, maneret tamen euangelium ſcriptum in cordibus fidelium, quod antiquius fuit omnium euãgeliſtarum codicibus, manerent etiam ſacramenta, quæ non dubito euangeli-

Ioan. vlt.

ſtis eſſe omnibus antiquiora, ne putet Caluinus efficax argumentum eſſe fruſtra ſuſcepti ſacramenti, ſi non reperiat inſtitutum in euangeliis. alioqui ſi nihil omnino recipiat, quod non tam apertè legat in euãgelio, vt tergiuerſandi non ſit locus, quomodo credit (ſi modò credit, qui ferè nihil credit) perpetuam Mariæ virginitatẽ? de qua adeò nihil inuenit in ſcripturis, vt Heluidius nõ aliunde, quàm ex ſcripturarum verbis arripuerit anſam decernendi contrarium. nec aliud opponitur illi, quàm totius eccleſiæ fides, quæ nuſquam maior eſt, aut fortior, quàm in ſacramentis. Ego certè neminem eſſe puto, qui ſcintillam vllam habeat fidei, cui perſuaderi poſſit, quòd Chriſtus, qui pro Petro orauit, ne fides eius deficeret, qui eccleſiam ſuam ſupra firmam petram collocauit, pateretur eam tot ſęculis vniuerſam, corporalium rerum ſignis inanibus, erronea fiducia, velut diuinis ſacramentis, obſtringi. ſi nuſquam inde quidquam legeretur, illi tamen verbo mentem domini poterant enarraſſe, qui pręſentes verſati ſunt cum eo, de quibus ait ipſe, Vos teſtes eſtis, qui mecum ab initio fuiſtis. docere *Ioan.14.*
poterat, quid debeat fieri, paracletus ipſe, de quo dixit Chriſtus, Cùm autem venerit paracletus, quẽ ego mit- *Ioan.15.*
tã vobis à patre meo, ſpiritus veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimoniũ perhibebit de me. & rurſus, Cùm venerit ille, qui eſt ſpiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. non enim loquitur à ſemetipſo, ſed quæcunque audierit, loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. Eccleſia ergo cùm tot & tales habue- *Ioan.16.*
rit præceptores, atque tot viuos euangeliſtas, ſpiritum illum, qui veritatem inſpirat, credetur temerè inſtituiſſe ſacramentum, & ſpem in ſigno nihili collocare? non credetur potiùs ab apoſtolis, non credetur potiùs à ſpiritu ſancto didiciſſe? certè, ſi quis nomen huius ſacramenti, ſi quis miniſtrum, ſi quis virtutem, quam ſpondet, æſtimet, rem videbit non eſſe talem, quam temerè credatur eccleſiam ſuſcepiſſe. à chriſmate enim, vt inquit Hugo de ſancto Victore, Chriſtus dicitur, à Chriſto Chriſtianus, cuius ex quo nomen omnes communicare cœperunt, omnes vnctionem accipere debuerunt: quia in Chriſto omnes electum

genus ſumus, & regale ſacerdotium. Nec vngimur, excepta neceſſitate, niſi per epiſcopos, vt Chriſtianum cõſignent, & ſpiritum paraclerum tradāt, quemadmodum idem ait Hugo, ſicut in primitiua eccleſia ſpiritum ſanctum per impoſitionem manuum dandi ſoli apoſtoli poteſtatem habuiſſe leguntur. fructum quoque ſacramenti idem doctor declarat. Sicut, inquit, in baptiſmo remiſſio peccatorum accipitur, ita per impoſitionem ſpiritus paracletus datur. illic gratia tribuitur ad remiſſionem peccatorũ, hîc gratia datur ad cõfirmationem. quid autem prodeſt, ſi lapſu erigêris, niſi ad ſtandum confirmeris. Hactenus Hugo. cui recta quoque conſentit ratio: quemadmodum enim in vita corporali præter generationem, per quam vitam conſequimur, alia requiritur ratio, per quam & creſcimus, & ad perfectionẽ virtutis perducimur, ita in ſpirituali vita, quæ per generationem baptiſmatis acquiritur, opus eſt ſacramento confirmationis, per quam vita ſpiritalis ad perfectam vitam perducitur, & ſpiritus ſanctus datur ad perfectum robur.

Ratio inſtituti ſacramẽti confirmationis.

De cõſecratione.

Et propter ſacramentum baptiſmi, quod adiuuat ad credendum, confirmatio prodeſt in adiutorium fortitudinis ad audacter confitendum. ad hoc reordinatur, vt homo coram perſecutore fidem cõfiteatur audacter. & hoc eſt, quod ait Miltiades, In baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſma confirmamur ad pugnam. nam confirmatio ad huius mundi agones arma & inſtruit. ita Clemens Romanus in epiſtola prima ad ſuos diſcipulos dicit ſe à diuo Petro accepiſſe: ceteróſque apoſtolos domino iubente docuiſſe. idem Euſebius papa ad epiſcopos Campaniæ, & Fabianus papa & martyr ad epiſcopos orientales. Denique, vt Caluinus intelligat hoc ſacramentum nec nouum eſſe, nec inane figmẽtum, ſed adeò non vacare gratia, vt ſpiritum etiam gratiæ cõferat, ac veritatis, afferemus in medio, quid diuus Hieronymus de confirmationis ſacramento ſcripſerit. ait enim, Epiſcopus ſi imponit manũ, his imponit, qui recta fide baptizati ſunt, qui in patre, & filio, & ſpiritu ſancto tres perſonas, & vnam ſubſtantiam crediderunt. Arrianus verò, cùm nihil aliud crediderit, (claudite,

Spiritus ſanctus.

quæſo

quæſo, aures qui audituri eſtis, ne tantæ impietatis vocibus polluamini) niſi ſe in patre ſolo vero Deo, & in Ieſu Chriſto ſaluatore creatura, & in ſpiritu ſancto, vtriuſque ſeruo, quomodo ſpiritum ſanctum ab eccleſia recipiet, qui dum nec remiſſionem peccatorum conſecutus eſt? ſpiritus quippe ſanctus niſi mundã fidem non incolit, nec habitator eius templi efficitur, quod antiſtitem non habet veram fidem. Quòd ſi hoc loco quæras, quare in eccleſia baptizatus niſi per manus epiſcopi non accipiat ſpiritum ſanctum, diſce hanc obſeruationem ex ea auctoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſionem domini ſpiritus ſanctus ad apoſtolos deſcendit, & multis in locis idem factitatum reperimus. Hactenus Hieronymus, cuius ſententiæ cùm alia multa ſcripturę loca ſubſcribunt, tum ille multò clariſſimè, qui in actis apoſtolorum declarat, quòd populus, qui antè baptizatus eſt in Samaria, deſcendentibus ad eos Petro & Ioãne, ac manus eis imponentibus, accepit ſpiritum ſanctũ. Demiror igitur, quid in mentem Luthero venerit, vt confirmationem pro ritu tantùm ac cæremonia contẽdat habendam, pro ſacramento verò neget, quę non ſolùm ſanctorum teſtimonio doctorum, & totius eccleſię fide, ſed etiam ſacræ ſcripturæ clariſſimis locis oſtenditur, viſibili ſigno manus pontificię, non gratiam tãtùm, ſed & ipſum gratiæ ſpiritum conferre. Deſignat ergo Caluinus confirmationis ſacramentum contemnere, quod miniſtri dignitas, eccleſiæ auctoritas, & ipſius ſacramenti commendat vtilitas.

Cur ſoli epiſcopi baptizatis manus imponũt, vt accipiãt ſpiritum ſanctum.

De pœnitentia, atque de eius partibus, contritione ſcilicet, ſatisfactione, & confeſſione. *Cap. VIII.*

QVanquàm vniuerſalis concilij Tridentini de ſacramento pœnitentiæ, ac de eius partibus enarratio tot habet ex ſcripturis, ex concordi patrum ſententia, atque plurium conciliorum diffinitionibus, illuſtria teſtimonia: quia tamen non adhuc pudet Caluinum, vt alios prętercam, tam ſanctam doctrinam oppugnare, nec etiã me pigebit, lector, ſumma breuitate, (properamus ſiquidem iam ad finem venire) nihil omittere eorũ, quæ in tota illa ſua inſtitutione, ſcilicet Chriſtiana, de partibus huius ſacramenti, ac de ipſo ſacramẽ-

Lib.6.c.19. ſect.14. to ſatis procaciter iactat. Principiò docet nõ eſſe ſacramẽtum nouę legis à baptiſmo diſtinctum, ſed idem eſſe cum baptiſmo ſacramentum: immo credit non nouum eſſe Chriſti baptiſmum ab illo, quo vtebatur Ioannes, ſed omnino eundem. inde eſt, quòd baptiſmum vocat ſacramentum pœnitentiæ. deinde docet cum aliis hęreticis pœnitentia non remitti peccata, ſed fide apprehendi remiſſionem, quæ ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti nobis contigit, quam ſequuntur pœnitentia, per totam vitam obedientia, & aliæ virtutes. ad hæc pœnitentia duabus partibus conſtare dicit, mortificatione nimirũ, & viuificatione. item etiam nos irridet, quòd pœnitentiam vocemus ſacramentum, cùm ipſa ſacerdotalis abſolutio ſolùm eo nomine poſſit gaudere. delirat profectò ſenex iſte, neſciens quid neget, neque quid affirmet, immo neque quid oppugnet. poſtremò nullum eſſe hîc ſacramentum omni peruicacia defendere contendit, atque multò minùs adducitur, vt ſatisfactionem partem tertiam admittat. Nos itaque lector, quoniã ex his plurima tetigimus libro primo & quinto, tãtùmmodo proſequemur ea, quæ videntur hîc ſingularia, ac rei pręſenti propria. parum pertinet ad noſtram cum hæreticis contentionem, ſiue dicamus, vt quidam dicunt, ſolam formalem abſolutionem habere hîc cauſalitatem, quẽadmodum in ſacramento euchariſtiæ, & ita ſacramentum hoc ratione formæ operari remiſſionem peccatorum, ſiue etiam cum aliis affirmemus, quòd totũ ſacramentum pœnitentiæ, compoſitũ ſcilicet ex actibus pœnitentiæ, contritione, ſatisfactione, confeſſione, atque ex ipſa abſolutione, ex quibus vnum fit ſacramentum, remiſſionem peccatorũ operatur, ratione vtriuſque partis, principaliter tamen ratione formæ, ſecundariò autem ratione actuũ pœnitentis, vt clauibus eccleſiæ ſubordinantur. vtraque enim pars & formalis & materialis diuinæ miſericordię inſtrumentum vnum conſtituunt: ſicut hoc ipſo, quòd aqua adhibetur ad baptizandum, Deus ea vtitur, vt parte materiali ſui inſtrumenti ad regenerandos ſibi filios. ſed ſuper his vobiſcum non contendimus. quamobrem mirari te ſatis non poſſum, tam impudentem, tam impurum, támque ſuperbum atque

Quid faciat remiſsionem peccatorum.

S.Th.in 4. diſt.22. & Scot.ibid. Thom in 3. par.q.86. art. vlt.

elatum. dicis nanque, *In ſua propria arena iſtas belluas conficiant ſi vllum ſacramentum hîc eſt, profectò ſacerdotalis abſolutio eſt:* hoc vocas Caluine conficere? ſanctos appellas belluas? vide, quàm facilè à tuo telo liberemur. ſacerdotalis abſolutio forma eſt ſacramenti ſecundum aliquos, & quidem præcipua pars in hoc cæleſti inſtrumento, vt vides, ceteræ verò partes in ordine ad eam habent rationem materię: ſecundum aliquos ipſa ſacerdotalis abſolutio eſt tota ratio ſacramenti, quę habet actus pœnitentis quaſi pro materia. neque hic punctus controuerſiæ eſt, ſed an ſit aliud ſacramentum pœnitentiæ à baptiſmo diſtinctum. *Ementitum hoc ſacramentum ornarunt, quo decebat elogio, ſecundam eſſe tabulam poſt naufragium: quia ſi quis veſtem innocentiæ in baptiſmo perceptam peccando corruperit, per pœnitentiam reparare poteſt:* ſed dictum eſt Hieronymi. *Cuiuſcunque ſit, cùm planè impium ſit, excuſari nequit:* ſolúſne in hac ſententia eſt diuus Hieronymus? an non beatus Ambroſius in libello de virgine corrupta, atque Tertullianus in libro de pœnitentia eãdem ferè ſententiam ſimul cum verbis vſurpãt? non dixit diuus Hieronymus baptiſmum renouari pœnitentia ſolùm, ſed ſecundam eſſe tabulam, hoc eſt, ſacramentum ab illo priori diſtinctum. *Miror, qua fronte auſint cõtendere confeſsionem, de qua loquuntur, eſſe iuris diuini: cuius equidem vetuſtiſsimum eſſe vſum fatemur, ſed, quem facilè euincere poſſumus, olim fuiſſe liberum. certè de ea nullam ſtatutã fuiſſe legem, aut cõſtitutionem ante Innocẽtij tertij tempora, eorum quoque annales narrant, & luculenta teſtimonia extant tum in hiſtoriis, tũ apud antiquos alios ſcriptores, quæ doceant hanc fuiſſe politicam diſciplinam, ab epiſcopis inſtitutam, non legem à Chriſto, aut ab apoſtolis poſitam:* diuini iuris eſſe ſacramentalem confeſſionem, ídque longè ante tempora Innocentij III. fuiſſe à tota eccleſia creditũ, latiſſimè probat Alphonſus de Caſtro, magiſter quondã meus, vir omniũ opinione antiquis patribus paulò inferior, multis productis teſtimoniis Cypriani, Origenis, Auguſtini, Baſilij, Chryſoſtomi, plurimorúmq; aliorũ. id etiam non minùs doctè deducit Iacobus Latomus in libello, quẽ de cõfeſſione fecit aduerſus Oecolãpadiũ. idem latiſſimè docet, & proſequitur aduerſus Eraſmũ,

Sect. 17.

In cap. 3. Ieſ. & in epiſt. ad Demetr. & in epiſt. ad Pãmach. & Occeanum.

qui Caluino conſentit. ſcripſit & frater Gaſpar Sagerus ordinis Minorum de hac re tractatum. Roſenſis contra Lutheri Babylonicã captiuitatem latiſſimè tractat, Albertus item Pighius in ſuo opere de eccleſiaſtica hierarchia. deſino referre alios, quòd ij ſufficiẽter fidei noſtræ cauſam contra hæreticos egiſſe, euangelij teſtimonio, patrum ſententiis, pontificúmque decretis ante Innocentium latis armati, ac muniti nobis viſi ſunt. quamobrem ad cetera, quæ obiicit Caluinus, properabimus.

Tripart. hiſtor. lib. 9. c. 35. *Vnum duntaxat è multis proferam, quod non obſcurum eius rei documentum erit. refert Sozomenus fuiſſe hanc epiſcoporum conſtitutionem diligenter obſeruatam in eccleſiis occidẽtalibus, præſertim verò Romæ. vnum etiam è presbyteris peculiariter deſtinatum fuiſſe dicit, qui huic muneri praeeſſet. ſubiicit deinde eum quoque morem Conſtãtinopoli fuiſſe, donec matrona quædam confitentem ſimulans; ea ſpecie, conſuetudinem, quam habebat cum diacono, prætexuiſſe deprehenſa eſt ob id facinus Nectarius, vir ſanctitate & eruditione clarus, illius eccleſiæ epiſcopus, confitendi ritum abrogauit. immo non Conſtantinopolitana tantùm, ſed orientales omnes eccleſiæ vſque ad Sozomeni tempora hanc legem de confeſſione auriculari neglexerunt:* de Sozomeni hiſtoria, vt iam antè me dixiſſe recordor, beatus Gregorius, ad Elogium, & Anaſtaſium epiſcopos ſcribens, epiſtola 195. non ipſam probari Romanæ & apoſtolicæ ſedi conſtanter affirmat, quòd multa ibidem legantur falſa, mendacia, ac malignè conficta. ſuſcipiatur tamen eius narratio circa

Lib. 5. c. 19. factum Nectarij, modò illuſtretur, & ſuppleatur per ea, quę de eodem Nectario Socrates ſcribit: vt ſcilicet non confeſſionem ille ſuſtulerit, abſit, ſed quòd vnus certus presbyter pœnitẽtibus deputaretur, apud quem omnes poſt baptiſmum ſua peccata confiterentur, quemadmodum teſtatur Socrates. ante illam enim epiſcoporum cõſtitutionem liberum erat ex pluribus presbyteris per epiſcopum deputatis vnum aliquem eligere. quod clarè teſtatur hiſtoria Serapionis ſenis apud Euſebium lib. 6. cap. 44. Cõtinebat etiam hæc epiſcoporum adiectio, vt habet Sozomenus, quòd ad epiſcopũ referret hic pœnitẽtiarius peccata audita, maximè enormia, quãuis ſecreta: vt per ipſum publicè, velut in theatro, recitarentur in

Appẽdix ab epiſcopis ſacramẽto pœnitentiæ quo ad duo appoſita per Nectarium abrogatur, non ipſa cõfeſſio.

eccleſia de hac publica recitatione legimus apud Augu. homil. 50. & apud Origen. homil. 1 pſal. 3. hanc igitur appendicem, ſeu adiectionem epiſcoporũ, quo ad vtranque ſui partem abrogauit Nectarius, non confeſſionem ipſam diuinam. atqui diuus Chryſoſtomus Nectarij in epiſcopatu hanc quaſi theatralem confeſſionem, quam in odium Nouatianorum epiſcopi inuexerant in eccleſiam non eſſe neceſſariam, ſed omnino prætermittendam, pluribus in locis docet, non autem confeſſionem apud ſacerdotem Chriſti vicarium & miniſtrum eſſe ſecretò faciendam negat, hom. 2 in pſal 50. ſermone de pœnit. & confeſſ. hom. 4. de Lazaro. porrò Chryſoſt. apertiſſimas ſententias habemus tam de remiſſione altera, homil. in cap. 11. ad Hebr. quàm de poteſtate remittẽdi peccata in terris, lib 3. de ſacerdotio. rurſum in cap. 8. ad Hebr. immo & de confeſſione hom. 3. & 33. in Ioã. & ſuper Geneſ. hom. 26 quare cauẽdus omnino Muſculus in titulo capitis 16. Sozomeni. vertit enim, Quomodo priuata confeſſio ſublata ſit Conſtãtinopoli, cùm Sozomenus ſic habeat, Quomodo & quam ob cauſam ſublatus ſit in eccleſia pœnitẽtialis preſbyter, & operoſus labor circa modum pœnitentiæ. Hæc mihi inter alias cõmodiſſima ſolutio viſa eſt, quam ſi copioſiùs ac latiùs legere libeat Chriſtiane lector, eam elegãter expreſſam reperies apud virum omni eruditione & pietate clarum Ruardum Tapper tomo primo ſuorum operum de ſacramento pœnitentiæ poſt Ioannem Haſſelanũ in reſponſione, quam in concilio Tridentino ad patres habuit de hac hiſtoria Nectarij, virum certè, vt etiã nos ab iis, qui eum vſu & conſuetudine ſatis nouerũt, accepimus, in literis ſacris, & in hiſtoriis antiquis, atq; in linguis mirabiliter exercitatum, nec multum ab hoc diſſentit Hoſmeiſterus in locis ſuis communibus. Tãdem ſtylum vertit Caluinus aduerſus ſaluberrimam cõſtitutionem eccleſiæ in generali Lateranenſi concilio editam de cõfitendo ſemel in anno. ac poſt multa ſcurriliter in totam eccleſiam iactata, quòd legem imponamus de omnium peccatorũ enumeratione, & quòd peccatũ dimitti negemus niſi ſub conditione, ſcilicet ſi votum confitendi firmiter conceptum fuerit, nullo modo

Diuus Chryſoſt. theatralem publicationẽ peccatorũ fieri vetuit, non auricularem & ſecretam confeſſionem.

De peccatorum enumeratione. eſſe ferenda cenſet. *Omnidne peccata enumeranda ſunt? at David exclamabat, Errores quis intelligit? nimirum intelligebat, quanta eſſet peccatorum noſtrorum abyſſus, quàm multæ ſcelerum facies, quàm longam caudam trahat hæc hydra. non ergo ad recenſendum catalogum ſe conferebat, ſed de profundo malorum clamabat ad dominum, Obrutus ſum, ſepultus ſum, immerſum alto puteo, deficientémque manus tua extrahat. Quis ſuorum peccatorum nũc ſupputationem cogitet, vbi David videt ſuorum numerum inire non poſſe?* de peccatorũ enumeratione Caluine firmiter tenemus eam requiri, atque etiam ſufficere, quæ poſt conſcientiæ diligentem diſcuſſionem memoriæ occurrũt. quemadmodum & tu non negas coram Deo ſingula delicta eſſe confitenda.

Eſaiæ 38. Recogitabo tibi domine, inquit ille rex Ezechias, ęgrotans ad mortem, omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. nec vlla ſe hîc carnificina diuexari ſentiũt, qui ex animo reſipiſcũt, & qui fideliter vulnera ſua medico exponere ſtudent, vt ſanẽtur. Quòd autem peccata non remittantur in cælis ſine voto confitendi, nullúſque ſuperſit paradiſi ingreſſus, ſi facultas neglecta fuerit, ex verbo ſaluatoris Ioannis 20. veteres patres, ac vniuerſalia concilia collegerunt. Sed hęc dicta ſufficiãt.

De extrema vnctione, quòd ea verè, propriè, & vniuocè ſit ſacramentum legis gratiæ. *Cap. IX.*

Ioan. 19. *Iacob.* 5. POſtquam negauit Caluinus vnctionem illã, de qua Iacobus apoſtolus loquitur, eſſe ſacramentũ, dixitque eam non ad hanc ætatem, ſed tantùm ad apoſtolorum tempus pertinuiſſe, fuiſſéque ſolùm curationum gratiam, hæc addidit, *Quãquàm etiam ſi obtinuerint, huic ætati cõuenire, quod de vnctione à Iacobo præcipitur, (à quo longiſſimè abſunt) nec ſic quidem adhuc multum promouerint in approbanda ſua vnctione, qua hactenus nos illeuerunt. Iacobus omnes homines vult inungi: iſti non infirmos, ſed ſemimortua cadauera, ſua pinguedine inficiunt, cùm iam anima in primoribus labris laborat, vel, vt ipſi loquuntur, in extremis. ſi præſentem habent medicinam in ſuo ſacramento, qua vel morborum acerbitatem leniant, vel ſaltem aliquod ſolatium animæ afferant, crudeles ſunt, qui nunquam in tempore medentur. Iacobus vult infirmum inũgi à ſenioribus eccleſiæ,*

iſti vnctorem non admittunt, niſi ſacrificulum: vnctionem illam, qua ægroti, iuxta ritum à beato Iacobo declaratum vnguntur, non curationum gratiam, ſed ſacramentum verè & vniuocè cum aliis eſſe, habereq; omnia ad conſummatam ſacramenti rationē neceſſaria, poſt Florentinum concilium ac Tridentinum facile erit probare ex duplici loco ſcripturarum, adiuncta ſanctorum patrum antiqua interpretatione. prior locus eſt, qui habetúr ſexto Marci cap. Exeuntes, ait, prædicabant, vt pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabantur. hac porrò olei vnctione nemo ſanæ mētis homo dixerit, ſua ipſorum auctoritate, ac non magis Chriſti mādato ſanctos apoſtolos fuiſſe vſos. non enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſupra dominum ſuum. neque licebit coniicere non tam conſideraſſe Chriſti diſcipulos naturalem olei virtutem ad ſananda corpora, quàm ſupercæleſtem Chriſti inſtitutionem cum diuino mandato pro ſaluandis animabus, tum quòd non omnibus ægritudinibus oleum ſolet accommodari, tum etiam quòd nulla ex tali curatione confirmatio ſumi poterat euangelicæ doctrinæ, quam verbo prædicabant, atque ſignis confimabant. accedit vltimò, quòd non chyrurgos, aut medicos, vt corporibus tantùm mederētur, ſed multò magis animarum curatores eos Chriſtus dominus creauerat. vt ex his omnibus colligamus præfatam olei vnctionem ab ipſo domino apoſtolis mandatam, atque ab eis factam ſanādæ animæ magis, quàm corporis rationem habuiſſe, ac proinde ſacramenti, quod magis ad ſpiritualem ſalutem, quàm corporalem pertineret. non ſunt Caluine trecentenarij theologi, qui ita ex hoc loco ſolùm colligant, ſed antiqui patres, Beda imprimis in commentariis ſuper Marcum. vbi etiam oleum hoc pontificali benedictione debere conſecrari, iuxta antiquiſſimum morem eccleſiæ ponderat. idem Theophilactus, prædicta Marci verba interpretans, ad vltimam vnctionem, & ad ſpiritualem gratiam verba euangeliſtæ trahit, docens ex eo gratiæ promiſſionem huic vnctioni à Chriſto in ſua inſtitutione fuiſſe datam. de virtute ſpirituali, quam apoſtoli non tam cer-

Vnctio eſt ſacramentum.

Matth. 10

poribus, quàm animis illo ſancto oleo tribuebant, locū hunc Marci ſimiliter interpretatus eſt diuus Hieronymus. Si igitur vnctio hæc nō eſt conceſſa ad ſolam corporis medelam, ſed ad augendam potiùs animæ gratiam, vt hi ſancti vno ore nos docent, quò fortior tunc ſit anima, cùm dæmon vehemetiùs homines vrgere in malum ſolet, ſanè quidem planiſſimè conuincitur vnctionem illam non eſſe dicendam gratiam ſanitatum, ſed viſibile ſacramentum, ſpiritualis ſalutis contentiuū.

Iacobi 5. Sed veniamus ad ſecundum ſcripturæ locum, qui certè faciliùs poterit hanc hæreſim apertiſſimè confutare. beatus ſiquidem Iacobus in ſua canonica ita inquit, Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vngentes eum oleo, in nomine domini. & oratio fidei ſaluabit infirmū, & alleuabit eum dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Vides, oleum ſacrum, velut materiā, hîc ex verbis apoſtoli conſtare: vides, ſacerdotis orationem formæ loco exprimi: vides, præcipuum vnctionis effectum verbis illis declarari, Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. quæ apoſtoli verba verſans beatus Auguſtinus in libro 2. de viſitatione infirmorum, ſic inquit, Poſtquam docuit infirmum debere confiteri, atque ſanctiſſimam euchariſtiam ſumere, nec prætermittendum eſt illud apoſto. Iacobi præceptum, Infirmatur quis in vobis, &c. ergo ſi roges de te, & pro te fieri, ſicut dixit apoſtolus Iacobus, immo per apoſtolum ſuum dominus, ipſa videlicet olei ſacri delibutio, intelligitur ſpiritus ſancti typica vnctio. Hæc Auguſtinus. Vides Caluine diuum Iacobū huius ſacramenti præconem duntaxat extitiſſe, non autem inſtitutorem. non ſecus præfatum Iacobi locum interpretatur Innocentius primus in quadam epiſtola ad Decentium Eucopinum epiſcopum cap. vlt. vbi etiā ipſum oleum ſanctum debere ab epiſcopo confici iuxta antiquam eccleſiæ conſuetudinem tradit. quo magis Caluini mendacium clareſcit, aſſerentis recentem admodum eſſe huius ſacramenti inſtitutionem. Innocentius ſiquidem ante mille & centū annos eccleſię vniuerſali præfuit. quid plura? venerabilis Beda ſuper eo apoſtoli loco diſertis verbis confirmat non aliā nunc con-

ſuetudinem eccleſiam tenêre circa vltimæ vnctionis ſacramentum, quàm quod apoſtolos feciſſe in euangelio legimus. neq; hîc Caluini calumniam reticebo, lector: is enim in loco ſuprà citato volens probare extremam vnctionē ſacramentum non eſſe, neq; ſolos ſacerdotes ipſius miniſtros eſſe, hæc ait, *Referunt enim Innocentium papam, qui Auguſtini ætate Romanæ eccleſiæ præfuit, inſtituiſſe, vt non presbyteri modò, ſed omnes etiam Chriſtiani oleo vterentur in ſuam, ſuorúmq; neceſſitatem vngendo. auctor Sigibertus in chronicis:* teſtaris profectò te nō legiſſe Innocentium, ſed fragmentum neſcio quod ex chronicis Sigiberti diſcerpſiſſe: quòd ſi ipſum pontificē legiſſes, eiuſque ſententiæ acquieſcere voluiſſes, planè cognouiſſes vnctionem olei à beato Iacobo deſcriptam, quæ non modò oleum, ſed etiam verba complectitur à ſolis presbyteris, aut epiſcopis poſſe miniſtrari. quòd ſi ſimplicem tantùm olei vſum, non autem, vt verba, quibus hoc ſacramentum conficitur, dicerent, cuilibet Chriſtiano Innocentius conceſſit, nihil catholicæ veritati obſtat, quando non conceſſit, vt reliqua faceret, ex quibus à vero miniſtro peractis integrum conſtare poſſet ſacramentum. hanc Chriſtianam veritatē ſæpe nos eccleſia docuit in concilio, præſertim Florentino, ac nuper Tridētino: vbi ex apoſtolica traditione, per manus accepta, eccleſia dicitur didiciſſe ex verbis Iacobi, materiam, formam, proprium miniſtrum, & effectum huius ſalutaris ſacramenti, quemadmodum latiſſimè, & ſatis eleganter eadem ſynodus Tridentina explicat, & enarrat.

Calumnia Caluini.

Soluuntur Caluini obiectiones quatuor.

Ex iis omnibus facile erit cuiuis pueriles ac friuolas Caluini captiunculas diſſoluere. primò enim nobis obiicit, cur nō aliquam natatoriam Siloe deſtinemus, in quam certis temporum vicibus ſe immergant malè habentes? cur non mortuis incubamus, quoniam puerum mortuum Paulus ſuſcitauit? cur non lutum ex ſputo & puluere legis gratiæ ſacramentum magnum faciamus? non eſt hoc nouum tuum argumentum Caluine, vſi ſunt certè eo Lutherani, Vuirtembergenſes, & alij ſimiles. quaſi verò ideo vnctionem ſacramentum eſſe nos dicamus, quòd apoſtoli ea vnctione ægrotis ſanitatem

corporis conferrent, & non magis quòd ſi corpora vngentes, animã ad bonum per gratiam roborarẽt, quam Deus ipſis vnctis per apoſtolorum miniſterium tunc dabat, atque nunc per ſacerdotum manus confert. vt vel hac ratione illud de natatoria Siloe, ac rurſum illud de luto ſatis de leuitate, ac cęcitate vos accuſare poſſit. neque enim præceptum nobis ibi datum eſt, neque ea facta gratiæ promiſſionem perpetuo ſeruandam in eccleſia continebat: quæ duo neceſſaria eſſe ad verũ & proprium legis gratiæ ſacramentũ, vos ipſi teſtes eſtis. Secundò ſic obiicit. *Affirmant quidem eandem etiam nunc vim ſuæ vnctioni ineſſe, ſed aliter experimur*: nos dicimus, & affirmamus certiſſimum huius ſacramenti effectum non tam eſſe corporis ſanitatem, quę aliquãdo poſt vnctionem non habetur, quàm animæ conſolationem & robur per gratiam, quam Deus ſemper, niſi malitia obſtet, animę ægrotanti confert, vt dæmoni, tunc fortiter tentanti, viriliter ac vehementer reſiſtere queat. cuius quidem rei experientiam Caluinum non habere non miramur: nobis ſiquidem ea res tantùm fide tenetur. Tertiò ſic argumentatur, *Iacobus omnes infirmos vult inungi, iſti non infirmos, ſed ſemimortua cadauera ſua pinguedine inficiunt, cùm iam iam anima in primoribus labris laborat. vel, vt ipſi loquuntur in extremis. Si præſentem habent medicinam in ſuo ſacramento, qua vel morborum acerbitatẽ leniant, vel ſaltem aliquod animæ ſolatium afferant, crudeles ſunt, qui nunquam in tempore medentur*: eodem, vt video, in luto hæres: ſic enim nobiſcum agis, ac ſi nos diceremus certiſſimũ huius ſacramenti effectum eſſe ſanitatẽ corporalem, atque ad hoc tantùm fuiſſe inſtitutum, vt corporum duntaxat, & non potiùs animarum ſit medicina. quòd verò dicis, nos hanc vnctionẽ illis ſolis miniſtrare, qui in extremis laborant, vel de quorum ſalute deſperatur, manifeſta eſt calumnia, & apertiſſimum mẽdacium. eccleſiæ regula, aut conſuetudo non quidem certè hoc habet, ſed docet, & hortatur, vt omnes, qui propter infirmitatem habent mortis periculũ veriſimile, hanc olei ſacri vnctionem recipiant, quò tunc gratię robur per hoc ſacramentum accipiant, quando fortiùs à dæmone affliguntur. quod in minutis & leuibus infir-

Vnde dicatur extrema vnctio.

mitatibus non contingit. dicitur verò extrema vnctio, nõ quòd ad ſemimortua cadauera applicetur, ſed quòd vltima ſit ex illis quatuor vnctionibus, quas eccleſia Chriſtianis omnibus adminiſtrare cõſueuit. prima eſt, qua catechumeni vnguntur, altera, qua iam baptizati, tertia, qua vnguntur, qui confirmationis ſacramentum percipiunt, quarta, qua per manus ſacerdotũ ęgroti vnguntur, cùm aliquod habent mortis periculum. & quia hæc eſt vltima, ideo vocata eſt extrema à recentioribus theologis, ab antiquis verò patribus vnctio ægrotãtiũ, aut infirmorum. Vltimò ſic nobis obiicit Caluinus, *Iacobus vult infirmum vngi à ſenioribus eccleſiæ, iſti vnctorem non admittunt, niſi ſacrificulum*: nouerũt omnes idem eſſe Græcè presbyter, quòd Latinè ſenior: ſed ſcriptura diuina ſeniores eos non ætate, ſed ſapientia & munere præſtantes vocare conſueuit: & quia ſapientẽ eſſe eum, qui dignitate ſacerdotali decorãdus ſit, ideo ſacerdotes potiùs, quàm alios eadem ſcriptura presbyteros appellat. legatur de hac re Anacleti papæ, qui fuit à beato Petro presbyter ordinatus, epiſtola 2. cuius argumentum eſt, Quales oporteat eligi ſacerdotes. ij ſunt illi presbyteri, de quibus Paulus ad Titum loquitur, dicens, Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. in quibus verbis epiſcopos, qui etiã ſacerdotes ſunt, presbyteros nominauit, prout omnes doctores ſacri interpretantur. nec enim Titus eos, qui ſenes non erant, ſenes facere poterat. Demum quòd de ſacerdotibus ſolis beatus Iacobus fuerit locutus, diuus Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio his præclaris verbis confirmat, Neque enim ſolùm cùm nos regenerant, ſed poſtmodum etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem ſacerdotes Dei obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accerſat presbyteros eccleſiæ, hoc eſt, ſacerdotes, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei ſaluum reddet laborantem, & eriget eum dominus: & ſi in peccatis erit, remittentur ei. Hactenus diuus Chryſoſtomus, ſacerdotum dignitatem laudans, atque nos de vnctionis vltimæ ſacramento.

Qui dicãtur presbyteri.

Tit. 1.

De ſacramento ordinis agitur, vnum eſſe ſacramentum vnitate integritatis monſtratur, omnibus ſuis gradibus fuiſſe Chriſtum vſum, ex euangelio oſtenditur, ordines minores à Caluini obiectionibus vendicantur, atque circa maiores multa pro catholica veritate ſimul colliguntur.

CAP. X.

SExtum locum in ſacramentorum catalogo tenet ſacramentum ordinis. cùm autem diuina res ſit ſacerdotij miniſterium, cõſentaneum ſanè fuit, quò digniùs, & maiori cum veneratione exerceri poſſet, vt in eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diuerſi eſſent miniſtrorũ ordines, qui ſacerdotio ex officio deſeruirent, & ita diſtributi, vt, qui iam clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad maiores aſcenderent. nam non modò de ſacerdotibus, ſed de diaconis ſacræ literæ apertam mẽtionem faciunt, & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda ſunt, grauiſſimis verbis docẽt, & ab ipſo eccleſiæ initio ſequentium ordinum nomina, atque vniuſcuiuſque eorum propria miniſteria, ſubdiaconi ſcilicet, acolyti, exorciſtæ, lectoris, oſtiarij, in vſu fuiſſe cognoſcuntur, licèt non pari gradu. etenim ſunt qui minores ordines inter numerum ſacramentorum nõ referunt, ſubdiaconatus autem ad ordines maiores à patribus ſacríſque conciliis refertur. quare etſi partialia plura eſſe hîc ſacramẽta videantur, ratione tamen finis, ſacerdotij ſcilicet, vnum æſtimantur completum ac perfectum, quamuis non ſolùm gradus plures, ſed formæ partiales ſint plures diſtinctę & materiæ immo & characteres. ſubdiaconatus enim, ac diaconatus ſacramẽti ordinis partes ſunt: epiſcopatus verò aut idẽ eſt cum ſacerdotali charactere, aut certè ſi alius ibidem confertur character, non aliud eſt ab ordine ſacramentum, firmum ſtet omnino ſeptem tantùm eſſe nouæ legis ſacramenta. Neque veritate caret, quod à multis cõſideratum fuiſſe hîc reperio, nempe omnes eos gradus, quos ſacramentum hoc in ſe continet, ipſum Chriſtum exercuiſſe. oſtiarium ſiquidem ſe eſſe ſignificauit, cùm dixit, Ego ſum oſtium. atque cùm flagello vendentes & ementes è templo eiecit. lectoris munus aſſumpſit, cùm in ſynagoga Eſaiam legit. exorciſtæ officio fungeba-

Lib. 4. ſent. diſt. 34. c. 9. Opinio eſt Hug. altera verò Guliel. Pariſien.

Ioan. 10.
Ioan. 2.
Luc. 4.

tur, cùm linguam & aures ſurdi ac muti hominis ſaliua *Marc.16.*
tangentes, ei auditum reddidit. acolytum ſe eſſe his ver- *Ioan.8. &*
bis teſtatus eſt, Qui ſequitur me, non ambulat in tene- *13.*
bris. ſubdiaconum repræſentauit, cùm linteo præcin- *Matth. 26.*
ctus pedes diſcipulorum lauit. diaconi verò perſonam *27.*
ſuſtinuit, cùm corpus & ſanguinem in cœna diſtribuit. *Cal ſect.23.*
ſacerdotis tandem compleuit partes, cùm in cruce patri ſe oſtiam obtulit. Hæc ſine riſu à te Caluine audiri non poſſunt: verum eſt: at à piis animis & candidis abſque riſu, immo magna cum obſeruatione excipiuntur. non quòd ex his locis fidei noſtrę firmitudinem certò colligamus, ſed quòd fidei eccleſiæ, quæ omnibus ſæculis viguit, valde ſint hæc cõſentanea. rideto tu, donec omnem cachinnum exhaurias, nos flebimus, quòd ita à nouitiis hominibus antiquitas irrideatur. licèt ſi his conuiciis ſeriò refellendis inhæream, iure & ipſe quoque irridear, adeò ſtulta ſunt & ludicra.

Obiicit inter alia hîc nobis Caluinus, quòd creemus eximia pompa ac ſolennitate lectores noſtros, pſalmiſtas, oſtiarios, acolytos, ad ea miniſteria exequenda, quibus vel pueros, vel certè, quos laicos vocamus, præficimus. quis enim cereos vt plurimùm accendit. quis vrceolo vinum & aquam infundit, niſi puer, aut ex laicis aliquis? quærit ſimiliter, quis in noſtris templis viderit acolytum, aut oſtiarium ſuo munere fungentem, & plura alia, quæ referre horreo: atq; ſtatim inclamat, *En cur ſacramentis conſecrari, & ſpiritum ſanctum accipere neceſſe habeant, nempe vt nihil agant*: ò Caluine tuo furore vtitur nũc Deus, vt ſolet aliâs ſæpe iniquorum hominum flagello, ac vocibus populum ſuum excitare, & temporum peruerſitatẽ corrigere, vbi quilibet miniſteria ſua deſerere, ac negligere videntur. ſunt in Hiſpaniis quædam eccleſiæ, cuiuſmodi eſt Palentina, Burgenſis, Calagurritana, & neſcio, an ſint aliæ, quę ſummo ſtudio eos gradus in ſuis diœceſis cuſtodiri faciunt, ſignatis ſufficientibus redditibus, quos niſi in eo gradu conſtitutus ſit miniſter, atque alioqui doctus nunquam obtinet. ſperamus ſemper meliora. ut verò verbo ſimplici tibi reſpõdeam, dico tam ardenti deſiderio cupere nos eiuſmodi graduum pulchritudinẽ cuſtodiri in eccleſia, quã

certò credimus à Deo eos gradus profluxiſſe. Sed eccleſia his omnibus, quanta debet diligentia prouidere, curabit.

Cal ſect.24. Quid inſanis ò homo? quid furis ſerpens tortuoſe? quid oblatras furia? *Nouitium eſt hoc inuentum de ſeptemplici ſacramento in ordinibus eccleſiaſticis: de quo nuſquam alibi, quàm apud ineptos iſtos rabulas, ſorboniſtas, & canoniſtas legitur*: deſine iam vetule mentiri, deſine iocari homo rudis: num Ignatius, euangeliſtæ Ioannis diſcipulus, cùm eos gradus ſummo cum honore & ordine recēſet duobus in locis, in epiſtola ſcilicet ad Trallianos, & in altera ad Antiochenſes, ineptum rabulam imitabatur? ò frons! ò pudor! ergo Caluine concilium Carthaginienſe quartum rabulis ineptis conſtitit, quippe quod modū, quo eiuſcemodi gradus eſſent conferendi, & à quibus tā longè determinat, inchoans à capite primo vſq; ad decimū incluſiuè. hos habuerunt patres, hos præceptores ſorboniſtę, ac canoniſtæ, vt tu viros, multò te meliores, per cōtēptū vocas. omitto, quòd in ipſis etiam canonibus apoſtolicis presbyterum, diaconum, ſubdiaconum, lectorem, & cantorem legimus, can. 42. & 43. Si de hac re ampliùs noſſe cupis lector, lege Hugonem de ſancto Victore libro ſecundo de ſacramentis, parte tertia: quo loco is doctor non ſpernendæ auctoritatis ſingulos ordines pertractat, eorum omnium poteſtatem & ordinationem declarans.

Calui.25. Iam de cæremoniis, quas adhibemus, videamus. principiò quoſcunque in militiam noſtram aſcribimus, cōmuni certè ſymbolo initiamus in clericatum. raduntur in verticè, vt corona regale decus ſignificet: quia reges eſſe debent clerici, vt ſe, atque alios regant. de his enim ſic loquitur Petrus, Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. quæ certè verba quāuis vniuerſæ eccleſiæ ratione Chriſti, qui rex noſter eſt, & ſanctus noſter, nos verè ſanctificans, tribui videantur: ea tamen ad ſacerdotium eccleſiaſticum, quod in eccleſia Chriſtus reliquit, referre nōnullis ſanctorum placuit. *Petrus totam eccleſiam alloquebatur*: ſit ita, verùm id ratione ſummi ſacerdotis noſtri Chriſti IESV, vel certè ea ratione, qua in eccleſia regale hoc

De raſura capitis.

1.Petr.2.

Lib.4 ſent. de 24. cap. Duo ſunt.

viget ſacerdotium, ad quod ordines vniuerſi tanquam ad finem perfectionis, referuntur. nõ detorquemus locũ hunc ad pauculos raſos Caluine, vt tu ſtultè opinaris, quaſi ſolis illis dictum ſit, Sancti eſtote, & quaſi ſoli illi Chriſti ſanguine ſint acquiſiti, ſed bene quaſi per illos cõſeruetur in eccleſia regnum, & ſacerdotiũ Deo. ad hæc ſummitas capitis denudatur clericis, vt eorum mens ad dominum libera demonſtretur, quæ reuelata facie cæleſtia contempletur: vel vt vitia oris & oculorũ doceamur eſſe præſcindenda: vel raſura capitis eſt temporalium depoſitio, circũferentia verò coronę reliquiæ ſunt bonorum, quæ ad ſuſtentationem retinentur. *Omnia in figuris, quia ſcilicet velum templi non dum eſt ſciſſum:* abſit à nobis tam horrẽda hæreſis Caluine, immo ſciſſum ac pluſquam contritum eſt. eiuſmodi figuris, quæ Chriſtum venturũ prænũtiabant, quis Chriſtianus homo, & nõ ſpurciſſimus Iudæus nunc vti velit? abi in malam rem cum ſuperſtitione tua iſta nebulo. figuræ, quas nos adhibemus, tantùm nos recordari cogunt eius ſtatus, quem initiò ſumus profeſſi, vt ipſum opere exequi moliamur, quos & veſtitus, & cultus, atque geſtus ipſe, & ipſa corporis figura, ſi ſecus cõtingat, vehemẽter arguere, ac de mendacio & ſacrilegio conuincere poterunt. nõ ſumus perſuaſi, vt tu nobis imponis calumniator, nos eſſe præclarè defunctos noſtris partibus, quòd talia per coronã noſtrã figurauerimus, niſi ea omnia re ipſa præſtiterimus. non ludimus hîc vllis fucis ac præſtigiis, ſed, ſi ludus eſt, nobis ſolis luditur, qui tot teſtes habemus vitæ noſtræ, quot eiſdem figuris pictos intuẽtur. *Nullum eſt hominũ genus rapacius, ſtupidius, libidinioſius iſtis hominibus, qui, detonſis aliquot capillis, ſignificant tẽporaliũ bonorũ abundantiã ſe abieciſſe, gloriã Dei contemplari, aurium oculorúmque cõcupiſcentiam mortificaſſe:* num Caluine, quia quidã homines malè ſunt vſi Dei verbo, ſacríſque literis, ea de cauſa procul recedere ſanctã ſcripturam iubebimus? num quia multi ſanctitatem veram non colunt, ſed ipſius tantùm ſpeciem bonis actibus ſimulant, protinus miſericordię opera, velut falſa & mẽdacia ſanctitatis ſigna, obelo notabimus? prauitas eſt iſta certè humani animi Ioannes, ſi quis re bona malè

Lib. 4. ſent. d. 24. cap. 1.

fuerit vſus, non ipſius rei, quæ in bonum allicere, atque propellere de ſe non ceſſat. cùm etiam nonnulli dicunt coronam clericalem ortum ducere à Nazaræis, nõ omnia noſtra myſteria à Iudaiſmo mutuamur, ſed ea tantùm, quæ viuentem ſemper habent ſignificationem, nempe ſanctitatis ac iuſtitiæ, quæ omni tempore Deo fuit accepta. hac ratione ponderatur à noſtris, quòd Paulus ſuſcepto voto ſibi raſerit caput. ſemper enim ea res ſanctitatis ac religionis ſignũ ſingulare habita eſt. Sed rem hanc de clericorum tonſura optimè verſat diuus Auguſtinus in libro De opere monachorum in fine, & in libro retractationum. tãdem aduertendum eſt, neminem neque antiquorum patrum, neq; theologorum ſenſiſſe primam tonſuram eſſe ſacramentum, quãuis bene ea inſigniri debeant, quotquot ad ſeptem gradus illos conſcendere habent. immo de quatuor primis gradibus nonnihil etiam attigimus.

Act. 18.

De tribus ordinibus maioribus.

Circa verò tres ordines maiores, nimirum *ſacerdotium*, diaconatum, ac ſubdiaconatum, nõ dico *more* hiſtrionum, qui nec ſine arte omnino geſticulantur, nec ſine aliqua apparentia nugantur, ſed perditiſſimi hominis, abſque vllo delectu quiduis obmurmurat, & loquitur. & audet dicere nullum apicem habere nos à Dei verbo, quod obtendere poſſimus, atque omnes, quotquot ſe ſacerdotes appellant, iniurios eſſe Chriſto, qui ſolus conſecratus à patre fuit ſacerdos cum iureiurando. quaſi alia ſit hoſtia incruenta noſtra ab illa cruenta Chriſti, & non magis omnino eadem cum illa, quam pridie, quàm pateretur Chriſtus, in cœna obtulit, tradito nobis præcepto, vt in ipſius commemorationem faceremus. Sicut igitur nũc cęli tabernaculum ingreſſus, ita pro nobis intercedit, vt eccleſiaſticę orationes, & fidelium interceſſiones non ſint iniuriæ illi ſuæ æternæ: ſic hoſtia, quam ſemel obtuli æternæ propitiationis & expiationis, eccleſiæ hoſtiã, per quam prioris illius ad nos applicatur virtus atque fructus, non tollitur, ſed magis roboratur: eſt enim verum illius hoſtiæ memoriale hoc, vbi Chriſtus ſumitur & recolitur memoria paſſionis eius. quod in Chriſto fuit proprium & ſingulare, nemo ſecum communicatum dicat, quòd verò idẽ ipſe

Sacerdotium eccleſiaſticũ Chriſti oblationi minimè eſt iniuriũ.

ipſe in ſuos contulit, cur ab eo acceptum negabimus? ipſi vni ſingulare fuit ſua oblatione Deum placare, & peccata expiare. ſi quis id ſibi vſurparet, impius & ſacrilegus foret. quamobrem non ſic offerre nos voluit, ſed ſicuti ipſe antè ſuum ſanguinem ſacramentaliter vero ſacrificio, vt ſancti ſemper intellexerũt, & ſuum corpus tradidit, ac patri obtulit, ita iuſſit, vt nos faceremus. hi ſunt euangelici ſacerdotes. hi veri immolatores. *Christus mandatum de prædicando euangelio, paſcendóque grege nõ de hoſtiis immolandis dedit:* immo dedit Caluine. Hoc, inquit, facite in meam commemorationem. hinc etiam etiam diuus Paulus dicebat, eos presbyteros honorandos maximè fore, qui laborarent in verbo ac doctrina. vt vel hac ratione ſacerdotis munus à prædicationis mandato formali, immo reali conſideratione diſtinctũ eſſe planè videatur. *Cal. ſect. 28.* *1. Tim. 5.*

Iam verò circa cęremonias, quibus eccleſiaſtici ſacerdotes initiari ſolent, maleuolus iſte multa inuenit, quæ impium ſuum animum offendunt. Inſufflationem cum primis in ordinandos non ſuſtinet, cùm verbis illis à Christo prolatis Ioannis 20. Accipite ſpiritum ſanctũ. ſi verò reſpondeamus, nos ſeruare domini exemplum, obiicit ſtatim, multa dominum egiſſe, quæ nobis exempla eſſe noluerit. & quis tibi negat Caluine? dixit Lazaro, Lazare veni foras. dixit paralytico, Surge, & ambula, *Cur non eadem iſti dicunt omnibus mortuis & paraliticis?* dicam ego paucis & verè, quare illud epiſcopi ſibi ſumant, hoc verò non. quia certè diuinus ſpiritus pignus eſt & arrhabo eccleſiæ, quem non Chriſtus tantùm, ſed apoſtoli, ceteríque fideles legimus ſæpé cum aliis communicaſſe: ſunt ſiquidem eius eccleſię miniſtri, quę ſpiritum habet ſecum manentem in æternum at verò in his rebus, in quibus diuinę ſuę virtutis ac potentiæ ſingulare dedit Chriſtus ſpecimen, vt cùm ſola voce ac ſolo iuſſu ſuo in mortuos & ægrotos vitam & ſalutem contulit, quis, inquam, in his Deum conabitur æmulari? quis audebit omnipotentem ad certamen hoc prouocare? longiſſimè abſunt pij omnes ab inepta iſta cogitatione. nec adeò ſumus effrenes Caluine, quàm tu nos accuſas, quòd aſſerere audeamus conferri ab epi- *De cæremoniis.* *Cal. ſect. 29.*

ſcopis ſpiritum ſanctum, ſicut à Chriſto: ſcimus enim longè vnum ab altero diſtare. cõfert quidem Chriſtus, vt qui ſuo merito eum nobis peperit, confert epiſcopus, quippe qui miniſter eſt & diſpenſator cæleſtiũ donorum, ad vtilitatem credentium. Omitto recenſere, quæ de ſacra vnctione, & chriſmate, quo iunguntur Chriſti ſacerdotes iam à temporibus apoſtolorum, iſte oblatrat, atque ea, quæ de indelebili charactere nobis obiicit: ſunt enim rudia & ſatis ludicra. Auguſtinũ nobis obiicit contra eiuſmodi indelebilitatem, dicentem, Si detrahitur verbum ab aqua, nihil fore, niſi aquam. quaſi id multùm pertineat ad rem, quã tractamus. impoſitionem manuum negat hîc locum vllum habere, cùm diuus Paulus tam frequenter in ordinatione presbyterorum meminerit, præſertim. 1. Tim. 4. & 2. ad eundem 1. ſed omnia hæc breuitatis cauſa prætereo.

De diaconis, ac ſubdiaconis.

De ordine quoque diaconatus nobiſcũ pugnat, quòd cupiat vehementer reſtitui in ſuam integritatem miniſterium illud, quod ſub apoſtolis & in puriori eccleſia fuit. noſtri verò diaconi, quos nos fingimus, quærit à nobis, quid habeant cum illis commune. cui nos reſpõdemus plurimùm quidem inter eos conuenire: vtpote qui idem miniſterium principale retinẽt, ſacerdotibus ſacrificantibus aſſiſtunt, miniſtrant in omnibus, quæ aguntur circa ſacramenta, ſcilicet in baptiſmo, in chriſmate, in patena, in calice. item oblationes inferunt, ac diſponunt ſuper altare, domini menſam componunt, & ornant, crucem ferunt, euangelium denique ad populum decantant. Sed quærit Caluinus, an ſit in his verbum vnum de vero diaconorum miniſterio. cui reſpõdemus verbum hoc eſſe, quod præcipuam diaconatus rationem comprehendat. huic diacono ſolus epiſcopus manus imponit, orarium illi, & ſtolam ſuper læuum humerum collocat, vt intelligat ſe accepiſſe iugum domini leue, quò ad ſiniſtram pertinẽtia diuino timori ſubiiciat, textum euangelij ei præbetur, vt ſe eius præconem ac pronuntiatorem agnoſcat an non hæc ſpectant ad diaconos Caluine? diſpenſare Chriſti corpus & ſanguinem, aſſiſtere ſacrificanti presbytero eſtne tantùm adolendis turibus, ſimulacris poliendis, vt tu loqueris,

Officia diaconi.

conuertendis templis, captandis muribus,fugandíſque canibus præfici?quàm hiſtrionicos tuos ludos cõtra antiquitatem ac veritatem exerces. non conferimus nos diaconatũ cum apoſtolatu, etiã ſi facultas legendi euãgelium,immo interpretandi ipſis diaconis conferatur. longè ſiquidem plura apoſtolica celſitudo intra ſe claudit, de quibus nonnihil in ſuperioribus egimus, vnum hoc ſumma ſané conſideratione obſeruandũ eſt, quòd cùm iniquis aliquot principiis ac prorſus ſacrilegis nitatur ſemper Caluinus, ſic certè nobiſcum in omnibus agit,ac ſi iam res notiſſima ac certiſſima foret.negat vllum eſſe ſacrificiũ in eccleſia præter illud Chriſti cruẽtum, ac mox ſacerdotum ordinationẽ profuſiùsirridet, negat apoſtolos quicquam aliud in mandatis habuiſſe, quàm nudam verbi diuini legationem ac nuntiationẽ, (hinc ipſe colligit noſtros diaconos ſua ordinatione cũ apoſtolis optimè conferri)aſſerit hypodiaconos ſolùm curæ pauperum eſſe olim præpoſitos:quare ex tam iniquo principio contra inſtituta maiorum & canones infert nugatoriam eſſe functionem,quã ſemper eis antiquitas tribuit,nimirum,vt calicem ac patenam, vrceolum cum aqua, mantile ad altare deferant, aquam fundant ad manus lauandas. huic muneri ſané quàm optimé reſpondet initiandi ritus, vt ab epiſcopo patenam & calicem, ab archidiacono vrceolum cũ aqua, & manuale accipiat. Quis pius tam ſanctas cæremonias, tam antiquas,tam probatas irrideat? verùm,vt ſemel finiamus,licet de hoc ſacramento, quod de quinque primis ſtatuere.neque opus eſt longiùs repetere,quæ ſuprà,& quæ ab aliis fuſiùs ſunt explicata, hoc ſatis eſſe poterit modeſtis ac docilibus, quales eſſe omnes nos oportet, verum ac certum ibi eſſe Dei ſacramentum,vbi viſibile ſignum annexum eſſe creditur gratiæ in eo conferendæ promiſſioni, aut certè potiùs vbi gratia per ſignum ipſum ſenſibile, tanquam per diuinæ miſericordiæ cæleſte quoddã inſtrumẽtũ,ſectatur. Noli negligere gratiã,inquit apoſtolus, quæ tibi data eſt per prophetiã cũ impoſitione manuum presbyteri.ac rurſum,Admoneo te,vt reſuſcites gratiã Dei,quę eſt in te per impoſitionẽ manuũ mearum.non enim dedit nobis Deus ſpiritum

timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. Cùm itaque ſcripturæ teſtimonio, apoſtolica traditione, & patrum vnanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram ordinationem, quæ verbis & ſignis perficitur, gratiam conferri, dubitari minimè debet ordinem eſſe verè, & propriè vnum de ſanctæ eccleſiæ ſacramentis.

De matrimonio agitur, ipſum ſacramentum fuiſſe habitum ante Gregorij tempora, ex Ambroſio, & Auguſtino, probatur. CAP. XI.

MVlta reuera ſe nobis offerebãt, quæ de matrimonio nunc tractaremus, verùm quia in diluendis iſtius cauillationibus tantùm nunc verſamur, libet ab ipſius verbis hac in parte exordiri: ait enim, *Poſtremum eſt matrimonium, quod vt à Deo inſtitutum fatentur omnes, ita pro ſacramento datum nemo vſque ad Gregorij tempora viderat*: vno integro ſæculo, atque eo ampliùs S. Ambroſius & Auguſtinus Gregorij tempora præceſſerunt, quorũ prior dixit, exponens verbũ illud Pauli Epheſ. 5. Sacramentum hoc magnum eſt, Myſterij ſacramentum grande in vnitate viri ac feminę eſſe ſignificat. nec hoc prodit, ſed aliam cauſam, quę non diſcordet à memorato myſterio, efflagitat, quam ſcit ad profectum humani generis pertinere, hoc eſt, eccleſię & ſaluatoris: vt ſicut, relictis parentibus, homo vxori ſuæ adhæret, ita, relicto omni errore, eccleſia capiti ſuo adhereat, & ſubiiciatur, qui eſt Chriſtus. hæc Ambroſius. poſterior verò Auguſtinus, ex indiſſolubilitate matrimonij, atque ex verbis illis, Adhærebit vxori ſuæ, eſſe verum ſacramentũ, gratiam conferens, videtur probare libro de bono coniugali cap. 7. Nequaquam, inquit poſt multa de non ducẽda alia vxore, viuente priori, tantùm puto valere potuiſſe, niſi alicuius rei maioris ex hac infirmitate hominum, quoddam ſacramentum adhiberetur, quod deſerentibus hominibus, atque diſſoluere cupientibus, inconcuſſum illis maneret ad pœnam. ſiquidem, interueniente diuortio, non aboletur illa cõfœderatio nuptialis, ita vt à ſe cõiuges ſint ſeparati. & iterum, Semel autem initum cõiugium in ciuitate Dei noſtri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula quoddã ſacramen-

Cal. ſect. 34.

Matrimoniũ ſignum eſt vnionis Chriſti, & eccleſiæ.

tum nuptiæ gerūt, nullo modo poteſt niſi alicuius morte diſſoluit. idem habetur apud eundem auctorem in eodem lib. cap. 15. 18. & 24. Non ſolùm igitur hæc Dei ordinatio bona eſt & ſancta, ſicut agricultura, architectura, ſutrina, (ſic enim loquitur Caluinus) tonſtrina, ceteræque Dei legitimæ ordinationes, quæ ſacramenta non ſunt, ſed verum eſt rei ſacratiſſimæ ſignum. Non tantùm, inquit diuus Auguſtinus lib 1. de nupt. & concupiſ. cap. 10. fœcunditas, cuius fructus in prole eſt, nec tãtùm pudicitia, cuius vinculum eſt fides, verùm etiam quoddam ſacramētum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. cúmque ſymbolum hoc nimirum indiſſolubilis matrimonij inter virum & vxorem in hoc principaliter, teſte apoſtolo ad Epheſios 5. poſitũ fuerit nobis in hoc propoſitum, vt Chriſti vnionem cum eccleſia ſignificaret, atque vt fidei noſtræ certitudinem erigeret, non eſt eadem ratio de eo, quod Paulus, locutus de matrimonio, ait, Sacramētum hoc magnum eſt, ego dico, in Chriſto & eccleſia. & quod idem gentium apoſtolus alibi dicit, Sicut ſtella à ſtella differt in claritate, ita erit reſurrectio mortuorum, non eſt hoc ſacramentum Caluine, quamuis bene alicuius rei figura: nec illud, Simile eſt regnum cęlorũ grano ſinapis, nec illud, Ecce dominus gregē ſuũ paſcet quaſi paſtor. nec illud, Simile eſt regnum cælorum fermento, nec illud, Dominus, quaſi gigas egredietur. nec furtum, vt tu percupis, etiam ſi dicatur, Dies domini, tanquam fur. nec in ſcriptura tot ſunt ſacramenta, ſic loquendo de ſacramentis, quot ſunt ſimilitudines parabolicæ: quoniã nõ ſunt ſymbola, vti diximus, ex prima ſua inſtitutione ad illam promiſſionem nobis atteſtandam erecta, ſicut matrimonium. potiſſimùm in lege gratiæ, vbi adhærere iubetur vir vxori ſuæ, quò immutabiliter ſpiritualem Chriſti vnionem nobiſcum repræſentet. At, *Sic tractare ſcripturas, terram cælo miſcere eſt*: cur ita? ſic tractarũt omnes fermè ſancti. *Paulus, vt oſtenderet maritis, quàm ſingulari amore vxores ſuas complecti debeant, Chriſtum illis in exemplar proponit*: quid tum poſtea? vt enim, religioſe lector, ille viſcera pietatis effudit in eccleſiam, quam ſibi deſponderat, ſic vnumquenque Paulus ibidem affe-

1. Cor. 15. *Matth. 13.* *Eſa. 40.* *Matth. 23.* *Eſa. 42.* *1. Theſſal. 5.* *Cal. ſect. 35.*

ctum eſſe vult erga propriã vxorẽ. ſequitur enim, Qui
vxorẽ diligit, ſemetipſum diligit, quemadmodũ Chri-
ſtus dilexit eccleſiam. Hactenus vniuerſa nobiſcum cõ-
ſentiunt: tum vltrà: porrò vt doceret dominus, quomo-
do Chriſtus dilexerit eccleſiã perinde, ac ſemetipſum,
immo quomodo ſe vnum fecerit cum ſponſa ſua eccle-
ſia, (quæ quidem vnio illo ſigno fuerat promiſſa) refert
ad ea, quę Moſes narrat Adã de ſe dixiſſe. cùm enim ad-
ducta eſſet in eius conſpectum Heua, quam è ſua coſta
Geneſ. 1. formatam ſciebat, Hæc inquit, os ex oſſibus meis, & ca-
ro de carne mea. totũ id ſpiritualiter ac mirabiliter im-
pletum fuiſſe in Chriſto, in eccleſia, & in nobis teſtatur
Paulus, cùm membra nos eſſe ait corporis eius, de carne
eius, ac de oſſibus eius. tandem matrimonialẽ illã mu-
lieris, ac viri coniunctionem in ſpiritu admiratus bea-
tus apoſtolus, vt ſymbolum cęleſtis & ſpiritualis coniũ-
Concil. Tri- ctionis Chriſti, atq; eccleſiæ in hæc verba prorupit, Sa-
dent. ſeſſio. cramentum hoc, id eſt, Hærebit vir vxori ſuæ. magnum
34. ſub. Pio eſt ratione termini, quẽ figurat, nẽpe vnionis chriſti &
IIII. eccleſię. Quid tu Caluine? *Cùm dixit myſterium magnum,
non de carnali coniunctione viri, ac mulieris, ſed de ſpiritua-
li loquebatur*: immo de illa loquebatur, vt de ſigno, quod
apoſtolus iã explicuerat, de hac verò, vt de termino ſi-
gnato, ratione cuius ſignum illud magnũ ſacramẽtum
appellatur à diuo Paulo, Ego, inquit, dico in Chriſto &
Cal. ſect. 35. in eccleſia *Impoſui illu ſacramenti nomen, quod aut arcanũ.
aut myſterium verti poterat*: ò nodum indiſſolubilem, nõ
eſt inter catholicos, qui Græcè ſciat. ſed condonetur ho
mini elato atq; ſuperbo tãta arrogãtia. ſcimus, ſcimus
Caluine, ſcimus, optimè ſacramẽtũ in ſcripturis ſanctis
pro myſterio, ac pro arcano ſæpe accipi: nã vox hæc in
epiſtola ad Timotheũ priori capite tertio à vulgari in-
terprete, & in eadem ipſa ad Epheſios epiſtola capite
primo pro myſterio poſita eſt. nec linguarum peritiam
cum clamore inſectantur catholici, è quibus multos cõ
peri eius idiomatis peritiſſimos, qui ſenem Caluinum
Græcas literas, neſcio, an cum laude diſcipuli, docere
poſſent. ſiue igitur ſacramentum dicat, ſiue myſterium,
ſiue arcanum, parum refert: quodlibet eſt enim, modo
ratio veri ſacramenti ab eo non oferatur, prout ex ſan-

ctis patribus,ex conciliis,ex eccleſiaſtica doctrina, atq; apoſtolica traditione colligitur. turpe quidem eſt de voce diſceptare, quando in re optimè præceptores noſtri conueniunt. *Matrimonium verò ſacramenti titulo commendatum immunditiem poſtea, & pollutionem, & carnales ſordes vocare, quàm eſt vertiginoſa leuitas?* in quo ſenſu verba Siricij papæ ſint intelligenda, nos in libro quinto, cùm de ſacerdotum cælibatu ageremus, apertiſſimè & planiſſimè explicauimus. nec tam abſurdum videri debet Caluino, quòd ſacerdotes à matrimonio arceantur, quàm ſibi iudicari ſimulat, poſtquam multa habet ſtatus hic coniugatorum, ſicut ipſe non ignorat, ratione quorum valde fuerit decorũ viris Deo dicatis à maritalibus amplexibus abſtinere. Ecquis eſt homo audax ex noſtris catholicis, qui coitũ ipſum, partem eſſe ſacramenti tradat, & non magis mutuum illud vtriuſque hominis cõſenſum, poteſtatémque pleniſſimam, quam vterque ſui corporis mutuò alteri facit? Chriſtianorum ſacramenta adeò bene conueniunt Ioannes, vt ſtare ſimul optimè poſſint, quamuis ob vnius excellẽtiam, nempe ſacerdotij, tam præclari actus cum actibus matrimonialibus nõ ſatis bene cõcordent. an non in virgine beatiſſima virginalis puritas ſimul cum matrimoniali gratia perſeuerauit? quòd ſi coniugia inter adoleſcentulos parentum iniuſſu contracta, ob quandam naturalem pietatem ad patres, firma ratáque manere tu non credis, (licèt nunquam nõ matrimonij laudes prædices) cur eccleſiaſticæ reipub. tyrannidis notam inuris, quòd tam legitimis de cauſis cõiugia, inter ſacerdotes cõtra eius iuſſum contracta, firma ratáque non habet? Eſt igitur matrimoniũ ſacramentum, ac coniugalium cauſarũ cognitionem ad eccleſiaſticos iudices pertinere, iure, & merito nemo dubitabit. ipſos inſuper gradus affinitatis, ac cõſanguinitatis ſeruãdos eſſe, nec licere viro, qui adulterã repudiauerit, alterã inducere, euãgelica doctrina ſimul cum maiorũ noſtrorũ antiqua obſeruatione nos facilè docere poterit. rurſum eſſe certũ tempus magis orationi & ieiunio accommodatũ, quàm nuptiis, quiuis veriſſimè comperiet. Hęc verò omnia, ſicut & vniuerſa, quæ prædiximus de ſacramẽtis, poſt multã diſcuſſionem habitã

Tridenti, poſt incredibiles & bene liberas diſputationes tam theologorum, quàm patrum, quas referre longiſſimum foret, multis denique in eam rem conſumptis diebus, ſacroſancta ſynodus verè, candidè, atque planè nos docuit. hęc tenemus, ita de iis ſentimus, quibus auctore Deo, perpetuò hærebimus.

Reſpondetur vltimis Caluini verbis, quibus epiſtolam ſuam ſimul cum inſtitutione finit, ac tandem totum hoc opus abſoluitur. Cap. XII.

Miror ſatis Caluine, quòd ſic omnem pudorem exueris, vt audeas dicere in poſtrema tuæ epiſtolæ parte, non ſatis candidè nos facere, cùm inuidioſè, vt tu loqueris, commemoramus, quantas turbas, tumultus, contentiones ſecum traxerit iſtius doctrinæ prædicatio, & quos nunc in multis fructus ferat: nam tantorum malorum culpa, Ioannes, digniſſimè, vt nunc iam oſtéſuri ſumus, in ipſam deriuabitur, quæ ſimul in Satanæ etiam malitiam, hîc tantopere per vos regnantem, torqueri debebit. eſt hîc diuini verbi quidam quaſi genius, vt nunquam emergat, quieto ac dormiente Satana: ita eſt, non nego: non tamen emergit Dei verbum dolis, latrociniis, proditionibus, crucibus, quibus defendatur, propagetur, atque diuulgetur. primi illi huius eccleſiaſtici exercitus, nobiliſſimi duces, apoſtoli noſtri, & quotquot apoſtolicam celſitudinem imitari ambiebát, inquietum & vigilem ac nihil minùs, quàm dormientem Satanam experti ſunt, ſed contra ſe, mi Ioannes, non pro ſe. num diuus Petrus, aut Paulus, aut quiſpiam alius paternis bonis quempiam ſpoliauit? quenquam è ſuo regno expulit? quenquã trucidauit? eheu me! quàm etiam nolentes loqui cogis Caluine. diſpeream, ſi vnquam tam barbaros hoſtes Chriſtianus orbis perpeſſus eſt, tam crudeles, tam propè beſtiales, quàm fuerit iſte tuus diuini verbi, vt appellas, quaſi genius. Arrianorum tempore capta monaſteria, vinctos ſacerdotes, epiſcopos illuſos, ſubuerſas eccleſias, diruta ſacra, eccleſiaſticum fundum per vim oppreſſum fuiſſe & ſcimus, & legimus: at veſter iſte diuini verbi quaſi genius nouus, ſacrificij vaſa, ſacrilegio nefando, è medio tolli iuſſit,

Chriſti crucem comminui fecit,& quod dici,vel audiri pius non ſuſtinet animus, diuinam aram pro ſtabulandis equis præparari iuſſit. grauia quidem certè ſunt hæc,& moleſta Caluine,qualia nulla ætas ſuſtinuiſſe ab iniquis inuaſoribus videtur, nec legitur: ſed ſunt alia multò iis grauiora, atque moleſtiora. dicito in primis, oro,atque obſecro,ſi nos ſumus.qui errauimus,qui Dei verbo iniuriam intulimus, quid moleſtiæ diuini verbi iſte tuus quaſi genius à ſanctiſſimis manibus accepit? quid tam inhumaniter martyrum & ſanctorum reliquias erui iubet? moleſta profectò ea eſt iniuria, quæ innocenti paratur, longè tamen acerbior & moleſtior illa eſt, quam innocentia ipſa etiam poſt mortem à ſe propulſare non potuit. hæc certiſſima, & cum primis fidelis nota, qua diſcernitur vera doctrina à mendacibus & falſis,ſi certè doceat Cæſari tribuendũ eſſe,quod Cæſaris eſt,ac Deo, quæ Dei ſunt, ſi regem non priuet honore,patremfamiliâs poſſeſſione,virum vxore,eccleſiam demum debito cultu,pietate,ac religione: ſic ſæculis aliquot, quibus profundis tenebris ſubmerſa fuerunt omnia, mundo ſancti Dei homines ludus certè, non tyrannis erant, iocus, non terror. Sed video quid reſpondeas, *Ceterùm*, inquis, *in ipſum Dei verbum inuidiam conferre,aut ſeditionum,quas improbi & rebelles,aut ſectarum, quas impoſtores contrà excitant, quanta eſt malignitas*? quanta eſt malignitas, & quàm inueterata iſta veſtra conſuetudo, qui ſemper ſcelus proprium in alios transfundere nitimini, ne tam perditi ac ſcelerati ſimplicioribus hominibus videamini? ecquis, proh Deus! perſuaderi poterit, vt credat à vulgaribus hominibus, & non à miniſtris ipſis,qui ductores ſunt,ea mala, quæ enumerauimus,proficiſci? ſi non tibi placuerunt malefacta iſtorum, quæ per totam Galliam, Heluetiam, ac plus vltrà exercuerunt:quare taces?quare ſiles? innocẽtes atque indemnati à tuis verberantur, ſimplices religioſi in crucem aguntur:tu verò,qui ad clauum ſtas,penes quem rerum ſumma eſt, poſthabitis ipſorum maleficiis,in Romanæ curiæ mores,domi tuæ ſedens,corrigendos totus incumbis. duces nobiliſſimi & fortiſſimi à tuis produntur, & occiduntur: quæ cùm ſcias, ac pro

tuo in eos imperio prohibere poſſes, ne fiant tibi non placere, nemini ſanæ mentis perſuadebis. Interrogabatur Elias, an non is eſſet, qui turbabat Iſraël. iniqua profectò interrogatio, quę nulla ex proditione orta eſſe videri quoquo pacto poterat. regem non læſerat propheta, nemini nocuerat Elias. quæ omnia ſi quis de te dicere vellet Caluine, ac de tuis: non dubium eſt, quin proprio in mēdacio impius patronus miſerabiliter obruatur. Chriſtus ſeditioſus à Iudæis dictus eſt, ſed falsò: veſtræ verò ſeditiones patentiores ſunt, quàm vt calumniam vllam admittere poſſe videantur. vtinam tam iniqua eſſet noſtra de vobis criminatio, quàm erat falſa Iudæorum in apoſtolos accuſatio: quot animas nunc incolumes haberemus, ac ſuperſtites, quas furor veſter è medio tulit! ſi tu ipſe non defenſionem texebas, ſed duntaxat ad ipſam cauſam perlibenter audiendam regis animum præmollire ſtuduiſti: nos etiam nullam hîc accuſationem teximus, quippe qui tantæ rei longè impares nos eſſe certo certius cognouimus, ſed tantùm piis lectoribus quaſi indicare voluimus, non minùs humanitate apud homines, quàm pietate apud Deum vos prorſus eſſe deſtitutos. magnopere quidem confidimus cuiuſque pij gratiam recolligere nos poſſe, ſi hanc noſtram confeſſionem tuæ inſtitutioni contrariam placidi compoſitíque ſemel legerint: ſin autem ita quorundam aures occupant impiorum ſuſurri, vt Chriſtiana deſtructio pro Chriſtiana inſtitutione habeatur, veritas quidem ipſa nunc patietur, at manum domini fortem expectabimus, quæ ſine vlla dubitatione tempore ſuo aderit, & ſeſe armata exeret, vt iam olim fecit, tum ad pauperes ex afflictione eruendos, tum etiam ad vindicandos hæreticos, qui tanta ſecuritate exultant.

Septimi & vltimi libri finis.

SACRAE SCRIPTVRAE LOCI IN HIS QVINTO, SEXTO, ET ſeptimo libris explicati.

NE tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt patres tui. 12 *Prou.22.*
Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates, &c. 97 *Eſa.42.*
Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum, & dic, audite verbum omnis Iuda. 180 *Ier.7.*
Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. 105 *Ier.13.*
In illa die requiretur iniquitas Iacob, & non inuenietur peccatum, & non erit: quia propitiabitur reliquiis, &c. 107 *Ier.50.*
Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, &c. 107 *Eze.18.*
Omnem aufer iniquitatem, &c. 107. pag.2 *Oſee.14.*
Peccata tua eleemoſynis redime. 112 *Dan.4.*
Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. 63.64. & ſequ. *Mat.19.*
Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. 165 *Mat.23.*
Remiſſa ſunt ei peccata multa. 113 *Lucæ 7.*
Quia venit hora quando in monte hoc, *Ioan.4.*

neque in Hieroſolymis adorabitis patrem. 17.pag.2
1.Cor.3. Si quis ſuper ædificat,&c. 117
1.Cor.7. De virginibus præceptum non haberi, conſilium autem &c. 61.pag.2
Ibidem Vnuſquiſque vt ſibi partitus eſt Deus vnuſquiſque vt illum vocauit Dominus,ita ambulet. 82.pa.2
Epheſ.4 Et ipſe quoſdam dedit apoſtolos, quoſdam verò euangeliſtas. 12
Galat.1 Licet nos aut angelus de cælo an. 139
1.Timo.3 Vnius vxoris virum. 128
1.Timo.5 Adoleſcentiores viduas deuita. 80 pa.2
Ibidem Volo autem iuniores nubere,filios procreare. 81
Hebre.3. Honorabile connubium,&c. 132
Apocal.3 Sirco opera tua,&c. 106

Finis huius indicis.

397.458

INDEX ALPHABETICUS QUINTI, ſEXTI & ſEPTIMI LIBRI.

A

Abdicatio proprietatis plurimum charitati inſeruit. 64
Abſtinentia Iudæorum à certis cibis erat ſignificandi gratia: Catholicorum domandi corporis : Manichæorum verò damnandi creaturam. 31.pag.2
Acacium peſſimè & in prauum ſenſum detorquet Caluinus. 22
A Chriſti natiuitate vſque ad Petri paſſionem quot anni fluxerint. 194.pag.2
Alia ſemper fuit habita ratio circa coniugium ſacerdotum & circa coniugatorum ſacerdotium. 134.&.135
Alexandrina eccleſia Romanæ obediens ſemper fuit. 169. pa.2
Ambroſij locus, Aurum eccleſia habet, &c. interpretatur. 21 pag.2
Ambroſij locus, Lachrimas lego, explanatur. 112
Anacleti verba exponuntur. 125.
Anathema qui communia totius eccleſiæ ieiunia putat contemnenda. 27
Ante tempora Baſilij, Gregorij Niſſeni, Athanaſij, Hieronymi, Auguſtini, aliorúmque, monialium monaſteria habebantur. 80
Animæ quæ purgantur, viuorum ſuffragiis à pœnis liberantur. 93.pag.2
Antiqua patrum traditio retinenda, & qua hæreticos antiqui patres confutarunt. 5
Antiquitas, vniuerſitas, & conſenſus. ibidem
Antiquitati plurimum deferendum. 12.pag.2
Antiqui patres in ſumma neceſſitate ad ieiunium & ſupplicationes recurrebant. 27.
Antiquitati inhærendum. 135
Apoſtoli an parem cum diuo Petro auctoritatē à Chri-

ſto acceperint 185.186.187
Aqua benedicta. 103.pag.2
Aquæ vis ex verbo,quæ mundat ob verbum. 219
Aqua neceſſaria in baptiſmo. 227
Arrianorum perſecutio. 176.pag.2
Arrij epiſtola ad Euſebiũ Nicomedi. epiſcopum. 180.
Aſia primatum diui Petri recognouit. 169
Auguſtini loci pro diſtinctione venialium à mortalibus. 104.
Auguſtini verba expreſſa contra noſtri temporis hæreticos,&c. 124.
Auricularem & ſecretam confeſſionem pectatorum fieri non prohibuit Chryſoſtomus, ſed theatralem publicationem peccatorum. 235
B
Baptiſmi ac ſacramentalis abſolutionis differentia. 98.pag.2
Baptiſmi efficacia 221.222. fructus. ibidem
Baptiſmi neceſſitas. 225.226.
Baptiſare paruulos ex apoſtolorum traditione & vſu,& de eccleſiæ auctoritate docent antiqui patres. 228
Baptiſmi cæremoniæ. 228
Baſilicæ cur laudentur à ſanctis patribus. 17.pag.2.
Baſilij magni de ieiunij laudibus oratio. 33
Baſilius adulteros vocat qui nuptiarũ prętextu Deo dicatas virgines ſibi copulant. 76
Benedictio epiſcopi ſanctificationis traditio 103.pag.2
Bonis operibus præparamur ac diſponimur ad gratiam, non tamen ipſam meremur. 97
Bulla Pij papæ II. retractationum omnium dudum per eum in minoribus adhuc agentem pro concilio Baſilien. & contra Eugenium ſummum pontificem ſcriptorum. 205. 206. & ſequent.
C
Caluini in ſanctos iniuria, & in eccleſiam mendacium. 6
Caluinus omnibus modis antiquitati detrahit. 9
Caluinus ſepe patres reiicit. 14
Caluinus in patres noſtros antiquos ludit 14. notat,

bidem, ſequitur veſtigia Cham. ibidem.
Caluinus contra doctrinam eccleſiaſticam ex patribus perperam agere ſtatuit. 15.
Caluinus tranſgreditur paternos limites, dum affirmat patrum doctrinam Iudæorum & Gentilium craſſitiem eſſe. 17
Caluinus hæreticos pro patribus citat. 18
Caluinus ſibi contradicit, ac male ſcripturam interpretatur. 28.
Caluinus non vult ieiunium opus meritorium haberi, aut ad diuinum cultum pertinere contra patres. 30.pag.2
Caluinus patres tyrannidis & ſuperſtitionis accuſat. 32.pag.2
Caluinus cū Pſychicis, Iouiniano, Vigilantio, & Aerio quadragezimale ieiunium vocat ſuperſtitioſam obſeruationem. 37.
Caluini calumnia in Apolloniūcirca ieiunij leges. 43
Caluinus vult quod totus finis monaſtices ſit eccleſiaſticus ordo, cuius monaſteria ſeminaria tantū ſint. 46
Caluini mendacium de forma antiqui monachiſmi. 47
Caluini conuitia in monachos. 72
Caluinus fatetur veterem fuiſſe in eccleſia vſum vouēdi Deo perpetuam continentiam. 74
Caluiniana domus pulchra Apoſtatarum colonia. 82.pag.2
Caluinus ſibi minime perſtat, eſtque promiſſis contrarius. 84
Caluinus iuſtum cum impiis, & ſanctum cum peccatoribus condemnat. 85
Caluinus virgines apoſtatas condamnat 85
Caluini friuola obiectio de imaginibus. 88
Caluinus Pſychicus eſt, Catharus, atque Aerianus. 98.pag.2
Caluinus venialia peccata à mortalibus neſcit diſtinguere. 101
Caluinus omnia peccata dicit eſſe mortalia. 102

Caluini rationes aliquot contra diſtinctionem de pœna & culpa ſoluuntur. 108.109.& ſequent.
Caluinus pro impietate munificentiſſimus. 109
Caluinus antichriſti diſcipulus. 114
Caluinus debacchatur in antiquitatem. 119.pa.2
Caluinus ineptum iudicium de libro Augu. de cura pro mortuis agenda. 120
Caluini apparens contradictio & inconſtantia 121
Caluinus eccleſiam inuiſibilem tantum autumat
Caluinus in quibus diſcrepet ab aliis hęreticis, & in quibus concordet cum illis 152.153
Caluinus quot errores iam dānatos excitarit 153.pag.2
Caluini eccleſia chimera eſt. ibidem
Caluini obiectiones contra Petri primatum ſoluuntur. 176.
Caluini falſis rationibus reſpondetur, quibus probare ſtudet pontificis Romani primatum apud veterem eccleſiam in pretio non fuiſſe. 197.198.199
Caluinus Auguſtinum taxat 225
Caluinus progenitor Anabaptiſtarum Anabaptiſtas fouet. 123
Caluinus perperam docet pœnitentiam non eſſe ſacramentum. 233. pag. 2
Caluinus fatetur confeſſionis vſum eſſe vetuſtiſſimum. 234
Capitis raſura. 240.pag.2.
Charitas omnis perfectionis vinculum. 56.pa.2
Cathari & Aeriani notiſſimi eccleſiæ hoſtes oblationes fieri pro defunctis negabant 95.pa.2
Cauſa ob quam in viduarum eccleſiaſticarum numerū, referri adoleſcentiores vetuerit Paulus
Cælibatus 127.128 & ſequen.
Cælibatus Apoſtolorum 128. eius apoſtolica traditio. 129.130
Cęremoniæ baptiſmi propter tria adhibentur. 229
Communionis conſuetudinem, quæ à Chriſtiano populo fit tantum ſub vna ſpecie, antiquā eſſe oſtenditur, atque Gelaſius & Cyprianus explicantur. 128
Communionis tempus non feſtum ſolum, ſed conſcientis

entia pura. 214
Confeſſio ſacramentalis. 98.pag.2
Confirmatio 231. inſtituti huius ratio. 232
Conſilia multa ſunt in diuina & Euangelica lege quæ non ſunt omnibus præcepta. 59
Conſtantinus Imperator in honorem Chriſti & ſanctorum ſacras ædes erexit. 15.pag.2
Conſecratio fontis. 229
Conſuetudine antiqua nihil certius. 135
Contemplatiuæ vitæ conſuetudo, & ipſorum qui eam verè amant, deiectio ac humilitas. 54.pag.2
Cuique fas quotidie Euchariſtiam ſumere. 123.pag.2
Cura mortuorum multiplici via nobis eſt à Deo commendata. 120.pag.2
Cur ſoli epiſcopi Baptiſatis manus imponunt, vt accipiant ſpiritum ſanctum. 233

D

DE abſtinentia & Ieiunij laudibus. 41.42
De diaconis & ſubdiaconis. 241
Dei donum caſtitas. 73
Deo conſecramur per profeſſionem monaſtices. 68. pag.2
De cogendis conciliis. 199
De opere monachorum latiſſimè agitur. fol.49.50. & ſequent.
De templorum antiquitate atque vſu in eccleſia Chriſti. 15 pag.2
De tribus ordinibus maioribus. 240
De vario peccati venialis & mortalis vſu. 101
Differentia inter ſacramentum & Euangelium. 218
Diſſidium noui monachiſmi à vetere. 47
Diuitiæ & amplæ poſſeſſiones non ſunt inſtrumenta natura ſua ad malum. 66.pag.2
Diuus Antonius Serapioni epiſcopo duas monachales veſtes teſtamento verè apoſtolico legauit, Cilicium vero ſuis monachis. 48
Donatiſtarum verba impudentiſſima quæ noſtri tem-

poris hæretici vſurpant. 172.173
Duplex Caluini error atque Aerij circa Ieiũnium. 21
Duplex genus correctionis. 110
Duplex genus iudicij. ibidem

E

ECcleſiaſticæ vniuerſitatis recta iudicia. 136
Eccleſiaſtica ordinatio verè eſt apoſtolica. 83. pag. 2
Eccleſia primitiua pœnas temporales certis temporum ſpaciis circumſcripſit. 88. pa. 2
Eccleſia vna, ſancta, Catholica & apoſtolica. 144
Eccleſia multipliciter accipitur. ibidem pag. 2
Eccleſiæ nomen ob ſcelera quorundam non eripitur, 145. pag. 2
Eccleſia ſine peccatorum remiſſione eſſe non poteſt. 146. 147.
Eccleſia quid acceperit ab Apoſtolis & eorum diſcipulis. 152
Eccleſiæ caput quomodo ſit Chriſtus. 189
Eccleſia viſibilis & inuiſibilis. 151. 152
Euangelici ſacerdotis & Leuitici diſcrimen. 131
Euidens repugnantia apud Zuuinglianos. 132
Exercitia omnia monaſtica pietate omni ac virtute plena. 73

F

FAuſtus hæreticus ſenſibilia templa, altaria, incenſa, vaſa, luminaria, veſtes, ſimulachra, ſacrificia demũ ipſa negabat. 21
Fides ſaluat, cum illi adiuncta eſt dilectio. 113. pag 2
Forma noui monachiſmi ad veterem monaſticen optime quadrat. 147. pag. 2
Fructus qui percipiuntur ex libris patrum orthodoxorum. 7
Fructus vitæ contemplatiuæ. 55

G

GRatia Chriſti & ante baptiſmum & poſt regnare debet. 99 pag.2
Gratis à Deo culpa remittitur. 96.pag.2

H

HÆreditaria ſignacula nulla temeritate violanda.
Hæretici habent ſemper inter ſe bellum irreconciliabile. 178
Hæreticis ſolemne nunquam integram ſcripturam aut hiſtoriam referre,ſed dilaceratam, truncatam, atque luxatam. 42
Hæretici omnes affirmant diuinum verbum in ſuo nitore ac ſplendore ſe retinere,ſeſéque ſacramentorum legis gratiæ veros cuſtodes. 158
Hæretici titulo puræ prædicationis verbi Dei, contra catholicos ſe muniunt. 159
Hæreticis omnibus commune ſe catholicos appellare. 160
Hæretici omnes ex ſcripturis bellum inferre eccleſiæ conantur. ibidem
Hæretici nomen eccleſiæ ad ſe rapiunt 161
Hæreticorum mens quæ ſit dum corruptos mores ipſi eccleſiæ obiectant. 174
Hæretici,etiam ſi incorruptiſſimè omnes Chriſti ſacerdotes viuerent,non tamen ab iniuriis abſtinerent. 145.pag.2
Heretici circa numerum ſacramẽtorum abinuicem diſſident. 214
Hilarij verba contra Auxentium referuntur & explicãtur, vbi Caluini perfidia demonſtratur. 177
Humanitas quorundam antiſtitum ac liberalitas in pauperes. 22.pag.2

I

IEiunium indictum ab eccleſia ſoluere poſſumus ſi neceſſitas vrgeat aut poſtulet fraterna charitas.42.pa.2
Ieiunium à patribus multum commendatum. 23.
Ieiunium meritorium. 23.pag.2
Ieiunio redimuntur æterna ſupplicia. 24.
Ieiunium quatuor temporum. ibidem pag.2

Ieiunium quadrageſimæ nõ ab hominibus conſtitutũ, ſed diuinitus conſecratum. ibidem
Ieiunium non tantum reddit nos ad orandum expeditos, ſed etiam Deo gratos, à quo peccatorum veniam impetrat. 27.pag.2
Ieiunium virtus temperantiæ pars alias virtutes adiuuat. 28
Ieiunium Dei cultus ac meritorium. 28.pag.2
Ieiunium conſiſtit in tribus. 29
Ieiunium ſine charitate non prodeſt. 29.pag.2.30
Improbi bonis permiſti in eccleſia. 149
Iouiniani lex ac edictum, quo præcipiebatur, vt capite plecterẽtur qui ſacram virginem ſolicitare tentaſſent. 79.pag.2

L

Legitima Sacramentorum adminiſtratio in eccleſia catholica. 155.156
Leuiores culpæ ac temporales pœnæ remittuntur adiunctis Romani pontificis indulgentiis. 69.pag.2
Leo primus qualem ſe exhibuit in cauſa Flauiani cõtra Eutychem: & Miltiades in cauſa Ceciliani contra Donatum. 200.201.202
Licet pulchrum ſit familię piè regendę ſtudiũ, pulchrius tamen eſt, diuinis ſolum vacare. 71.pa.2
Locus ille Matthæi 19. Si vis perfectus eſſe, &c. iuxta antiquorum patrum interpretationem, apertius explicatur, reiecta à Caluino conficta ſuper eo loco interpretatione. 64.& ſequen.

M

Magiſter ſententiarum & ſcholaſtici doctores ab iniquis Caluini criminationibus vindicantur. 98
Mala vita prelatorum eccleſiaſticorum magiſterium non impedit. 174.175.
Matrimonium eſt ſacramentum. 130.pag.2
Matrimonium ſignum eſt vnionis Chriſti & eccleſiæ.

Matrimonium quo ſenſu à patribus immunditiés appelletur. 131
Miſericordia Domini nunquam ſine iuſtitia. 108
Miſſa omnis publica. 124. pag. 2
Miſſa ſine communicantibus an celebrari debeat. 124. pag. 2
Miſſæ priuatæ. 123. pag. 2
Monachatum rem eſſe antiquam, & formam noui monachatus ad veterem monaſticen optimè quadrare pluribus ſanctorum locis confirmatur. 44. 45 & ſequen.
Monachi inſtituebantur vt inde epiſcopos haberet eccleſia. 46
Monachi ad publica officia quare vocati. 46. pa. 2
Monachi Pſalliani nullum manuum laborem monachis licere pertinaciter aſſeuerabant. 49
Monachi nullam vnitatem in eccleſia ſcindunt ſui inſtituti ratione. 58
Monachorum ſtatus vere conſpiratio eſt, ſed cæleſtis, diuina, atqué ſumma laude digna. 58. pa. 2
Monachatus non eſt noua pietas, ſed intra eandem religionem proxime accedit ad perfectionem. 68
Monachi non ſe ab eccleſiæ vnitate præſcindũt, quamuis à mundi frequentia remoti viuant. 70
Monaſteria monialium antiquiſſima. 28
Monialibus Alexandiæ Valentis Imperatoris tempore vis illata. 79
Monica Auguſtinum eius filium vehementer rogauit, vt ſui memoria in peragendis myſteriis fieret ad altare. Quod fecit Auguſtinus. 120
Mortuorum ſuffragia. 88
Mortuorum animæ viuorum ſuffragiis adiuuantur 94
Mos iuuandi mortuos oratione & ſacrificiis ab apoſtolis ipſis obſeruatus. ibidem

N

NEmini licet vnitatem eccleſiæ deſerere. 272
Nomina Hæreticorum tam præteritorum quàm præſentium. ibidem

Non ſemper cum culpa remittitur pœna. 160.161.162

O

Officia diaconi. 241.pa.2
Obſeruatio Conciliorum clypeus eſt pro cuſtodia diuinorum præceptorum. 52.pag.2
Obſeruatio diuinorum præceptorum via eſt ſalutis æternæ. ibidem
Oleum ſacrum eſt materia ſacramenti extremę vnctionis. 236.
Opera neceſſaria ad ſatisfactionem. 106
Operum noſtrorum bonorum Deus recordatur. ibidem
Opus ſupererogationis. 61.pag.2
Oratione dominica lęuia peccata nobis cõdonãtur.118

P

Patres orthodoxi poſt Gelaſij tempora. 8
Patres quædam ſcripſerunt ſecundum humanũ ſenſum innixi opinionibus hominum. 9.pag.2
Patres non aliter ſe intelligi volunt quàm hactenus eccleſia catholica ipſum de quo agunt, intellexit. 10
Patres nonquam concorditer errarunt. 11.pag.2
Patrũ noſtrorum termini qui ſint, quos pretergredi nõ licet. 13
Patrum noſtrorum doctrinam ſcienter Caluinum faſtidiſſe demonſtratur. 14
Paphnutij hiſtoria diligenter expenditur. 132.pa.2
Peccator ſemper reſurgit ad maiorem gratiam. 105. pag.2
Peccata venialia quæ dicantur. 102.pag.2
Peccata mortalia quæ. ibidem
Peccatores membra ſunt eccleſiæ. 149.pag.2
Peccatorum remiſſio nulla ſperanda extra eccleſiam. 155
Pœna non tota remittitur condonata culpa. 105
Pœnitentia Sacramentalis. 235

Pœnitentiæ etiam pro peccatis occultis impoſitę. 90. pag. 2
Pœnitentiales egregij canones. 91. pag. 2
Pœnitentiis coram Deo expiari peccata. ibidem
Pœnitentia vniuerſale remedium. 92
Pœnitentiæ impoſitæ ab eccleſia diuinæ iuſtitiæ ſatiſfaciunt, ſi quid reſtat pro peccatis ſoluendum. 92
Pœnitentiam ad ſolam politiam redigere Caluinianiſmum eſt ſectari. 93
Preces in templo, Deo ſunt gratiores. 15. pag. 2
Peregrinationes ad martyrum ſepulchra. 16
Perfectio in duobus illis pręceptis, Diliges collocata eſt. 57
Perfectio non tenetur, niſi quando charitas tenetur. 59 pag. 2
Perfectio maior conſiſtit in obſeruatione cõciliorum, quàm ſi quis ea ſolum ſeruet quæ decalogus præcipit. 61
Petri primatus ſcripturis ſacris oſtenditur. 187. pag. 2
Petri authoritas ex nouo teſtamento valde conſtat. 182. pag. 2
Petri primatus in ſuis ſucceſſoribus. 189
Petri ſucceſſores, ſacerdotes magni, & ſummi pontifices dicuntur. ibidem
Petrus Romæ mortuus eſt, qui ibi longo tempore epiſcopatum geſſit. 193. pag. 2
Petrus antequam Romã primum veniret, bis eſt à Paulo viſus, atque ſeptem annis Antiochiæ præfuit. 195
Petrus qua die primùm Romam fuerit ingreſſus. ibid.
Petrus poſt mortem Chriſti vixit 37. annos. 196
Profeſſio monaſtica iterata natiuitas. 69
Purgatorium locus vbi temporales pœnę purgantur 93
Purgatorium. 116
Purgatorium pro venialibus culpis & pro temporaria pœna mortalium iam remiſſorum. ibidem.

Q

QVa ratione dictæ fuerint à Christo beatitudines illæ octo, fides, vita æterna. 59

Quadrageſimæ obſeruatio à tota eccleſia celebrabatur ante Manicheos. 31
Quadrageſimæ obſeruatio vbique audita. 38
Quadrageſimale ieiunium tribus de cauſis celebratur. 39.
Quadrageſima habita ad pœnitentiam. 90
Quadrageſimalis pœnitẽtia ob homicidium & furtum iniuncta. ibid.
Quàm ſint vtiles eccleſiæ ſcholaſtici doctores. 10.pag.2.
Quæ ſint neceſſaria in baptiſmo. 229
Quibus de alieno viuere liceat. 49
Quid ſit ab eccleſiaſtica vnitate præſcindere. 70.pag.2.
Quid ſit ſoluere & ligare. 184
Qui ſeipſum ſemel Deo dououit, hic ſi ad aliud deinde vitæ genus tranſierit, ſacrilegio ſe abſtringit. 62.pag 2.
Qui ſunt illi termini patrùm noſtrorum quos pretergredi non liceat. 13
Qui pro dignitate artes fabriles exercere non debent. 53.
Qui diuino & apoſtolico præcepto ad laborem obligantur. 53
Qui continenter viuere volunt, poſſunt. 73.74
Quot ac quanta ſint nobis remedia ad ſatisfaciendum etiam in hac vita pro pœna etiam temporali. 100.pag 2.

R

Religionis ſtatus ad perfectionem Chriſtianã pertinet. 56.57.& ſequent.
Remiſſa culpa, ſæpe remanent temporales pœnæ, hîc aut in futuro ſeculo exoluendæ & purgandæ. 88.pag.2.
Remiſſio meræ liberalitatis donum. 94.pag.2
Romana fides lydius lapis. 4
Romana ſedes veritatis magiſtra. 7

Romanæ ſedis ſtudium ſeparandi orthodoxos patres ab apochryphis & ab hęreticis anno 480. 7
Romanus pontifex non eſt antichriſtus. 179
Romana ſedes hæres fidei & auctoritatis Petri. 191
Romanus epiſcopus, apoſtolicus. 193
Romanis euangelium Petrus & Paulus ſuo ſanguine obſignatum reliquerunt. 194

S

SAcerdotium eccleſiaſticum Chriſti oblationi minimè eſt iniurium. 240. pag. 2
Sacramentum ordinis. 238. pag. 2
Sacramentum quid. 214
Sacramenti nomen vnde. 115
Sacramentorum numerus. 116
Sacramentorum efficacia. 219. 220
Sacramentorum veteris & noui teſtamenti differentia. 220. pag. 2.
Sacra in prophanis ædibus non celebranda. 16
Sacrificium cœnæ dominicæ pro mortuis offertur. 53. pag. 2.
Sancti omnes doctores nunquam ſimul errarunt, quod hoc contra Chriſti promiſſionem fuiſſet. 1. pag. 2
Satanæ ſtudium contra Miſſam. 125. pag. 2
Satisfactio. 89. 105. 109. 110
Seculares multi, ſunt deo gratiores quam nõnulli ex religioſis, quare non debẽt perſonæ cum perſonis, ſed ſtatus cum ſtatu conferri. 64. pag. 2
Sententiæ Cypriani, Baſilij, Cyrilli Hieronymi & Auguſtini explicantur de virginibus Deo dicatis. 75
Spiridionis hiſtoria à Caluino dilacerata. 42
Scripturæ ſenſus maximè à patribus petendus. 12. pag. 2.
Scriptura iuxta ſenſum & conſenſum eccleſiæ intelligi debet. 127
Socrates quædam perperam aſſeruit. 39
Succeſſio continuata Romanorum Pontificum certiſſima nota veræ eccleſiæ. 163. 164. 165. & ſequent.

Succeſſio ſacerdotum quæ & qualis legitima. 167
Suffragia mortuorum. 119

T

TRanſſubſtantiatio. 121.pag.2.122.123
Teleſphorus quadrageſimalis ieiunij non inſtitutor, ſed exactor. 25.pag.2
Teleſphori decretum vigere tãtum in cœnobiis piè inſtitutis. 40

V

VArius vſus ſacramentorum & Euangelij. 217
Vaſa aurea & argentea ſanctificata nemo amplius in ſuos vſus aſſumat. 19
Veniale peccatum ex natura ſua duplex. 101.pag.2
Verba Caluini cum Iouiniano & Ærio communia. 40.pag.2
Verbi Dei ſyncera prędicatio & legitimus ſacramentorum vſus non ſunt primæ & veræ eccleſiæ notæ. 158.159.
Veſtes precioſæ pro ſanctiſſimo ſacrificio. 20
Veſtibus cæteriſque cęremoniis plurimùm tribuebant antiqui monachi. 148
Virgines Deo dicatas, ſi virginitatem quoquo pacto amittant Chriſti adulteras vocat Cyprianus. 75.pag.2
Vota monachorum Deo pergrata multum habere laudis & meriti apud deum quod ſint perpetua. 71.72. & ſequent.
Vota monaſtica. 72
Voti perpetuitas. 73
Votum perpetuæ longe Deo gratiſſimum. 82
Vota religioſorum qualia. 84
Vota ſemel concepta, opere complenda. 86
Vnctio extrema. 238
Vnctio extrema vnde dicatur. 237
Vniuerſitas & extrema vnctio omnium eccleſiarum ſequenda. 138.139

Vno actu licet multa ſcelera deteſtari. 100

Vnum non plures eſſe Chriſtianiſmum, quamuis non vnus, ſed plures ad perfectionem in eo gradus, declaratur. 98.69.70.& ſequent.

Z

ZIſcha thaborita eccleſias inuaſit, euertit templa, ſacraria ſpoliauit, ac monaſteria deſtruxit. 18

Finis indicis quinti, ſexti, & ſeptimi libri.

Digitized by Google

Digitized by Google